
R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II
8
52 G
17
ROMA

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ,

HABITÆ
In Collegio *Greshamensi* apud *Londinenses*
A
RICHARDO HOLDSWORTH, S. T. D.
& in eodem Collegio nuper Professore,

Collegii *Emanuelis* in Acad. *Cantabr.* Magistro,
Decano *Wigorniensi*,

CAROLO Primo, *Britanniarum* Regi,
Τῷ Μακαρίτῃ, à Sacris.


EDITÆ,
(Unà cum ORATIONE solenni, quam habuit idem in Vesperiis Comitiorum Academiæ Procancellarius, An. 1641.)

Curâ & Studio
RICH. PEARSON, S.T.D.

Præmissâ Authoris vitâ.

Etiam Mortuus loquitur.

LONDINI,
Typis *Jacobi Flesher*: prostant apud *Gul. Wells* & *Rob. Scott*, ad Insignia Principis in vico Little-Britain dicto,
MDCLXI.



Potentissimo ac Pientissimo Monarchæ,
CAROLO *Secundo, Magnæ* Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ *Regi, Fidei Defensori*, &c.

HAbet in quibus glorietur *Britannia* Tua, Rex Augustissime, Christiani nominis Reges non solum nutritios Patres, juxta propheticum oraculum, sed Duces & Antesignanos in Ecclesia Dei.

Regum Christianorum primus *Lucius* ille memoratur, quem suum agnoscit & deprædicat *Britannia.*

Imperatorum primus quos unda genitalis intinxit, *Constantinus* Magnus; hunc suum pariter alumnum vendicat & jactat *Britannia.*

Primum Reformatæ professionis, & qui cæteris viam præmonstravit, Regem suum *Edvardum* Sextum, alterum *Josiam*, celebrat & decantat *Britannia.*

Et ne quid deesset summæ Regum *Britannicorum* gloriæ, CAROLUM Primum, primum Regii nominis, imo post homines natos unicum, tum Civilis tum Ecclesiasticæ libertatis invictum Martyrem, adhuc ingemit, quin & suspicit & veneratur *Britannia* sua.

Hujus Beatissimi Martyris hæredem & successorem constituit Te Deus Opt. Max. hæredem paterni nominis, paterni imperii, &, quod majus est, paternæ virtutis pietatisque ac intemeratæ Religionis.

Quod tuissimi hujus Imperii habenas non nisi post multorum annorum intercapedinem moderaturus esses, id optimo consilio factum, utpote divino, credendum est. Postulabant hoc inprimis nostra omnium peccata, quæ à nobis divinæ benignitatis fluenta propulere. Postulabat hoc Parricidium illud immane & horrendum, ne summa totius Rei simul ac Spei tam malæ fidei temere concrederetur.

Quin & hoc ipsum solitus divinæ providentiæ cursus & ordo postulabat, ut quem in vas summi honoris elegisset, ipse prius igne ac malleo multigenæ tribulationis fingeret & formaret.

Prodiisti tandem (quod de S. *Job* B. *Augustinus*) velut statua recens rutilans è fornace Dei. Rediisti ab exteris invictus fidei athleta, ut apud Tuos non titulo tenus, sed reipsa, clueas *Defensor Fidei.*

Tali ac tanto defensore & vindice opus habuit Reip. *Britannicæ* tum Civilis tum Ecclesiasticæ status. Quod de *Brasiliensibus* fertur, Novi orbis indigenis, tria ex Alphabeto elementa, F.L.R. nullo apud eos in usu esse, atque id divinitus, quod Fide, Lege, Rege careant: tale quid evenisse nobis superiori illo duodecennio fatendum est, à quibus unà cum Rege Fides Legesque exulabant; divina omnia simul ac humana misere confundebantur, Fides antiqua & Apostolica protrita & conculcata,

Religio

Religio omne genus hæresibus turpiter deformata, Orthodoxis ora obturata, Fanaticis data quidvis effutiendi & in quosvis impune grassandi licentia, Templa divino cultui dicata tantum non solo exæquata, certe barbara & petulanti impietate in stabula equorum conversa.

Alterum oportebat exoriri *Herculem* qui stabula ista plusquam *Augeia* repurgaret; alterum *Josiam*, qui Legem Dei è ruderibus extractam promulgaret; *Constantinum* alterum, qui Pacem & Unitatem diesque Halcyonios Ecclesiæ Christianæ restitueret. Atqui multos habemus *Constantinos* in uno Constantissimo CAROLO quem Deus tanquam è cœlo demissum, atque ingenti miraculorum cumulo circumfusum, populo suo potentissime clementissimeque donavit.

Nihil non summum speramus, imò spondemus nobis, à Principe tanti & tam Divini moliminis, cui tanquam ex traduce datum est, & jure quasi hæreditario, Remp. Ecclesiasticam non solum in cura, velut ex officio, sed nativo quodam genio in deliciis habere.

Præluxit tibi splendidissimum exemplar *Jacobus* Avus, qui Sceptro dubium an Calamo felicior; utrinque Ecclesiæ Hostes, tum forenses tum domesticos, non tam authoritate repressit, quam doctrina & argumentis refutavit.

Præluxit sanctissimæ memoriæ *Carolus* Pater,

ter, non solum Fidelis Dispensator in regno suo, sed & Scriba doctus in regnum Dei, qui suam ipsius salutem semper habuit cum Ecclesiæ incolumitate conjunctissimam.

Horum vestigiis feliciter instes, gloriã quantumvis maximam exsuperes. Fac quod facis, Fidem intemeratam stabilias, Disciplinam plusquam intermortuam restituas, studia & dissidia partium componas, Deoque, cujus vices geris, Te simillimum exhibeas, qui omnia in suis fortiter & suaviter operatur. Idemq; Deus Solium Tuum confirmet, *vitam prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum,* &c, vitæ hujus spatio feliciter decurso, vitam perennem & coronam immarcessibilem largiatur.

Vestræ interim Serenissimæ Majestati, Fidei cum sis acerrimus Defensor, rerumque in Ecclesiis quæ Vestræ sunt ditionis summus post Christum moderator, Hasce de rebus Fidei Disputationes, à spectatissimo Theologo, Patrique Vestro Serenissimo summo in pretio atque in deliciis, *Richardo Holdswortho*, olim elucubratas, jamque in lucem missas, tuendas & fovendas suppliciter dicat præfati Authoris ex matre nepos, &

Majestatis Vestræ

subditus humillimus,

Ric. Pearson.

Ad Lectorem.

PRælectiones insequentes, à Doctissimo Theologo R. H. in Collegio Greshamensi apud Londinenses cœptæ circa annum Salutis 1630. & per octennium, plus minus, continuatæ, quanto doctorum omnium, Londinensium præcipuè Theologorum, concursu plausúque imbibitæ, quàm cupidè fuerint maximorum virorum suffragiis ad prælum postulatæ, non opus est recensere. Verùm quòd tamdiu nequicquam speratæ atque exspectatæ delituerint, hujus utique ratio aliqua reddenda est. Prima, eáque præcipua, fuit summa Authoris modestia, qui cum cæteris omnibus longè maximus, sibi uni minimus videbatur, tantúmque abfuit ab aucupando publicæ lucis gloriam, ut vel multoties oblatam pertinaciter abnueret. Nunquam quicquam ab eo extorquere potuit vel librariorum avida, vel amicorum ambitiosa importunitas.

Unicam Concionem edidit, eámque non nisi tertio Regis optimi monitu, ipse alioquin religiosissimus authoritatis Regiæ observator. Cæteræ quæ prostant Anglicè venales, à prædone illo Stenographico tam laceræ & elumbes, tam miserè deformatæ sunt, ut parùm aut nihil agnoscas genii & spiritûs Holdsworthiani.

Postquam ipse cursum suum consummaverat, non perinde Authoris (sanctissimæ licèt) modestiæ, quàm publico Ecclesiæ emolumento consultum oportuit; præsertim cùm illud ab ipso jam moribundo impetraverat B. memoriæ Radulphus Episc. Exoniensis, ut nè Greshamenses hæ Prælectiones unà cum reliqua sua chartacea supellectile, quam universam flammis devoverat, fato tam immaturo abriperentur. Atqui infausta illa tempora; quæ est altera ratio, adeò sanam doctrinam non ferebant, ut verendum erat, nè quem priùs ad mortem usq; carceribus maceraverant, in Operibus ejus novo itidem martyrio opprimerent, & in ipso prælo reviviscentem strangularent.

Tandem aliquando pace Ecclesiis Britannicis divino beneficio restitutâ, veritas in angulos detrusa audebit jam caput exserere, & in lucem prodire. Habe itaque tibi, Lector, thesaurum hunc Theologicum, lucubrationes hasce è pulvere erutas, & ex ipso Autographo fideliter descriptas, ejus operâ & studio qui sibi Holdsworthum Cognatione avunculum, Affectu patrem, Beneficiis patronum, in studiis Academicis Tutorem, in Ecclesiasticis Cynosuram habuit, cujúsque piissimam memoriam adhuc venerabundus suspicit,

RIC. PEARSON S. T. D.

AUTHORIS VITA.

Erudite Lector,

VItam brevi percurrimus quam conscribere solus ipse potuit qui egit. En tibi Prophetam Prophetæ filium, *Richardi Richardum*, Theologum Theologi sobolem & incrementum. Hic Patrem eum agnovit qui, quorundam fortean adhuc memoriâ, *Novocastro*, prout dicimus, ad *Tynam* pulpitis adeò inclaruit; fratrum natu minimus, quem moriens optimus ille parentum *Gulielmò Pearsono* genero suo, Ecclesiastæ etiam apud *Novocastrenses*, septennem concredidit. Hujus curâ & tutamine ibidem in Schola crevit; unde non ità multos secum annos Cantabrigiam attulit. Collegium D. *Joannis* valde juvenis salutavit; cui postea, illustre ejus ornamentum & insigne desiderium, ætate jam & studiis provectior valedixit. Interea Honoratissimo viro D. *Henrico Hobart* Equiti aurato, primario communium placitorum Justiciario, à Sacris astitit; honorificè quidem à viro Nobili tractatus, etsi miserum sit doctos vel ad splendidissimam mensam deservire. Postea nescio quis Patronus ad Ecclesiam occiduâ *Eboracensis* agri plagâ sitam eum promoverit; quam, quia rusticari noluit, cum *Londinensi* quadam commutavit. Ea fuit D. *Petri*, *Pauperis* utì vocant, in Vico dicto Broad-street, Sanctissimi Athletæ arena & tumulus, palæstra & *Κοιμητήριον*. Hîc non inani clamore aures hominum opplevit, Cœlesti veritate animos perfudit. Hîc non ingemuêre tecta, sed Auditores; quorum frequentiâ sudabant columnæ, parietes, fenestræ, dum flerent ipsi. Hîc non furens vàticinabatur; zelo exarsit & eloquentiâ. Hîc impios terrebat, dulce piis Solamen, bonorum semper deliciæ, diu etiam Hypocritis suavissima Cantilena. Huc accesserat paulò antè quàm maxima illa aëris tabes Anno 1625. *Londinum* afflâsset; quæ nec ipsa fidissimum Pastorem ab ovili & grege suo fugare valuit, licèt aliud postea ovium venenum & sequior urbis pestilentia demum abegerint. Non autem ad unum & simplex ferendum onus natus & factus ille, qui Sacris Concionum sudoribus profundioris

etiam Theologiæ & Cathedræ pulverem simul commiscuit. Ædiculam istam D. *Petri* proximè à tergo respicit Collegium *Greshamianum*, divinæ Eruditionis, nec non Eruditorum quotquot urbi inerrabant, ipso differente scena toties & theatrum. Hæc altera ejus provincia, Prælectionum sequentium, quæ se & ipsum satìs celebrant, conscia. Sic brevi intervallo & orbe ibat, redibat labor; sic gloriam & laureolam hinc indè sibi comparavit. Dum Spartam utramque ornaret, Collegii D. *Joannis* alumnus olim & socius, ad ejusdem Magisterium plurimis & potiorbus Sociorum suffragiis delectus est; nonnullorum verò perversitate, aliorum præpotentiâ, de jure suo cedere coactus: quod tam non iniquè tulit, ut honorem & præfecturam quasi evitâsse existimâris. Non ità diu pòst Collegii *Immanuelis* floruit Præfectus, Societatis illius Moderator humanus æquè ac invictus. Hinc, ortâ passim plebis seditione, bellóque civili in *Anglia* ingravescente, Academiæ jam secundùm, dein (continuo triennio) tertiùm Procancellarius, hortatu amicorum prudens se subduxit; cùm sanè per *Cromwellii* furorem, qui tum primùm gliscere cœpit, ibi in tuto esse, ei præsertim, non licuerit. *Cantabrigiæ* clarissima fidei suæ in Regem dederat specimina; quæ, nè quid asperiùs dicam, crabronem hunc, totúmque illud sævum genus irritârant. Cavendum ei erat ab infensis animalculis; rus primò, exin *Londinum* clàm secessit. Hîc aliquamdiu celabatur; at fortè fortunâ iter faciens, in eos tandem incidit quos vitaverat. Nimirum virtutes in lucem extrahere Deus voluit quæ delitescere cupiebant. Agnitus à Præfecto cohortis quæ per agros & viarum compita grassabatur, *Londinum* reducitur, in Conciliabulis senatorum statuitur, Ergastulis traditur. Episcoporum & Optimatum ædes in Captivorum claustra *Bellum Prophanum* converterat, ut denique ipsa Templa in equorum & militum stabula. Rapiunt ad ædes *Elienses*; pòst autem, quò libertatem unà & rem imminuant magìs, conjiciunt in *Cæsaris* Turrem, quam tamen ipse *Davidis* appellare maluit. Non ibi vili veneunt angustiæ, nec unde quis se captum redimere queat minimo. Injurias mulctásque illius Carceris per quadriennium ferè sustinuit; pretio haud nisi ingenti numerato, interpositísque amicorum vadimoniis, ad extremum liberatus; & eâ quidem lege & conditione, nè pedem ultra vigesimum ab Urbe lapidem quovìs proferret. Hæc talia passus est Parœciâ suâ urbanâ ab iis exutus, mox Academicâ dignitate exuendus. E Collegio cui merito suo maximo præfuit penitus excutitur, Ministro quodam *Bostoniensi* in ejus locum

locum ſuffecto. Erat & alius honos quo lubens eum etiam abſentem, & cùm in hoſtium manibus & carcere verſaretur, ſummo omnium conſenſu Academia mactaverat, Theologiæ *Margaretana* Profeſſio, quæ ad uſque ſupremum ei diem intacta cuivis permanſit & illibata; at non muneris item ſtipendia & Emolumenta. Beneficium Eccleſiæ luculentum, quo perilluſtris illum affecerat *Rutlandiæ* Comes, nefas erat conſequi, aut adire. Nobiliſſimam ejus Bibliothecam boni viri non diripuere, prædæ & ingenii velut obliti. Reſtabant ipſi tantummodo libri & libertas, ſtrictior illa, quam diximus, evagandi licentia; at neque hanc diu indulſere. Poſtquam deformis Senatorum turba Regem conditionibus non ultrà tentandum eſſe ſive adeundum decreviſſet, non potuit quin Perduellium inſaniam pro concione palàm exagitaret. Sacroſancta illi Regis cauſa & Majeſtas; nec quiſquam Rebelles impatientiùs ferebat. Rurſum Sicariorum comitiis ſiſtitur, juſſu homuncionum *Salvæ cuſtodiæ*, ſi diis placet (ità illi loquebantur) denuo *commiſſus*: ut pulchriùs eis procederet nequitia, à ſuggeſto procul eum ſeponere multùm referebat. Si videre illum & audire integrum fuiſſet, non tam facilè patrâſſent Scelera, neque repentè evaſiſſent turpiſſimi. Clamabant aliquando pedarii Senatûs oratores, ineptulæ Reformationis miniſtelli, fruſtrà ſe laborâſſe, nihil ſe agere, ſi roſtra ipſi paterent. Ille, inquiunt, totum iſtud quod nos ſtruximus in univerſum diruet. Dum patenti cœlo frueretur, Sacra, quoad licuit, ſubindè obibat munia, nec Pulpita conſcendere verebatur; illud fortè ſecum animo reputans,

——Tum denique ſaxa
Non exauditi rubuerunt ſanguine vatis:

ſeu magìs Apoſtoli ipſius ſuas ſibi minas, *Væ mihi ſi non evangelizavero.*

Hanc unam potiùs extimuit ſententiam quàm Pauli Catenam vel Petri etiam Vincula. Cogitabat ille rationem officii, ſalutem Animarum: Corporis infortunia & Alaſtoras miniſnùm curavit. *Vitam, quam perdidit, invenit*; ſpretam libertatem citiùs aſſequitur. In publicum prodit, iterum in propatulo videtur; haud planè ſui juris ſine libero Principe. Rex domicilio *Holdenbiano* incluſus inter Sacellanos illum ſibi dari poſtulârat; renuunt Senatores. *Hamptoniæ* Palatio Regi tamen adfuit, ubi Principum Sereniſsimus *Wigornienſi* Decanatu eum exornavit. Ibi modeſtè quærenti à Rege; an cum iſtiuſmodi homullis (*Cromwellio* & cæteris) ſe tutum eſſe crederet; Imò, inquit Rex,

Rex, modò Animas habeant. *Cromwellius*, dirus ille fallendi artifex, pectore manu percusso oculísque in cœlum sublatis, sanctißimè Regi fidem animámque obstrinxerat, eum se velle Regno reddere, capitiq; Coronam rursus imponere, damnatæ perfidiæ & memoriæ immortale monstrum. Ipsius technâ & consilio *Hamptonia Vectim* insulam Rex abducitur; vix aliàs futurus incolumis, ni venti & mare ei militarent. Hîc locorum initur quædam Diæta, Pacis iniquissimæ articulis absurda & infamis. Oportet universo Belli cruore Rex caput oneret; Episcoporum fundos divenditos esse ratum habeat; Catechismos duos (ridete quicquid uspiam estis cachinnorum) majusculum & minusculum, lege sanciat. Agitur hîc de Episcopatu, quem contra asseclas Senatûs Presbyteros miro acumine Rex ipse unus asseruit. Diviniores viros suos huc ad se convocavit vel ei negandos, ut nostrum hunc *Wigorniæ* Decanum, vel Parricidarum vi illico amandandos. Meditantur fures atrox illud facinus, funestum illud Regicidium, quod boni omnes adhuc lugent, seríque nepotes nunquam eluxerint. Horribile factum divinißimo huic seni mentem itá concußit, ut deinceps nec animo nec corpore vigeret. Deus bone! quantum Regio fato indoluit! quot jejuniis, vigiliis, lacrymis funus prosequebatur! Ab aßiduo & tristi mœrore animæ exsurgens atra bilis corpus latè occupavit. Indè enascens humor discuti aut mitescere nescius, fauces & maxillam obsedit. Acutißimos indè & incredibiles strumæ sensit dolores, de quibus autem dicere habuit, *Leviorem, leviorem esse quæ exerceret Numinis manum; suavius poculum antidhac se non degustâsse.* Adeò furentem tumoris intemperiem remediis & solatiis suis Medicus Optimus Maximus lenivit. Abscessum lenta febris comitata est, quæ simul ægram, at candidißimam, animam liberârunt. *Januarius* Rege Martyre cœlum beârat; insequens *Augustus* Regio Confessore donavit. Decessit vir sanctus pristinum Ecclesiæ & rerum statum suspirans, lugens *CAROLUM* Primum, Secundum. avidè exspectans. Hunc reducem tanquam diâ quadam luce perfusus longiùs prospexit. Cùm aliqui de morbo & morte hunc in modum solarentur, *Beatum verò illum, à futuris malis scilicet migrare*: *Non, non,* vehementiùs respondit ille, *Prævideo*, ait, *prævideo, à venturis bonis*. Fervidus à Deo exoptavit illa quæ jam nobis obvenêre. Abiit omnibus bene cupiens, desiderio pariter sui apud omnes relicto. Erat corpore eleganti, staturâ commodâ, aspectu decoro, moribus verendis, ingenio facundo, irâ brevi, zelo perpetuo, vitâ integrâ & incorruptâ, Virgo Theologus. Supralapsariorum dogmata

mata exhorruit; Presbyterismum immane illud Ecclesiæ Schisma definivit; Episcopatum *Bristoliensem* ob minores reditus (nôrat Episcopum hospitalem debere esse) oblatum respuebat. Moriens Testamenti curatores generosos cives *Londinenses*, D. *Robertũ Abdy*, D. *Thomam Rich*, (nunc Equites) cum Reverendo Episcopo *Exoniensi* instituit. Clarissimus iste *Brounriggius* (nôsti jam duo Ecclesiæ *Anglicanæ* lumina, Amicorum par incomparabile) mortuo suo parentavit. Adi sis Vico lato ad D. *Petri*, & vide quale monumentum amico exarârit: nobile certè & æternum, quod hem tibi, lector erudite.

Natus An. MDXC. è vivis excessit Ætatis suæ An. undesexagesimo, *Augusti* XXII. An. MDCXLIX.

P.M.S.

P. M. S.

RICHARDUS HOLDSWORTH,

S. THEOLOGIÆ DOCTOR,

VERBI DIVINI PRÆCO OMNIUM ATTESTATIONE EXIMIUS,
S. SCRIPTURÆ IN COLLEGIO *GRESHAMIENSI*
PER MULTOS ANNOS INTERPRES CELEBERRIMUS,
COLLEGII *EMANUELIS* IN ACADEMIA *CANTABRIGIENSI*
PRÆFECTUS INTEGERRIMUS,
EJUSDEM ACADEMIÆ PER TRES ANNOS CONTINUOS
PROCANCELLARIUS EXOPTATISSIMUS,
AD CATHEDRAM THEOLOGICAM
PER D.N. *MARGARETAM RICHMONDIÆ* COMITISSAM INSTITUTAM,
ET PER MORTEM SUMMI THEOLOGI DOCTORIS *WARDI*
NUPER DESTITUTAM,
UNANIMI THEOLOGORUM SUFFRAGIO EVOCATUS,
ARCHIDIACONUS *HUNTINGTONIENSIS*,
ET ECCLESIÆ *WIGORNIENSIS* DECANUS MERITISSIMUS,
SANCTÆ DOCTRINÆ IN ECCLESIA *ANGLICANA* STABILITÆ
CORDATUS ASSERTOR,
DIVITIARUM PIUS CONTEMPTOR,
ELEEMOSYNARUM QUOTIDIANUS LARGITOR,
TOTO VITÆ INSTITUTO SANCTUS ET SEVERUS,
EX MORBO TANDEM,
QUEM ASSIDUIS STUDENDI
ET CONCIONANDI LABORIBUS CONTRAXIT,
ÆGER DECUBUIT, ET IN HAC ECCLESIA,
QUAM PER XXVII ANNOS RELIGIOSISSIME ADMINISTRAVIT,
MORTALITATIS EXUVIAS
IN SPE BEATÆ RESURRECTIONIS
PIE DEPOSUIT,

MENSIS SEXTILIS DIE XXII.

ANNO { DOMINI MDCXLIX.
ÆTATIS SUÆ LVIII.

Mementote præpositorum vestrorum qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum imitamini fidem, contemplantes quis fuerit exitus conversationis ipsorum, Heb. XIII. 7.

Precatiuncula.

Omnipotens & æterne Deus, qui solus es Pater luminum & Fons Sapientiæ, adesse digneris servis tuis congregatis in nomine tuo, & in hoc Sacro Theologiæ negotio occupatis.

Adesto istis lumine & fervore Spiritûs tui; aperi aures, ut eloquia tua audiant ad fructum; illustres animos, ut intelligant ad profectum; pietatis studio accendas, ut sapiant ad sobrietatem; in veritatis penetralia introducas, ut credant ad salutem.

Adesto Mihi gratiâ & potentiâ Spiritûs tui, ut loquar ad commodum & utilitatem ipsorum. Da mihi, Domine, judicium sanum & rectum, quod errare nequeat; scientiam humilem, quæ ædificet; da sanctam & mitissimam eloquentiam, quæ nesciat inflari. Verba mea facias tanquam acutissima jacula & ardentes sagittas, quæ penetrent audientium animos, & in tui & timorem & amorem exacuant. Da quicquid huic Muneri necessarium fore duxeris, ut & bonos possim ad meliora erigere, & devios ad rectitudinis tuæ lineam revocare.

Adesto denique Nobis omnibus eodem influxu Spiritûs tui, & id omne nos doceas quod ad Nominis tui gloriam, ad Ecclesiæ utilitatem, ad animarum nostrarum salutem, & ad veritatis victoriam conducere possit, per & propter Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit & regnat, cum Deo Patre & Spiritu Sancto, in secula seculorum. Amen.

Altera, post defunctum Munus.

Gratias tibi agimus, benignissime Deus, quòd tenuitatis nostræ vires ad arduum hoc Munus agendum Spiritûs tui ductu præstiteris; & rogamus supplices, ut in cursu incepto, Spiritu eodem adjuvante, feliciter progredi possimus, & indies scientiæ & pietatis incrementa majora facere, usque ad staturam viri perfecti, & scribæ eruditi ad regnum Dei.

Protegat idem clementissimus Pater sub umbra alarum suarum sanctam Ecclesiam Catholicam, hanc præcipuè Britannicam & Hibernicam; Augustissimum Regem nostrum sanctissimúmque Carolum, Serenissimam Reginam Mariam, Illustrissimum Comitem Palatinum, unà cum lectissima ipsius Conjuge Elisabetha, omníque prole regia. Exoriatur idem Sol justitiæ super omnes regni Status & Ordines, Consiliarios, Proceres, Clerum, utramque Academiam, Civitatem hanc insuper, & totum denique Populum, ut possit esse gens sancta, & genus electum, & populus acquisitionis Domino, studiosus bonorum operum. Idem postremò nos omnes cœlestis sui Spiritûs rore irrigare dignetur, ut veritatis Mysteria piè à nobis cognoscantur, cognita recipiantur, recepta radices agant, & ramos extendant, & fructus uberes proferant, & ad beatitudinem denique æternam perducant; idque gratiâ & benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto sit omnis laus, honor & gloria, nunc & in secula seculorum. Amen.

LECTIO

LECTIO I.

MAT. 13. 52.

Ideo omnis Scriba doctus in regnum cœlorum, similis est homini patri-familiâs, qui profert de thesauro suo & nova & vetera.



Psius sunt ista verba Salutis, è fontibus ducta Salvatoris; postrema illorum quæ ad turbas habuit è navicula super lacum fluctuante Genesaret. Expressit in illa concione nativitatis suæ Christus non obscura vestigia. Ibi pro Cunis usus est Præsepio; hîc Naviculâ pro Rostris: ibi migrantem habemus de cœlo ad terram, ut populum servaret; hîc verò de terra ad mare, ut doceret: ibi vagientem in gremio virginali, ut Angeli possent agnoscere neminem unquam sic natum; hîc demum os aperientem in parabolis, ut homines fateri possent, neminem, nè Christum ipsum aliàs, unquam sic locutum fuisse. Ad sermones ejus alios quod attinet, non desiderantur in illis aut splendoris radii, aut lineamenta pulchritudinis, aut stillicidia Divinæ suavitatis. ***Favus distillans labia tua, Domine, mel & lac sub lingua tua***, Cant. 4. 10. & *lac* gratiarum, & *mella* mysteriorum. Sed in hunc unum oculos animúmque conjicienti facilè patebit (si modò quid melius dici possit inter summè bona, aut inter Divinissima Divinius) tot istum super reliquos passibus eminere, quot Christus ipse jam distabat à populo; utpote in quo & mysteriorum vena uberior, & prudentiæ thesaurus locupletior, & parabolarum supellex cumulatior existat quàm in cæteris. Hæc fortasse una inter multas ratio, quare tunc temporis relictâ domo in navim ascenderet, & super mare sedens populum doceret; quia domus angusta erat tot Sacramentis, & tota terra spirituali capturæ. Quis verò ad doctrinæ retia laxanda locus aptior quàm Mare; aut ad Ecclesiæ regimen demonstrandũ quàm Navicula; aut ad effusionem Spiritûs quàm Aquæ, ubi ipse priùs Spiritûs testimonium acceperat; aut quid officio Mediatoris magìs congruum? Ipse Mercator bonus qui pretium animarum solvit, oportebat ut istarum gemmarum lucrum terrâ marique quæreret. Ipse Piscator cœlestis, quid mirum, si, ut homines caperet, in altum duxerit, non tam Maris quàm Mysteriorum, parabolâ sic propellente parabolam ut unda undam? Ipse dux spiritualis, gubernator militantis Ecclesiæ, & nunc flatu Spiritûs vela expandit, vocis tubâ classicum canit, verborum copias instruit, ordinat parabolarum phalanges, ut navali etiam prælio salutis nostræ hostem debellaret.

Obstupescite, Auditores, hæc vobiscum animis volventes. Christum au-

divi sæpius fecisse, in hoc capite audio eum locutū esse Miracula. Sulcantur littora, & messis magna germinat; Æquor in Vineam vertitur, arenarum globuli in botros uvarum, glarea in triticum. Petra sedet in prora fluctuantis cymbæ, & nulla nausea secuta est, neque naufragium. Super faciem aquarum panis vitæ mittitur, atque non partes septem & octo, sed ipsi fontes gratiarum aperiuntur: unoque quasi spiritu, & oris & Divinitatis, septem ebulliunt parabolæ, & octava hæc additur, quies & corona reliquarum, *Omnis scriba doctus*, &c.

Sic ubi Christi sermo finitur, ab eo mihi sunt exordia ducenda. Faxit Deus ut Primitiæ meæ respondeant ipsius ultimis. Argumentum ipsi sanctius nullum erat in quo desineret; nam & unumquodque verbum sanctitatem redolet loquentis. *Scribas* vocat calamus & Verbum Patris; monet de *regno cælorum* Dominus dominantium; de *thesauro* doctrinæ penarius sapientiæ; de *patrefamiliâs* Oeconomus veritatis; de *novis & veteribus* primus & novissimus. Similiter nec mihi Scriptura ulla aptior unde hanc ordiri possem muneris Theologici solennitatem. Hîc mea res agitur, nec non & vestra: commune Theologorum speculum ante oculos ponitur, in quo quisque faciem vocationis suæ considerare potest; qualis esse debeat Minister Dei; ad operandum promptus, *Scriba*; instructus dotibus, *eruditus*; non mediocriter instructus, sed usquequaque instructissimus, *thesaurus* requiritur; non instructus modò, sed exercitatus, ut *proferat*; nec solùm exercitatus, sed piè & utiliter exercitatus, *ad regnum Dei*, ad familiam Christi; postremò, utrinque paratus, ἔμπροσθεν ϗ ὄπισθεν, & in iis quæ nunc aguntur, & in iis quæ superioribus acta sunt seculis, in *veteribus* simul & *novis*. Si in unum singula contrahantur, hæc Summa est; Viva sacri Oratoris effigies ob oculos ponitur, cujus primò lineæ ducuntur ὡς ἐν τύπῳ, *Scriba doctus ad regnum cælorum*; mox adduntur colores & pigmenta, *similis homini patrifamiliâs, qui profert de thesauro sua nova & vetera.*

Prioris partes duæ sunt, Honos nominis quo suos Christus præparat ad munus Apostolicum; *Scribas* vocat: Donorum sufficientia quæ huic nomini conveniunt; & condus quisque debet esse & promus; & Scriba doctus, & Scriba docens, *eruditus*, idque *ad regnum cælorum.*

Posterioris etiam duæ, Gratia similitudinis; *sicut paterfamiliâs*: Plenitudo apparatûs; *de thesauro suo profert & vetera & nova.* Hæc omnia, vel horum aliqua, vestris non erunt, opinor, auribus ingrata, Auditores, & inceptis quidem meis videntur aptissima. Sed alia priùs Sparta ornanda est; aliud Mihi hodie, non legendi, sed dicendi incumbit munus, vósque non Scribam exspectatis, sed Oratorem, improvidum quidem, & penè deficientem in ipso vestibulo: ut quod Oratori Attico, id mihi quoque contigisse videatur: Ille in prima suæ artis litera titubavit; Ego in primis elementis officii mei. Et quæ spes erit felicioris progressûs, si partus primus abortiat? aut de succidaneis quis exitus sperandus, si primi laborum fructus præcoces fuerint? Et Mihi quidem sic videntur, sed Vobis faciam nè sint; nam mei quamvìs immemor fuero, at vestrî me memorem præstabo, & beneficii vestri, qui Auditores mihi estis hujus provinciæ, & benevolentiæ vestræ, qui Testes & Judices. Etenim utrinque me debiti necessitudine devinctum video, illinc Gratitudinis, hinc Observantiæ.

Vos inprimis appello, viri integerrimi, qui Curatores estis hujus Muneris Theologici, & Fidejussores hujus Depositi, quiq; Mihi aditum in hunc locũ suffragio vestro fecistis. Vos, inquam, appello: Agnosco beneficium summũ, singulare, honorificum: Agnosco candorem vestrum singularem, quòd ambitum omnem & studium meum prævenire voluistis: Agnosco & rependo,

non

non Gratias aut aliquid mei, sed Meipsum; neque enim aliter justa potest fieri solutio. Vulgares animi Gratias personant, & quodvis leve Beneficium exposcit. Vestrum hoc transcendit longissimè & numerum & naturam Gratiarum. Nihilominus tamen & istæ agendæ sunt, quia in meipso nihil melius sciam gratitudine: melius nihil aut animo gerere possum, aut ore promere, aut calamo explicare; nihil quod aut dici breviùs, aut audiri lætiùs, aut agi fructuosiùs possit quàm retributio Gratiarum. Quocirca accipite quas aut habere, aut referre potero, maximas, meritissimas, *veteres* simul & *novas*; non unâ Oratiunculâ, sed ingenti Volumine cantandas; non unius horæ, sed totius vitæ debitum immortale, & nullo ævo periturum. Atque hoc præterea habete persuasissimum, de loco hoc & munere quoties cogitabo, fenestras has & parietes quotiescunque vel in transitu spectabo, toties de Londinensium flore Greshamo, toties de Vobis, toties de Beneficio tantò cogitaturum me, ut neque Me unquam grati pudeat animi, neque Vos unquam vestri pœniteat suffragii.

Post Gratitudinis hoc vinculum, ære Me alio obstrictum video erga vos, Viri spectatissimi, qui me cohonestare dignamini præsentiâ vestrâ: Nam & hoc quoque Debitum solvendum, quia vos exigitis Creditores mei. Et meliùs non possum quàm de thesauro istius Scripturæ. Hinc mihi pecunia suppetit, quam in aures vestras deponam, ut vos indè aliquam usuram faciatis ad animarum salutem. Sed in hoc quoque animum despondeo, quia de meo nihil habeo; vestra omnia. Locum hunc cùm intueor pudore suffundor, quia vester hic locus est, non meus, non à Me, sed à Vobis ornandus: nam ordinis leges non ferunt, ut fontes obstruantur, & stagna currant; ut stellæ occultentur, & plumbum luceat; prudentiam silere, & balbutiem loqui; athletas spectare, & tyrocinium exerceri. In Scripturam hanc cùm oculos conjicio, pudor alius occupat; quia vobis ascribi meritò potest, mihi nullo modo; Vos Scribæ docti ad regnum Dei. Non mea unquam carbone Seraphico lingua tacta, ut possit esse calamus velocis scribæ; non meum Christi flatu os condîtum, nec igne sacro caput inunctum, nec Eliæ pallio pectus obumbratum, ut eruditi quicquam sicut paterfamiliâs de thesauro proferam, quia supellex aut tenuis, aut nulla: vas fictile video, scientiæ aut elocutionis thesaurum haudquaquam: & arenam auream supra Gangis aut Tagi illam video; sed cùm remi & vela, & mali & clavus desint, dubius fluctuánsque hæsito ad quæ littora appellam, opinionis vestræ naufragium metuens, quia nec *vetus* aliquod habeo quod animi vestri judicio, nec *novum* quod aurium prurigini respondeat. Inopiæ tantæ cùm probè sim mihi conscius, opinor neminem vestrûm esse qui existimet ostentatione aliquâ Me huc accessisse, aut fiduciâ ingenii, sed solâ officii mei ratione. Cui si quis me imparem dicat, non solus secum hoc cogitat, Ego juxtà sentio; testis mihi ipsi sum, & mea est de meipso sententia. Judicium agnosco æquum ac rectum. Onus intelligo quàm scopulosum & difficile sit, onus gravius quàm ut mea sustineat quadragenaria infantia. Onus sentio, & proximus sum deferenti, atq; certè desererem, nisi amplissimorum virorum, qui ei me præficiendum censuerunt, pietatem eludere piaculum ducerem. Quod si quis adhuc invideat mihi hanc dicendi solitudinem, aut loci fictam magis quàm veram sublimitatem æmuletur: neque hoc solus facit; in hoc quoque ipsi assentior, & ego mihimetipsi invideo, & libenter vicissitudinem indulgeo loquendi, paratior discere quàm docere, atque audire quàm loqui. Si modò vobis ità videatur, per me licet quisque capessat: sed cavendum nè temere id faciat: sublimis locus est, sed parùm tutus, quò celsior eò periculosior. Vos feliciores qui super terram in silentii tuto positi estis, procul à

famæ præcipitio; quia tutius est audire quàm dicere, & semper securior verbi auditor quàm verbi prolator, dicente Augustino. Atqui si tutior esset, non tamen est vestris subselliis celsior: & si Ego propter vocis commoditatem altiore loco stare videor, at Vos in altiore loco estis; nam vos Judices, & Ego censuræ ferulis subjicior: ubi si modò casus incertus, at discrimen certissimum. Si mihi non creditis, recognoscite illud quod Oratori Rhodio contigit: Ille dum se inter suos contineret, famam aliquam eloquentiæ consecutus est; sed postquam Athenas venisset, & de alto loco orationem recitasset, Asiaticum illud & pingue dicendi genus Atheniensium aures peritæ & teretes non sustinuerunt, imò exploserunt; & qui antè Orator non malus, nunc omnium pessimus habebatur. Si sors mea non sit similis, Vos decernite. Inter populum quidem non est difficile, vel pastoralis calami sibilo ad Oratoris nomen pertingere, quamvis citharæ cantus & sonorum consonantias nescimus: sed in hoc doctissimorum virorum conventu, quo hec Athenæ sunt magìs Atticæ, dubito an quicquam sit quod vobis per omnia placeat; etsi illud limatum, & è mystico Trismegisti cratere depromptum. Imprudens Ego, cùm primùm in sublimem hanc speculam ascendi, ad Chrysippi porticum sperabam venisse me, ubi auditores duo aut tres, non corona, sed manipulus solet esse, σὺν θεοῖς duodecim, ut ille loquitur. Sed aliter res cecidit; in Ecclesiam Sanctorum incidi, in Prophetarum Scholas, in doctissimorum virorum consessum, in tertiam Academiam, præsentia eadem, habitus similis, neque gravitas minor. Hoc est quod urit, quia & exspectationem Vos nostram superatis, & vestræ Ego me parem præstare non potero; loco fortasse dignus si non haberem, & pro Oratore bono habendus si tacuissem.

Aug. ser. 112. de diversis.

Aug. ibid.

Sed hoc vicissim consolatur, quòd in medio Theologorum constitutus sum, apud quos non suasoria verba aut forenses blanditiæ dominantur, sed doctrinæ puritas & sinceritas fidei. In judiciis jactetur eloquentia, verborum retia & phaleras Oratores ostentent; in alia nos versati sumus Republica: non in Ciceronis rostris, ubi fucus, & minium, & lenocinia, & lusciniarum modulatus sunt in deliciis; sed in Terra Sancta, ubi vox casta turturis audiri debet, ubi sermo Dei tractatur, qui non eloquentiæ viribus nititur, sed rebus, ut rectè Cyprianus. Nemo igitur à me ista exspectet, non pellis Babylonicæ vermiculatas picturas, non ventosam theatri pompam. Si modò sic agerem, quis vestrûm non secum tacitè murmuraret, Presbyterum exspectavi, inveni Rhetorem? Non audeo Dei causam sic agere, non audeo gloriam & imaginem Dei verbo suo impressam in similitudinem vituli mutare, vel ex inauribus facti; quia Prophetæ & Apostoli, principes disciplinæ nostræ, & Christiani dogmatis duces, ut Hieronymus vocat, non sic factitabant. Non sic Ecclesiastes sapientissimus Salomon: *Verba sapientis*, ait ille, *sunt sicut stimuli*; quæ non palpant, & molli manu attrahunt lasciviam, sed penetrant. Non sic Piscator hominum S. Petrus, qui concione unâ quinque animarum millia lucratus est, non per verborum retia, sed simplicitatis sagenam. Non sic gemini, *duo fulmina* Verbi, Jacobus & Johannes. Non sic denique tuba Dei, præco Gentium, qui nomen *Oratoris Olympii* è Periclis manibus extorsit, S. Paulus. Ille triginta annorum spatio plures linguâ gentes quàm Alexander gladio debellavit, civitates plures cepit, trophæa plura erexit, & de manu mundi mundum ipsum eripuit: sed quomodo hæc omnia? ipse nos docet, 1 Cor. 2. 4, 5. *Non in persuasilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs; non in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Hos ego magistros sequor, ad hæc exemplaria oculos attollo, si modò liceat vel à longinquo sequi, de *Scriba docto* dicturus è Scripturarum *thesauro*, ex Evangelio

Evangelio regni de *eruditione* quæ requiritur ad *regnum Dei*. Atque posteriorem illam parabolæ sacræ partem, quæ de Cura patrisfamiliâs, de scientiæ Thesauro, de veterum ac novorum Conjugio nos instruit, modo Theologico inter legendum postmodum sum tractaturus. Priorem alteram, laxo & libero dicendi genere, auspiciis Divinis percurram, idque per trium dierum itinera.

Hos mihi cancellos statuo, ut possim hodie dicere de Facultate scribendi, & Honore eorum meritissimo qui scriptis suis fidem Euangelicam propugnarunt: & subsequente proximo * de Sacerdotii dotibus, atque donorum præcellentia quibus ornari debent qui familiæ Christi invigilant. Sint Scribæ, ait Christus, docti in regnum Dei.

Ex eo quòd *Scribas* vocat, duos unâ fideliâ dealbandos sibi proponit parietes. Nam & Ministros suos excitat ad scribendi exercitium, & Populum ad officium legendi quæ scripta sunt.

De Facultate Scribendi inprimis agendum, & quàm Ministro Dei consonum ut sit scriptor peritus. Aliter non video quo consilio *Scribas* potiùs quàm *Prophetas* aut *Discipulos* vocaret, nisi ad istorum unum referatur; sive ut accommodatè ad Judæorum consuetudinem loqueretur, sive Pharisæos nominis sacri reos convinceret, sive ut suos ad magni nominis exercitium institueret, necessitatem prævidens & Scriptorum & Scripturarum. Erat quidem *Scriba* sub istis temporibus jam nomen sectæ; tales inter Judæos, quales inter Chaldæos Magi, inter Romanos Quindecimviri: sed ab initio nomen erat sacri & publici muneris; præter illos qui reipublicæ negotiis operam navabant & instrumentis conficiendis. Qui Legis se Divinæ studio addixerunt, quasi per eminentiam *Scribæ* vocabantur. Aliquando Amanuenses Prophetarum, ut Baruch; Jer. 36. 26. Aliquando Prophetæ ipsi, ut Moses, David, & reliqui Notarii Spiritûs sancti. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*, Psal. 45. Aliquando Legis Interpretes, ut Esdras, νομομαθὴς ἄριστος à Suida dictus: quòd officium illorum erat τὰ ἱερὰ γράμματα tractare, describere, custodire, evolvere, exponere.

In prædicando Ministrorum honorem summum & primum situm esse, nemo est qui nescit. Summum dixi, sed non solum; in scribendo est honor proximus, & fructus ad posteros major. Ultra stadii longitudinem Concionatoris alicujus Vox signanter vix potest extendi; neque facilè recipi ab Auditorio quod sex aut septem millia hominum transcendit: sed Calamus per totum mundum, in omnes regiones excurrit. Quæ vivâ voce enuntiantur, unius temporis & ætatis sunt; quæ doctè scribuntur, æterna. Hinc S. Bernardus dicere solebat, *Magistros suos esse quercus & fagos*, ad scriptores antiquos alludens: & Zeno philosophus, *vivere se apud mortuos*, quia in libris suis redivivi sunt singuli. De Abele Apostolus pronunciat, Heb. 11. per fidei suæ exemplum *adhuc* nos *alloqui etiam mortuum*, & voce quadam intelligibili excitare nos omnes ad primi martyris patientiam. De Scriptoribus dici non minùs potest, Ipsorum nihil superest in sepulchris, vivos atque superstites cernimus & audimus in chartis; adsunt nobis, ambulant nobiscum, docent, disputant, confabulantur, concionantur. Mosen sic habemus prædicantem in Lege, & Davidem in Psalmis, & Prophetas in Chirographis, & Apostolos in Epistolis, non quidem voce, sed scriptione; quæ si non sola, saltem optima Catena mundi, quæ dicta, facta, oracula, exempla nectit, & prima mediis, & media novissimis. Illius beneficio & Decreta Principum, & Responsa prudentum, & res gestæ Majorum, & Testamenta morientium, & rerumpublicarum Leges, Plebiscita, Senatusconsulta ad nos veniunt. Illius ope & mores gentium, & ordines temporum, & descriptiones locorum,

& documenta artium, & præcepta bene vivendi, denique rerum omnium, tam Divinarum quam humanarum, nomina, genera, causæ, officia nobis aperiuntur. Illâ nondum cognitâ, quis recensere poterit quæ tenebræ terrarum orbem occuparunt? Ante Cadmi tempora, quanta in Græcia caligo obtinuit, in Assyria ante Rhadamanthum, ante Herculem in Phrygia, ante Carmentam in Latio? una Cimmeria regio totus mundus erat, unâque barbaries: politioris literaturæ rara semina, Religionis extra domos Patriarcharum vix ulla vestigia. At simulac scribendi usus invaluit, statim nubecula ignorantiæ disparuit, errorum ineptiæ evanuerunt, cæcitas mentis dispersa est: adeò huic aut soli aut præcipuè, debere se sua & exordia & incrementa & Gratiæ & Musæ, Linguæ simul & Artes, & Eruditio & Religio junctim unâ voce fatentur. Atque cum illis nos omnes qui cives sumus utriusque Reipublicæ, literariæ & Ecclesiasticæ, non Romæ magis salutem ex strepitu pependisse istius animalis, quàm totius orbis ex calamis. Et cætera quidem leviuscula, si ad mysteria Religionis & arcana salutis comparentur, quæ seculis prioribus incognita, nec cognoscenda sequentibus, nisi illa posteris triplex Divinæ stirpis progenies calamus, Dei, Prophetarum, Apostolorum, propalasset.

Tibi, summe Deus, fons sapientiæ, hujus honorem inventi debemus; à tua misericordia habemus acceptum: tua est ad creaturam Epistola Lex sancta, tuæ sunt literæ à superna civitate ad inferiorem missæ Scripturæ; tu primus Scriba, totius per servos tuos, Legis per teipsum; Divini illam digiti filiam faciens, & reliqua calami; à tuo ore, à tua manu depromptum totum, qui scribendo Legem exemplar dedisti scribendi, idem & lator Legis, & scriptor exstitisti. A Mose Judæi artem acceperunt, à Judæis Phœnices, à Phœnicibus Græci. Desinant igitur Ethnicæ philosophiæ magistri ulteriùs hoc suis ingeniis arrogare, nisi Deo aliquid antiquius possint ostendere. Quid illi de literarum inventione garriunt, cùm, ut Justinus Martyr, ante Mosen illi scriptorem ostentant nullum, sed ab illo hanc peritiam habuerunt, ut Eusebius eruditè probat, Græci à Phœnicibus literas acceperunt, Phœnices à Judæis, Judæi à Mose, Moses à Deo? Deus ad hoc dedit mortalibus, ut Ecclesiæ bono consuleret, ut cognitio nominis ipsius ad Gentes aliquando perveniret, ut pietatis regula una esset omnibus, eâque certa & publica, & duratura & incorrupta; ut faceret Religionem (si ità loqui liceat) ex aurea marmoream. Quod si perituris humanæ memoriæ tabulis Oracula sua ad hunc usque diem commisisset; in processu temporis futurum erat ut aut authoritas vilesceret, aut puritas interiret.

Istis ità se habentibus, nemo parvi pendat aut minoris pretii Institutum sacrum, quod suo summus Artifex consecravit exemplo.

Esto, ad prædicandum quis sit memoriæ aut elocutionis defectu minùs idoneus: at si ad scribendum se conferat, & si nihil ipse scribens operam det ut aliorum scripta Ecclesiæ commodo ad posteritatem transmittantur, non putandus est servus inutilis in vinea Domini. Ipse David, egregius ille Psaltes, aliorum cantica Psalmorũ volumini Spiritu dictante inseruit; & filius ipsius Solomon, sapientissimus librorum scriptor, suum non est dedignatus in aliorum, & quidem feminæ, nempe matris, dictis describendis studium ponere. Neque sancti illi viri, Timotheus, Titus, Lucas, Epaphroditus, Tychicus dedecorari se putabant, quòd Epistolarum Divi Pauli scribæ & amanuenses essent, cùm ad Ecclesias scripserit Ephesinam, Philippensem & Corinthiacam. Nempe & is Scriba doctus censendus est, qui vel sua promit, vel superioris seculi scripta è tenebris cæcâque caligine revocat. Et nos patrum memoriæ ingrata posteritas, si tam pulchra pietatis monumenta, in nostrum

nostrum bonum scripta, in pulvere & situ sepulta, tineis & vermibus corrosa, perire patiamur.

Et tamen nescio quomodo fit, sed animos vulgi communis error absorpsit, illos solos in Vinea operarios esse qui de pulpitis intonant; reliquos, qui scriptioni intendunt, nè flocci quidem faciendos: atque istos vigiles, & in officio suo sedulos, & mercede dignos; hosce alteros desides atque supinos, & vix pro ministris Dei habendos. Eóne ignorantiæ deventum est, ut aliud nullum munus ad nos pertinere putent nisi prædicandi? ut prædicari non posse putent nisi linguâ? At emunctæ pietatis homines norunt prædicasse passionibus suis Martyres, quibus *tot ora quot vulnera*, ut de Romano Prudentius; & vitâ suâ Sanctos, à quibus tot conciones factæ quot virtutum posita exempla; & calamo suo Scriptores, quorum tot sermones quot paginæ. Hoc doctores antiqui vel ex mutuo verborum significationis amplexu fatebantur. Apud illos Prædicare est Tractare. *Tractator si vera loquitur, Christus loquitur,* Aug. & Hieron. ep. 65. ad Oceanum, de Origene, *Mille & ampliùs tractatus in Ecclesia loquutus est.* Et vice versâ, Scribere est Evangelizare. Tertull. de Apostolis, in præscript. advers. hæreticos, *Ecclesiis prædicarunt tam vivâ voce, quàm per epistolas.* Idem l. de Idololatria, de Zacharia sacerdote, *Sic loquitur nomen filii sui, sine ore pronunciat; loquitur in stylo, auditur in cera; manus omni sono conclarior, litera omni ore vocalior:* & de se piæ memoriæ doctissimus Raynoldus, in præf. l. de Idololatria, *Ego verò Evangelizo manu & scriptione.* Ut taceam interea de sanctis Patribus, qui non solùm in suggestis, sed etiam in Musæis Evangelistarum partes agebant; & eorum scriptis tam veritatem propugnatam, quàm hostes prostratos dabant. Singulorum tractatus non licet per tempus percurrere, quos Epiphanius, Hieronymus, Gennadius, laudibus suis abunde cumularunt. De illorum pluribus dici posset, quod de Varrone Augustinus, *Tam multa legisse, ut aliquid ei scribere vacasse mirandũ sit; tam multa scripsisse, quæ vix credibile legere quenquam potuisse.* Sic Veterani isti, primævi Antistites veritatis, inter Conciones & Scripta studiorũ suorum rationem tam prudenter secarunt, ut facilè quis statuere haud possit, meliúsne de literis & Religione per manus, an per linguas meriti fuerint. Causa erat ardor fidei, & zelus Religionis quo singuli unanimiter ferebantur, prorsus quasi uno & animo & calamo scripsissent. Ad illorum decus & laudem hæc dico, imò ad pudorem nostrum. De nobis, si jam viveret, Apostolus quæreret, *Ubi sapiens? ubi Scriba?* nam inter tot doctissimorum virorum millia quorum ætas hæc ultima feracissima fuit, præter unum aut alterum, quis invenitur qui de hoste publico scribendo triumphavit? Nos virtutis primævæ filii degeneres hæredes librorum sumus, non pietatis; tantúmque ab industria eorum distamus, quantum à sanctitate recedimus. Ipsorum incaluere calami; digiti nostri frigescunt, & schedæ singulæ numero vix æquant ipsorum volumina. *Pharetra* ipsorum *plenæ sagittis potentum, & armaturâ fortium*; nobis arca plenior, sed pharetræ vacuæ: super humeros Gigantum Nani sumus; &, quod adhuc pejus, non nani solummodo, sed desides. Fuit illa quondam in hac rep. virtus, fuit quando Angli non minùs Scriptis apud exteros floruerunt quàm Concionibus apud suos, erántque calamis non minùs literariis quàm militaribus celebres: sed isti jam mortui lacerti sunt. Ætas nunc non indoctior, sed incautior; tempora non minùs erudita, sed minùs laboriosa: etiam nundinis transmarinis opprobria gentis nostræ circumvolitant; Quid vos Angli facitis? atramentum & charta quanti constat? ubi virtus antiqua? num desunt vobis typographi? nihil scriptum, nihil editum à vobis quod sponsam Christi ornare possit. In Germania nos

bibimus & ſcribimus; vos in Britannia bibitis & dormitis, nec Arte celebres, nec Marte felices. Ad hæc quid vos obſecro, viri clariſſimi? nam veriora ſunt quàm ut refelli poſſint. Quid regerimus? quomodo nos exiſtimatione hominum vindicamus? An illud eſt, Laboramus librorum onere; ſed ſummâ etiam penuriâ: *Scribimus indocti* paſſim, non *poemata* modò, ſed dogmata fidei; ut equi Lydii currimus nemine agitante: ſcribimus, ídque cum diſpendio & famæ & veritatis? Sed hæc non eſt juſta excuſatio, quia doctiores ſcribæ, qui cauſam fidei ſcriptis ſuis exornare poſſint, aut nulli, aut quàm pauciſſimi. Sic miſeri utrinq; ſumus, & nimiâ diligentiâ, & nimiâ ſocordiâ: opus eſt & lucernâ & ſpongiâ, & calcaribus & fræno; ut & illi parciùs agant, & iſti frequentiús. Excutite veternum, aſſumite animos, calamos acuite, Evigilate, evigilate aliquando *Currus & Equites Iſraelis:* ut Veritas & Religio Chriſti, quæ ipſo cœlo ſplendidior, ipſis animis noſtris charior, ſarta tecta ſervetur, opus eſt ut evigiletis. Inimicus non ceſſat ſuperſeminare zizania; & nos dormimus? venena hæretici populo propinant, libellos paſſim ſpargunt; & nos non paramus antidota? Amanuenſes ſuos Diabolus conducit, & ſcribæ non reperiuntur qui Deo militent; alacres ſunt hoſtes ad prædam, & nos inertes ad cuſtodiam; non deſunt qui infligunt vulnera, & nos negligimus parare remedia; copias ſuas Satanas inſtruit, & tacent athletæ veritatis. Ecce Philiſtæi & Aſſyrii probris quotidianis exercitum Dei vivi laceſſunt; illinc Goliah aſtat, hinc Rabſakes clamat, & Sennacherib ſcribit: inter nos nemo erit qui adverſâ fronte congrediatur, qui fundam manu teneat, aut literas expandat coram Domino.

Quod ſi quis præterea urgeat, & hanc eſſe cauſam hujus deſuetudinis contendat, quòd nulla ſunt ſcribentium præmia, nulla adminicula, honor nullus decernitur; verum & hoc quoque. In ea nos tempora cecidiſſe agnoſco, quæ nec vulnera ferre poſſunt, nec remedia. Sed neque ſic nos hoc pudore liberamus. Pudeat vos, Seculares, quòd filii meretricis majori zelo feruntur ad mendacia quàm filii lucis ad ſtabiliendam veritatem. Seminaria inter Pontificios & Collegia ubique eriguntur. Nos miſelli, vel pro uno, eóq; non auguſtiſſimo, aliquot, imò multorum annorum tempus, ſingulorum comitatuum ſumptus atque collectas impendimus: & quid demum prodiit? ſocietas ſcribentium? minimè; ſed habitaculum noctuarum, Athenienſium dicam? nec hoc quidem: iſti noctuæ (prudens loquor) ſunt luminaria mundi: ſed verarum noctuarum, nè quid gravius dicam. Pudeat & nos Clericos, ſi ad Religionis opus præmia nos ſecularia adigant. At virtus, ſi alia deſint, ſuum ſibi præmium facit in Deo ſuo; præter quem aliud nullum ſancti norunt, quia præmium Dei eſt Deus ipſe. Quòd ſi quis humanâ gloriâ aut præmio pulſus pro Veritate ſcribat, videat nè fallacis præmii ſpecies æterno præjudicet; & Trajanum Imperatorem meminerit, qui ob id *herba parietaria* dictus eſt, quòd in parietibus & arcubus marmoreis nomen ſuum ubique inſcribi pateretur: & quid inter herbam parietariam & chartaceam interſit ego non video, niſi hoc, quòd minùs in reatum cedit Ethnico quàm Chriſtiano, qui ſi ſpe præmii terreni Deo ſerviat, Deum perdit, terrena iſta Deo præferens, ut rectè Auguſtinus, in Pſal. 73. Quid agimus, quid agimus, viri? non dormientes ſumus, ſed mortui: & certè ſi ad hæc non expergiſcimur, quid ſupereſt quàm ut culpâ noſtrâ cadat quæ periclitatur Religio, & poſt tot diſcrimina penitus corruat?

Agite, Prophetarum filii, togatæ gentis decus, Patrum antiquorum veriſſima proſapia; reſuſcitate gratiam Dei quæ eſt in vobis, Theologorum veterum virtutem exprimite. Quòd ſi illi tanto ardore & aſſiduitate ſcribebant, cùm una vel altera peſte Eccleſia laboraret, & hæreticorum pauci ſcribe-

ſcriberent, & nondum ars typographica excogitata eſt: quid hoc noſtro ſeculo fieri par eſt, quo & innumerabiles hæreſes graſſantur, & ſchiſmata Eccleſiam lacerant, & rari adverſarii qui non aliquid ſcribant; & putida eorum dogmata non cancri in morem ſerpunt, ſed velut locuſtarum agmina per libros volitant in Civitates, in Academias, in Curiam, in ipſa Caſtra Sanctorum? Mihi credite, viri, aut potiùs vobiſmetipſis, tempus jam inſtat, ut quàm celerrimè vel occurramus morbo, vel proſpiciamus medelæ; niſi voluptati vobis ſit,(quod abſit!)& veram Chriſti fidem expoſitam ludibrio videre, & Antichriſtianam ſubſultantem triumphis. Optarem libenter ut mihi de hac re in ampliori conventu agendum eſſet, inter Conſiliarios regni, inter ipſos Religionis Proceres,qui in præſidio Eccleſiæ locati ſunt. O quàm obnixè obteſtarer, quibus laſſarem precibus, idque per viſcera & miſericordias Chriſti, huic ut caverent malo hæreticorum librorum, ut vel reſcriptionis pondus ſentiant, vel proſcriptionis cenſuram; h. e. ut vel caſtigatio adhibeatur, vel ſaltem impediatur auctio! numerus enim in immenſum excreſcit. Prodiit inter reliquos (non diſſimulabo enim) haud ità pridem deliri ſenis liber, de Aggeribus & pontibus. Autor ipſius Petrus Bertius, ille qui priùs de Apoſtaſia ſcripſit, mox reipſa apoſtatam egit; ille qui priùs *Hymenæum* Religioni cecinit, & tandem palinodiam. In iſto libro Bertius, æneæ frontis oríſque ferrei, homo triobolaris, reverendiſſimum Archiepiſcopum Cantuarienſem qui ad clavum ſedet, non ſine honore nominandũ, *deplorandum Lucumonẽ* vocat,& *miſerum Pſeudo-epiſcopum*. Atq; ſi hoc totum eſſet, fortaſſis tacuiſſem. Magìs adhuc inſanit,atq; in ipſos ſanctiſſimi noſtri Regis, ſereniſſimi Caroli, *deſiderii oculorum & ſpiritûs narium noſtrarum*, titulos ſacros involat; ſtylúmque regium, quo *Fidei defenſor* & pietate & jure hæreditario agnoſcitur, *declarationem ſtolidiſſimam* audet homo imprudentiſſimus vocare, & Regi ſuo aſcribere. Sed & hoc levius, nam in totam gentem & Religionem noſtram audet fæx hominum opprobria conſpuere. Atque hoc ejuſmodi cùm ſit, proſtat ubique in officinis cuivis ſpectandum. Eſt tamen hoc adhuc levius, ſi cum blaſphemiis & mendaciis Sanderi & Schioppii conferatur; quorum ego ſæpius libros inter bibliopolas ſummo cum mœrore animi venales vidi, uſtione quàm emptione digniores.

Ecquis hæc cogitare poteſt ſine gemitu animi? ecquis audire ſine lacrymis? Ab initio ità non erat, non temporibus Epiphanii & Conſtantini. Hæreticorum malleus & ſecuris Epiphanius, Origenis libros quamvìs non damnatos, non legendos putavit, quia ſuſpecti erant dogmatis. Hæreticorum verò libros non modò non legendos, ſed comburendos decreverunt pientiſſimi Imperatores, Conſtantinus, Arcadius, Theodoſius junior; ille de libris Arrii, alter de ſcriptis Eunomii, hic de Neſtorii chartis, aliiſque Eutychianiſmum olentibus: quia probè cognorunt *neminem diu tutum eſſe poſſe ſemper periculo proximum*, ut Cyprianus loquitur ad Pomponium, non magìs quàm ſi ignem in ſinu gereret, aut ſuper prunas ambularet. Agnoſco legi poſſe à nonnullis, ſed, ut Hieron. in ep. ad Minerium & Alexandrum, *à probatis nummulariis, qui ſciunt nummum adulterinum reprobare, probum in marſupiũ recondere. Nos legimus*, ait Ambroſius, *ne legantur; non ut teneamus, ſed ut repudiemus.* Non cujuſvis eſt aurum in luto quærere, aut tritici granum è zizaniis exquirere. Imbecillis animus facile eluditur, & dum eſcam vorat, hamo capitur. Æquum eſt ut omnes abſtineant, niſi periti Architecti fuerint, prudentes Naucleri, probati Nummularii, h.e. *Scribæ eruditi ad regnum Dei.*

Socrat. l. 1. c. 6. Niceph. l. 13. c. 1.

Ambr. in initio Lucæ.

Sentio mihi aquam deficere, & incidiſſe me in ejuſmodi argumentum, cujus & utilitas & novitas totum diem poſtularet: ſed temporis aliqua habenda ratio eſt. De utilitate legendi quæ ſcripta ſunt dicenda mihi aliqua erant:

erant: sed hîc me potiùs comprimo, quia occurrit mihi vulgare illud, *Oratoris mali facundiam in brevitate consistere*; etenim si non est voluptati, non tamen est tædio. Propterea hîc supersedebo, & partem illam alteram sequenti diei devoveo; ut si ad scribæ *docti* laudem pertingere non possum, habeam saltem scribæ *expediti* & *velocis*: & si primæ virtutis oratoriæ, quæ est Facundiæ, conscius non fuero, non in posterum perdam secundam, quæ est Brevitatis, & ultimam, quæ est Gratitudinis. Hanc audeo dicere habere me, & hanc retribuo; & vobis gratitudinis meritum, qui tam æquanimiter audivistis, & Deo gratitudinis sacrificium, qui est & operatur omnia in omnibus: Cui soli, &c.

LECTIO II.

COgitanti mihi, Viri Clarissimi, (atque aliquoties cogitavi, bardúsque & hebes essem si non sæpius excogitassem) solennis vestræ præsentiæ quæ causa esse possit, atque hujus secundi conventûs exitus quis demum futurus sit; nescio quomodo fit, sed mens malè suspiciosa dubias mihi opiniones suggerit, & penè contrarias. Video enim utrinque in vobis & multa quæ suavissimè reficiunt, & nonnulla etiam quæ non mediocriter cruciant. Illud quod me malè habet, vestra est major & solito & debito exspectatio, quæ & vobis messem præripit, & mihi sementē; ut nec vos æquanimiter possitis audire, nec ego cum fiducia loqui. Dicat mihi, si quis unquam se pondere hoc gravatum senserit, si quod majus sit infortunium quàm exspectationem sui concitare quam tueri non possit. Est illa dicentis præcipitium, audientis ludibrium, candoris malleus, eloquentiæ securis, interpres iniqua quæ syllabas & apices eventilat, verba calumniatur, omnia in pejus rapit: quod malè dictum, pessimum; quod bene, malum vocat; si quid optimum, usitatum est; si quid mediocre, futile: magistra querula & præcox est, quæ omnem dicendi ansam tollit, verba prævenit currentis linguæ, istud subtiliùs dici posse putans quicquid dictum fuerit. Denique, est auditoris vanâ spe lactans sponsor fallax exspectatio, quæ mentem vacuam atque jejunam dimittit, quamvis deliciarum copia sit unde saturetur; quia quicquid infra spem evenit, id omne in damno esse deputatur: sicut qui in somnis manducat & bibit, videtur sibi cibo & potu dum dormit repleri, sed cùm evigilaverit incipit esurire ampliùs, & famelicus intelligit quàm inanis ille cibus & potus fuerit somniantis. Ejusmodi est animus cujusque magna nescio quæ ab oratore exspectantis: quamdiu somnio premitur exspectationis, auri sibi montes pollicetur, & eximia putat esse quæcunque dicenda sunt; sed cùm in arenam devenerit, & phantasiæ crapulam edormiverit, eludi se putat; nunc labia mordet, nunc pede pulsat, fraudari se spe suâ conqueritur: adeò vilescunt & evanescunt singula, ut id ipsum quod se sperabat habiturum amittat; quia modum nescit bibula & avara exspectatio, nec audiendo expletur, sed incitatur, eò egentior quò plura quæsierit.

Ex adverso, illud quod me multum recreat est candor vester atque insignis patientia, quæ licet fuerit longo illo superioris diei lassata tædio, nunc rotâ veteris circumactâ septimanæ, ad novam se præparat audiendi molestiam; prorsus quasi priora omnia ad votum felicissimè cessissent. Ecquid

quid potest esse dicenti gratius? ecquid mihi jucundius, (gaudium & corona mea) quàm super scalam tantæ mansuetudinis in hæc suggesta ascendere, & in facie, quæ omnibus una est, affectus vestros legere, & propensitatem animi planè niveam, atque ipsâ vitâ mihi magìs vitalem? Cœpi ego mecum de benevolentia captanda haud itâ pridem cogitare, quo maximè possit id modo fieri; quæ verborum Veneres aut elegantiarum tapetia, quæ esca attentionis potissimùm paranda esset. Nunc sentio hæc omnia redundantia fore: non est quòd ambiam, non est quòd rogitem ut dignemini audire: obicem nullam video, nubeculam nullam, non cuiquam contracta supercilia, non oculis pileum subvolutum, non conversum pollicem, non manum in ciconiam curvatam; sed omnia læta & serena, vultus ad benevolentiam compositos, pectora gratiam spirantia, aures ad linguam dicentis non sequaces modò, sed pendulas, desideria anhelantia ad ea quæ proponuntur, sedatis & vegetis mentibus excipienda. Agnosco, agnosco vestri supra solitum favoris; accipite vicissim meæ, supra hujus loci consuetudinem, rationem gratitudinis. Solent plerunque qui in hoc sudarunt pulvere Theologico, oratione aliquâ viam sibi progrediendi sternere, & illâ habitâ, ad legendi munus se statim accingere. Ego si sic agerem, satìs esset fortasse officio meo; sed non satìs mihi, non satìs ad amplitudinem hospitii vestri. Ad cœnam vocare splendidi convivatores solent quos priùs ad prandium habuerunt, ut si parcior apparatus fuerit in prima, ex secunda mensa suppleri possit. Idem mihi consilium in hac altera dicendi vicissitudine; veritus nè unâ possit dictiunculâ benignitati tantæ satisfieri, de secunda hac cogitavi, ut ex numero saltem superpondium haberet, quod facultati deesset. Quocirca quamvìs nihil habeam quod proferam dignũ hoc tanto desiderio, quia magna est mihi mensæ penuria: at quoniam prompto animo convenistis, & dies hic magnâ frequentiâ celebratur, & negotiandi occasio sese offert, Agite, merces nostras vobis ostendamus, viles quidem, præbebimus tamen, si non exspectationi vestræ, sed usui adaptatas.

Et quia de Scribendi negotio superiùs diximus, proximum est ut de exercitio Legendi pauca attexamus: quæ si argumenti novitate priora æquare non possunt, at utilitatis respectu præferenda censeo. Illa enim ad paucos aliquot, hæc ad omnes spectant. *Est illa laus prima atque beatitudo,* ut Plinius loquitur, *si quis legenda scribat:* sed cujusvis non est attingere; in hac palæstra nemo luctatur, nisi aliquot modiós salis cum mortuis comederit, nisi canitiem habuerit & annorum & eruditionis, nisi miles veteranus fuerit & peritus artifex, ut ad Eusebium Constantinus loquitur. At verò in Legendi illo altero munere, longè se aliter res habet: ***non literati modò huc intrant***, ait S. Theodoretus, ***sed etiam literarum ignari***; & sutores, & textores, & fabri, cæteríque id genus homines; præter hos etiam mendici, agricolæ, lignatores, feminæ, pueri, nec è vulgo aliquis prohibetur, quò minùs ad lectionis divinæ laudem & beatitudinem secundam pervenire possit. Inter Ethnicos M. Varro, teste Augustino, inter Christianos Origenes, nominis utriusque gloriam ascivit sibi, & scriptoris docti, & lectoris assidui. Ad hoc ipsum propinqua ista duo inter se & conjunctissima opera natura fecit, ut nec lectio possit esse sine scriptore, nec scriptio aliquid commodi afferre, nisi lectorem invenerit. Liber sine lectore est color sine oculo, sine filio pater, sine spectatore spectaculum.

Euseb. de vita Constantini l. 4. c. 36.
Theod. ser. 8. Θεραπευτικῶν.

Sed nec ipse mundus, qui magnus & ***communis Dei liber*** est, dicente Bernardo, neque aureis literis pictæ cœlorum paginæ, quas ***Dei gloriam enarrare*** Psalmista asserit, ulla unquam mutæ istius eloquentiæ testimonia dedissent, nisi sextæ diei opus & complementum totius Hominem, tanquam specta-

ſpectatorem, & lectorem, & interpretem illius libri, condidiſſet. Similiter nec literarum monumenta omnino ſunt uſui, niſi Lectio ſequatur: ad ſurdos verbum, ad cæcos ſcriptura Dei non pervenit; ſed utrinque & linguæ labor inutilis, ſi aures obturentur, & calami, ſi claudentur oculi. Ad hoc ipſum ſuos Apoſtolos Chriſtus & *Scribas* vocavit, & Scribas fecit, Eccleſiæ poſtgenitis conſulens, ut qui ab ore Apoſtolorum Myſteria regni non acceperant, ſaltem ab eorum ſcriptis haurirent. Et ipſe quidem Chriſtus nihil ſcripſit, nam ad Abgarum epiſtola Apocrypha cenſetur; & in terra ſi quos characteres efformavit, ſtatim evanuerunt. Non erat opus ut aliquid manu ſuâ exararet, quia calamo ſuo uſus eſt Spiritu ſancto, & manibus ſuis Apoſtolis: membra ejus id operata ſunt quod dictante capite cognoverunt. Aug. l. 1. de conſenſu Evangeliſt. c. 35. Ad hoc illos omnes oleo veritatis inunxit, ad hoc eorum ſcripta per multorum manus ad nos incorrupta tranſmiſit. Ad voluptatem noſtram putas? Nequaquam; ſed ad doctrinam noſtram, Rom. 15. 4. Putas ad ſpectaculum? Minimè; ſed magis ad ſtudium. Putas ut in thalamis aut feneſtris ſepoſitas haberemus? Nihil minus; ſed ut in animis infixas, h. e. ut ipſorum lectioni incumberemus; ut in prelo pectoris nova fieret ipſarum impreſſio, & in tabulis cordis editio ſecunda & tertia, & vel ipſa centeſima; ut quiſque animam ſuam bibliothecam faceret & armarium, affectus pegmata & ſuſtentacula; ut in hac cella vinaria helluones nos præberemus, & in hoc ligno vitæ tineas. Felices tineæ, quibus iſta conceditur deglutire myſteria! ſim ego vermis & non homo, ſi modò in iſtis liceat ſepulchris vitam ducere. Ejuſmodi tinea S. Hieronymus, qui de terrenis illam unam optionem ſibi dari poſtulavit, ut omnium tractatorum haberet volumina, *quò tarditatem ingenii* (ſic enim loquitur) *eruditionis diligentiâ compenſaret*: & ſe Alexandriam perrexiſſe dicit, ob hanc vel maximè cauſam, ut à Didymo quæ in Scripturis haberet dubia ſciſcitaretur. Hier. in ep. ad Epheſ. Ejuſmodi tineæ Baſilius, & Gregorius *Theologus* cognominatus, de quibus Ruffinus hiſt. Eccleſ. 11. c. 9. ſic loquitur; *Ambo nobiles, ambo Athenis eruditi, ambo collegæ per annos tredecim, omnium Græcorum ſecularium libris remotis, ſolis Scripturæ Divinæ voluminibus operam dabant.* Illuſtris ille Vectius apud Sidonium ejuſmodi tinea, qui etiam inter edendum ſacrorum quotidie voluminum lectioni attendiſſe dicitur; animæ ſuæ memor inter ipſas corporis delicias. Inter iſtas tineas Alfonſus rex Hiſpaniæ numerandus, qui cubare ſolitus cum libris in ſponda poſitis, & Sacra Biblia cum gloſſis & commentariis quaterdecies fertur legiſſe. Ex iſtis tineis unus Origenes erat, qui Scripturas memoriter tenuit, teſtante Hieronymo; nec unquam ſine lectione cibum ſumpſit, nunquam ſomnum iniit: hoc diebus egit & noctibus, ut & lectio orationem acciperet, & oratio lectionem. Hieron. epiſt. 65. ad Pammachium & Oceanum, & epiſt. 18. ad Marcellam. Denique, ejuſmodi & tinea & vermis erat S. David, qui verbum Dei & timorem ſuum & amorem fecit, & gaudium ſuum & ſolatium ſuum, & ſocium, & conſiliarium, & magiſtrum, & ducem, & theſaurum, & lucernam, & hæreditatem, & eſurientis cibum, & dormientis pulvinar, & ambulantis exercitium, matutinum, veſpertinum, quotidianum; quod ſemper & ore perſonaret, & animo volveret, & manu geſtaret: adeò legendi cupidus, ac ſi ad ſcribendum impotens eſſet; adeò ſcribendi peritus, ac ſi lectioni valedixiſſet. Quid nos ſomni ventríſque animalia tale unquam fecimus? quis noſtrûm eſt qui ex multis vel unum librum, vel unum libri alicujus caput memoriter poſſit recitare? quis decies, imò quis qui vel ſemel ſobriè & contrito corde legerit? quis in epulis, imò quis vel in anguſtiis ad hoc mentis aſylum ſe confert? Ad lectum pauci, vix omnes ad Eccle-

Sidon. in ep. ad Induſtrium l. 4. ep. 9.

Panormit. de dict. & factis Alfonſi.

Ecclesias Biblia circumferunt: quotusquisque est qui die totâ, imò vel horâ unâ aut alterâ, nisi subcisivâ, seriò, & ad animæ salutem indefessus evolvit? at si secunda hora legentem invenerit, statim oscitare incipit, quasi oneri magis esset quàm solatio. Davidis & Origenis vestigia nobis nec cordi nec curæ sunt: Adamantii sumus omnes & χαλκέντεροι, quibus corda saxea & ahenea, non ad retinendum, sed ad resistendum stylo Spiritûs Sancti; vermes sumus, sed terræ, non cœli; tineæ sumus omnes, sed in ligno seculi, non in Evangelii paginis vitam spiritúmque ducentes. Unde autem tepiditas hæc atque socordia, nisi ex hoc, quòd neque dulcedinis conscii sumus neque amaritudinis? illud, quia nondum gustavimus in Scripturarum peritia quanta salus; hoc, quia nescimus ignoratio Scripturæ quantum præcipitium, quàm profundum barathrum: sed Hieron. nos docet, *Ignoratio Scripturarum est ignoratio Christi*, Hieron. præfat. in Josuam. Chrysostomus docet, *hinc mala infinita, hinc omnia pericula animæ oriuntur, hinc utplurimùm pullulant hæresium pestes, hinc vita negligenter acta, hinc inutiles labores; hoc sursum & deorsum miscuit omnia*, Chrys. præfat. ad Romanos. Athanasius nos docet, Oratione adversus eos qui non loquendum ex Scriptura præcipiunt, *vis Scripturas negligam?* πόθεν οὖν ἡ γνῶσις; *vis cognitionem relinquam?* πόθεν οὖν ἡ πίστις; *vis fidei nuncium mittam?* πόθεν οὖν ἡ σωτηρία; quia & à fide salus, & à cognitione fides, & à Scripturis cognitio oritur & augetur. Apud Romanos pro oratore habendus non erat, qui Ciceronem sæpius non legisset: nunquid pro Christiano habendus qui Evangelium, calamo Spiritûs Sancti exaratum, sanguine Christi obsignatum, contempserit? In hoc nos feliciores cæteris gentibus, quòd concredita nobis sacra Dei Eloquia: & in hoc magis miseri, si Dei depositum prodamus, quod servaret servantes.

Quocirca vos nunc hortor singulos, & in posterum hortari non desinam, ut in Scripturarum studio magis magísque proficiatis, verbis Hieronymi, *Semper in manibus sit divina lectio*, Hieron. ad Salvinam: *in vobis sermo Christi inhabitet affluenter*, Col. 3. 3. Huic cæteri libri ancillentur, & instar omnium sit iste solus; cui evolvendo si etiam ab incunabulis desudaremus usque ad decrepitam senectutem, *semper inveniremus*, ut asserit Augustinus, *in quo proficere possemus*. Habeat sibi mundus suas Pandectas, Fastos suos, & Adversaria, & Fabulas; vobis thesaurus Divinus cordi sit, quo totus mundus nihil habet præstabilius: hæ spirituales divitiæ, hæc nostra salus; hoc pabulum mentis, alimentum cœleste, quod animam saginat, impinguat viscera, Ambr. ser. 35. *isto mens opere alitur, isto convalescit, isto victor efficitur*, Orig. hom. 9. in Levit. *istis parva nutriuntur, & magna oblectantur ingenia*, Aug. ep. 3. *in istis habetur & quod parvulus sugat, & quod perfectus comedat*, Fulgentius ser. de confessoribus. τοῦτ' ἔστι τροφὴ ψυχῆς, τοῦτο κόσμος, τοῦτο ἀσφάλεια, Chrys. hom. 1. in Mat. Si esuriat anima, hîc panem habet cœlestem; si in dolorum siti & amaritudine posita sit, hîc vinum Spiritûs, hîc favum mellis invenit quibus recreatur: nam & omnibus istis, ait Dionys. Ar. in ep. ad Titum, Scriptura comparatur, διὰ τὴν ζωογόνον αὐτῶν δύναμιν ὡς ἐν ὕδατι, καὶ αὐξητικὴν ὡς ἐν γάλακτι, καὶ ἀναζωτικὴν ὡς ἐν οἴνῳ, καὶ καθαρτικὴν ὡς ἐν μέλιτι. Quod si apud ipsos Angelos vel medicinæ usus esset, vel lectionis, vel alimenti, nullo alio pharmaco, nullis ferculis, nullo alio libro uterentur, quàm sacrorum Bibliorum: similiter & de Sanctis dicendum est. Novi hujus vitæ opus lectionem fore; nec liber nec lectio necessaria erit in illa civitate: non scripta Apostolorum & Prophetarum, cum illis erimus; non Evangelium, erimus cum Christo; libri nulli sunt nisi liber vitæ, Deus est ipsis ad instar omnium librorum. Sed tamen, ut Augustinus

ait, ser. 113. de tempore, *Scripturarum lectio Divina est præcognitio beatitudinis.* Istas dum legimus, in cœlum anima transfertur, cum Deo ipso colloquia miscet, celebrat mens nostra cum Spiritu Sancto connubium: ex quo concipiens, Christus ipse in utero cordis formatur, ut S. Apostolus loquitur. Lætare, sancta anima, lectione Scripturarum mater efficieris Divinarum cogitationum, mater ipsius Christi: nec invideas nobis hunc honorem, Beatissima virgo Maria [si unquam ad terram cœlum descendit, non hoc fit in alio curru quàm Scripturarum; si ad cœlum terra ascendat, non aliâ id fit quadrigâ quàm Evangelii.] Euge Salomonis lectule, ubi desponsata Deo mens sancta Christum habet & sponsum & partum. Vigilandi locus est hic lectus, non dormiendi: in isto, fratres, simus assidui, accubui; in istis lætemur pascuis, ubi Christus est pastor & cibus; istis vestiamus nos paginis, quarum Christus est & scriba & scriptio; in cordibus sanctorum scriptio docens, in manibus Apostolorum scriba longè doctissimus: *scriba doctus ad regnum Dei.*

Habet, ut videtis, Auditores, hoc exercitii genus utilitatem maximam, sed & adversarios non paucos; etenim quocunque me verto, hostes video & Scriptorum & Scripturarum. Si ad sinistram, scopulos video blasphemiarum, quas in Scripturam Sanctam evomere non verentur Pontificii; si ad dextram, ecce vada quædam ineptiarum, quibus è nostris aliqui, homines malè feriati, Sacræ Paginæ detrahere non erubescunt. Inter utrumque oratio fluctuat: utrùm contra istos stylus magìs acuendus sit, an ab illis retrahendus; num magìs deceat contra istos vibrare Satyras, an super hos Elegos fundere; ut illos cum stomacho respiciam, hos verò cum planctu.

De Pontificiis res apertior quàm ut meo indigeat scrutinio. Loquatur pro illis dogma receptum, & Concilio Tridentino, quamvìs ex obliquo, confirmatum tamen; Lectionem Scripturarum plebi inutilem, indecoram & periculosam esse. Loquatur vulgaris illa atque omnium ore trita Verbi *scripti* & *non scripti* distinctio; quâ suam de Scripturis manifestè produnt sententiam, summo apud illos honore haberi Verbum Dei, Scripturam autem vilescere; & Verbum suis numeris absolutum, Scripturam claudicare: ac si Orator summus Spiritus Sanctus esset, Scriba imperfectus; atque os potens ad loquendum magnalia Dei dedisset Apostolis, manum verò aridam ad scribendum. Si ista non sufficiant, loquantur pro omnibus Eckius, Pighius, Costeras, Turrianus, Hermannus, Leo decimus Papa, Polus Cardinalis & alii, qui singuli quasi vicibus alternis Scripturam Sanctam appellant *materiam litis*, *materiam hæreseos*, *præceptorem mutum*, *literam mortuam*, *plumbeam regulam*, *nasum cereum*, *gladium Delphicum*, *Evangelium nigrum*, *Theologiam atramentariam*, *Æsopi fabulas*, atque, ut sanctissimus Papa ad Bembum Cardinalem, *Fabulam de Christo*. Quòd si quis ea vult non Ecclesiæ, sed hominum, nulli diffitemur: sed quia nec damnati libri, nec autores ad rationem vocati, hominum ampliùs putanda non sunt, sed Ecclesiæ. Dicite mihi, Auditores, num verba sunt ista loquentium an vomentium? Dicite, si non mutuò tinniant aures, & polluantur ista audientes. ἀμφωτίδας parare convenit, ut gladiatores solebant, ad vitandos ictus; nam magìs multò offendunt blasphemiæ quàm alapæ. De Heraisco philosopho fertur, statim ei caput doluisse cùm quempiam audisset impura loquentem: quantò magìs nobis ad voces istas, quas vel recitare religio est, nisi rei necessitas postularet?

Eant nunc, & secum in omnibus Patres antiquos sentire jactitent: at istarum saltem quærendi sunt alii blasphemiarum patroni, duces alii, alii socii.

Summa

Summa cum veneratione Patres de Scriptura loquuti ſunt. *Speculum mentis* Gregorius vocat; *Divinam ſtateram & regulam veritatis* Auguſtinus cont. Donatiſt. 2.6. *pietatis ſcholam, fontem ſalutis, fidei anchoram, animæ medicinam*; & μεγάλα θεσπίσματα τοῦ βασιλέως τῶν ἱερῶν, Athanaſius; τὸ πρὸς τὸν θεὸν ἀναβάσεως κλίμακας, Peluſ. l. 1. ep. 369. κοινὸν τῶν ψυχῶν ἰατρεῖον, Baſ. in Pſal. 1. *theſaurum magnum, pretioſam in ſe margaritam habentem Chriſtum*, Cyr. Catech. 4. ἀκριβῆ ζυγὸν καὶ γνώμονα, Chryſ. hom. 13. *exactiſſimam trutinam, & perpendiculum veritatis*; *Cubiculum regis, montes Dei, domum deliciarum*, Hieronymus; *Spiritualium divitiarum pratum & aurifodinam*, Ambroſius. Hæ ſunt ſanctorum Patrum voces, hæc elogia.

Omiſiſſem certè hæc ſingula, niſi Traditionum ſuarum Encomia mihi vel invito loquelam imperaſſent. Illas enim fundamentum Fidei ponunt, & Lydium lapidem, i.e. veræ ac falſæ doctrinæ judicem, & Homericū μῶλυ, quod fidem adversùs hæreticorum incantamenta tueatur, & Ajacis clypeum omnibus hæreticis objiciendum, & Goliæ gladium de quo dicitur, *Non eſt gladius ſimilis ei.* Conferamus hæc mutuò. Traditiones ſunt Lydius lapis, Scripturæ Lesbia regula; Traditiones Homericum μῶλυ, Scripturæ litera mortua; Traditiones Ajacis clypeus, Scripturæ materia hæreſium; Traditiones Goliæ gladius, Scripturæ gladius Delphicus. Vah verborum portenta, aurium vulnera, quæ ab ore fluxiſſe Chriſtianorum vix credibile eſt, ſed potiùs ab Arii cloaca; certo certiùs vel à Cathedra Papali, vel ab inferno! Excuſandus nobis es; Imperator ſancte, qui Licinii nomen habuiſti; *Virus reipublicæ & peſtem publicam* vocat literas, Petrarch. remed. l. dial. 43. Sed excuſandus es; nam Pontificii virus Eccleſiæ in ſacris paginis inveniunt. Fateantur ergò quod res eſt, Scripturarum novos diſtinctionis cudant terminos; Verbi *ſcripti* & *non ſcripti?* nequaquam, ſed verbi *noſtri* & *non noſtri*, verbi Divini & Pontificii; & apertè dicant quod in jure Pontificio non obſcurè innuitur, Verbum Dei deficiens eſt, noſtrum perfectiſſimum; Scriptura non ſufficit, Traditiones noſtræ, imò commenta noſtra, defectibus iſtis medentur: ſic orbi Chriſtiano patebit quales Scribæ habendi ſunt, Scribæ Scripturarum lucifugæ, Scribæ Scripturas prodentes; ejuſmodi quales Chriſtus in Evangelio perſtringit, qui Phariſæis & hypocritis non proximi ſunt, ſed ipſiſſimi.

Candorem veſtrum obteſtor, Viri, nè ſuccenſeatis, ſi ante penſum abſolutum flacceſcat oratio, iſtis laſſata blaſphemiis, quas æquum eſt non ut Theologus quis retundat, ſed ut Dominus increpet.

Igitur relictis illis, ut ſummo reſpondeant omnium Judici, videamus quæ ſunt illa altera impietatis vada, in quæ è noſtratibus aliqui impingentes, naufragium ſi non fecerint, timendum eſt nè facturi ſint.

De Cultu paſtorali non quæritur, Utrùm ad hoc munus ſuſcipiendum ſatìs ſit ut poſſit Scripturas Sacras legendo populo præponere; nam magna requiritur præterea donorum ὑπεροχὴ, ut poſſit panem frangere &, Pauli verbo, ὀρθοτομεῖν. Neq; de cura quæritur paſtorali, An ſatìs ſit ad officii ſui rationem, ut legat Scripturas; nam prædicatio Verbi aſſidua neceſſaria eſt. Nec denique de duorum operum diſcrimine quæritur, Utrùm Prædicatio magìs conducat quàm Lectio; nam uſitatè id prædicando fieri fatemur, ſed ex populi ſocordia & ignorantia, ut Chryſoſtomus. Sed utrùm per nudam lectionem poſſit & id fieri, & fiat etiam aliquando.

Hîc ſe boni illi Viri opponunt, atque verbo Dei, ſi prædicetur, ſuam eſſe dicunt ad convertendas animas virtutem; non ſimiliter ſi legatur: lectum & ſcriptum valere ad nutriendam fidem, non ad operandam; ad augendam, non ad ingenerandam. Quaſi in verbo Spiritus ſanctus potens eſſet, in

scriptura imbecillis. Hinc natæ illæ verborum næniæ, neque Preces cœlum penetrare quæ lectæ & scriptæ, neque Conciones ad cor pertingere quæ lectæ & scriptæ: & Scripturam vix esse Scripturã si consideretur ut scripta, quæ ordinariè animas nec servat nec convertit, nisi per miraculum. Hinc illa verborum ludibria, Scripturas in Ecclesia legere non minùs est Laicorum: Scripturas in Ecclesia legere, non est pascere, sed fingere, & personam induere ut histriones in scena solent, imò multò deterius; nam histriones quæ dicunt memoriter recitant, legentes sine libro pascere non possunt: Administrationem Cœnæ Dominicæ Superstitionis larvam esse, preces publicas tragelaphos, nugarum & ineptiarum puerilium plenissimas. O cæcas hominum mentes! O temerarias cogitationes! O perversitatem animi! quid agitur? quid est quod vultis? Siccine in ineptiis contra sapientiam Dei vos solvere, siccine pietatis prætextu insanire, siccine manus extendere contra brachium Domini? illi sunt fructus labiorum, ut aperiantur contra Divina eloquia? ob hoc usus calami cœlitus emicuit, ut stringatur contra sacras Scripturas? Vel mutos nasci præstat quàm cum viperarum linguis; quia candoris etiam ineruditi laus est aliqua, malevolentiæ vel eruditissimæ vituperatio certa. Dicant mihi nunc histriones quinam dicendi sunt; nos qui pro Scripturarum lectione pugnamus, an illi qui facultatis suæ opinione tumidi ludunt dicteriis, & sacram legendi institutionem quam Deus ipse ordinavit, & Christus in persona sua exercuit, fictionem personæ non timent dicere. Liceat mihi eos Tertulliani verbis compellare, An alius est tinctis Christus, alius audientibus? an alius spiritus audientibus, alius legentibus adest? an ità à Christo salutis nostræ causa agitur, ut ad animum per aures sancto Spiritui aditus pateret & non per oculos? aut si per aures solas, per vocem prædicantis ut id fieret, & non per vocem legentis? Eliæ Deus apparuit in voce tenui, sicut Abrahamo in sonora. In Evangelio Christus sicut uni os clausum aperuit, ità alterius manum aridam sanavit; ut vel nos indè doceret potentem eum esse in utroque organo, atque Apostolis suis non minùs astitisse cùm scriberent, quàm cùm prædicarent; atque beatos eos pronunciasse qui verbum suum legunt, non minùs quàm qui audiunt.

Esto, sit aliquid in modo tractandi discriminis; plùs movere ea quæ vivâ voce proferuntur, atque fortiùs sonare, quia habent aliquod in affectus nostros imperium & vocis modulatio, & ardor oculorum, & gestus corporis: sed humana hæc sunt omnia, & ab humana infirmitate pendentia. Ipsa intelligentia, fides, gratia, Sancti sunt operationes Spiritûs, quo juvante, satìs est vel legisse, & non juvante, audivisse non sufficit. Neque qui plantat legendo est aliquid, neque qui rigat prædicando, sed qui incrementum dat solus Deus. Desinant ergò posthac sacra Dei munera inter se committere: fieri hoc non potest sine dispendio pietatis: aut si fiat, laudabilior erit erudita lectio quàm illiterata elocutio, ut in fontibus aqua purior quàm in quocunque rivulo. Habet suam & quidem summam laudem prædicatio Verbi, sed non idcirco Lectionis nulla erit utilitas. Si cœli portam spectemus, Prædicatio Clavis est, si muros, Scala, si viam, Calcar; si vitam, sanæ mentis Cibus est, & Pharmacum ægrotantis: *sed & Lectio non minùs legentis est cibus, quàm Sermo audientis*, ait Ambrosius, Ser. 25. Fruantur ergò soli suâ sententiâ, quam ante ipsos nemo Prophetarum, nemo Apostolorum, nemo sanctorum Patrum ante ipsos posuit, nemini, quod sciam, hæreticorum in mentem venit, *οὐδ' ἐν ὀνείρῳ*. *Histrionicã* illi appellitent: at primitivæ Ecclesiæ Episcopi junctim in Conciliis Vasensi 2°, & Laodiceno, & Carthaginiensi 4°, Histrionicã illam decretis suis statuerunt; & Optatus muneris hujus histrionici vilitatem non refugiebat, neq; Aurelius, neq; Celerinus, quorum meminit

meminit Cyprianus: virtutibus insignis alter erat, & fidei laude provectus; alter moribus gloriosus, inter Christi milites Antesignanus, ad persecutionis prælia primus; & uterque tamen ad legendi munus divina, &c. Illi *Histrioniam* appellent; Ego, cum Cypriano, honorem, eúmq, maximum: honorem summum, quòd in Pastorali cura prædicandi munus incumbit; honorem alterum, quòd inter vos legendi: det Deus, ut non sit mihi honori, sed ipsius nomini; nec tam honori mihi, quàm vobis usui. Ut sic esse possit, vestras non aures tantùm, sed genua & manus postulo, manus non ad plausum, sed ad preces expansas; ut sive dicenti, sive scribenti, sive legenti, Deus adesse & præesse dignetur; ut in eorum numero inveniar qui & proficiendo legunt, & legendo proficiunt: hoc est, ut si esse non possim Orator bonus, aut *Scriba* eruditus, at saltem Lector fidelis & assiduus, *ad regnum Dei*, & Ecclesiam Christi; Cui, &c. Ep. 33. & ep. 34.

LECTIO III.

Math. 13. 52.

Omnis Scriba eruditus, &c.

DE Institutione Clericorum multi multa scripserunt, utriusque seculi Antistites. E veteribus, Basilius, Chrysostomus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Greg. Magnus; atque recentiorum non pauci; piè & eleganter omnes; sed jejunè tamen & aridè, si ad ea quæ Salvator noster hac de re in Evangelio tradidit conferantur. In hoc Pastore omnes pastores reperiuntur; quia ipse non didicit quæ alios doceret, sed ex ipso solo petenda est regula regularum, quia solus ipse est Pastor pastorum. Utroque modo se hoc in loco prodit discipulis suis; & in similitudine Exempli, de sequendo pastorum principem, familiæ patrem; & in rectitudine Regulæ, de proferendis regni mysteriis. Utrumque paucis complectitur φιλοσύντομος· & mihi brevitate æmulâ sequendum est, non per vestigia mysteriorum, sed verborum, si fortasse potero vel mediocriter attingere aut sensum Regulæ, aut virtutem Exempli. Quocirca omnem mitto verborum ambitum, satis supérque peroratum est; mitto quæ superiùs dicta sunt omnia; non mea jam illa, sed vestra reputo. Nolo actum agere: sed ut pastores ubi post longam hyemem Solis radios affulsisse viderint, diémque reddidisse calidiorem, greges suos è caulis ad consueta sed nova pascua deducunt; similiter & ego, quoniam jam hyemem transiisse video, & vos huc è propriis laribus confluxisse, quæ retro acta sunt oblivi cor, & ad ea quæ à fronte sunt contendo, ut possim vos per nova itinera ducere ad vetus illud hospitium, *Omnis scriba doctus ad regnum Dei*, &c. Aug. hom. de Pastoribus.

Quid præ se verba ferant, nemo est, opinor, vestrûm præcipuè, qui nescire possit. Quod Apostolus, 1 *Cor*. 1. 26. *Fratres, videtis vocationem vestram*: Quod si qua alia Scripturæ portio, hæc certè vestra est, portio Levitarum, Enchiridion Sacerdotis, speculum Doctoris Evangelici, in quo seipsum videat, quid primò, quid secundò esse debeat, condus & promus, concha & canalis, διδακτὸς καὶ διδακτικὸς, *scriba doctus* & scriba docens; discens quæ

postmodum doceat, & docens quæ priùs didicerit; *eruditus* ut alios erudiat, & plenus ut proferat. Nihil addi potest. Ista duo totum comprehendunt officium Doctoris Evangelici: & sunt velut lapides Duo in Rationali sacerdotis, juxta conjecturam Hieronymi, δήλωσις καὶ ἀλήθεια. Illinc enim *veritas* sive scientia requiritur, ut noverit quæ docenda sunt: hinc *manifestatio* sive doctrina, ut possit sermone proferre quæ noverit. Breviter, viva est delineatio muneris pastoralis, ex specifica differentia & causis propriis facta. Differentia specifica est in illo verbo *Profert*, docétque quodnam sit officium. Causæ connatæ quatuor sunt, velut quatuor appendices.

Hier. ad Fabiolam ep. 128.

Primò, Quæ proferenda, *nova & vetera*; ista rationem habent Materiæ.

Secundò, Cui bono hæc facere debeat, *Ad regnum cælorum*, rationem habet Finis.

Tertiò, Quod Exemplar proponendum est cùm faciat, *tanquam paterfamiliàs*; in hoc ratio Formæ.

Quartò, Quæ præparatio exigitur ut faciat, Eruditionis *thesaurus* comparandus est; istud ad instar causæ Efficientis.

Si singula seorsim expendamus, mysteria patebunt. Non dicitur ad Ecclesiam, sed *Regnum*; non Servus familiæ, sed *Pater*; non de penario, sed de *Ærario*; non generatim, alia & alia, sed punctim, *Nova* & *Vetera*.

Sensus est, Scriba doctus ad Ecclesiam Dei, similis est Oeconomo qui profert de penario hæc atque illa: sed verba sensum exsuperant, *Scriba doctus ad regnum cælorum similis est patrifamiliàs, qui profert de thesauro suo vetera & nova.*

A parte prima ordiendum mihi est, Quodnam sit officium Doctoris sacri, ὅστις ἐκβάλλει· & in ista duo consideranda, Ordo & Modus. Primum est de Ordine consequentiæ, quando demum hæc copia proferenda est; postquam fuerit eruditus & satis instructus. Non debet talenta gratiarum reponere, vel in fundo Mundani cordis, vel in sudario immundi cordis, vel sub modio maligni cordis, vel sub tecto lascivi cordis; sed proferenda sunt nummulariis. Voluptatis locus tectus est, non gratiæ. Occupanti talentum Sudarium est utile, non ipsi talento: è modio fidei mensura dispensanda, non sub modio occultanda. Necessitate officii devinctus quisque est ut proferat quæ habet; quod Primasius in illa verba S. Pauli ad Timoth. 1. 5. *Honor duplex debetur illis qui laborant in verbo, Non dicitur*, inquit, *honor iis debetur qui habent verbum, sed qui laborant in verbo.* Et Aug. in illud Lucæ c. 8. *Habenti dabitur*, i. e. *Utenti: Ità hoc in loco, non dicit, sicut paterfamiliàs qui habet Vetera & Nova, aut qui proferre potest, sed qui profert; dona Dei si proferat, ut panes sunt Christi, dum franguntur multiplicantur*, Aug. de Doct. Christ. c. 1. Si non proferat proximus est carenti, perinde est ac si non haberet: ratio est, quia donorum præmia non ex habitibus pensantur sed actibus, neque ex primis actibus sed secundis; ut aquæ sic habitus motu & exercitio purgantur, si modò sit cessatio animi corrumpuntur. Esto sint dona supernaturalia; frustrà sunt omnia, & quasi non sunt, & ad judicii cumulum tendunt, si ad exercitium non promoveantur, & ad Ecclesiæ utilitatem, quod apud Ecclesiasticum c. 20. v. 30. legimus, *Sapientia abscondita, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* Huc pertinet Aug. regula, de Doct. Christ. c. 1. *Omnis res quæ dando non deficit, dum habetur & non datur, nondum quomodo habenda est habetur: Dicat enim mihi quisquam si poterit, inter cæcum & oculos claudentem quid intersit, aut inter elinguem & non loquentem, nisi hoc solummodo, quod isti Natura injuriam facit, hic Naturæ. Quid inter nolentem & nescientem docere, nisi hoc, quod alter habet ignorantiæ excusationem, alter malitiæ reatum. Nunquid pastor est dicendus, qui non pascit?*

aut

aut angelus, qui non annuntiat? aut doctor populi, qui nunquam docet? nullo modo. Vigiles qui dormiunt, non sunt vigiles, sed proditores; Lucerna quæ non lucet, non est lucerna, sed cera aut sumen; Oculus qui non cernit, non est oculus, sed caro picta; puteus si aqua desit, non est puteus, sed fovea; tuba si ad sonitum impotens fuerit, non est tuba, sed æs fusum, si incertam vocem dederit, quis parabit se ad prælium? si nullam dederit, multò minùs: fons siccus, præco mutus, lux cæca, sal infatuatus sunt ἀσύστατα. Audiamus S. Petrum Ep. 1. c. 4. *Unusquisque sicut accepit gratiam administrare debet*; non enim patrifamiliâs satis est, si cor habeat opibus instructum, nisi proferat. Hoc primum erat, Ordo Consequentiæ.

Alterum quærit de Modo, *qui profert:* imo aliquid majus est, ἐκβάλλει; i. e. qui *projicit* & extrudit. *Projicere* plus est quàm *Proferre*; nempe cum zelo quodam & fervore animi proferre. Ille *projicit* qui divite venâ effundit verba, ut Apostoli in die Pentecostes: satìs aptum vocabulum huic rei exprimendæ, quia de prædicationis negotio hìc agitur: sic uno ore Interpretes universi, vix quenquam habemus discrepantem; & pro seipsa res loquitur. Præcedentes parabolæ omnes huc respiciunt, de Semine, de Fermento, de Margarita, de Sagena: nam & Semen verbi est, & Fermentum verbi, & Margarita verbi, & Sagena verbi. Est Homo prædicator & Homo qui seminat, & Mulier quæ abscondit, & Negotiator qui quærit, & Servus qui retia laxat. Exinde statim infert, *Omnis scriba doctus*, i. e. omnis qui ista novit spiritualiter exsequi. Deinde singula textûs verba huc respiciunt: *doctus ad regnum*, ad regnum Evangelii prædicandum; *sicut paterfamiliâs*, i. e. sicut ego feci qui mysteria cœlestia vobis enarravi; *profert de thesauro*, i. e. de thesauro Scripturæ colligit, de thesauro cordis ore promit. *Proferre* est prædicare, pascere. Evidentius hoc erit, si cum altera parabola conferatur Luc. 12. 42. *Quis est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?* In utraque singula singulis respondent: quod hìc οἰκοδεσπότης, ibi οἰκονόμος, pastores populi; & hìc & ibi, *Familia*, i.e. Ecclesia; quod hìc *proferre vetera & nova*, ibi est *dare mensuram tritici in tempore*, i. e. puram & probatam doctrinam, *secundùm capacitatem audientium*, ut optimè Augustinus. Sic *Proferre* est Prædicare. Sit igitur hæc Thesis sive Propositio,

Prædicatio Verbi Dei opus est & ordine primum, & maximè proprium, & longè præcipuum inter omnia Curæ Pastoralis exercitia; ad quod sua studia & animum, & se totum, & imprimis, & maximè, & sæpissime appellere debeat qui vel Scribæ vel Oeconomi partes agit in Ecclesia Christi.

Propositionis tria sunt membra; est opus *primum*, & opus *proprium*, & opus *quotidianum*: quæ omnia sigillatim discutienda, ut omnes sentiant, non herì aut nudiustertius, neque nobis autoribus Concionum sacrarum usum exstitisse, sed unà cum Evangelio natum, & ab antiquis Patribus celebratum, sicut in singulis jam partibus patebit.

Pars prima Theseos est, Quòd Prædicatio Verbi Dei sit opus pastoris primum & principale. Unicum illud quod S. Paulus Timotheo commendat, 2 Tim. 4. 2. *Prædica Verbum, insta, opportunè, importunè*: & S. Petrus Presbyteris, 1 Pet. 5. 2. *Pascite, quantum vobis est, gregem Christi:* quod in isto Petri loco est *pascere*, in altero Pauli est *prædicare*. Deus ipse ità interpretatur, Jer. 3. 15. *Constituam pastores secundùm cor meum, pascéntque eos scientiâ & disciplinâ:* quid est *pascere scientiâ & disciplinâ*, nisi prædicare? sunt voces convertibiles. Christus sic interpretatur, Joh. 21. *Simon, diligis me plus quam hi? pasce agnos meos:* & bis ingeminatur, ut intelligamus hoc

 esse

esse & primum & secundarium. *Simon, pasce:* Ità faciam, Domine, sed nunquid aliud? *Dico tibi, Pasce:* Audio, sed an hoc totum est? *Dico tibi, Pasce.* Quid clarius? Christus & primum & secundum & tertium locum Prædicationi verbi tribuit: Pontificii ut plurimùm vix aut nè vix quartum, sed semper aut inferiorem aut infimum. Tho. in 4. d. 23. qu. 3. art. Sacerdos habet duos actus, unum principalem, super corpus Christi verum; alium secundarium, super corpus Christi mysticum: priorem actum missationem vocant, alteram prædicationem. Estius in 4.sent.d.24.ſ.19. Presbyterorũ seu Sacerdotum proprium ac præcipuũ munus, cui reliqua subserviunt, est offerre Deo sacrificium corporis & sanguinis Domini: secundum, remittere & retinere peccata: tertium, administrare Sacramenta: quartum, prædicationis ministerio pascere populum Dei. Cæteros taceo, quia ad unum omnes primum sacerdotis opus hoc statuunt, conficere corpus Domini; &, nè quid blasphemiæ desit, creare Creatorem suum; atque, nè quid stultitiæ desit, Andradius & alii, Christum per illa verba, *Hoc facite in memoriam mei*, Apostolos suos ordinasse sacerdotes. Hoc illud quod adeò strenuè disputatum in consilio Basiliensi, Præstantius esse missare quàm prædicare, quia prædicatio est ad finem missationis, sc. ut celebrantes devotiùs agant; finis autem est præstantior mediis.

Ad refutationem satìs esset, ostendere quomodo à se mutuò discrepent: fidei enim doctrina constans sibi est & sui similis; at Estius sibi non constat, nam eâdem distinctione, ſ. 15. officia ista alio ordine recitat, Sacrificare, baptizare, docere, reconciliare, afflictorum curam habere: hîc docendi munus præponit muneri reconciliandi sive absolvendi; suprà postponit. Adhuc in Pontificali est alius Ordo, Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare & baptizare. Nec Durandus constat Estio, ipse alium ordinem servat. *Sex sunt quæ communiter pertinent ad sacerdotes, Catechisare, baptizare, prædicare, conficere, solvere ac ligare*, lib. 2. c. 11. ſ. 13. hîc *prædicare* priùs statuitur quàm *offerre* aut *conficere*. Denique in Concilio Mediolanensi primo, & Tridentino, ordo alius. Per istorum Conciliorum Decreta, Verbi Dei prædicatio præcipuum illorum munus censetur qui in Episcopali sede collocantur. Sed esto sibi invicem congruerent; at ratio repugnat huic ordini, sublato enim ordinis fundamento, ordo ipse partium tollitur. Si nulla sit oblatio talis pro vivis & mortuis, non erit principale munus, sed nè munus quidem. Non enti nihil substernitur. At tale quidem sacrificium eorum missificum fore, omnes norunt qui Christum norunt; merum esse somnium, humanum commentum, sacrilegum & Deo abominandum. Agnosco orationis & gratiarum actionis opera dici aliquando *sacrificia spiritualia*, quæ à Pastoribus Evangelicis offeruntur pro populo. Quid ad rem? sic ipsa Verbi prædicatio. *Ecclesiarum pastores verbum vitæ prædicando, spirituali gladio homines mactant & immolant Deo*, ut eleganter Chrysost. in Rom. 15. 16. hom. 29. αὕτη μοι ἱερωσύνη, κηρύττειν καὶ καταγγέλλειν· ταύτην προσφέρω τὴν θυσίαν· *Ipsum mihi sacerdotium est prædicare & evangelizare; hanc offero hostiam.* Ecce Chrysost. *sacrificium* vocat, & partes sive actus ponit hujus sacerdotii; gentes hostia, gladius Evangelium, actus sacrificandi prædicatio, ignis Spiritus, sacerdos sive minister Paulus. At si capax non esset figuratæ locutionis, num propterea loco cedere necesse est? Imò nos pro summo & primo ducimus, quia primum est in legatione quam acceperunt Apostoli, Mar. 16. 15. *Prædicate Evangelium omni creaturæ*; & summum in manifestatione donorum cœlitus fulgentium, & penè solum ad convertendas salvandásq; Animas organum. Quòd si fortasse ordinis leges transgredimur, nos non solos reos agant, non nostro consi-

lio

lio id facimus. S. Hieronymus olim ante nos fecit, in com. ad Gal. 5. Quid tam Dei opus quàm Scripturas legere, in Ecclesia prædicare, ante altare Domini ministrare? Scriptura id sæpius facit. In sacra pagina passim Prædicationi primus locus tribuitur: primum habet inter ea munera ad quæ Christus à Spiritu sancto ungebatur; *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit me, ad annunciandum mansuetis misit me*, Isai. 61. 1. primum in iis ad quæ Apostoli à Christo ungebantur, Matt. 28. 19. *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c.

Atque idcirco etiam primum in Ordinationis Anglicanæ formula, *Tu autem esto verbi Dei & ejus sanctorum Sacramentorum fidelis dispensator, in nomine Patris & Filii & Sp. Sancti:* & postea cùm Sacra Biblia singulis in manus traduntur, dicit iterum Episcopus, non ut novam potestatem conferens, sed locum exercitii designans, iterum, inquam, dicit, *Accipe authoritatem prædicandi verbi Dei, & administrandi sancta Sacramenta in illa Ecclesia quæ tibi erit commendata.* Est, fratres, quod in hoc nobis rerum & verborum ordine congratulemur, quia Christus ipse, quia Spiritus Sanctus hunc servavit ordinem; & Scriptura ipsa constanter prædicationis opus ubique cæteris præponit exercitiis Ecclesiasticis: primò, visitationi ægrotorum, Luc. 9. 2. *Misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos*; quia animæ morbi medendi potiùs sunt quàm corporis; & Evangelii prædicatio τῆς ψυχῆς ἐστὶ φάρμακον, ut optimè Basilius. Secundò, Pauperum curæ præponitur, Act. 6. 2. *Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Theophylactus rationem reddit, quia magis multò istud necessarium; τὰ ἀναγκαῖα τῶν μὴ ἀναγκαίων προτιμότερα, καὶ τὰ ἱερατικὰ τοῖς βιωτικοῖς. Cibus pauperum spiritu majoris momenti quàm cibus pauperum mundi; & Evangelii prædicatio est pabulum mentis. Ambros. s. 35. Tertiò, Ecclesiæ moderamini præfertur & gubernationi, 1 Tim. 5. 17. *qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Istud μάλιστα duplum denuo duplicat; duplex honor disciplinam exercenti, sed maximè iis qui laborant in verbo & doctrina: siquidem Doctrina quasi corpus officii continet, Disciplina vestem; vel Doctrina ut anima est, Disciplina ut corpus, & alterum alteri subservit; dum præsunt docent, dum docent præsunt. Quartò, Dono præfertur miraculorum, 1 Cor. 14. 1. *Æmulemini spiritualia, magis autem ut prophetetis.* Non hîc in stricto sensu *prophetia* sumitur, pro annunciatione futurorum, quæ est *prophetia prædictionis*; sed pro interpretatione præsentium, quæ est *prophetia prædicationis.* Etiam hoc genus prophetiæ supereminet miraculis, non gloriâ, sed commodo: ἀπὸ τοῦ κοινῇ συμφέροντος, Chrys. in locum; quia pluribus prodest. Addo, quia supernorum donorum finis est: miracula enim ut instrumenta prædicationi confirmandæ subserviunt & ancillantur. Postremò, Sacramentorum etiam administrationi præfertur, Matt. 28. *Docete & baptizate*; 1 Cor. 1. 17. *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* Certissimum est quòd ad utrumque missus & vocatus erat; & ait, *Non baptizare*, ponendo negativum pro diminutivo; minùs me misit baptizare: ut ostenderet opus prædicationis majus esse; Ambrosius, *præstantius & excellentius*; Theodoretus, ἐπιπονώτερόν ἐστι, καὶ πάντα συνέχει, laboriosius est, & omnia continet; iterum, ἀναγκαιότατόν ἐστι. *Cujusvis est baptizare, Evangelizare unius aut alterius sapientioris*, Chrysost.

Colligamus nunc demum hæc omnia in unum manipulum: sic Theseos certitudo demonstrari potest tribus Inductionibus.

Prima est Inductio Rerum: dispensatio sacramentorum, absolutio à peccatis, oblatio precum, donum miraculorũ, bonum disciplinæ, cura pauperum, ægro-



ægrotorum sanatio, sunt illa aut omnia aut præcipua, quæ vel Apostolis olim, vel nunc tandem Pastoribus commissa sunt; atque istis singulis prædicatio Verbi antefertur. Quod autem nulli cedit, est nulli secundum: & quod prius & præstantius non habet, illud omnium primum & præstantissimum sit necesse est.

Secunda est Inductio Mediorũ. Non enim uno modo res *priores* dicuntur. Sunt nonnulla dignitate *prima*, alia tempore, alia naturâ, institutione alia. Ergò in quo omnia genera primitatis concurrunt, illud constanter & perpetuò primum putandũ est. Ejusmodi est Prædicatio Verbi. Ex institutione Christi primum est, *Ite, prædicate:* In ratione Deo reddenda primum, *Redde rationem villicationis tuæ:* Inter gloriæ præmia primum, *Qui ad justitiam erudient multos, quasi stellæ fulgebunt*, Dan. 12. Inter media salutis primum est ordine, quia ad cognitionem & possessionem aliorum nos perducit; indè peccatorum absolutio, indè Sacramentorum administratio, indè gubernatio Ecclesiæ & officia Charitatis petenda sunt. Ergò quod S. Ambrosius de corona gloriæ, *Sit suus aliis & singulis coronis honos, honor coronæ castitatis, honor coronæ justitiæ; sed summus honor coronæ gloriæ, quia in hac corona præmium omnium coronarum*, Ambr. ser. 15. in Psal. 118. Idem de prædicationis opere; habent alia honorem suum & gratiam, sed in hoc opere omnium consummatio operum. Ergò primum est.

Tertia est Inductio Personarum. Apostoli, Prophetæ, Evangelistæ, Pastores & Doctores, sunt omnes ad unum Ordines qui recitantur à S. Paulo, quorum omnium caput est Christus: sed in illis omnibus istud quod præcipuè eminebat, erat prædicatio Evangelii: hoc, ut Augustinus & Athanasius junctim loquuntur, *est Angelorum ferculum, Angelorum pulmentum, Apostolorum gloria, Prophetarum spes, Evangelistarum decus, Martyrum corona*; addo & Presbyteri opus summum, & Episcopi summum, & Christi ipsius summum.

Pars secunda Theseos sequitur, Quòd Prædicatio Verbi est opus Pastoris proprium ac peculiare. Qui *proprium* dicit, dicit aliquid connaturale & essentiale, & inseparabile: quæ quidem omnia abstrahere non verentur Pontificii, si non omnes, at nonnulli, si non à Sacerdotio, saltem à Presbyterio. Quòd scilicet Presbyterio prædicatio Verbi annexa sit, non ex Officio, neque vi Ordinis, sed tantùm ex Commissione & mera indulgentia. Obsignemus tabulas. Soto in 4. Sent. d. 1. qu. 5. ar. 6. *Non est officium annexum Ordini sacro ex jure Divino, sed ex jure positivo.* Estius, in sent. 4. d. 24. s. 21. *Indubitatum est Ordinem ministerii consistere sine officio prædicandi Verbi Dei.* Soto rationem addit, quia in Ordinatione Sacerdotum nulla fit ad prædicandum commissa potestas: atque sic revera se res habet. In Pontificatu in Consecratione Episcopi dicitur, *Accipe Evangelium, & vade, prædica populo tibi commisso:* In Ordinatione autem Presbyteri, *Accipe jugum Domini, accipe vestem sacerdotalem, accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, Missámque celebrandi tam pro vivis quàm pro defunctis.* Accipe Spiritum sanctum, accipe Evangelium, non dicitur. Quantò meliùs Cajetanus, *Prædicare est actus ad quem Minister consecratur?* Cajet. in 3. p. qu. 64. art. 6. ad 1m. & Guliel. Parisiensis, De sacram. Ordinis, c. 3. *Prædicatio semper pertinuit ad Sacerdotale officium*; quamvis postea solam recitationem Apostolicarum lectionum & veteris Testamenti, ad Sacerdotale officium pertinere putet. De primi & secundi ordinis Sacerdotibus distinguere ipsos solere non ignoro; sed causam non adjuvat. Nam si Sacerdotio, ergò Presbyteris, idque *non ut accidens separabile*, ut Estius, nec, ut Soto, *jure positivo solo*, sed Divino: quia Christus legavit Apostolos sub ista lo-

quendi

quendi formulâ, *Euntes docete*; & Joh. 20. 2. *Sicut misit me Pater, ità & Ego mitto Vos.* Num de Apostolis solis intelligitur? quid ergò S. Paulus? Ephes. 4. 11. ϗ αὐτὸς, i.e. Christus, *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores:* & Ephes. 4. 12. *Dedit Pastores & Doctores, ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi.* Quid apertius? Christus pastores dedit ad opus ministerii. *Vide*, ait Hieronymus, *Omnes sunt constituti ad ædificandam Ecclesiam: hoc ipsorum opus est*; hoc proprium opus, non ab homine, sed à Christo ipso impositum, i. e. non jure positivo, sed jure Divino. Atque hinc est quòd Ambrosius in 1 Tim. 5. Presbyteros vocat *Vicarios Christi, antistites Dei*; Nazian. in Apolog. fugæ, duriusculè, *consacerdotes Christi*; συνιερῶνται Χριστῷ, sic enim loquitur. Ignatius Martyr, non in scriptis ullis suppostitiis, sed in Epistolis quas ad Trallenses & Magnesios scripsit, quæ duæ pro genuinis agnoscuntur, nunc Christi, nunc Apostolorum, nunc Episcoporum assessores appellat: in illa ad Magnesios epistola, Presbyteros ait constitutos εἰς τόπον συνεδρίου τῶν ἀποστόλων, *loco Senatûs Apostolici*: in altera ad Trallenses de eis ait, φύλακές εἰσι τοῦ τόπου τοῦ Χριστοῦ, *Vicarii sunt Christi*: rursus, ὡς συνέδριον Θεοῦ, ϗ σύνδεσμος Ἀποστόλων τοῦ Χριστοῦ, *Consessus Dei, vel à Deo constitutus fasciculus Apostolorum:* adhuc tertiò, τὸ πρεσβυτέριον ἀλλὰ σύστημα ἱερὸν, σύμβουλοι ϗ συνεδρευταὶ τοῦ ἐπισκόπου; *sacer cœtus, consiliarii & assessores Episcopi.* Transcendentia ista videntur esse & sublimia elogia; sed in eo excusandus, quòd Exemplar videtur duxisse à Scripturis ipsis, in quibus similes loquendi formulæ passim occurrunt. Sic S. Petrus *socios* suos Presbyteros vocat, & seipsum *compresbyterum*, 1 Pet. 5. 1. & Paulus Epaphroditum σύνεργον ϗ συστρατιώτην, Phil. 2. 25. *Consacerdotes Christi*, quia Christus summus & Pastor & Sacerdos, ἀρχιερεὺς, Heb. 7. 26. ἀρχιποίμην, 1 Pet. 5. *Assessores Dei*, sic in S. Paulo, σύνεργοι vocantur, *Cooperatores Dei*, 1 Cor. 3. 9. nempe quia Dei & Christi agunt negotium, atque hoc negotium est prædicandi Evangelium. Hinc Nazianz. Apol. fug. regulas illas quas sanctus Paulus Episcopis ponit 1 Tim. 3. ut *sobrii sint, pudici, ad docendum idonei*, &c. non minùs Presbyteris quàm Episcopis positas dicit; τούτους τοὺς ὅρους περὶ ἐπισκόπων ϗ πρεσβυτέρων ἔταξε· & Sedulius in illa verba, Eph. 4. 11. DEDIT ALIOS APOSTOLOS, ALIOS PROPHETAS, ALIOS EVANGELISTAS, ALIOS PASTORES ET DOCTORES; *Vide*, inquit, *non sejungit Pastores & Doctores, ut superiores Ordines, dicendo alios Pastores, alios Doctores; sed Pastores & Doctores, innuens quòd qui est Pastor debet esse Doctor:* adeò sunt inter se conjunctissima munera, ut quicunque vocatur ad Sacerdotium, eo ipso vocatur ad Suggestum.

De personis quæstio non movetur, An non possit esse verus Presbyter qui prædicandi dono & gratiâ non exornatur; nam & hoc libenter concedimus: nec de exercitio contenditur, vel administratione forinseca; nam & hæc cùm sit pars Ecclesiasticæ πολιτείας, locíque & temporis circumstantiis astringatur, ab humano jure & arbitrio pendere necesse est, ut pax & ordo & disciplina serventur: Sed de rebus ipsis, h. e. de facultate & potestate, firmissimè tenendum est, & omni & soli convenire; & extra Sacerdotium neminem habere, & in Sacerdotio neminem non habere veram atque integram prædicandi potestatem: nisi legitimus scriba fuerit, non *profert*; & si fuerit, oportet ut *proferat*.

Igitur ut omnia redigam in compendium: illustrari hæc pars Theseos ulteriùs potest duobus argumentis sumptis ex Declaratione facta in persona Apostoli, & Declaratione facta in persona Dei.

Declaratio facta in persona Apostoli tria continet capita.

Primum

Primum est ab Apostoli Desideriis; quia hoc illud opus est quod precibus Ecclesiæ sæpissimè commendat, ut possit ornare hanc Spartam. S. Paulus, 2 Thess. 3. 1. *Orate pro nobis, ut sermo Domini currat.* Eph. 6. 19. *Orate pro me, ut mihi detur sermo in apertione oris mei, ut liberè loquar sicut oportet me loqui:* & Col. 4. 3. *Orate pro nobis, ut Deus aperiat ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi.*

Secundum sumitur ab Apostoli Querelis: *Quis ad hæc idoneus est?* 2 Cor. 2. 16. in altero loco, *Væ mihi si non Evangelizavero,* 1 Cor. 9. 16. Hoc modo Moses ad munus propheticum vocatus, sæpius conqueritur, Exod. 4. *Non sum vir verborum*, vel *non sum eloquens*, vers. 10. & iterum, *impediti oris & linguæ tardioris sum.* Jeremias semel, c. 1. v. 7. *Ecce nescio loqui quia puer sum.* Isaias etiam semel, c. 6. v. 5. *Væ mihi quia tacui*, (sic enim vulgò legitur, pro *Hei mihi quia perii*; sed & istud haud ineptè, *Væ mihi quia tacui*,) *nam vir pollutis labiis sum.* Dicat mihi quispiam velim, quare de *ore* & *lingua* & *labiis* suas viri sanctissimi querimonias effundunt: Ad manum ratio est, quia oris & linguæ & labiorum gratia muneri Prophetico maximè congruit. Nemo ergò percunctetur quæ causa potest esse tantæ anxietatis. De iis quæ extra nos sunt tam solicitos nos præbere non solemus: quò quid cum officio nostro conjunctius, eò magis sol citudinem nostram exposcit. At Propheta non dixit, *puer sum, & nescio miracula facere*, sed, *nescio loqui*; Paulus non dixit, *quis ad altera illa idoneus?* sed de prædicatione Evangelii, *quis ad hoc?* non dixit, *væ mihi si non baptizavero*, sed *si non Evangelizavero:* de clave jurisdictionis non loquitur, *orate ut aperiatur ostium*, sed de clave doctrinæ, *ut aperiatur ostium sermonis*; hanc Apostolatus partem ostendens & inprimis necessariam, & maximè nativam ac propriam.

Secundum argumentorum genus est à Declaratione facta in persona Dei: & duo continet capita.

Primum est à Promissione Assistentiæ in hoc munere exsequendo. Salvator in Evangelio discipulis se suis *os eruditum* daturum pollicetur, *Dabo vobis os cui non poterunt omnes adversarii resistere*, Luc. 21. 15. & Deus Mosi, *Ego ero in ore tuo, & docebo te quid loquaris:* & Jeremiæ, *Nè dicas, puer sum; ecce posui verba mea in ore tuo:* & Isaiæ, *Ecce tetigit hic carbo ignitus labia tua, & auferetur iniquitas tua.* Quorsum verò ista, nisi ut ostenderet Deus, linguæ & oris eruditionem propriè ad Prophetas & Apostolos spectare? idcirco tangit Prophetæ labia carbone ignito, mittit ad & super Apostolos linguas ignitas: in N. Test. Spiritus in Apostolos descendit cum sonitu; in Vet. Testamento Sacerdos ingreditur sanctuarium cum sonitu, tintinnabula vesti apposita: hoc, ut significaret, *Pontifici proprium ut in Sancta non incederet nisi vocalis*, sicut Hieron. ad Fabiolam, ep. 128. illud, ut significaret etiam se unctos ad hoc munus vocales & loquentes fieri, Greg. l. 1. indict. 9. c. 24. ep. 24. Aliis tribuit cor eruditum, at Prophetis linguam eruditam, Isai. 50. 4. sufficit aliis scientia pectoris, at Sacerdos custodire debet in labiis, ut Mal. 2. 7.

Alterum est ab Appellationum honorificentia quæ Sacerdotibus Dei tribuuntur tam in Novo quàm in Veteri Testamento. *Angeli* dicuntur in veteri, *Angeli* in novo; at Angelis proprium est annuntiare: *Legati* in vetere, *Legati* in novo, 2 Cor. 5. 20. legatus est nuncius publicus: præterea, *os Dei*, Jer. 5. 19. *tuba Dei*, Isai. 58. 1. *rationabiles tubæ, non crepitu æris, sed verbo veritatis animatæ:* sermo ad os pertinet, ad tubam sonus. Adhuc, *piscatores, pastores, negotiatores, agricolæ, ædificatores, medici, œconomi:* at dispensare non possunt mysteria nisi de thesauro Verbi; nec mederi, nec alligare contritos corde, nisi fasciis Verbi; nec ædificare ad salutem, nisi per-

Ambr. de fide resurr.

perpendiculo Verbi; neque sementem facere, nisi semine Verbi; neque animas lucrari, nisi margarità Verbi; neque gregem pascere, nisi gramine Verbi; neque homines capere, nisi in sagena Verbi: pereunt utique ista nomina & evanescunt, nisi animentur prædicatione Verbi.

Jungamus igitur hæc mutuò quæ de assistentia Spiritûs & nominibus diximus. Suum cuique tribuit dispensator providus, & majore quidem copiâ ubi major fuerit indigentia aut major necessitudo. Partes Josephus singulis mittit, sed majorem Benjamini, quia magìs frater erat. Non negat Spiritûs sui concursum Deus quantum ad alia munera, sed promissio ad Prædicandi munus præcipuè astringitur: *Ego ero in ore tuo*, *Dabo os vobis cui non poterunt resistere*: quam demum ob causam? quia hæc vestra nomina, hæc officia, ut tubæ sitis & præcones. In nomine natura rei cernitur tanquam in speculo, nomen ad id natum est ut naturam exprimat: quòd si nomina plura fuerint, & omnia idem sonant, ostendunt id maximè naturale & proprium esse quod sonant. Nomen autem *tubæ* quid sonat? *Os Dei* quid loquitur? *Præconis* vocabulum quid clamat? *Legati*, *Angeli* appellationes quid nunciant, nisi hoc unum omnia, Non sermonem magìs homini proprium, quàm Verbi prædicationem Scribæ Evangelico? *Similis*, ait Christus, *homini patrifamiliâs*, non dicit ut *Offerat*, sed ut *Proferat nova & vetera*. Hæc erat secunda pars Theseos.

LECTIO IV.

Proferat.

VErborum tanta vis est, ut sine verbis nihil dici possit de laude Sermonis, & sine verbis nihil de bono silentii: quod Augustinus olim de Lumine dixit, *Sine lumine non possumus videre lumen, & sine lumine videre non possumus quòd non est lumen.* Scriptura est istud Verbum, & illa lucerna; absque hac lucerna veritatis veritas ipsa non potest astrui, & absque illa falsum non potest deprehendi: absque hoc Verbo non possumus dicere de prædicatione Verbi, nec absque eo de occultatione talenti: sicut paterfamiliâs sine clave nihil in thesaurum recondit, & sine clave nihil de thesauro *profert*. Adeò hoc ipsum vocabulum est illa clavis, quæ & mihi ostium aperit sermonis, & attentionis vobis. In voce non multùm dissimili omnes virtutes oratorias Augustinus agnovit, sc. ut *pronunciet*; istud & primum, & secundum, & tertium. In ejusmodi voce Christus omnes contrahit virtutes Apostolicas, nimirum ut *Pascat*: atque idcirco triplicavit, *Pasce, pasce, pasce*; quasi hoc solum esset & principium & medium & finis totius operis; Lac Verbi, vinum Verbi, mel Verbi; flos lactis in summo, vini in medio, mellis in imo consistit; ut faciat & ponat in primo loco, in præcipuo loco, in omni loco. Itidem liceat & mihi ad unius vocis ambitum spatiosum illud Doctoris sacri munus contrahere, nempe ut *proferat*. Hoc opus primum est, hoc proprium, hoc præcipuum, ut hoc unicè, ut maximè, ut quàm sæpissimè faciat. *Profert*, ait Salvator, *de thesauro nova et vetera*.

D Quòd

Quòd Prædicationis opus sit primum, & Pastori Evangelico maximè congruum, non est quòd denuo moneam: superiùs id me fecisse vos testes estis qui interfuistis.

Ad tertiam nunc Theseos partem festinus ducor, ut ex Sacra pagina & antiquis Scriptoribus elucescat, esse id quoque opus præcipuum, cui nos totos integrè atque assiduè dedicemus. *In materia necessaria, signum indefinitum universali æquipollere*, Logici dicunt: & *tempus indefinitum præsenti*, Jurisconsulti. Ratio eadem in regulis Theologicis; *Ubi tempus certum non statuitur, omne quod opportunum est subintelligitur.* De orationis negotio S. Apostolus verba faciens, 1 Thes. 5.17. adverbium annectit, non tam temporis quàm æternitatis, ut fiat ἀδιαλείπτως *orate*, inquit, *indesinenter*; non quasi nihil aliud agendum esset, sed hoc potissimùm. Qui semper quando opus est orat, semper orat. Aliter hìc se res habet; adverbium non interponitur, non excluditur tamen: sequitur enim, ut si opus Prædicationis sit æquè necessarium, sit etiam æquè assiduum. *Qui profert*, id est, qui indies, qui quotidie profert. Ratio similitudinis idem exigit, quia fidelis Oeconomus non unius tantùm diei cibum aut alimentum, familiæ distribuit, sed id quotidie peragit, de die in diem, à prima mensa ad secundam, & dehinc ad tertias epulas: sic Pastor fidelis cancellos sibi nullos statuit, sed quotiescunque ratio exigerit, re bene gestâ, ad novos sudores se præparat, reditque ipsi labor actus in orbem. Non mea est assertio, sed ipsius Scripturæ, & antiquorum Patrum. Quæ duo si dilucidavero, ad *nova* illa & *vetera* quæ sequuntur non invitus festinabo.

Ex Scripturis id primò demonstrandum est; quatuor autem sunt loci palmarii.

Primus locus erit ex Isaiæ 58. 1. mandatum Domini est ad Prophetam, *Clama, nè cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* In tribus verbis tres Concionatoris virtutes ob oculos ponuntur. Primò, non est frigidè loquendum, sed fortiter, voce ferreâ utendum est: qui surdis loquitur, oportet ut clamet & tonet: Discipulus quem Jesus plurimùm dilexit, erat *filius tonitrui*, ut Hieron. Evagrio, ep. 85. Secundò, non timidè loquendum, sed bellicosè; non tibiæ modulatum vox præ se ferre debet, sed clangorem tubæ, ὡς ἐπὶ Θεῶ πολεμίων, *quasi adversus Dei hostes* præco mittitur; Procopius. *Duces hi sunt exercitûs Domini, pugnant dum prædicant*, Greg. in 1 Reg. 5. Denique, non ad placitum & pro libitu clamandum est, sed incessanter, *nè cesses*: non otiandi, vix spirandi vicissitudo indulgetur. Nulla *temporis* meta ponitur; non die solummodo id facias, sed nocte. Is. 62.6. *Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, totâ die & totâ nocte jugiter non tacebunt.* Nulla *vocis* meta ponitur; non sæpe tantùm id facias, sed semper. Is. 62. 1. *Propter Sion non tacebo, & propter Jerusalem non quiescam.* Quis ista audiens non agnoscit, sacro igne Prophetam imbutum, qui nec potest, nec debet exstingui? Lege istud à Deo sancitum, Lev. 6. 12. *ignis in altari semper ardebit, & nunquam deficiet*; & *tu*, ait Origenes, *si vis esse Sacerdos Dei, prædicationis lucernam non sinas extingui:* dicas potiùs cum Isaia, *non tacebo, non quiescam*; motum cœlorum imitare quietis nescium. Memento verborum Domini, *Nè cessa:* sive sit verbum doctrinæ, nè cesses plantare; sive exhortationis, nè cesses rigare; sive increpationis, nè cesses secare. Pone securim ad radicem arboris, & si primo ictu cedri non cadant, adjice secundum, & adhuc tertium, donec exscindantur. Nè parcas lateribus, clama; nec labiis, exalta vocem; nec buccis, tuba audiatur; nec pulmonibus, nè cesses: ure, seca, clama, velut ignis Altaris, securis Sanctuarii, tuba Dei. Iste est primus locus.

Secundus

Secundus locus habetur, 2 Tim.4.2. & est quasi commentarius in primum, *Prædica verbum, insta*, εὐκαίρως, ἀκαίρως, *tempestivè, intempestivè.* O quinque verba supra decem millia verborum! Non satis prædicare, nisi *instet*, id est, quotidie faciat; non satis ut *opportunè* faciat, nisi *inopportunè* fiat. Hoc est quod Isaias dixit, *nè cesses*. Quid autem sibi vult *intempestivè?* nihil enim intempestivum laudatur. *Tempus est*, ait Salomon, non minùs *tacendi* quàm *loquendi*. *Etiam à bono* Psalmista *tacuit*, quia non erat loquendi tempus. Sed Apostolus urget utrinque, *tempestivè, intempestivè*; id est, omni tempore, nocte diéque; secundùm Salomonis illud, Ecclef. 11.6. *Manè semina semen tuum, & vespere nè cesset manus tua.* Vel iterum, *in tempore, ex tempore*, secundùm illud Salvatoris, Matt. 10.19. *Nè sitis soliciti quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora.* Vel tertiò, *opportunè, importunè*, id est, volentibus & nolentibus, ut Chrys. Hieronymus & Augustinus interpretantur. κἂν προσέχητε, κἂν μὴ προσέχητε· ἄν τε ἀκούσῃ τις, ἄν τε μὴ ἀκούσῃ, Chrysost. 6. cont. Judæos. Si monita tua libenter accipiant, imò si fastidiant; sub plausu manuum, imò sub lapidum strepitu; per saxa, per ignes; tempore pacis, etiam tempore persecutionis. Mercator si fluctus timeat, quo possit modo margaritam lucrari? *Qui observat ventum, non seminabit, & qui aspicit nubes, non metet*, Ecclef. 11. Ergò importunè, ut Chrysost. iterum, οὐ μόνον ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀλλ' ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, Chrys. in 2 Tim.4. non solùm in tempore fidei, cùm secunda aspirat aura; sed in mediis tempestatibus, cùm procellæ sæviunt, Hier. in Ecclef. 11. Pulchre hæc assiduitas depingitur in Apoc.4. per quatuor animalia plena oculis, nec die nec nocte quiescentia. De quatuor præcipuis Ecclesiæ Doctoribus nonnulli intelligunt, Gregorio, Ambrosio, Hieronymo, Augustino: de quatuor Evangelistis, & eorum nomine, universis Verbi Divini præconibus, major pars antiquorum interpretum: utrinque plena sunt oculis, istud donum Scientiæ indicat; die ac nocte non quiescunt, ad significandum laborem indefessum, sive in adversis, sive in prosperis; inter vigilandum non licet vel tantillùm oculos claudere. Qui manum aratro admovit, nè retrospiciat, Luc. 9.62. quia præponuntur tam pretioso deposito, quod Christus sanguine proprio pretiosius judicavit, Bern. s. 2. de adventu Domini. Qui hoc in se munus assumpsit, potestatem linguæ non habet: lingua non est ampliùs tua, sed Christi; nec labia ampliùs tua, sed Ecclesiæ. Consecrasti os tuum Evangelio; non te penès est ut claudas: lingua non comprimenda, sed duplicanda potiùs. Quod vitæ morali opprobrium est, id Concionatori in laudem cedit, bilinguem esse oportet, h. e. linguam & linguam habere: alteram pro volentibus, ut loquatur *tempestivè*; alteram pro nolentibus, ut loquatur *intempestivè*. Iste est secundus locus.

Tertius locus habetur 2 Tim. 4.5. ubi hortatur Timotheum Paulus, vel potiùs præcipit, ut ministerium suum ad ἀκμὴν perducat, *ministerium tuum imple*. *Facito plenam fidem prædicationis tuæ*, Erasmus vertit: & Theodorus Beza, *testimonia & argumenta probati ministerii redde*. Atque ità quidem πληροφορέω & πληροφοροῦμαι usitatè significant, *certum facere*, & *pro certo habere*, ut sæpe in Novo Testamento, quasi πλήρη πίστιν φέρεσθαι, vel φορέω. Sed ego potiùs versionem Vulgatam sequor, ut magis consonam scopo Apostolico, de implendo ministerio: ut πληροφόρησον sit idem quod *ministerii sui cursum consummare*. Patet ex versu 7. *Cursum meum consummavi, fidem servavi*: sicut ego feci, fac tu similiter; ego implevi ministerium, tu item imple: & versu 10. *Demas me reliquit, amplexus præsens seculum*; i.e. Demas non implevit, tu vide ut impleas:

plens: & adhuc clariùs, Col. 4. 17. *Dicite Archippo, Vide ministerium quod accepisti à Domino ut impleas illud*, ἵνα αὐτὴν πληροῖς. πληρόω & πληροφορέω sunt idem Apostolo: mandatum idem utrobique; non tam ut certum, quàm ut plenum faciat ministerium, i.e. perficiat & absolvat. Sic in Scriptura sæpius, *dies implere*, & *annos implere*, *tempus implere*, & *opus implere*, omnia ad idem recidunt: neque ulli desis tempori, neque ulli officio; quicquid poteris age, & quoties poteris. Ità Theodoretus & Anselmus claré. Ille ad tempus refert, *Imple*, i. e. *sive credunt*, *sive non*, *trade doctrinam*, Theod. Alter ad officia, *ministerium tuum imple, ut non sit vacuum à bona actione sua, sed quicquid in eo agere debeas plenariè perficias*, Anselmus; Arguendo, obsecrando, increpando, docendo: si ad aliquot menses, si ad aliquot annos, si ad aliquot spatia temporum feceris & cessaveris, non implesti: si doceas, & non arguas; si arguas, & non obsecres, non implesti: quemadmodum si cui cadus aut culeus vino vel aquâ implendus sit, postquam aliquot cyathos infuderit, non cessat, sed addit cyatho congium, & congio urnam, & urnæ amphoram, donec plenum viderit usque ad summum. Idem ut Timotheus in ministerio suo faciat, hortatur Paulus; & eodem modo Petrum Christus, Joh. 21. triplâ compellatione exsuscitat, Pasce, pasce, pasce, ut hinc disceret quo potissimùm pacto repetitionis hujus numerum adimpleret. Etenim sive ad diversos pascendi modos referamus, cum Bernardo, corde, ore, opere; animi devotione, verbi exhortatione, exempli exhibitione, s. 2. de Resurrectione Domini; sive ad locorum distantias, pasce Hierosolymis, pasce Antiochiæ, pasce Romæ, ubique pasce; sive ad ætatis gradus, pasce cùm primum annum applicueris, pasce cùm adoleveris, pasce cùm consenueris: quomodocunque sumatur, otiosè toties repetitum non est, sed ut insigne assiduitatis documentum daret de implendo ministerio. Patens ostium in ovile Petro aperit, ut ex ore ejus prodiret salus populorum: ut de S. Paulo Ambrosius, de Cain & Abel, lib. 1. cap. 9. apertius autem dare non poterat, quàm ter pulsando, *Sanctus*, *sanctus*, *sanctus*, i. e. omnimodo sanctus: *pasce, pasce, pasce*, i. e. perpetuò pasce, infinitè & continuè & semper id faciendum significavit. Quòd si hic iterum rogasset, Quoties pascam? idem responsum accepisset quod in Matth. 18. cùm percunctatus esset, *Domine, quoties in me peccabit frater meus, & dimittam ei? usque septies?* Christus respondit, *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies*, i. e. semper. Ità hîc ter *pasce*, i. e. semper pasce: ut enim per tria, omnia; sic per ter, perpetuò significatur, donec impleveris. Conferamus hæc mutuó. Christus Petrum ut assiduè pascat hortatur, Paulus Timotheum ut assiduè prædicet. Adjurat Petrum Christus per viscera dilectionis: non semel tantùm rogat, *diligis me?* sed secundò, & usque ad contristationem, *diligis me* toto corde? pasce, totâ animâ? pasce, totâ mente? pasce; plusquam tua? pasce, plusquam tuos? pasce, plusquam te? pasce. Et Timotheum Paulus obtestatur *per universa*, ait Hieronymus, *quæ credit Religio Christiana*, Hier. in 2 Tim. 4. 1. Semel 1 Tim. 5. 21. *Testor coram Deo & Jesu Christo et electis angelis, ut hæc serves:* Secundò, 1 Tim. 6. 13, 20. *Præcipio tibi coram Deo et Jesu Christo*, &c. *ut depositum custodias:* Tertiò, 2 Tim. 4. 1. *Obtestor coram Deo et Domino nostro Jesu Christo, ut prædices verbum, ut opus facias Evangelistæ, ut ministerium tuum impleas et non cesses.* Iste est tertius locus.

Quartus & ultimus locus habetur Luc. 19. 13. & est commentarius in tertium; vox est Regis magni ad servos, *Negotiamini donec veniam.* In ista parabola Christum ipsum & Ministros suos intelligi nemo est qui dubitat.

bitat. *Dominus* peregre proficiſcens in regionem longinquam, quis? Chriſtus aſcendens in cœlum; nihil enim nobis cœlo longinquius. *Servi* qui? omnes Chriſtiani, ſed præcipuè Paſtores Eccleſiæ qui altari ſerviunt. *Talenta* quæ? dona ſpiritualia. *Negotium* quod? donorum adminiſtratio: *negotiari eſt vivendo et docendo animas lucrari*, Greg. lib. 2. Jud. 10. cap. 39. *Rationis* tempus quod? donec veniam: certò ponitur, at certum tempus non definitur: dies longa dicitur, Donec veniam; ſive de adventu Judicii, ſive de adventu Mortis intelligas, nil refert; otiandi tempus nullum, dormiendi nullum. *Negotiamini donec veniam. Uſquequo, Domine, uſquequo?* iſtud Donec quando erit? num ad horam tertiam? minimè; Sol tunc in altum proficit, & ætatis calor creſcit: num ad ſextam? nequaquam; Sol tunc in centro figitur, & plenitudo roboris indulgetur: num ad nonam, vel undecimam? nè ſic quidem; Sol tunc ab axe deſcendit, ſed nondum occidit; ætatis calor deficit, ſed vita manet. Quandò igitur? nempe ad veſperam, cùm Sol occiderit redire neſcius, cùm vita avolaverit, hoc eſt, cùm ego venero. *Neſcitis quâ horâ*, inquit Chriſtus, Matth. 13. 35. ſerò, an mediâ nocte, an manè; utrum in matutino pueritiæ, an in media nocte juventutis, an in ſenectutis veſpere. Ergò ſi neſcimus quando veniendum eſt, neſcimus etiam quando ceſſandum eſt. Fortaſſe ad annum quadrageſimum: non ſic, quia nondum venit: Ad quinquageſimum: nè ſic quidem, quia nondum venit. Quouſque demum? dicam brevì, dum vires annique ſinunt, dum vita durat, donec veniat, i. e. donec vocet. οὐδεὶς ὅρος ἐστὶν ἢ τοῦ παιδεύειν ἢ τοῦ παιδεύεσθαι, Naz. Or. 1. *nullus terminus ponitur aut diſcendi aut docendi*, niſi hic tantummodo, donec ipſe veniat: ut inveniat te Dominus ità facientem, i. e. negotiantem, i. e. prædicantem; ut inveniat in pulpitis, in tuo loco, in ſuo loco. Nam idcirco dixit, *dum venio*, ut *de prædicationis miniſterio ſemper cogitemus*, Greg. l. 2. Judic. 10. cap. 39. Iſte eſt quartus locus.

Jungamus inter ſe omnes, & ex quatuor unus emerget; ex illo Iſaiæ, & altero Chriſti, & duobus Pauli, Theſis integra de aſſiduitate hujus operis. *Ut miniſterium tuum impleas, clama tempeſtivè, intempeſtivè, nè ceſſes negotiari donec veniam.*

Hactenus ex Scripturarum teſtimonio hanc ultimam Theſeos partem confirmatam exhibuimus.

Reſtat ut eandem ex veteris Eccleſiæ praxi, temporum decurſu ad noſtra uſque labente, velut in ſpeculo manifeſtam præbeamus. Quod attinet ad Apoſtolorum tempora, quàm magno illi fervore munus prædicationis proſecuti ſunt, ſuſcepta multo cum tædio temporis, ſed alacritate animi, itinera teſtantur. Aſſurgat pro omnibus S. Apoſtolus Paulus: curſus quem Paulus peragebat in terra ſpatio vix inferior erat, at candore multo purior, quàm curſus in cœlo Solis; plúſque illuſtravit orbem quàm Solis igneum jubar. Orbem totum peragratus eſt, incipiens à Galilæa & Arabia, & uſque in fines terræ progrediens. Studium fuit ſancto viro, ut ab Hieruſalem uſque ad Illyricum Evangelium prædicaret: neque omiſit quin Romam iret, & in Hiſpanias aſcenderet. Sic omnem Orbem pervolavit, volucris cujuſdam inſtar, imò perniciùs multò, ait Chryſoſt. ὁ γὰρ πετεινὸς ἁπλῶς διέτρεχεν, οὗτος δὲ οὐχ ἁπλῶς, &c. *nam avis ſimpliciter pervolat, & nemo curſum intercipit, ille pennis Spiritûs innumera impedimenta tranſiliit*; mortes, calamitates, inſidias, quaſi retia, igneis ſuffultus alis tranſcendit. Avis dum volat tacet; Apoſtolus inter volandum Evangelii citharam pulſavit, & Legis decachordo luſit, & Spiritu Sancto repletus vocis modulamina aptavit; ídque locis omnibus, in carcere, in navi, in

D 3 littore:

littore: ubicunque figebat pedem, erigebat suggestum; cùm Romæ esset, annunciavit regnum Dei à mane usque ad vesperam, Act. 28. 23. iterum in Troade manens, protendit sermonem usque in mediam noctem, Act. 20. 7. Ephesi verò per triennium, nocte diéque non cessavit, Act. 20. 31. Fidelis Oeconomus, qui protulit è thesauro nova & vetera.

Post Apostolorum tempora, Patres valde assidui erant in hoc munere ornando: etenim non solùm diebus Dominicis, sed in aliis quoque festis & profestis diebus, & festorum vigiliis, & singulis sæpe diebus in concionando sudarunt. Quòd in festis & profestis diebus Conciones habitæ, patet ex Homiliis Chrysostomi, Augustini, Eusebii Emisseni, Chrysologi, & aliorum; quòd omni die Dominico, ex Justino Martyre, Apol. 2. *Die Solis, lectore quiescente, oratione populus instruitur*, &c. Chrysost. hom. 5. in Mat. appellat *νόμον ἀκίνητον*. Cyprianus de bono pudicitiæ, *muneris sui votivum, & quotidianum negotium* vocat; *Opus tam necessarium & assiduum*, Hieronymus, *ut Pontificis nomen amittat, si desit sonitus tintinnabuli: Opus est ut gressus, motus, & universa vocalia sint; ut quicquid agit, quicquid loquitur, sit doctrina*, ad Fabiolam, ep. 128. Idem & Augustinus de Ambrosio testatur, Confess. lib. 6. cap. 3. Audiebam eum omni die Dominico verbum veritatis inter populum rectè tractantem. Ad hæc, aliquando, imò sæpissimè, singulis hebdomadis diebus concionati sunt. Quòd junctim quatuor diebus, patet ex hom. 12. Chrysost. ad populum Antioch. Tribus, inquit, præteritis diebus vobis allocuti sumus, & hodie etiam progrediemur: quòd quinque, ex hom. 7. ad Antioch. Quintum jam diem agimus, &c. & hom. 5. ad Antioch. Herì & nudiustertius de hoc vobis locutus sum; neque tamen hodie desistam, neque cras, neque perendie eadem persuadere: quòd sex, ex hom. 8. ad Antioch. Sextus hic dies est quòd de hoc vos admoneo: quòd omni die, ex Concilio tertio Constantinopolitano, can. 10. Oportet eos qui Ecclesiis præsunt, ἐν πάσῃ ἡμέρᾳ, ἐξαιρέτως δὲ ταῖς κυριακαῖς, omnibus diebus, sed præcipuè Dominicis, omnem clerum & populum docere: similiter Augustinus in lib. 5. hom. hom. 42. Verbum Dei quod quotidie vobis aperitur, & quodammodo frangitur, panis quotidianus est. Adhuc, quòd duæ eodem die habitæ conciones, patet ex Gaudentio, tract. 14. Obsecro communem Patrem Ambrosium, ut post exiguum rorem sermonis mei, ipse irriget corda vestra divinarum mysteriis literarum. Postremò, quòd duæ eodem die ab eodem conciones habitæ, patet ex Chrysost. hom. 1. de Lazaro: ibi perstringit eos sanctus Pater, qui pomeridianæ dictionis consuetudinem novitatis arguebant; ubi sic loquitur, Novi fore multos qui damnent ea quæ nunc dicuntur, qui velut novam quandam & miram inveham consuetudinem concionandi, &c. & hom. 3. de Lazaro, Age igitur, & hodie denuo tractemus idem argumentum, & redeamus illuc ubi sermonem finivimus: & August. in Psal. 86. Reficite vires, & refecti à cibis redite, &c. & postea, Nunc ad reliqua Psalmi de quo in matutino loquuti sumus animum intendite. Videtis, auditores, quomodo per sacram temporum seriem, assidua concionandi consuetudo à superiore seculo ad nostrum usque traducta est: consuetudo non nuper nata, sed optima castissimorum temporum canicie veneranda.

Satìs ex se res clara est atque manifesta: sed quia nihil adeò cautè ac piè dicitur, quod non solet in pejus rapi; idcirco opus est ut huic Theseos parti Cautelas quoque aliquot attexamus. Istæ tres potissimùm sunt, ut brevì expediam.

Prima cautio hæc est, Nè omnes ad unam & eandem normam astringantur,

gantur, quia donorum discrimen est: alter judicio pollet, at est tardior; alter ingenium in numerato habet: ille intellectu valet, hic memoriâ; alius sic, alius autem sic: *Ut quisque accepit donum*, ait Apostolus; &, *ex viribus quas suppeditat Deus*, 1 Pet. 4. 11. *pro gratia quæ nobis data est*, & *juxta proportionem fidei*, Rom. 12. 6, 7. alter paratior & promptior est, ut bis in uno die recitare valeat; segnior alter, sed disertior, neque audet nisi semel hanc in se Spartam suscipere: si faciat quod in se est, num idcirco statim eliminandus est? Absit: non deest operi, sed numero: at Spiritus Sanctus regulam posuit non numero, sed operi. Ista est prima Cautio.

Secunda cautio hæc est, Nè aliis pietatis officiis injuria fiat. Primum Doctoris sacri negotium est, sed solum non est. Eruditio parvulorum, Visitatio ægrotorum, & Oratio ejusdem sunt muneris officia, eáque summè necessaria. Idem Apostolus qui hortatur Timotheum ut *attendat doctrinæ*, monet etiam ut *attendat lectioni:* opinor & privatæ & publicæ, in domo sua & in domo Dei. Idémque qui Ephesi nocte diéque prædicavit, Act. 20. dies noctésque orationi dedicavit, 2 Tim. 1. 3. Quod si fervore Spiritûs cæco agitati, prædicationis operi nos totos emancipamus, & preces interea publicas negligimus, &, ut mos est quibusdam, contemnimus, non est quòd nobis de frequentia blandiamur, aut palpum obtrudamus: metuamus potiùs nè in maleficium sacrificium vertatur; neque in *odorem suavitatis* Deo, sed in *odorem mortis* nobismet ipsis. Valeant qui istius farinæ sunt homines unà cum sua pessima Theologia, quia cujusnam spiritûs sunt nescimus. *Ejusmodi nos consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Ista secunda Cautio.

Tertia Cautio hæc est, Nè frequentia præjudicet operis majestati; quia Concionis valor & pretium, non à verborum copia & mensura temporum petenda sunt, sed ab utilitate, dignitate & commodo. Non semper qui sæpius prædicat Pastoris partes agit laudabiliùs; sed qui magìs doctè & solidè & nervosè verbum veritatis dividit ad captum & commodum audientium. Ab ipsa Scriptura hæc regula ponitur, & negativè à Propheta, Jer. 48. 10. *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter:* & affirmativè ab Apostolo, 1 Pet. 4. *Si quis loquitur, quasi eloquia Dei loquatur*; id est, modestè, sobriè, sanctè, prudenter, eruditè, utì decet eloquia Dei. Ὡς δεῖ, inquit Apostolus, Eph. 6. 20. Col. 4. 4. *ut oportet me loqui, non ut hominibus, sed Deo*, 1 Thes. 2. 4. *quæ decent sanam doctrinam*, Tit. 2. 1. Sunt enim qui loquuntur τὰ μὴ δέοντα, 1 Tim. 5. 13. *quæ non oportet*, imò *quæ non intelligunt*, 1 Tim. 1. 7. h. e. quæ non faciunt ad ædificationem populi & honorem verbi Dei, sed ad contemptum: adeò jejunè & aridè suam proferunt Chrysostomi verbo τριοβολιμαῖον φιλοσοφίαν. Rerum non sumus adeò sacrarum ignari, ut strepitu aut numero verborum pensandum esse aut Dei cultum, aut cordis intelligentiam putemus: aliquando vel quinque verba præferenda super decem millia verborum. At si cum numero pondus conspiret, ut sit & copia Grandinis & vigor Fulminis, non video quid adjici præterea potest; quando & assiduitas subservit honori operis, & honor assiduitati. Hom. 21. in Eph.

Istis jam præmissis, si modò periculum scandali, & pietatis injuria, & læsæ verbi Dei majestatis crimen amoveatur, pergamus intrepidi; non vitio vertenda frequentia est, sed laudi: labores nostri quò magìs assidui, eò magìs accepti, longéque gratissimi.

Quæ cùm ità sint, liceat mihi Chrysostomi verba in me recipere, quæ

littore: ubicunque figebat pedem, erigebat suggestum; cùm Romæ esset, annunciavit regnum Dei à mane usque ad vesperam, Act. 28. 23. iterum in Troade manens, protendit sermonem usque in mediam noctem, Act. 20. 7. Ephesi verò per triennium, nocte diéque non cessavit, Act. 20. 31. Fidelis Oeconomus, qui protulit è thesauro nova & vetera.

Post Apostolorum tempora, Patres valde assidui erant in hoc munere ornando: etenim non solùm diebus Dominicis, sed in aliis quoque festis & profestis diebus, & festorum vigiliis, & singulis sæpe diebus in concionando sudarunt. Quòd in festis & profestis diebus Conciones habitæ, patet ex Homiliis Chrysostomi, Augustini, Eusebii Emisseni, Chrysologi, & aliorum; quòd omni die Dominico, ex Justino Martyre, Apol. 2. *Die Solis, lectore quiescente, oratione populus instruitur*, &c. Chrysost. hom. 5. in Mat. appellat *νόμον ἀκίνητον*. Cyprianus de bono pudicitiæ, *muneris sui votivum, & quotidianum negotium* vocat; *Opus tam necessarium & assiduum*, Hieronymus, *ut Pontificis nomen amittat, si desit sonitus tintinnabuli: Opus est ut gressus, motus, & universa vocalia sint; ut quicquid agit, quicquid loquitur, sit doctrina*, ad Fabiolam, ep. 128. Idem & Augustinus de Ambrosio testatur, Confess. lib. 6. cap. 3. Audiebam eum omni die Dominico verbum veritatis inter populum rectè tractantem. Ad hæc, aliquando, imò sæpissimè, singulis hebdomadis diebus concionati sunt. Quòd junctim quatuor diebus, patet ex hom. 12. Chrysost. ad populum Antioch. Tribus, inquit, præteritis diebus vobis allocuti sumus, & hodie etiam progrediemur: quòd quinque, ex hom. 7. ad Antioch. Quintum jam diem agimus, &c. & hom. 5. ad Antioch. Herì & nudiustertius de hoc vobis locutus sum; neque tamen hodie desistam, neque cras, neque perendie eadem persuadere: quòd sex, ex hom. 8. ad Antioch. Sextus hic dies est quòd de hoc vos admoneo: quòd omni die, ex Concilio tertio Constantinopolitano, can. 10. Oportet eos qui Ecclesiis præsunt, ἐν πάσῃ ἡμέρᾳ, ἐξαιρέτως δὲ ταῖς κυριακαῖς, omnibus diebus, sed præcipuè Dominicis, omnem clerum & populum docere: similiter Augustinus in lib. 5. hom. hom. 42. Verbum Dei quod quotidie vobis aperitur, & quodammodo frangitur, panis quotidianus est. Adhuc, quòd duæ eodem die habitæ conciones, patet ex Gaudentio, tract. 14. Obsecro communem Patrem Ambrosium, ut post exiguum rorem sermonis mei, ipse irriget corda vestra divinarum mysteriis literarum. Postremò, quòd duæ eodem die ab eodem conciones habitæ, patet ex Chrysost. hom. 1. de Lazaro: ibi perstringit eos sanctus Pater, qui pomeridianæ dictionis consuetudinem novitatis arguebant; ubi sic loquitur, Novi fore multos qui damnent ea quæ nunc dicuntur, qui velut novam quandam & miram inveham consuetudinem concionandi, &c. & hom. 3. de Lazaro, Age igitur, & hodie denuo tractemus idem argumentum, & redeamus illuc ubi sermonem finivimus: & August. in Psal. 86. Reficite vires, & refecti à cibis redite, &c. & postea, Nunc ad reliqua Psalmi de quo in matutino loquuti sumus animum intendite. Videtis, auditores, quomodo per sacram temporum seriem, assidua concionandi consuetudo à superiore seculo ad nostrum usque traducta est: consuetudo non nuper nata, sed optima castissimorum temporum canicie veneranda.

Satis ex se res clara est atque manifesta: sed quia nihil adeò cautè ac piè dicitur, quod non solet in pejus rapi; idcirco opus est ut huic Theseos parti Cautelas quoque aliquot attexamus. Istæ tres potissimùm sunt, ut brevì expediam.

Prima cautio hæc est, Nè omnes ad unam & eandem normam astringantur,

gantur, quia donorum discrimen est: alter judicio pollet, at est tardior; alter ingenium in numerato habet: ille intellectu valet, hic memoriâ; alius sic, alius autem sic: *Ut quisque accepit donum*, ait Apostolus; &, *ex viribus quas suppeditat Deus*, 1 Pet. 4. 11. *pro gratia quæ nobis data est*, & *juxta proportionem fidei*, Rom. 12. 6, 7. alter paratior & promptior est, ut bis in uno die recitare valeat; segnior alter, sed disertior, neque audet nisi semel hanc in se Spartam suscipere: si faciat quod in se est, num idcirco statim eliminandus est? Absit: non deest operi, sed numero: at Spiritus Sanctus regulam posuit non numero, sed operi. Ista est prima Cautio.

Secunda cautio hæc est, Nè aliis pietatis officiis injuria fiat. Primum Doctoris sacri negotium est, sed solum non est. Eruditio parvulorum, Visitatio ægrotorum, & Oratio ejusdem sunt muneris officia, eáque summè necessaria. Idem Apostolus qui hortatur Timotheum ut *attendat doctrinæ*, monet etiam ut *attendat lectioni:* opinor & privatæ & publicæ, in domo sua & in domo Dei. Idémque qui Ephesi nocte diéque prædicavit, Act. 20. dies noctésque orationi dedicavit, 2 Tim. 1. 3. Quod si fervore Spiritûs cæco agitati, prædicationis operi nos totos emancipamus, & preces interea publicas negligimus, &, ut mos est quibusdam, contemnimus, non est quòd nobis de frequentia blandiamur, aut palpum obtrudamus: metuamus potiùs nè in maleficium sacrificium vertatur; neque in *odorem suavitatis* Deo, sed in *odorem mortis* nobismet ipsis. Valeant qui istius farinæ sunt homines unà cum sua pessima Theologia, quia cujusnam spiritûs sunt nescimus. *Ejusmodi nos consuetudinem non habemus, neque Ecclesiæ Dei.* Ista secunda Cautio.

Tertia Cautio hæc est, Nè frequentia præjudicet operis majestati; quia Concionis valor & pretium, non à verborum copia & mensura temporum petenda sunt, sed ab utilitate, dignitate & commodo. Non semper qui sæpius prædicat Pastoris partes agit laudabiliùs; sed qui magìs doctè & solidè & nervosè verbum veritatis dividit ad captum & commodum audientium. Ab ipsa Scriptura hæc regula ponitur, & negativè à Propheta, Jer. 48. 10. *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter:* &, affirmativè ab Apostolo, 1 Pet. 4. *Si quis loquitur, quasi eloquia Dei loquatur*; id est, modestè, sobriè, sanctè, prudenter, eruditè, utì decet eloquia Dei. Ὡς δεῖ, inquit Apostolus, Eph. 6. 20. Col. 4. 4. *ut oportet me loqui, non ut hominibus, sed Deo*, 1 Thes. 2. 4. *quæ decent sanam doctrinam*, Tit. 2. 1. Sunt enim qui loquuntur τὰ μὴ δέοντα, 1 Tim. 5. 13. *quæ non oportet*, imò *quæ non intelligunt*, 1 Tim. 1. 7. h. e. quæ non faciunt ad ædificationem populi & honorem verbi Dei, sed ad contemptum: adeò jejunè & aridè suam proferunt Chrysostomi verbo τριοβολιμαίαν φιλοσοφίαν. Rerum non sumus adeò sacrarum ignari, ut strepitu aut numero verborum pensandum esse aut Dei cultum, aut cordis intelligentiam putemus: aliquando vel quinque verba præferenda super decem millia verborum. At si cum numero pondus conspiret, ut sit & copia Grandinis & vigor Fulminis, non video quid adjici præterea potest; quando & assiduitas subservit honori operis, & honor assiduitati. Hom. 21. in Eph.

Istis jam præmissis, si modò periculum scandali, & pietatis injuria, & læsæ verbi Dei majestatis crimen amoveatur, pergamus intrepidi; non vitio vertenda frequentia est, sed laudi: labores nostri quò magìs assidui, eò magìs accepti, longéque gratissimi.

Quæ cùm ità sint, liceat mihi Chrysostomi verba in me recipere, quæ reperi-

reperiuntur hom. 15. in 1 Tim. 5. ποῦ νῦν εἰσιν οἱ λέγοντες, μὴ δεῖν λόγου, μηδὲ διδασκαλίας; *ubi modò sunt qui dicunt, sermone atq; doctrinâ opus non esse?* Prædicatio verbi ubique nimia, *quorsum perditio hæc?* quid ad nos pertinet pomeridianam aut habere, aut ferre Concionem? Quid dico pomeridianam, cùm nonnullis vel hebdomadaria pro nimia diligentia habetur? Adeò satìs suo muneri factum putent, si per singulos menses semel, aut per singulos annos semel, aut per totam vitam semel hoc opus agatur: hoc est, satìs si aliquando, satìs si non omnino. Non estis nescii Ulcus illud tangere quàm sit ingratum undique; adeò nec vitia ferre possumus, nec remedia. Neque miror si qui loqui nesciunt, audire nolint; muti enim utplurimùm surdi sunt. Sed æquum est ut si vulnus Ecclesiæ infligatur à domesticis suis, ut Sapientia justificetur à filiis suis: atq; illi sive audiant sive non audiant, dicendum tamen. Ad hoc usque verbum Judæi S. Paulum audiebant, Act. 22. 22. at hoc elapso vociferantur, & pulverem jactant: at ille postero die pergit intrepidus. Ejicere spiritum surdum discipuli non potuerunt, Mar. 9. & Christus ipse non sine labore & angustia ejecit, linguam tetigit, aures tetigit, & ingemuit, Mar. 7. & spiritus non sine fremitu exiit; clamabat, spumabat, stridebat dentibus. Itidem & ego in hanc arenam descendens, exspecto ut pulverem jactent & dentes monstrent; quod S. Chrys. in re haud absimili, hom. 21. in Eph. οἴμοι, ὅτι ταῦτα λέγων ληρεῖν νομίζομαι! *Hei mihi, quòd ista dicens delirare videor!* atque audire Atheniensium illud in S. Paulum, Act. 17. *iste autem nugator quid est quod velit? quis te constituit judicem?* ista quid ad te spectant? Nugator ego sim & delirus, si modò vos prudentes operarii inveniamini. Sed nunquid S. Paulus deliravit, cùm tanto studio Timotheum adjuraret, ut *verbum Dei prædicaret tempestivè & intempestivè?* aut Salvator noster, cùm in mandatis ultimis hoc unum Petro commendatum dederit, ut *pasceret*, &c? aut fortasse Deus ipse, cùm Isaiæ præceperit ut *clamaret jugiter, & non cessaret?* Absit igitur ut ego me judicem statuam: sed dicant velim quid Ecclesiæ responsuri sunt, quæ unà cum sacris Episcopi manibus hoc quoque onus imposuit, *Tu esto fidelis verbi dispensator, Accipe authoritatem prædicandi verbi Dei:* quid Apostolo, sub uno nomine omnibus imperanti, *prædica, insta, ministerium tuum imple:* quid Gregibus suis palantibus & clamantibus, *intereunt animæ nostræ quia non habent scientiam; parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*, Lam. 4. 4. quid Conscientiis suis, cùm legunt ista, *Negotiamini donec veniam; Pastor bonus animam ponit pro ovibus.* Num verò credibile est ut animam quis pro ovibus velit ponere, in quorum gratiam torporem & veternum non velit excutere? Denique quid summo Sacerdoti & Judici omnium Christo, quando ille rationem exposcet talenti concrediti. Quâ mente sustinebunt eum dicentem, *Redde rationem villicationis tuæ?* ubi jam sunt animæ quæ te custode perierunt? ostende mihi manipulos aliquot de prædicationis segete colligatos. Hem, animas non video, sed sanguinem. Ergò porta reatum sanguinis, silentii pœnam: ligate, tollite, conjicite in tenebras exteriores. Quid ad ista responsuri sunt? Certo certius, Fratres, si qui nuptialem non habuit vestem obmutuisse dicitur, quantò magis qui nuptialem contemnunt vocem ante magnum istud tribunal muti stabunt, cùm vel nunc summo suo periculo conticescant?

Quocirca, Fratres, agamus hoc unum omnes, in visceribus Jesu Christi obsecro, hoc unum agamus, & novi vos hoc indies agere; excitemus nos invicem; neq; enim incitamenta desunt, sive *sursum*, sive *deorsum* spectemus. Si *deorsum*, Speculum Naturæ sese offert elucentis in brutis animalibus

bus, quæ omnia naturâ duce didicerunt erudire & enutrire partus suos. Gallinæ aut Aquilæ pietatem erga filios suos quid memorem? planè tantam, ut ipse Deus suum erga nos studium & curam non dedignetur sub istis symbolis recognoscere. Cætera taceo: nam inter omnia cujusvis generis animalia, Struthio solus ova sua fovere negligit, & pullorum obliviscitur; sed animal *immundum*, Deut. 14. & *insipiens*, Job. 39. At Pelicani pietas quanta? pullos mortuos sanguine proprio respergit, & nativitatis secundæ semina è visceribus suis largitur, & denuo mater facta, arbitrium naturæ transcendit; natura oviparam, ipsa se viviparam facit. Dicite, nunquid sors nostra absimilis? nobis mortui suscitandi sunt, nativitatis secundæ cura nobis commissa est. Ex istis nos mutis animantibus leges discamus loquendi. Rursus,

Si *sursum* elevemus oculos, pondus æternum gloriæ occurrit nobis; Denarius immortalitatis, Stola lucis, Corona cœlestis, Corona stellarum, quod habetur Dan. 12. 3. *Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates.* Corona justitiæ, 2 Tim. 4. 7. *Cursum consummavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* Corona gaudii: *Euge, bone serve, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini,* Matth. 25. Quid istis dici potest aut promitti augustius? omnes in se continet divitias Denarius iste, omnes pulchritudines Stola, omnes Corona splendores, & istud *Euge* omnes in se absorbet beatitudines, πᾶσαν μακαριότητα, ut scitè Chrysostomus. Macte, anhelemus ad istud *Euge*; agamus hoc assidui, accubui, ut nemo accipiat coronam nostram, ut nemo vocem istam intercipiet, *Beatus servus ille quem Dominus cùm venerit inveniet sic facientem*, sic cibum familiæ distribuentem, sic de thesauro proferentem nova & vetera.

LECTIO V.

VOX & Verbum, si juxta diversas ordinis leges considerentur, ambo sibi invicem & postponuntur & præeunt. Ordine exsistendi verbum est prius voce, ut Bucephalus ante equum, Socrates ante hominem, homóque priùs exsistit quàm animal: at ordine essendi vox prior est verbo, quia verbum fundatur in voce, atque ex hac origine subsistentiam suam trahit. Rursus, si ordinem naturæ spectemus, verbum tempore antecedit, verbum est enim priusquam proferatur, quando jam mente concipitur; non est vox antequam linguâ & dentibus articuletur. At si doctrinæ ordinem spectemus, vox antecedit, quia voci verbum subjicitur, ut species generi. Quemadmodum de Christo & Johanne legimus, quorum ille *verbum Patris*, hic *vox clamantis*, & prior & posterior erat, seipso testante: Divinitate verbi Christus prior, vocis officio Johannes, namque viam prædicatione suâ præparavit Christo. Similiter & in hoc quod nunc agitur negotio, si magnis parva componere liceat, menti proximius verbum, vox auribus. Ergò priùs Logica tractat de Voce quàm de Verbo. Quod homo loquatur primò est considerandum, deinde quâ linguâ loquatur. Iisdem mihi passibus progrediendum est, hæc ordinis ratio. Quantumvìs illa *nova & vetera* priora mihi erant in animo & desideriis, adeóque instituto meo; at ordo docendi postulabat

labat ut priùs de re agerem quàm de modo; ut priùs ostenderem quàm sit Doctori sacro necessarium,& cum munere suo conjunctissimum, ut voce suâ utatur, ut loquatur, ut *proferat*: atque hoc tandem transacto, restat secundo in loco quærendum, Quænam sunt illa verba quæ *proferre* debeat, quo utendum idiomate, quâ linguâ loquendum. *Proferat*, inquit Christus, *vetera & nova*.

Pastoris Evangelici officium nobis hîc ante oculos positum esse, superiùs demonstravi: duabus autem partibus Effigies omnis constat, Colore & Lineamentis: & duabus itidem Descriptio ista,Specificâ differentiâ,in verbo *Profert*; & quatuor Causarum lineamentis, in quatuor quæ supersunt vocabulis. De istis jam mihi agendum est: &

Primò causa materialis sese offert, Quænam sunt illa mysteria quæ Scribæ erudito proferenda sunt: *Nova*, inquit Christus, *& vetera*.

Ad duo capita redigo, Quis verborum sensus, & Quæ ex sensu emergunt Consectaria.

Primum est de verborum sensu sive intelligentia. Duobus vocabulis res tota concluditur, iisque satis perspicuis: & mihi tamen calamus hæret, dubius quæ sit progrediendi via tutissima, inter tot anfractus & incerta glossemata novorum veterúmque interpretum. Alii ad Legem & Evangelium referunt, sive ad Vetus Novúmque Testamentum, sive ad Prophetica & Apostolica scripta: ità tamen, ut primum locum Evangelium, Lex secundum capessat. Rursus, alii ad minas & promissiones in S. Scriptura exhibitas; h. e. ad vitiorum ἔλεγχον, & virtutum παραίνεσιν: sed ità ut promissiones antecedant, quasi nova regni mysteria. Alii ad pertinentia ad novum & veterem hominem, ut Paschasius. Alii ad Consilia Evangelica Præceptis superaddita, ut pessimè omnium Simon Cassianus. Alii ad simplex & parabolicum dicendi genus; quorum illud antiquius erat, hoc eo potissimùm tempore rarius & recentius. Postremò, alii ad scientiarum Divinarum humanarúmque mutuum amplexum; h e. ad Philologiæ & Theologiæ nuptias: sed hoc ordine,ut Theologia quasi Regina & Domina præponatur,Artes liberales quasi Pedissequæ ancillentur. Fruantur singuli per me licet suo sensu: non invideo, nec sequor tamen; non convello,sed nec assentior. Qui omnes sequi velit,necesse est ut singulos relinquat.Quòd si plenam Spiritûs Sancti intelligentiam vix assequuti sunt, excusandi tamen;quia nova est loquendi formula neque similis in Scriptura loquutio occurrit,si Maldonato credimus; ipsíq;,ut commentatores solent, cursim & quasi in transitu rem agebant, quæ mihi nunc tandem non tangenda solummodo est, sed tractanda. Sed interea levis est Jesuitæ Maldonati apologia, *similem locutionem non occurrere*: nam quid sibi vult illud Salomonis, Cant.7.13. *Nova & vetera, dilecte mi, servavi tibi*, id est, optima quæq; & jucundissima,quæ vel explere,vel delectare possint? Phrasis hæc revera non similis,sed eadem. Quid illud Salvatoris in Euangelio,Luc.5. *Nemo mittit vinum novum in utres veteres; & nemo bibens vetus vinum statim vult novum*,nisi hoc, quòd sunt quidem discrimina doctrinarum non minùs quàm vinorum? Phrasis ista non planè eadem,sed similis tamen.

Ergò ut tandem ad proprium verborum sensum accedamus, duo prælibanda sunt; alterum de Ordine partium, alterum de Latitudine significationis. Primò,de Ordine partium sit illa regula; Ex eo quòd *nova* priore in loco ponantur, deinde *vetera*, non eo animo factum,ut sit lex universalis & una præstituta prædicandi methodo, sed quia ratio magis accommoda erat præsenti proposito. Nam sive de Lege & Evangelio,sive de pœnis & præmiis intelligamus, esto, ut plurimùm præmiis ducendi

sunt

ſunt homines; aliquando tamen res poſtulat ut à Legis ſtimulo, à minis & increpationibus exordiamur: quia ut amor timorem foràs mittit, ſic timor ad amorem aditum facit,& viam præparat. Chriſtus ipſe, Luc.5. infirmitati diſcipulorum indulgens,novis vetera præfert; *Nemo bibens vetus vinum,ſtatim vult novum;dicit enim, Vetus melius eſt.* Hoc autem in loco novis primatum defert; idque tribus de cauſis fieri puto. Quia nova ſunt notiora nobis, ut vetera notiora naturæ. Quia nova ſunt ſuaviora, vetera verò magis acerba. Quia poſtquam hanc novam docendi formulam per parabolas & ſimilitudines monſtraſſet, loquendi ratio poſtulabat ut novorum prior mentio daretur. Ut & nos in docendo eundem ſequamur ordinem, non quidem ſemper, ſed ut plurimùm; non ut ſolum, ſed ut præcipuum & optimum.

Secundò,de Latitudine ſignificationis ſit iſta regula; Verborum ſenſus non eſt reſtringendus ad hoc vel illud loquendi genus aut ſubjectum, putà ad Legem & Evangelium, ad minas & promiſſiones, ad Artes humanas & Divinas, & reliqua membra ſuperiùs adſignata: ſed protrahendus eſt ad ea ſingula & univerſa quæ ad ædificationem conducere poſſunt. Patet & ex fundamento & ex ratione ſimilitudinis. Ratio ſimilitudinis à Chriſto, fundamentum à diſpenſandis nummis vel recondendis fructibus ſumitur; & ſic ſe habet. Sicut Ego magiſter veſter non uno modo vos docui, ſed præceptis ſimul & parabolis; neque parabolam unam aut alteram propoſui, ſed varias; & ut paterfamiliâs non unius tantùm generis pecuniam recondit, neque unius anni fructus, ſed præteritorum, Gen. 41. 49. congregavit Joſeph fructum ſeptem annorum, *tanquam arenam maris,* & Dives iſte in Evangelio, Luc. 12.19. *Anima, habes multa bona repoſita in annos plurimos*; quemadmodum, inquam, prudens paterfamiliâs omnia parat ciborum genera ut familiam ſuam alat, omnem deliciarum copiam ut convivas ſuos & hoſpites recreet atque reficiat, pro guſtûs diſcrimine, pro perſonarum & temporum qualitate multiplicem: Ità hîc ſe res habet, quia non omnes omnibus capiuntur, non eadem ſemper dicenda ſunt, nec eodem modo; ſed Verbi Miniſtrum decet affatim inſtructum eſſe, & omnem ſcientiæ apparatum ad manum habere, ut à divite ſpiritualium opum theſauro proferre verbum gratiæ poſſit diverſis ingeniis congruum, cuivis palato & deſiderio accommodum, ſive ad arguendum, ſive ad conſolandum,ſive ad hortandum;nunc ſermone aperto,nunc parabolis & ſimilitudinibus; nunc alliciendo,nunc minando; nunc argumentis,nunc exemplis, & figuris & ſententiis;ut ſic quemq; pro ſuo captu docere poſſit, & omnia auditoribus ſuis ità attemperare, ut ſingulis ſatisfactum fiet, ſive quis *nova* deſiderat, ſive *vetera* malit.

Igitur in duabus iſtis vocibus Oratoris ſacri virtutes omnes habemus hîc comprehenſas, atq; omnia γνωρίσματα· ea autem ſeptem præcipuè ſunt, quorum alia ad Res tractandas pertinent,alia ad Modum tractandi.

Quæ Res tractandas reſpiciunt ſunt illa quatuor.

Primò,ut Vera proferat; ſive *nova* ſint, ſive *vetera*, vera ſint oportet, & fidei orthodoxæ conſona: nam vel ipſi Herodiani in Salvatore noſtro hoc maximè probabant, Mat.22.16. *Præceptor, ſcimus quòd verax ſis, & viam Dei in veritate doceas.* S. Paulus ſe nobis exemplar exhibuit, 2 Cor.4.2. *Non adulterantes verbum Dei, ſed in manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo. Non adulterantes*, inquit, quia ſi quid fucati, ſi quid falſi proferat, non Doctoris partes agit, ſed ſeductoris; neque Paſtorem ſe exhibet, ſed prædonem.

Secundò,

Secundò, ut Salutaria proferat; ſive *nova* ſint, ſive *vetera*, oportet ut ſint ſalubria & utilia, h.e. ea quæ ad populi ædificationem tendunt. 1 Cor. 12. 7. *Unicuique*, inquit Apoſtolus, *datur declaratio Spiritûs ad utilitatem:* & 2 Tim. 1.13. *formam tenens* ὑγιαινόντων λόγων, *ſanorum verborum:* & Tit. 2. 1. *Tu loquere quæ decent ſanam doctrinam.* Nova proferat, non cruda & præcocia; antiqua, non antiquanda: neque verè *nova*, neque verè *vetera* ſunt, niſi ſalubria fuerint.

Tertiò, ut Congrua proferat; ſive *nova* ſive *vetera*, curandum ut ſint ſibi conſonantia; nam veritas ſemper ſibi ſimilis, nihil Proteo affine habet: veritatis via una eſt, erroris anceps & circumflexa; μυρίας ἔχει ἐκτροπάς, *mille habet diverticula*, Clem. Strom. 1. *viam & viam*, *pondus & pondus*, Prov. 20. *linguam & linguam*, *menſuram duplicem & ſtateram doloſam.*

Quartò, ut quàm Jucundiſſima proferat; ſive *nova* magìs placeant, ſive *vetera*, ex iſtis oportet ut eligat quæ auditores ſuos maximè delectant, quæ maximè veritatem ornant: ut de Salomone legimus, Eccl. 12. 9. *Concinnavit Eccleſiaſtes parabolas multas, & quæſivit invenire verba quæ placerent, & ſcripturam rectam, verba veritatis.* Videſis, *verba placentia*, ſed *verba veritatis*; *verba quæ placeant*, non quæ palpent. Nam vel hæretici hoc præcipuè agunt ut placentia loquantur, ſed neque vera, neque ſalubria. Vinum ſi propinant, non purum eſt, ſed, ut Judæorum illud, Matth. 27. 34. cum felle miſtum, revera non vinum, ſed venenum; aurum ſi oſtentent, ſcoriam occultant: *habéntque hoc proprium*, ait Gregorius, Mor. 5. 11. *ut malis bona permiſceant, & recta perverſis; ut oſtendendo bona auditores trahant, & exhibendo mala latenter corrumpant.* Quatuor hæc Res tractandas reſpiciunt.

Quæ ad Modum tractandi pertinent, ſunt iſta tria:

Primò, ut Eruditè id faciat; nam *nova & vetera* non niſi ex Eruditionis theſauro promuntur. 1 Pet. 4. *Si quis loquitur, quaſi eloquia Dei loquatur.* Eccleſ. 12. 9. *quò magìs fuit Eccleſiaſtes ſapiens, eò magìs docuit populum ſcientiam.*

Secundò, ut Perſpicuè id faciat: ſi *nova* non ſatìs dilucident, revolvat *vetera*; quia clavi ſimilis eſt Concio, aurea non prodeſt ſi non aperiat, neque obeſt lignea ſi aperiat, quando nihil quærimus niſi patere quod clauſum eſt, Aug. *Nihil magìs curant hæretici, quàm occultare quod prædicant, ſi tamen prædicant qui occultant*, Tertul. l. adverſ. Valent. in procemio: unde in l. 2. adverſ. Marcionem, ſæpiùs eos vocat & *ingenia tenebrarum, quæ ſuo ſe atramento involvunt.* Paſtor orthodoxus non minùs perſpicuitati ſtudet quàm veritati, quia non pudet eum veritatis. Igitur Iſaiæ prophetæ Deus præcipit, c. 8. 1. *Sume volumen grande, & ſcribe in eo ſtylo hominis*; i. e. propriis, perſpicuis, & uſitatis verbis: idémque Habakk. prophetæ c. 2. ver. 2. *Scribe viſionem, & explana in tabulis, ut percurrat qui legerit eam. Stylo hominis*, i. e. λέξει ἀνθρωπίνῃ, τοῦτ᾽ ἐστι, τοῖς πολλοῖς βατῇ, Procopius.

Tertiò, ut Plenè & perfectè id faciat; *vetera* enim & *nova*, omnia cujuſcunque generis eloquia ſuo complectuntur ambitu. Nihil eſt quod vel dicitur vel dici poteſt, ſed aut inter *vetera*, aut inter *nova* neceſſariò recenſetur, ſive ſit verbum increpationis, ſive exhortationis, ſive doctrinæ. *Ego*, inquit S. Paulus, Act. 20. 20. *nihil ſubtraxi vobis omnium utilium, quò minùs annuntiarem vobis omne conſilium Dei.* Laus Concionatoris eſt ſeptima & ultima, quia pleniſſima; etenim nihil eſt quod ſuperinjici poſſit plenitudini. Hactenus de verborum ſenſu.

Conſe-

Conſectaria ſequuntur; quibus diſtributio iſta neceſſariò præmittenda eſt. Quæcunque ſub tractatu aliquo cadunt, vel ad Intellectum diriguntur, vel ad Affectum; h. e. vel ad Doctrinam fidei, vel ad Vitam & mores: iſta eſt *Novorum* & *Veterum* prima ſeries.

Quæ ad Vitam & mores ſpectant ſunt duplicis ordinis, Promiſſiones & Minæ; h. e. vel ea quæ ad bonum alliciunt, vel ea quæ à malo retrahunt: ea eſt ſecunda ſeries.

Quæ ad Doctrinam & fidem ſpectant ſunt etiam duplicis generis, Divina & humana; i.e. ſapientia Scripturarum, quæ ſunt fundamentum fidei, & Scientiarum ſecularium, quæ ſunt adjumenta quæ fidei ſubſerviunt: iſta eſt tertia ſeries.

Quartò, Scientia Scripturarum eſt duplex, ea quæ in veteri Teſtamento continetur, & ea quæ in Novo: iſta eſt quarta ſeries.

Poſtremò, Scriptores humani ſunt duplicis ordinis, vel ſuperiorum ſeculorum quæ retro acta ſunt, vel ſeculi præſentis & adjacentium: iſta eſt *novorum* & *veterum* ſeries ultima.

Ex iſta quintuplici ſerie triplex Harmonia elicitur, cui peritus Theologiæ artifex intendere debeat. Harmonia literarum utriuſque Reipublicæ; Harmonia Scripturarum utriuſque Teſtamenti; Harmonia Temporum utriuſque Seculi. Ex harmonia triplici tria exſiliunt Conſectaria, quæ oſtendunt hac in re quid Licitum, quid Congruum, quid Neceſſarium ſit.

Primum eſt, Tractatori ſacro licet, non è Scripturis modò, ſed è Scientiis ſecularibus copias ſuas atque apparatum inſtruere.

Secundum, Concionatori non licet modò, ſed vel maximè expedit in ſcriptis tam veteribus quàm neotericis verſatiſſimum fore, ut utrinque poſſit fidei dogmata vel explicare, vel ſtabilire.

Tertium, Non convenire modò, ſed imprimis oportere, ut petitis ex utroque Inſtrumento armis Theologus ſe muniat, & utriuſque præſidiis nitatur.

Primum eſt contra Novatores hujus temporis, qui exoticarum literarum uſum Miniſtris Dei interdictum eſſe clamitant.

Secundum contra Pontificios, qui ſe vetuſtatis pediſſequas jactant, nos verò Novitatis inſimulant.

Tertium contra Hæreticos ab Eccleſia antiqua damnatos, ſed ætate noſtrâ redivivos, qui Legis neque obſervationem ad populum, neque prædicationem ad Paſtores pertinere contendunt; neque *Vetera* illa Moſaica ullo modo cohærere poſſe cum Chriſti *Novis*.

Aggredior Concluſionem primam; Licere Theologo ad promovendam veritatem, Sacrarum Scripturarum quæſtiones, phraſes, voces, ſi obſcuriores & involutæ fuerint, etiam è Gentilium monumentis illuſtrare & apertiora reddere. Ut ordinatiùs rem totam expediam, duas ſtatuo partes; ἀνασκευαστικὴν, & κατασκευαστικὴν· hanc ad exornandam ſententiam affirmantem, illam ad demoliendam contrariam.

Prima pars operis in demoliendo contrariam ſententiam. Non nuper orta eſt quæſtio, ſed inter veteres agitata, ſub his ipſis terminis, Utrùm Sacrarum interpreti literarum externas diſciplinas profanóſque ſcriptores in ſuum liceat ſubſidium advocare. Inter clariſſimos Eccleſiæ doctores Hieronymum & Ruffinum fuiſſe ventilatam, Epiſtola quam ſcripſit ad Magnum ſatis demonſtrat; & multò ante Hieronymi ſeculum, Clem. Alexandrini calamo exarata eſt. Ille in 1° & 5° Strom. fuiſſe in Eccleſia nonnullos qui omnem Philoſophiæ uſum à ſcholis Chriſtianorum rejecerunt, ὡς περιττὰ καὶ ἄχρηστα, καὶ μηδὲν πρὸς τὸ τέλος συμβαλλόμενα. Idémque videre eſt apud

Gregorium Theologum, in Oratione quam scripsit in laudem Basilii Magni. Idem etiam inter Rabbinorum deliria numeratur, qui pro se jactant loca illa quæ habentur in Jos. 1. 8. Deut. 22.11. Jer. 2. 13. In primo habetur mandatum Divinum de meditatione Legis diurna & nocturna; ergò tempus nullum relinquitur disciplinis aliis, nè hora quidem, quia nulla est hora quæ non pertinet vel ad diem vel ad noctem. In secundo prohibitio Divina nè veste se induant ex lana & lino facta; h. e. nè Divinis humana misceant. In tertio querela divina quòd fontem aquæ vivæ, i. e. Scripturarum, dereliquissent, cisternas confractas secularis sapientiæ fodientes, quæ veritatis aquas continere non poterant. Argumenta digna istis doctoribus.

Ejusdem farinæ habentur & inter nos aliqui, qui eâdem intemperie ducti, ancillis istis silentium perpetuum imperant, loquente dominâ; autores profanos vel tantillùm citare nefas putant; &, ut verbo dicam, tam usum quàm ornatum atque adjumenta omnia humaniorum literarum ab Ecclesia & pulpitis eliminanda esse obganniunt. Quo spiritu ducti id fecerint, non multùm refert exquirere, invidiæ magìs an ignorantiæ: equidem aut imperiti sunt, aut malitiosi. Invidiâ agitati erant Domitianus, Licinius, Julianus, Imperatores pessimi: quorum ille non urbe solùm sed orbe pellendos esse philosophos duxit; hic *pestem publicam & virus reip.* literas appellavit, Petrarch. remed. 1. dial.43. tertius lege Christianis interdixit bonarum artium studiis. Imperitiæ mallem nostros arguere, quos facturos vix est credibile si intellexissent. In erroris sui confirmationem, & rationum momentis, & Sacrarum literarum sanctorúmque Patrum abutuntur testimoniis.

Primò, Rationibus sic pugnant; A Pari, quia Apostoli non fuerunt humanis literis eruditi: omnem veritatem Spiritus sanctus docuit, nec Rhetoricam aut Philosophiam docuit tamen. Ab Exemplo, quia Philosophi ad fidem conversi libros suos publicè exusserunt, Act. 19. Ab Absurdo, sive Incommodo, quia doctrinæ sincerioris lues atque venenum Philosophia, errorum mater, hæresium magistra, hæreticorum asylum, sub hoc clypeo militant, istis se sordibus miscent, in hoc arundineto vagantur, parietem ædificant, & secularis sapientiæ luto infirmo liniunt, Ezek. 13. 10. *Vidi*, inquit Salomon, Prov. 7. *mulierem extraneam quæ verba sua dulcia facit, quæ per plateas ambulat in crepusculo in caligine noctis; intexit funibus lectum suum, sternit tapetibus pictis ex Ægypto: aspergit cubile myrrhâ, aloe & cinnamomo. Favus stillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus*, Prov. 5. *Nunc ergò, fili mi, audi & disce: nè des alienigenæ decorem tuum; neque amplecteris sinum extraneæ, nè declines ad vias ejus cor tuum, neque oberres in semitis ejus, nè irretiat te dulcedine sermonis sui, & blanditiis labiorum suorum: nam via inferni domus ejus, descendentes ad cubicula mortis.* Quæ verò *meretrix* hæc nisi Philosophia? quæ *mulier extranea* nisi exoticæ disciplinæ? *crepusculum* quod? ignorantia; *via inferni* quæ? hæretica dogmata; *funis* quis & *tapetia*, nisi verborum phaleræ & eloquentiæ lenocinia, quibus incauti capiuntur? Quid veritati cum pigmentis, aut tritico cum palea? quid Christi discipulo cum philosophiæ mancipiis, qui zizania seminant, sinceritatem fidei corrumpunt, malis artibus falsantes, adulterantes? ὢ τῆς μανίας! quid hæc ad Bacchum? imò ad Bacchum fortasse temulentiæ & insaniæ patronum, ad causam nihil.

Secundò, Quæ ex Scripturis afferunt ista sunt: Quòd doctrina Christi perfecta est, neque philosophiæ subsidiis indiget; facilè crux Christi evacuaretur, si de Ethnicis per humanam sapientiam triumpharet: quòd *occupationem pessimam*, & *vanitatem*, & *afflictionem spiritûs*, studium humanæ literaturæ Ecclesiastes non dubitat dicere: quòd arma militiæ nostræ non carnalia;

nalia, ſed ſpiritualia Paulus Apoſtolus pronunciat, 2 Cor. 10. quòd Coloſſenſes hortatur nè quis decipiat eos per philoſophiam, & inanem fallaciam, c. 2. quòd Deus ſe ſapientiam ſapientum & prudentiam prudentum perdere velle profitetur, 1 Cor. 1. & ſapientiam ſeculi in ſtultitiam vertere: quia capite ſecundo Apoſtolus gloriatur, ſe non veniſſe ad illos cum eminentia locutionis, aut ſublimitate ſcientiæ, neque in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in demonſtratione Spiritûs: denique, cùm ſpiritum mundi non acceperit, ſed Spiritum Dei, idcirco non loquuturum ſe ſapientiam hujus ſeculi, nec principum ſeculi, i. e. philoſophorum, ſed ſolam Dei ſapientiam.

Denique, Scripturæ locis Patrum teſtimonia annectunt. Auguſtini, l. 1. de actis cum Felice Manichæo, c. 1. *Spiritus paracletus non docet has veritates, Chriſtianos enim vult facere, non Mathematicos.* Ambroſii apud Gratianum, d. 37. dicentis, *Aſtrologiam & hujuſmodi diſciplinas nihil valere ad ſalutem, ſed in errorem mittere.* Epiphanii, hær. 76. qui adversùs Aetium diſputans, negat Patrem Filium revelare his qui de ſeipſo per ſyllogiſmos ratiocinantur; *ſalus enim fidei,* inquit, *non* pendet ἀπὸ λέξεων καὶ συλλογισμῶν· οὐκ ἐν λόγῳ συλλογιστικῷ, ἀλλ' ἐν δυνάμει καὶ ἀληθείᾳ· θεὸν γὰρ οὐδεὶς συλλογίζοιτο, *Deum enim nemo ſyllogiſmis comprehendit.* Demum Hieronymi, qui ad Pammachium ſic ſcribit, *Gentilium arma Chriſtiano ſunt deponenda:* & in Jer. 31. *De verbis Dei humano ſenſu argumentari, eſt ſacrilegum:* & in Matt. 10. *Non licet philoſophorum perverſæ doctrinæ ſuſcipere diſciplinam, quia eſt baculus arundineus, quem ſi paululùm preſſeris, frangitur, & manum perforat incumbentis.*

Hæc illa ferè ſunt quæ adduci ſolent aut poſſunt à malè ſani cerebri homuncionibus ad ſui erroris prætextum; neque ovum ovo ſimilius quàm inſania inſaniæ, ſuperioris ſeculi & præſentis: niſi fortaſſe in eo pejores noſtri, quòd non modò Platonis, aut Ariſtotelis, aut cujuſvis philoſophorum, ſed ipſius Auguſtini, Hieronymi, Chryſoſtomi, & reliquorum ſanctorum nomina ſacra in Concionibus ſonare non patiuntur; at ipſiſſimis tamen iiſdem nominibus ad errorum ſuorum patrocinium abuti non verentur.

Una autem ſpongia delebit ſingula: Quàm injurii ſunt & Patribus & Scripturis & rectæ Rationi. Sed quia per veſtigia ſequendum eſt, in tres compingam Concluſiones.

Primò, quòd ad Scripturæ loca attinet, ſit iſta Concluſio; Veram ſapientiam Apoſtolus Paulus in locis iſtis non perſtringit, neque germanam philoſophiam alicubi Scriptura damnat, neque moralem, neque naturalem, neque ex toto, neque ex aliqua parte: ſed quando contra humanam ſcientiam invehitur, falſi nominis ementitam ſapientiam ubivis intelligit. Patet ex Conſenſu unanimi Interpretum; patet ex ipſa Scriptura ſe interpretante.

Primò, ex Conſenſu Interpretum. Clem. Strom. 1. ſapientes vocat *ſophiſtas,* qui in dictionibus & artibus ſuperfluis verſantur: atque iterum, φιλοσοφίαν οὐ πᾶσαν, ἀλλὰ τὴν Ἐπικούρειον διαβάλλει, *non omnem philoſophiam damnat, ſed Epicuream & falſam.* Aſtipulatur Auguſtinus, l. De paſtoribus apud Bedam; *Dicitur Sapientia pro aſtutia, abuſione verbi, non proprietate:* & De ordine, l. 1. c. 11. *Non omnino philoſophos, ſed philoſophos hujus mundi devitandos Apoſtolus monet: namque philoſophiam vitare, eſt non amare ſapientiam:* & Oecumenius, *Non eloquentiam redarguit, ſed eam quæ in eloquentia eſt fallendi promptitudinem:* nec non & Theodoretus, *Sapientiam hujus mundi non vocat eloquentiam; illam enim Deus quoque ſuppeditat, nam &*

ipse linguas divisit, & harum elegantiam donavit: non ergò accusat eloquentiam, sed falsum quod in ea celatur.

Cur plura attexo, cùm suiipsius habemus Apostolum interpretem, Col. 2.8. *Videte nè quis vos deprædetur per philosophiam, & inanem deceptionem,* διὰ τῆς φιλοσοφίας, καὶ κενῆς ἀπάτης; *alterum addit vocabulum,* ἐπειδὴ ἐδόκει σεμνὸν εἶναι τὸ τῆς φιλοσοφίας, Chrysost. *quia veneranda res videtur philosophia*; imò non videtur solummodo, sed est: nè quis se veram philosophiam damnare putaret, appositè adjungit, *fallacem* & *inanem*, quæ exponunt qualem philosophiam vult, nempe ignominiosam illam quæ est κενὴ καὶ ἀπατητική, *inanis & deceptoria*; ut semper fallax est & inanis cùm de Religione præcipit, & edicta promulgat. Non philosophiam rejicit, sed sophisticen. Si philosophiam rejiceret Apostolus, rejicisset utique lumen rationis; est enim philosophia rectæ rationis partus, & hoc lumen rationis humanæ menti à Deo ipso inditum. *Res Dei Ratio*, inquit Tertullianus. Ergò sine Dei injuria damnari non potest; neque in discrimen vocari, nisi Deus ipse in crimen vocetur.

Breviter illis in locis ad duo ista collimat Apostolus.

Primò, ut damnet τὴν κενοφωνίαν, vaniloquentiam philosophorum, de qua 2 Tim. 2. 16. hoc est, ut retrahat à stultis & ineptis quæstionibus, quæ pugnas gignunt, fidem non promovent. De sophismatum argutiis salus animæ non pendet: disputare de linea & angulo & puncto, & numeris paribus & imparibus, Christianitati nihil prodest, aranearum telæ sunt: istas Philosophorum tendiculas, & Rhetorum Sirenes, & Poetarum Syrtes, pauci evaserunt sine naufragio.

Secundò, ut damnet τὴν πιθανολογίαν, de qua Col. 2. 4. hoc est, Tertull. verbo, *subtililoquentiam philosophorum*, adverf. Marcion. 5. h. e. ut certos reddat, conversionis gloriam non ingenio tribuendam esse, sed gratiæ; neque humanis viribus, sed virtuti Divinæ. Propterea ad hoc opus elegit Christus non eruditos, sed literarum ignaros, ut fortes vinceret per imbecilles, armatos per nudos; non piscatorem per oratorem, sed oratorem per piscatorem ad se trahens: idque οὐ διὰ λογισμῶν, οὐ συλλογισμῶν, ἀλλὰ διὰ τῆς πίστεως, ut aptè Chrysost. hom. 4. in 1 Cor. 1. *ut qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Esto igitur, Artes liberales pietatem fidei non præstant, animæ conversionem non operantur: sed númnam propterea Theologo inutiles? Apostolos Christus non docuit Geometriam, aut Astrologiam, aut Arithmeticam, aut Physicam; non repugno: sed num proinde sequitur ut nobis non possint inservire? Edocti ipsi sunt à Spiritu Sancto, qui plenè omnia suggerebat quæ erant ad Scripturam intelligendum, ad cujusvis generis homines docendum necessaria: Nos autem qui Spiritûs peculiare donum non habemus, si humanarum simus literarum ignari, nec Divinas percipere sanè possumus, nec perfecti esse in Ecclesia Doctores. Alioqui si exemplum placet, ignoremus & Grammaticam, quoniam Apostoli Grammatici non fuerunt; simus barbari, quia illi non fuere Rhetores; cedamus hæreticorum Elenchis, quia ipsi non didicerunt Dialecticam; à studiis & meditatione abstineamus, quoniam Apostoli repentè & ex tempore sapientissimè loquebantur: Imò audiamus potiùs Augustinum in Johannem, *Sunt sine dubio humanæ quædam veritates, quas tametsi Apostoli non sunt edocti, nos tamen utiliter addiscimus.* Quocirca procul exsulent istæ voces è Theologorum castris, quæ *meretricem*, quæ *vanitatem*, quæ *mulierem extraneam* subsidia literarum appellant. Non meretrix est vera philosophia, sed casta mater, & ancilla veritatis. Sirenes sunt adulteræ, non Musæ: ineptiæ philo-

philosophorum vanitas & venenum veritatis; ipsa eloquentia, ipsa philosophia cooperatrix ad veritatem & adjutrix invenitur. Non est captiva mulier liberalium mater scientiarum. Atque si allegoriis & similitudinibus ludere placeret, quod ipsi faciunt, vel ipsa captiva mulier, per quam Gentilem literaturam eruditi mysticè intelligendam asserunt, Deut. 27. 12. si caput radatur, si præcidantur ungues, si prophetali nitro lavetur, de Moabitide fit Israelitis, Hier. ep. 84. & in consolat. ad Pammachium, Si fucus & veneficia auferantur, usus legitimus indulgetur. Itâ structura prima evertitur, quia Scriptura Sacra non refragatur.

Secundò, Quod ad Rationes adductas spectat, sit ista Conclusio; Vera & sobria philosophia, intra limites suos manens, mentem neque fallit, neque fascinat; sed polit, exornat, dirigit, non in erroris semitas, sed veritatis. Tribus igitur Propositionibus res ista conficitur.

Prima est; Etiam vera philosophia in aliquibus culpanda, si metas suas transiliat: idque duobus modis.

Primò, Cùm ex suis etiam veris principiis Fidei conatur fundamenta deducere. Hoc non potest fieri; philosophiæ aut rationis vires non eò pertingunt, ut possint statuere de Trinitatis mysterio, Cultu Dei, Incarnatione Christi, Justificatione peccatoris, & ejusmodi: sunt ista super captum Rationis, neque per Rationis naturalis κριτήρια possunt dijudicari. Ratio potest discurrere à Principiis ad Conclusiones; sed mysteriorum Fidei in se non habet principia, nec potest in ista secreta penetrare.

Secundò, Quum sua vera principia quæ sunt in ordine naturæ, opponit principiis Theologicis quæ sunt supra naturam: ut si Creationem mundi neget, quia est principium, Ex nihilo nihil fit; si Incarnationem Christi, quia est principium naturæ, Species disparatas non uniri in eodem Supposito; si Resurrectionem carnis, quia est principium, A privatione ad habitum non datur regressus. Hoc si Philosophia facit, in errorem ducit, quia illa axiomata vera sunt tantùm in sphæra causarum naturalium: sed fides transcendit naturam. Hoc illud erat quod Patres sanctos movit ut audacter quærerent, *Quid Academia & Ecclesiæ?* Tert. in Præscr. advers. hæreticos: *Quid Aristoteli & Paulo?* Hier. adversus Pelagium: *Quid nobis cum Anaximene & Democrito?* Aug. ad Dioscorum.

Secunda Propositio sit ista; Falsa philosophia in omnibus culpanda: non modò quia semper decipit & in errorem inducit; sed vel maximè si sua dogmata in Theologiam inferre conetur. Hinc nata illa Tertulliani dicta omnia, *Ex philosophorum ingeniis omnis hæresis animatur. Omnes hæreses ex philosophia regulis constant. Philosophia interpolatrix veritatis*; &, *Omnia hæreticorum dogmata cùm frigeant, & volare non possunt, sedem sibi & requiem reperiunt inter Aristotelis spineta*; &, *erat Plato condimentarius hæreticorum*, Tert. l. de anima, c. 11. *Hæreticorum Patriarchæ philosophi*, in l. advers. Hermogenem. Quod idem ab Hieronymo notatum in libro quem scripsit adversus Pelagium ad Ctesiphontem. *Temeraria est divinorum interpres secularis sapientia, quia & ipsa hæreses à philosophia subornantur*; in Præscrip. advers. hæret. similitèrque Hieronymus, *Omnes hæretici sunt Aristotelici & Platonici*, in Psal. 77. *Si in Scripturis tenueris, ad Aristotelem fugiunt; si Aristotelem tenueris, ad Platonem transeunt*, Hieron. in Psal. 144. atque in Nahum prophetam, *Sedem sibi hæretici faciunt inter Aristotelis & Chrysippi spineta*; & in Proverb. l. c. 7. *Hæresis, quasi meretrix, è Rhetoricæ tapetibus & versutia Dialecticæ thorum texit.*

Instantiis res fiat clarior. Simon Magus sua figmenta à Comico quodam

poeta Philistione didicit, teste Epiphanio; & Valentinianus ab Hesiodo, triginta Deos faciens, pro numero cœlorum quos ille posuit. Priscillianistæ dogma suum de fatalibus stellis ex Chrysippo hauserunt, ut rectè eis exprobrat in l. de Fato Greg. Nyssenus. Julianus apostasiam suam imbibisse dicitur ex conversatione quam habuit assiduam cum paganis & philosophis, Hephæstione, Diophante, & nescio quibus. Arianorum hæresis de Aristotelis fonte argumentationum rivos mutuata est, Hieron. advers. Lucifer. indè venenum sibi affricuisse ait Epiph. advers. hæres. l. 2. c. 69. Lactantius in errores suos faciliùs lapsus est, quia erat magìs librorum Ciceronis quàm Scripturarum sacrarum peritus, Bell. de beatitud. Sanctorum c. 5. in fine. Celsum, Porphyrium, multósque alios philosophia traduxit; unde & proverbium natum est, Maximos quosque philosophos maximos hæreticos esse solere.

Tertia Propositio; Istis concessis, argumentatio infirma est: nam quid exinde concluditur? Falsa philosophia errorum parens, ergò & vera; vel, Vera si terminos transiliat fallax magistra est, ergò fallax si intra terminos se contineat. Absit, pro Theologia Theologorum errores non sunt ducendi, neque pro philosophia somnia philosophantium: ulcera corporis partes non sunt, sed pestes. Quòd si philosophorum errores & portenta & difficiles nugas philosophiam appellemus, abeat, valeat, explodatur: sed si scientiam veritatis lumine rationis adinventam hoc nomine vocemus, non damnandam, sed excolendam judicamus. Sic structura secunda perit, Ratio recta non refragatur.

Tertiò, Quod ad Patrum testimonia attinet, sit tertia Conclusio; Non à quovis sanctorum Patrum secularis literaturæ usus interdicitur, sed abusus solummodo cohibetur. Ità Concilii 4 Carthagin. Canonem Socrates & Cassiodorus interpretantur, *Non ideo prohibitum Episcopis Gentilium libros legere, quasi omnino secularium literarum studia respuerent, sed nè studiis istis consenescerent, & opus suum facerent*, Cassiodor. Divinarum lectionum c. 28. Socrates, l. 3. c. 14. Ità etiam Justinus ille & philosophus & martyr, etsi adversus philosophos scripsit, sæpe tamen eximiè de philosophia locutus est. Quòd si usum è medio sustulissent, seipsos damnassent, quia scripta eorum Ethnicorum rebus gestis & sententiis quasi stellis illuminata refulgescunt; *ut nescias*, inquit Hieronymus, *quid in illis primùm admirari debeas, eruditionem seculi; an scientiam Scripturarum*, ep. 84. Abusus autem quos illi reprehendunt ad duo capita reducuntur; Quando Ordo debitus, & quando Mensura debita non servatur.

Inprimis Ordo congruus tenendus est, nè magistram ancillæ præcurrant; quod temere fieri à nonnullis solet: sicut Lystrenses (Act. 14.) Barnabam Jovem vocabant, Paulum Mercurium. Item & istis Plutarchus fortasse Paulus est, aut Tullius Petrus, & Aristoteles Christus, & Plato non divinus modò, sed Deus. Philosophiam Evangelio vel præferrè vel æquare, res non modò non ferenda est, sed abominanda. *Firmamentum fidei solis Sacris Scripturis nititur*, ut Epiphanius adversus Aetium, & Augustinus advers. Manichæos strenué. *Vidi*, inquit Salomon, Eccles. 10. 7. *servos super equos, & principes ambulantes velut servos super terram.* Quid tumultuosius? quid iniquius? ut super Theologiam Ethnica disciplina dominetur, quæ subservire debeat? Hoc primum est quod vel maximè cavendum.

Secundo in loco, Mensura justa tenenda est: Cavendum est nè principale excedatur ab accessorio. Reperiuntur & inter nos noctuæ, Scripturarum lucifugæ, terræ filii, qui Conciones suas nugis illis ità referciunt, ut

ut abjurasse se Scripturarum eloquentiam etiam candidus auditor crederet, vel saltem non legisse quidem. ὡς ἐκ τῆς γῆς ὄντες, καὶ ἐκ τῆς γῆς λαλοῦντες, Euseb. lib. 5: cap. 27. Vos nostis probè, quòd phaleræ si nimiæ equi impediunt cursum; picturæ si super totam fenestram se fundant, lucem & solis radios intercipiunt: sic Scripturarum fenestræ colore ascititio tenui * * * * scunt, nimio offuscantur: domûs marmoreæ si opus albarium superinduxeris, demis tantum de dignitate. Proinde non nisi necessariò, & justis de causis, & parcè hoc faciendum est. Eapropter Episcopum quendam Gregorius reprehendit, quòd semper prædicabat Grammaticam, h. e. in Gentilium fabulis quotidie versatus est; Can. *Cur multa*, dist. 86. Eo consilio Basilius ac Gregorius sapientiæ secularis libris omnibus valedixerunt, ut literis sacris totos se dederent, Ruff. 10. hist. cap. 9. & Hieron. de se testatur, se nullum Gentilium librum per annos quindecim vel in manus accepisse, Comm. in Galatas. Sed quid vel ex istis colligitur? Nocet nimium, ergò moderata abjicienda? si Scripturis præferatur, exsulet; ergò si sequatur? Non sumus adeò bardi, ut nesciamus discernere inter lepram & lepram; nam utrinque erratum est, & ab his quibus curæ est ut literas profanas nimiùm attollant, & ab illis qui hoc agunt ut penitus sepeliant. Ex accidente aliquando evenit ut veritati plùs noceant; an ergò propter abusum æquum est ut exsulent? si ex vino ebrietas oriatur, num ergò vites sunt abscindendæ? si in superbiæ fomentum vestes vertantur, Ego nudus oberrem? ergò nec panis comedendus, quia Israelitis Manna exitialis erat? Non sic, non sic, auditores: *Abusus non præjudicat religioni*, Hieron. ad Vigilantium. Si quid in istis erratum est, non statim ancilla enecanda est, sed medela morbo adhibenda: præsertim cùm neque recta Ratio repugnet, neque Patrum sententia refragetur, neque Scriptura contradicat.

LECTIO VI.

DE *Novorum* & *veterum*, Gratiarum & Musarum, literarum humanarum & Divinarum Nuptiis, & exspectatio vestra, & instituti nostri ratio postulat ut nonnulla dicamus: atque nonnulla jampridem diximus. Nam in Matrimonii ritu nostis non sufficere ut die uno tantùm Banna publicentur, sed tribus diebus Dominicis, vel Festivis, id fieri debet: ità & in hoc Conjugio celebrando, non satìs esse duco semel demonstrasse vobis justas istas fore & legitimas nuptias, nisi accedat etiam Promulgatio secundæ diei. Quocirca sicut in Matrimonii formula prudenter ab Ecclesia constitutum est, ut antequam res peragatur, à Ministro verba illa promulgentur, *Si quis sit qui justam causam proferre poterit cur isti legitimè conjungi nequeant, aut jam palàm denunciet, aut in futurum reticeat perpetuò:* Similiter & Ego in hac Quæstione agitanda eundem mecum ordinem constitui; ut primò impedimenta copulæ amoveantur, quod superiori die factum est: & nunc demum, quia nemo interea Cautionem deposuit quò minùs res integre agatur, ad ea quæ supersunt anhelus festino, nè vel officio meo, vel causæ ipsi quid deesse videatur. *καθάπερ αἱ μητέρες τῶν ὀρνίθων τοὺς νεοττοὺς*, inquit Chrysost. in Joh. 3. *quemadmodum aves quæ pullos suos volandi artem edocent*, *οὐκ εὐθέως, οὐδὲ ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ*, *non è vestigio, neque uno duntaxat die totum docent*; sed primùm è nido paululùm educunt, deinde à volatu requiescere sinunt, & postridie ad volatum majorē revocant; sic paulatim exercendo, ad naturalem eos efferunt altitudinem: Ità ego vobiscum egi, non pullis, sed in Christo Patribus Fratribúsq; meis; & primi & secundi volatûs specimen edidi, gradatim vos ducendo ab imo ad summa usque quæstionis penetralia, quæ nunc mihi reseranda restant & inspicienda.

Causæ status sic se habet; Utrùm Sacrarum literarum Interpreti liceat & Tractatori, externas disciplinas profanósque scriptores in subsidium suum advocare? quod primum erat à me propositum, *Novorum veterúm*que consortium. Primam pensi partem, nimirum *ἀνασκευαστικὴν*, superiùs absolvi, negantem demoliendo sententiam, & ostendendo, nihil esse ullius ponderis quod in contrarium adducitur, vel ex Scripturarum oraculis, vel ex Patrum antiquorum testimoniis, vel ex Rationis rectæ principiis.

Pars *κατασκευαστικὴ* sequitur, quæ in affirmativa sententia exornanda sita est: Non Theologo licere modò, sed necessarium fore & inprimis utile, tum in scribendo, tum in prædicando, è Gentilium libris, atque ipsa Ethnicorum Schola, arma atque auxilia adducere, si modò piè & cautè & sobriè fiat. Hoc nos hâc jam parte contendimus; atque mei me instituti minùs pœnitet, quia res est & auscultatione vestrâ, & indagatione nostrâ dignissima.

Sapientia ædificavit sibi domum, exscidit columnas septem, ait Salomon. Ego domum ædificaturus septem ad tres revocabo Columnas quibus causa hæc statuminatur; Argumentum, Factum, Dictum; i.e. Ratio, Praxis, Testimonium. Tres, inquam, sunt Columnæ.

Columna prima è Testimonio quasi petra firmissima exscinditur, & in basi Scripturarum statuitur: quæ si pro nobis non pronuntiant, non tamen contrariantur; non habemus adversas, imò habemus propitias. Æquum est autem ut ad hoc asylum confugiat contempta eruditio; æquum ut, si magistræ Theologiæ ancillantes literæ præstent famulatum, ab hera sua vicissim exspectent patrocinium: atq; eas audire mihi videor sic proloquentes. "Nos "te, sancta mater, veritatis arbitram agnoscimus, & supremam moratri-

"cem;

"cem; ad te oculos attollimus, ut primum motorem; non nobis vel tan-
"tillum arrogamus, tibi principatum, tibi imperium deferimus; non socias
"nos optamus esse, sed pedissequas & tributarias; nec ad Sanctum Sancto-
"rum contendimus, sed in Atrio nos populi sistimus; ibi nutum tuum præ-
"stolamur: si dixeris, Vade, currimus; si, Veni, properamus: si jusseris ut
"sileamus, tacemus; si ut loquamur, eloquimur. Habeamus vicissim tuum
"præsidium, nam nihil est quod præterea petimus; non mercedem, sed
"clientelam. Ancillis suis quid est quod Regina scientiarum respondeat?
nisi hoc, "Agite, mea pignora: officia in me vestra non rejicio, in familiam
"meam vos libenter recipio, vestra mihi erit opera necessaria: Ergò in
"vineam Domini me sequimini, nam & testes mihi eritis & συνεργοι· si
"quis rogaverit, Quid vobis & vineæ? dicite, Quia Dominus conduxit
"nos.

Enimvero ex Scripturis par est imprimis ut causa hæc elucescat: & quod ad illas attinet, satis esset si solummodo ostenderem non prohibitum alicui literarum secularium usum, quamvis non expressè in mandatis ponatur. Quod Apostolus, 1 Cor. 7. 25. *præceptum Domini non habeo:* at habeo quatuor loca præceptis non propinqua modò, sed proxima. *Omnia probate, quod bonum fuerit retinete*, 1 Thess. 5. 21. *Omnia munda mundis*, Tit. 1. 15. *Omnibus factus sum omnia, ut omnes lucrifacerem*, 1 Cor. 9. 22. *Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollos, sive Cephas, sive mundus*, 1 Cor. 3. 21. Esto in illis literaturæ Ethnicæ mentio nulla; at verò sub istis formulis contineri, non levis est conjectura. Nam istud *Omnia* toties repetitum ingentis est ambitûs. Neque Spiritus Sanctus repugnat quò minùs ad præsens negotium extendantur. Sigillatim ea inspiciamus.

Primus locus est 1 Thessal. 5. quos hortatur ut omnia probent, & quod bonum est retineant. Socrates, hist. 3. 16. ad studium librorum Ethnicorum refert, *Hortatur*, inquit, *ut omnia exploremus, etiam Ethnicorum dogmata*, ὡς τραπεζῖται δόκιμοι, *boni nummularii; ut quod bonum est retineamus, rejiciamus quod malum: at istud facere non possumus*, εἰ μὴ ὅπλα τῶν πολεμίων κτησαίμεθα, *nisi hostium arma possideamus, i. e. Gentilium.* Pariter Ambrosius, *Hoc egit*, inquit Ambrosius, *nè loquenti contradicant, & prophetias spernant per ignorantiam, non intelligentes dici ab eo spiritualia: vult igitur ut probent omnia, & quicquid bene ac sobriè dictum fuerit, retineant; nè forte gratiam fratri datam dum respuunt, auctori repugnent. Probate omnia, quod bonum est retinete.* Ante Ambrosium, Basilius videtur etiam huc alludere, ὥσπερ αἱ μέλιτται, (Bas. hom. 4. De legendis Gentilium libris) *ut apes flores noxios prætereunt, & iis solis insident quos mellis usui accommodos noverint; & ut nosmetipsi in cibis noxios repellere, salubres retinere mordicus solemus: Idem faciendum in scriptis & dictis aliorum. Suadet Paulus noxia & inania negligere, & quicquid nobis congruum & consonum veritati retinere: si quid in iis utile reperimus, ad nostrum dogma convertimus; si quid superfluum, hoc radimus & desecamus.* Hieron. ep. 146. ad Damasum, Labia immunda sancta fiunt si præputiata. Quæcunque Apostolorum & Domini dictis congruunt, ea bene dicta habenda sunt, & retinenda. Ut paucis agam, hortatur Apostolus ut cautos se præbeant, *omnia explorate*; cautos quidem, non pertinaces. Qui rejiciunt omnia dum probant omnia, cum scoria aurum conculcant; imò, inquit, *Quod bonum est retinete:* sit amica veritas undecunque claruerit.

Secundus locus habetur ad Titum 1. 15. *Omnia*, inquit, *sunt munda mundis:* atque huc necessariò spectat; nam versu 10. de ritibus legalibus agit, & vers. 12. Ethnici dictum citat; quòd *Cretenses semper mendaces*; & *testimo-*

testimonium hoc, inquit, *verum est*: tandem infert, *Omnia munda mundis.* Audiamus Ambrosium, *Omnia, etiam quæ legaliter immunda fuerunt, nunc munda sunt, quia omnia quæ Deus fecit bona sunt*; *mundis verò*, i. e. *iis qui & quâ causâ interdicta sunt norunt, & quâ causâ concessa sunt postea: qui autem non intelligunt, immundi sunt, accusatores enim Scripturæ sunt*; *creaturam Dei accusant, & excusant seipsos.* Hæc Ambrosius. Alludit ad raptum Petri Apostoli cùm linteum viderit, in quo erant omnia quadrupedia & feræ & reptilia & volucres cœli: & de omnibus Deus pronuntiavit quòd sancta erant, neque ampliùs pro immundis ducenda. Ad homines imprimis ænigma pertinebat, ad vocationem Gentium, nè communes eos & impuros Judæi putarent: sed de Gentilium cibis continebat in se significationem, sublatum esse legalem ciborum delectum, neque immundum fore quod Deus mundasset: de Gentilium meliore literatura multò magis; à Philosophis quicquid bene dictum in nostrum usum vertendum, quia veritas nulla immunda est, non si ab ore profano ebulliat. Ut Personarum acceptatio non est, *sed in omni gente quisquis operatur justitiam acceptus est Deo*: sic veritatum discriminatio non est, sed ex omni libro, quicquid Ecclesiæ & pietati proficuum est, pro nostro reputandum est; quòd si ab immundo calamo fluxerit, at non est impurum si modò sanctè utamur. Ergò *quod Deus purificavit, tu nè commune dixeris.* Veritas bona, quamvis quæ porrigit manus bona non sit, neque sana, sed leprosa aut paralytica; manus non præjudicat. Justitiæ Virtutiq; Romani templa dedicarunt: an nobis exinde justitia virtúsque fugienda est? Absit. Contra patriam nonnulli arma sumpserunt: ergò pro patria non est miles armandus? Ferramentis medicinalibus indocti medici ad perniciem abutuntur: ergò peritis non licet iis uti ad salutem? Super habitantes tecta aliquando ruunt: num propterea omnia ædificia demolienda sunt? Solem & Lunam pro diis Ethnici venerantur: num ideo nos contemnere debemus? De Eruditione idem dicendum est. Literarum repertorem dicunt esse Mercurium: num igitur iis non est opera navanda? Imò *Dei nostri est veritas omnis ubicunque inveniatur*, Aug. de doctrina Christiana l. 2. c. 18. & idcirco famulum suum Mosen, cum quo ipse tanta & talia loquebatur, à Gentili Midianita passus est Dominus admoneri. Aug. qu. 68. super Exod. rationem reddit, *ut nos admoneret, per quemlibet hominem detur consilium veritatis, non debere contemni. Quod Deus sanctificavit, tu nè polluas*, quia *Omnia munda mundis*: si omnia munda, veritas necesse est sit munda, quamvìs ab immundo ore prolata. Iste secundus locus.

Tertius locus est 1 Cor. *9. 22.* ubi se dicit *omnia omnibus factum, ut omnes lucrifaceret*: non simulatè dixit, sed verè & ex animo; & non *aliqua aliquibus*, sed *omnia omnibus*; idque non compatientis solùm affectu, sed animi judicio; atque non solùm suavitate morum, sed docendi prudentiâ, quia simile simili ut generatur, sic edocetur. *Omnia omnibus*, *Judæis Judæus*; quia propter illorum scandalum circumcidebat Timotheum, & purificatus templum ascendit: *iis qui sub Lege, sub Lege*; i.e. non modò Judæus Judæis, sed Samaritanus Samaritanis, qui solam Legem agnoscunt: *iis qui sine Lege, quasi sine Lege*; i. e. Gentilibus Gentilis. Sic *omnibus omnia* propter Evangelium; quasi Judæus ut Judæos, quasi Samaritanus ut Samaritanos, quasi Ethnicus ut Ethnicos *lucraretur*: nam idem Apostolus, qui cùm Hierosolymis erat Judæis Judæum se fecit, Athenis se philosophis philosophum præstabat; non eorum errores amplectendo, sed ex principiis eorum disputando. Hic animus viri prudentis & spiritualis, ut omnibus omnia factus, propositũ tamen Religionis non excederet, nec aliud faceret quàm Lex mandavit. Sed ubi cessit, ad hoc cessit, ut proficeret. Ambr. ostendens quænam sit

sit illa πολυποίκιλος σοφία, Eph. 3. 10. quâ *omnem hominem erudivit in omni sapientia*, Col. 1. 28. juxta personæ cujusque statum. *Judæis*, inquit, *Judæus, iis qui sub lege quasi sub lege, iis qui sine lege quasi sine lege.*

Postremus locus in 1 Cor. 3. 21. ubi omnia ipsorum esse, & ut sua vendicanda, Corinthiis persuadet. Obsecro, unde exempla & instantias deducit? non ex sacris solummodo rebus, sed secularibus. *Omnia vestra, sive Paulus, sive Apollos, sive Cephas*; imò sive Plato, sive Aristoteles, sive M. Tullius; addit enim, *sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura.* Num mundus, num vita præsens? Christus mundum pro nostro habendum esse apertè negat, Joh. 15. 18. *Ego elegi vos de mundo; de mundo non estis, & mundus vos odit: si de mundo fuissetis, mundus quod suum est amaret:* & tamen S. Paulus, *omnia vestra*, etiam ipse *mundus*, etiam *vita præsens.* Nimirum *mundus* noster est, ut de illo secundùm Dei voluntatem sentiamus; & *vita præsens*, ut modestè illam & cum Dei gloria transigamus; & *mors*, ut libenter pro Christo sustineamus; & quæcunque *præsentia*, ut legitimè utamur: si quæcunque *præsentia*, etiam transitoria, multò magìs ea quæ sunt veritatis adjumenta, sive scripta philosophorum, sive poetarum, sive rhetorum; omnia nostra, utilitatis nostræ gratiâ constituta. Iste ultimus locus.

Atque si ista non sufficiant, ex hoc ipso eruitur loco quem præ manibus habemus; ex eo quòd Christus *Nova* & *Vetera* proferenda esse docet: utroque enim modo hîc suos Christus instituit, & ex libro Scripturarum, & ex libro Creaturarum, mediis non modò Divinis, sed etiam humanis; nempe & parabolis & Prophetarum testimoniis. Testimonia tria citat ex veteri Instrumento. Primum vers. 14. ex Isa. 6. 9. *adimpletur prophetia Isaiæ, Auditu audietis & non intelligetis.* Alterum vers. 35. *completur quod dictum per prophetam, Aperiam os meum in parabolis*, Psal. 74. Tertium vers. 43. ex Dan. 12. *Tunc justi fulgebunt sicut Sol in regno patris.* Hæc habuit ex libro Scripturæ. Reliqua omnia ex libro Naturæ, ex usu & consuetudine hominum; ex semine, grano sinapis, fermento, thesauro, margarita & sagena. Et istis peractis omnibus Doctoris sacri exemplar ducit, ut proferat & *Nova* & *Vetera*, sive in sacris, sive in exoticis literis occurrant.

Istis Scripturæ locis sanctorum Patrum non erit difficile ●texere testimonia: nam Basilius Magnus, de industria, inter alia eruditionis suæ monumenta, egregium tractatum reliquit, De Gentilium libris cum utilitate legendis. Nazianzenus ut primum illud necessarium ponit, Orat. secundâ, *Eruditio*, inquit, τὸ τῶν ἡμῖν ἀγαθῶν ὃ πρῶτόν ἐστι· nec Divina tantùm, sed & externa. Qui secùs sentiunt, stulti & imperiti sunt, qui omnes sui similes esse cupiunt, ut propria eorum inscitia sub communi deliteat, nè quisquam ipsorum imperitiam prodat. Aug. in 2 De doct. Christ. c. 40. & in 1 contra Cresconium Grammaticum, magnum secularium literarum Encomiasten se exhibet. Ab Ethnicis auferre debet Christianus & morum præcepta & veritatis dogmata, & transferre ad usum justum prædicandi Evangelii. *Consuetudo nostra est*, inquit Theodoretus, *ex monumentis poetarum & philosophorum noxia & pestifera declinare, utilia nostræ inserere doctrinæ:* sicut apes dulcia ex amarulentis haurimus; & ut qui rosaria demetunt, spinas intactas dimittunt, rosarum calculos legunt. Sed ista remitto ad sequentia.

Festino enim ad Columnam secundam, quæ ponitur in basi Praxeôs Prophetarum, Apostolorum, & veterum Doctorum, qui scriptis suis Ecclesiam vel stabiliebant vel ornabant, suis singuli temporibus.

Quod ad Scripturas S. attinet, nescio an ulla pars sit melioris literaturæ quæ non passim occurrat in Sacra pagina. Si Divinam quis Physicam requirit,

quirit, habet in primo libro Mosaico; si Ethicam, in Proverbiis Salomonis; si Poeticen, in Psalterio; si Mathematicam, historia Jobi suppeditat; in Prophetarum scriptis omnes Eloquentiæ flosculi exsistunt; & in libro Numerorum tota Arithmetica, dicente Hieronymo, ep. ad Paulinum: si ipsam Mythologiam quærit, in Judicum libro habetur, c. 9. *Iverunt arbores ad ungendum super se regem; dixerúntque Olivæ, Regna super nos*, &c.

Sed quid ego de Codice sacro, cùm artium omnium compendia in duobus Legis præceptis contineantur, *Diliges Dominum Deum tuum toto corde tuo, & proximum sicut teipsum?* In istis & Physices summa habetur, quia omnes omnium naturarum causæ in Deo Creatore sunt; & Ethicæ medulla, quia vitæ bonæ norma non aliunde formatur, quàm cùm ea quæ diligenda sunt, diliguntur sicut diligenda sunt, Deus & Proximus; & semina Logicæ, quia veritas luménque animæ rationalis non nisi Deus est; & laudabilis Reipubl. salus, quia nec condi nec custodiri potest nisi vinculo fidei & concordiæ, cùm summus bonorum Auctor propter se diligitur, & homines se mutuò diligunt propter ipsum.

De universis Scripturis junctim Hieronymus testatur, *Quis nescit in Sacris voluminibus quædam assumpta de Gentilium libris?* ep. 4. ad Magnum: & Nyssenus, *solere Sacras literas ab externis quoque vocabulis mutuari voces aliquot, iisque suam sententiam illustrare*, Nyss. in Cant. de libro Job. Hieron. ad Paulinum, *Prosâ incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur*, omnésque leges Dialecticæ Propositione, Assumptione, Confirmatione, Conclusione determinat. Quis nescit quàm multa ibi tractentur de cœli revolutionibus, de astris, terra, mari, luce, ventis, pluviis, tonitruis, fulminibus, nive, glacie; de leonibus, capreis, cervis, equo & Behemoth, quem Elephantem multi putant, ac de Leviathan, maris vastissima bellua? De reliquis audiamus eundem Hieronymum, *Totius mundi Philohistor Daniel propheta; & S. David Simonides Christianus & Pindarus & Alcæus, Flaccus quoque & Catullus*, ep. ad Paulinum. Idem de Salomone asserit, *In ipso Proverbiorum exordio nos commonet ut intelligamus sermones prudentiæ, versutiásque verborum, dicta sapientum & ænigmata, quæ propriè*, inquit Hieron. *Dialecticorum & philosophorum sunt*, Hieron. ad Magnum. Idem de propheta Isaia, in procemio, *Quid loquar de Physica, Ethica & Logica? quicquid potest humana lingua proferre, & mortalium sensus accipere, in isto volumine continetur.* Denique, idem de Estheris & Ezræ libris dici potest. Estheris librum ex actis publicis fuisse continuatum putant eruditi: extraneorum Regum epistolas & decreta ex Persicis annalibus & archivis Babylonicis desumpta scriptis suis intexunt Ezra & Daniel. Pergamus ad Novum Testamentum: parabolis & similitudinibus ex natura rerum sumptis Salvatoris Conciones refertæ sunt. In referenda Pauli navigatione, idolorum Ethnicorum nomen usurpavit Lucas Evangelista, Act. 28. 11. *Provecti sumus in navi Alexandrina, cui erat insigne Διόσκουροι, Castor & Pollux*; & si tacuisset, nullo narratio dispendio laborasset. Inferorum pœnas Homericâ phrasi adumbrat Apostolus Petrus, 2. 2. 4. *σειραῖς ζόφου ταρταρώσας, angelos qui peccaverunt catenis caliginis in Tartarum detrusit.*

S. Paulus sit instar omnium. Quod attinet ad Philosophiam, quàm prudenter ex ipsius principiis contra philosophos Athenienses disseruit, Evangelista Act. 17. narratione suâ dignissimum existimavit. Quod ad Rhetoricam verò spectat; inter multas alias suavissimas dictiunculas, oratio quam coram Agrippa & Festo habuit Act. 26. abunde testatur, non locos solùm & regulas oratorias observasse illum, sed colores omnes atque pigmenta sermonum protulisse, ad Fidei & Religionis emolumentum. Initio manum extendit,

tendit, & gestu corporis silentium impetrat; ut Oratores solebant: mox à persona Agrippæ, quod in Exordiis fieri solet, benevolentiam sibi conciliat; *Æstimo me beatum, Rex Agrippa, quòd apud te sim responsurus hodie*; prorsus quasi aucupio aulico ipsum Regem ad partes suas trahere voluisset: laudat ut rituum Judæorum peritissimum, obtestatur ut virum ad audiendum æquanimem; *Scio te gnarum omnium quæ apud Judæos sunt consuetudinum*, &, *rogo ut me patienter audias*. Dein Narratione dilucidâ innocentiam suam calumniis accusantium opponit, & subtiliter, si ità loqui licet, propter articulum de Resurrectione mortuorum ad judicium protractum dicit; cùm tamen non de Resurrectione mortuorum in die novissimo, sed de Resurrectione Christi illo tempore controversia ageretur. Posthæc, Conversionis suæ & anteactæ vitæ rationem reddit; quàm fuerit Jesu Nazareni nomini contrarius, quàm contra discipulos Christi insaniverat, eósque ad blasphemandum coegerit; prorsus ut se defenderet accusando. Mox, cùm Provinciæ Præses, homo Ethnicus, magìs Militiæ quàm Religioni addictus, amentiæ & delirii virum sanctum insimulasset, dici vix potest quanta cum modestia & reverentia respondit, dignitatis titulos attexens, *Non insanio, Nobilißime Feste, sed verba vera & sobria eloquor.* Quàm prudenter à Festo ad Agrippam orationem quasi in gyrum flectit? laudat, percontatur, respondet, peritiam Regis longè supra meritum extollit, *Probè novit ista Rex apud quem liberè loquor:* urget ipsius conscientiam, *Credis prophetis? scio quòd credis*; prorsus quasi ipsi fidem quam non haberet assuisset. Postremò, votum subjungit affectibus oratoriis plenissimum, ut quod prædicando non obtinuit, precibus saltem obtineret; *Optarim à Deo, ut & tu & omnes qui me audiunt, similes mei fieretis, non propemodum, sed admodum, exceptis vinculis istis.* Postremò, quod ad Philologiam Gentilium attinet, specimen habemus in unaquaque pagina. Loquendi formulas mutuatur à rebus ludicris, etiam horrendis; ut vox κυβείας, Eph. 4. 14. ab aleatoribus; & θηριομαχίας, 1 Cor. 15. à gladiatoribus desumpta; & πάλης, Ephes. 6. 12. à luctantibus. Præterea, diversas loquendi formulas ab Epistola Heracliti ad Hermodorum mutuatus est, ut non ultimi nominis Theologus observat; unum ex 1 Cor. 15. 32. alterum ex 2 Cor. 7. 2. tertium ex Phil. 3. 20. Porrò trium Poetarum dicta citari ab eodem Apostolo Hieronymus notavit, & Socrates hist. lib. 2. cap. 16. ex Arato hemistichium, Act. 17. 28. τȣ̃ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν· ex Menandro senarium, 1 Cor. 15. 33. Φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ' ὁμιλίαι κακαί· ex Epimenide Cretensi hexametrum, Tit. 1. 12. Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, &c. Atque notatu dignissimum, quòd hæc S. Apostolus allegavit, non solùm quando cùm Ethnicis disputat, ut Act. 17. sed etiam cùm fideles instituit, ad Corinthios, ad Titum scribens. Præter hæc, multa verba transfert à ludis & spectaculis Gentilium. ἄθλησις παθημάτων, Heb. 10. 32. ἄγων & ἀγωνίζομαι, & reliqua de stadiis, pugilibus, cursoribus, coronis Gentilium, decies ad minimum in ipsius Epistolis habentur: eò magìs mirandum est, quia ludis istis nihil erat iniquius, nihil sceleratius, nihil truculentius. *Circi insaniam*, & *arenæ atrocitates*, Tertullianus appellat: *inventa dæmonum*, *quorum mater idololatria*, Cyprianus: *irritamenta vitiorum*, *in quibus cùm homines interficiunt*, *ludere se opinantur*, Lactantius lib. 6. 20. *spectacula turpitudinum*, Augustinus civitat. 1. 32. τῆς πορνείας ὑποδεχόμενον, μᾶλλον δὲ ζωγραφούμενον, Chrysostomus oratione de Circo: *religionem impiam*, & *sanguinariam voluptatem*, Cassiodorus Var. 5. 42. *ubi à feris comeduntur*

tur homines cum aspicientium voluptate, inquit Salvianus. Et tamen similitudines istas & loquendi formulas sacris miscere paginis Apostolus non timuit. Prævidere facilè poterat futuros, qui hunc loquendi modum in advocationem criminum converterent, quod & fecisse eos Cyprianus ad plebem de Spectaculis testatur; *Cur*, inquit, *Christiano non liceat spectare, quod licuit Divinis literis scribere?* sic verba ad exhortationem virtutis posita, ad vitiorum patrocinia transferebant: & tamen vel istis formulis utitur Apostolus. Non eâ laborabat vocum penuriâ Apostolus, quò minùs istas phrases præteriret, aliásque assumeret: reliquis tamen posthabitis omnibus, loquendi modos & hortandi media à ludis Gentilium pessimis ducit, ut pugiles Evangelicos in stadio Ecclesiæ ad coronam cœlestem adipiscendam excitaret. Ex Scripturis luce clarius est, quid Prophetæ & Apostoli fecerint.

Si Antiquorum Patrum consuetudinem adjecero, non ultrà vobis hoc tempore molestiam creabo: quanquam excusandus essem si præterirem; nam ea omnia in unum fasciculum Hieronymus collegit, in Apologia quam hac de re scripsit ad Magnum oratorem Romanum; & Socrates in hist. Eccl. de singulis sic loquitur; *In Gentilium disciplinis exercuerunt se Doctores Ecclesiæ ab ineunte adolescentia ad extremam usque senectutem, ὡς ἔκ τινος συνηθείας, quasi consuetudine quadam*, Socrates 3 hist. cap. 16. Nemo est in historiis Ecclesiasticis mediocriter exercitatus qui ignorat, quòd quovis seculo suos habuit Oratores Ecclesia; Arnobium, Lactantium, Victorinum, & Cyprianum, qui Oratoriam docuit Carthagini, Hieronymus in Jonæ 4. quovis seculo suos Poetas; Juvencum, Sedulium, Prudentium, Aratorem, Apollinarem, Paulinum, Fulgentium, nè quid esset in Gentilitate speciem boni habens quod Christo non sacraretur. Nec deerant cuivis seculo Christiani Philosophi; Didymus, Justinus, Origenes, Basilius, uterque Gregorius, Augustinus, Damascenus, qui omnes & singuli suis ipsorum telis Gentiles prostrabant, Stoicos è disciplina Stoica, Aristotelicos è Peripatetica, & è Platonica Platonistas. Ut Christum assumeret, non abjicit philosophiam Justinus Martyr; neque Clemens Alexandrinus, qui, ut Gentes à superstitionibus avocaret, ex suis ipsorum libris, deorum, templorum, statuarum inanitatem monstravit. Quid autem in illis indoctum? quid non è media philosophia est? Hieronymus ad Magnum; *Clementem præceptorem secutus est Origenes, qui Religionis nostræ dogmata de Platone & Aristotele, Numenio Cornutóque confirmavit, quasi omnium literarum bibliothecas absorpsisset*. Ipse Porphyrius conquestus est, Græcorum divitias omnes ad Christianum dogma locupletandum Origenem convertisse, apud Canum, lib. 10. cap. 3. Quid dicam de Apologetico Tertulliani, qui cunctam seculi continet disciplinam? quid de Minutii Octavio, qui nil Gentilium scripturarum dimisit intactum? aut de Lactantii Opificio, in quibus lector dialogorum Ciceronis reperiet Epitomen? aut de Cypriani Polemicis, in quibus historiarum omnium scientiâ & verborum splendore idola perstrinxit? De Cypriano Augustinus sic loquitur, *Quanto auro & argento suffarcinatus exierit in Ægyptum Cyprianus, doctor suavissimus!* Augustinus De doctr. Christiana, lib. 2. cap. 40. Quid de Hilarii de Trinitate libris, in quibus 12 Quintiliani libros & stylo imitatus est & numero? de Eusebii Προπαρασκευῇ, in quâ impiam Gentilium Theologiam, de Ægyptiorum, Phœnicum, Græcorum, Atlantorum, Phrygum monumentis convellit? quid de Basilii Hexaemero, de utroque Gregorio, de Epiphanio & Theodoreto? quid denique de libro qui omnes & Græcorum & Latinorum labores hac in

re transcendit, Civitatem intelligo Augustini, orbem literarum, & ἐγκυκλοπαιδείαν magis quàm civitatem? Ante librum hunc, vel quemvis vobis proponere iniquum, & post eum quemvis, superfluum; quia in se solus, non partis alicujus, sed totius reipub. literariæ gratiam continet. Quocirca hîc coronidem impono.

Tertia Columna superest, quæ basi Rationis fulcitur; eáque duabus rotulis volvitur. Altera ab Institutione Dei sumitur, qui ad hoc ipsum & mundum condidit, & Artes humano generi indulsit, ut iis mediis & adjumentis in ipsius cognitione proficiamus. Altera ab Usibus quibus inserviunt; sunt autem tres potissimùm: Scripturarum intelligentia, Errorum redargutio, Veritatis & ornatus & profectus. Sed hæc postmodum agenda sunt. Interea quæ de sanctissimorum virorum praxi diximus, in præsentia satisfacere possunt. Quia quod factitatum indubiè ab omnibus Doctoribus Catholicis, quod Moses & Prophetæ, & Apostoli, & Christus ipse fecerunt, id nobis quoque licere nemo sanæ mentis non videt: neque aliter nos Christi regulæ conformes præbere possumus, nisi in utroque genere eruditi, sic *proferamus Nova & Vetera*.

LECTIO VII.

De Veritatis tutela in genere, maximè verò de præsentis causæ progressu, dici potest, Quòd iisdem planè & mediis & terminis & columnis fulcitur, quibus componitur. De Divinarum humanarúmque literarum consortio quæstio instituitur: pariter ex Divinis humanísque subsidiis argumenta trahuntur. Et Divina quidem illa voco quæ ex testimonio Scripturarum, ex praxi Prophetarum, Apostolorum & sanctorum Patrum deprompta sunt: Hæc ego superiùs perpolivi atque confeci. Humana voco quæ ex Rationum momentis eliciuntur: quæ pars pensi adhuc non est confecta; atque hodie curatam dabo: est enim Columna probationis tertia, quæ in Rationis basi statuitur. Rationes autem duæ erunt, altera ab Institutione Divina, altera ab humanis Usibus & utilitatibus desumpta.

Ratio prima ab Institutione Dei petitur, qui ad hoc ipsum & mundum creavit, & Rationem homini indidit, & Artium mysteria suis quæque temporibus patefecit, & singularia naturæ dona earum alumnis indulsit, ut suiipsius cognitioni & Theologiæ studio inservirent. Argumenti duo sunt capita. Alterum est de Mundo, qui ad cognitionem Dei; alterum de Mediis, quæ ad cognitionem mundi conducunt: hoc est, alterum à majoris mundi, alterum à minoris creatione sumptum.

Primum est de Mundo majore: & de hoc nemo est, opinor, qui ibit inficias quòd sit & *Schola*, & *Liber*, & *Magistra* χειραγωγὸν, ut Chrysostomus loquitur, hom. 25. de Diabolo tentatore; *manu nos ducens ad Divinæ majestatis disciplinam*. Quòd sit *Schola*, Basilius testatur, hom. 1. Hexaem. ibi mundum appellat, τὸ ψυχῶν διδασκαλεῖον, καὶ θεογνωσίας παιδευτήριον· quia nihil est in mundo tam abjectum & vile, quod Deo testimonium non perhibeat; quia quicquid uspiam invenitur, vim Dei habet sub se contectam, quæ si investigatione retegatur, Deum nobis referet. Quòd *Liber* sit, Augustinus in Psalm. 93. conc. 1. *Vis cogitare cælum? Librum Dei cogita*: addo, vis cogitare terram?

terram? librum Dei cogita, vel potiùs libri magni paginam alteram, cujus prima pagina est cœlum ipsum: pagina illa creaturis, hæc stellis, tanquam literis syllabísque, picta est; utraque Dei non minùs potentiam, sapientiam & bonitatem loquuntur, quàm naturam suam. Quòd sit eruditionis *Magistra*, Chrysostomus hom. 25. de Diabolo tentatore, *διδάσκαλος* (inquit) *ἐπὶ τῆς θεογνωσίας*, erudiens nos non voce & verbis, sed vultu & specie. Si ista non sufficiunt testimonia, audiamus Scripturam ipsam: mittit nos sæpius Spiritus Sanctus ad brutorum philosophiam; *Vade ad formicam, & disce sapientiam*; *Respicite volatilia cœli, considerate lilia.* Sæpius nos relegat ad mutos illos magistros. Psal. 148. *Laudate Deum, Sol & luna, & omnes stellæ luminis*; *laudate cœli cœlorum, & aquæ supra cœlos:* & Psal. 19. *Cœli enarrant gloriam Dei:* & Rom. 1. *Invisibilia ejus ex rebus conditis intelliguntur, & ex creatione mundi.* Quàm aptè inter se conveniunt? quod Psalmographo *cœli*, *res conditæ* Apostolo; ibi *gloriam Dei*, hîc *invisibilia Dei:* stylò veteri, *laudant*, *enarrant*; novo, *faciunt ut intelligantur*, hoc est, ostendunt. Quomodò ostendunt? inquis, quomodo enarrant? vocem non habent, os non possident, ipsis non est lingua, & quomodo narrant? Aio, narrant non narrando, *σιγῶντες κήρυκες*, ut ille loquitur, vertente Augustino, *eloquentes muti.* Sed quomodo tamen Chrysostomus doceat, hom. 9. ad Antioch. *διὰ τῆς ὄψεως*, ostendunt *per ipsum aspectum*, motu suo, lumine suo, calore, ordine, pulchritudine: hæc lingua, hic calamus: vox dicentium est ipsa evidentia, August. confess. 11. 4. Laudant dum nos ad laudandum excitant: prædicant, quia nobis ansam ministrant prædicandi, philosophandi. Et quid enarrant? laudem Dei, gloriam Dei, invisibilia Dei: i. e. dicente eodem Apostolo, gloriam æternitatis, nam hæc est invisibilis; gloriam Divinitatis, & hæc est invisibilis; gloriam potentiæ, bonitatis, majestatis, neque hæc tamen sunt visibilia, & cœli efficiunt ut videantur. Et quibus narrant? quibuscunque: *in omnem terram*, inquit egregius Psaltes, *exivit sonus eorum:* nulla est gens, populus nullus, sive Græcus sive barbarus, sive Scytha sive Indus, qui simul non & legat & audiat.

Age igitur, recenseamus hæc rursus singula, ut vis & pondus argumenti appareat. Cœlum & terra enarrant gloriam Dei, prædicant, laudant; non in se, sed in nobis, quia nobis invisibilia ejus videnda proponunt, ut nos laudemus in ipsis. At ista quo possunt modo fieri, nisi nos in studio philosophiæ & arcanis naturæ discutiendis exerceamus? aut quis maximè narrabit, nisi qui illarum rerum peritissimus fuerit? Num frustrà hæc omnia dicuntur? frustrà nos vocat Spiritus Sanctus ad laudandum & prædicandum? laudare in creaturis jubet, & vetat inquirere? Ego verò quomodo ex Sole, luna, stellis, igne, grandine, ventis, montibus, aquis, jumentis, arboribus, laudes Divinas enunciare potero, si, quæ hæc singula docent, artes & scientias liberales explosas dedero? quomodo erit mihi vel liber, vel magister, vel disciplinæ schola mundus, si neque librum legere, neque magistrum audire, neque naturæ scholam vel tantillùm ingredi liceat? Non sic se res habet, inquiunt, licet tibi ista facere; sed in Concionibus sacris licere, hoc est quod negamus. Esto, sed neque sic vim argumenti eludunt; nam Psalmus ille qui est 148. ideo compositus est, ut in templo, ut in certis festivitatibus coram populo recitetur: est autem titulus istius Psalmi *Hallelujah*, & scopus Psalmi, ut è tuba creaturarum istud *Hallelujah* petatur. Vidésis, à cultu Divino non est absonum, ut vel ex ipso creaturarum libro laudes Dei prædicare

care

care populus edoceatur: atque non modò ædibus privatis hoc convenit, ſed & Sanctuario: eſt opus ſacrum Dei cultus, Dei templo dignum, laudes ejus vel ex naturæ viſceribus eruere, contemplando non unius tantùm ſpeciei naturam, ſed omnium, cœlorum, elementorum, meteororum, avium, piſcium, jumentorum atque reptilium. Sed neque hoc ſolum eſt; etenim non modò eſt opus Sanctuarii, ſed opus Sabbati: ſicut enim in Paſchate beneficium redemptionis ex Ægypto Judæi celebrabant; in Pentecoſte, beneficium datæ Legis; ità in die ſeptimo beneficium Creationis. Ad ſtudium ſacræ Philoſophiæ hunc diem Deus ſanctificavit, ut in operum ſuorum contemplatione aliquam ipſius partem tranſigeremus. Omnes fatentur, & ipſius præcepti partium ordo non obſcurè demonſtrat, *Sex diebus fecit cœlum & terram, ſeptimum diem ſanctificavit*: h. e. ſicut ſex priores deſtinati erant rebus creandis, ità ſeptimus iiſdem creationis operibus prædicandis. Hinc in Pſalterio *Pſalmus in Sabbatum* inſcribitur nonageſimus ſecundus. Rationem Hebræi reddunt, vel Moſen vel Davidem hunc Pſalmum feciſſe propter Creationis beneficium; idcirco cantabatur in die Sabbati, quia creationis memoriam repetit, verſ. 4, & 5. *In operibus manuum tuarum exultabo, quia magna ſunt opera tua, Domine.* Colligamus ergò ſingula. Pſalmus veræ philoſophiæ eſt Pſalmus Sabbati, meditatio creaturarum opus Sabbati, doctrina de mundi creatione Concio Sabbati, contemplatio operum Dei exercitium Sabbati; non modò Sabbati opus, ſed & Sanctuarii; ſi Sanctuarii, ergò & Pulpiti. Hoc caput primum, Argumentum à Majore mundo.

Alterum argumenti caput de Mundi minoris, i. e. Hominis, creatione agit, i. e. de Mediis quæ ad mundi cognitionem ducunt: duo autem reperiuntur, Ratio, quæ eſt oculus animæ, & Ars, quæ eſt oculus rationis; radius uterque de cœlo. De Ratione nemo dubitat, quòd ſit ſcintilla Divinitatis, hoc enim Tertul. per *Rem Dei* intellexit, cùm dixit, *Res Dei Ratio*. De Artium autem inter Ethnicos magiſtris, Platone, Ariſtotele & reliquis, æquè eſt perſpicuum à ſeipſis ſe errores habuiſſe, à Deo ſua eximia illa naturæ dona & ſtudiorum profectum. Clemens philoſophiam vocat *θείας προνοίας ἔργον*· & de omnium artium peritia concludit S. Jacobus Apoſtolus, cap. 1. ver. 17. *Omnis donatio bona, & omne donum perfectum, ſupernè eſt deſcendens, à Patre luminum.* De ſolis donis ſupernaturalibus intelligi non poteſt, quia univerſaliter Apoſtolus loquitur, *Omne donum*; qui *omne* dicit, nullum excludit: niſi quis ſpiritualis luminis patrem Deum agnoſcat, & naturalis luminis patrem alium conſtituat. Imò verò non luminis, ſed *luminum pater* eſt; ſive de corporis, ſive de animæ, de gratiæ, aut de gloriæ lumine loquamur: Neque doni, ſed donorum author eſt, ſive judicii, ſive acuminis, ſive intellectûs, ſive elocutionis donum fuerit. Sin minùs, redde mihi iſtiuſmodi doni nomen cujus author non eſt: vel audi Apoſtolum percontantem, 1 Cor. 4. 7. *quid habes quod non accepiſti?* hoc eſt, nihil habes. Si aliquid fortaſſe putas te habere, reſponde Apoſtolo, *Quid habes?* quod donum gratiæ? quod donum naturæ? ſi de Fide loqueris, hæc eſt operatio Spiritûs; ſi de Eloquentia, & hanc tibi Deus largitus eſt; ſi de Scientia, & hæc quoque eſt donum Dei, Theodoretus: ſi de quovis alio, *λαβὼν ἔχεις οὐχὶ τόδε καὶ τόδε, ἀλλὰ πάντα ὅσα ἔχεις*, Chryſ. ho. 12. in 1 Cor. *ab eo habes, non hoc aut illud quod habes, ſed quicquid habes.* Audi Apoſtolum iterum, *Quid habes?* nulla eſt reſtrictio perſonarum magìs quàm rerum. Nunquid ſic inſtituitur, Quid tu, Chriſtiane? quid tu, Apoſtole? imò, quid tu, Ethnice? quid tu, Philoſophe? Tu mihi dicas, Plato, quid habuiſti? & tu naturæ aquila Ariſtoteles? aut tu poetarum oculatiſſime Homere? unde vobis

tam ampla donorum supellex? nempe Deus illis manifestavit, Rom. 1. 19. Hoc ipse Socrates agnovit, cùm de cœlo se Philosophiam evocasse dixerit: Hoc Persarum Magi, & Platonicæ philosophiæ magistri, qui disputationes suas à precibus semper exorsi sunt, & in precibus itidem finierunt; vel ex hoc Artium peritiam animíque dotes cœlitus devenire confitentes; Pic. Mirand. l. 1. c. 4. De studio Divinæ & humanæ philosophiæ. Agnoverunt sancti Patres; Ambrosius, *Quicquid verum, à quocunque dicitur, à Spiritu Sancto dicitur*; & Prosper De vita contemplat. præfat. ad lib. 2. *Veritas undecunque claruerit, non est humano ingenio deputandum, sed Deo*; & Justinus, & Clemens: quorum ille Philosophiam appellat μέγιστον κτῆμα, καὶ τιμιώτατον θεῷ, *gratissimum*, Justin. in Dialog. hic, *æternæ veritatis* σπαραγμόν τινα, Strom. 1. *radium quendam divinitatis*; atque addit, *Non minùs nos à Deo Philosophiam, quàm Scripturas ipsas accepisse, sed diverso modo; Scripturas, Deo inspirante*, Artes, Deo assistente: Scripturas integras & incorruptas, per organa ad id sanctificata; Artes verò corruptas & mancas, per organa ad id non sanctificata, sed ordinata tamen. *Scripturarum enim*, inquit Clemens, *autor est* κατὰ προηγούμενον, *philosophia* κατὰ ἐπακολούθημα, sive *per consequentiam*, Strom. primo. Ergò si ipsi soli sua bona Ethnici accepta ferunt; nunc mihi respondeas velim, non Apostolo, Cui bono? cui fini ista à Deo acceperunt? In finem aliquem malum, opinor, non dixeris; non ad erroris profectum, non ut hæretici hinc arma sumerent: Noxia Deus non docet; *Ego Dominus docens te utilia*, If. 48. 17. Cui igitur bono? vestro, nostro bono, veritatis bono, Ecclesiæ bono: sicut quod ad Legem spectat, Christianorum bibliothecarios Judæos, ità quod ad Artes spectat, Christianorum thesaurarios Ethnicos fecit: ut disputandi leges à Philosophis hauriremus, ad veritatem stabiliendam; & persuadendi exemplar ab Oratoribus, ad animas convertendas; & corripiendi formulas à Poetis, ad vitia exstirpanda. Quocirca agamus intrepidi; quæ ad bonum nostrum & usus nostros data esse non dubitamus, ad usus sacros promovere non est quod dubitemus. Hoc est Argumenti caput secundum, adeóque prima ratio quæ trahitur ab Institutione Divina.

Ratio secunda deducitur ab Usu in quem seculares literæ inserviunt: si enim ad usus sacros conducunt, à Sacrorum usu exterminari sine sacrilegio non possunt. Est autem ipsarum in Sacris usus multiplex; & ad Scripturarum textum intelligendum, & ad Errorum monstra resecanda, & ad Veritatis itinera amplianda.

Prima earum utilitas est ἐξηγητική, atque ad intelligentiam Scripturarum refertur; quarum peritia sola & optimos Christianos facit, & longè doctissimos Theologos. Quærit in Scripturis Theologus quid in quaque dictione, imò, inquit Basilius, quid in quaque syllaba absconditum, Basil. de Spiritu Sancto, cap. 1. Non quiescit famelicus veritatis animus, donec in ipsa Divini Eloquii viscera penetraverit atque meditullia. At verò isthuc quis pertingere possit sine eruditionis clave, atque scientiarum subalternarum asseclis? sunt enim in Scripturis multæ loquendi formulæ, quæ absque adjumentis humanæ literaturæ nec plenè intelligi possunt, nec dilucidè enarrari. Quis nescit passim occurrere in Sacris paginis nonnulla de corporum cœlestium motu, de influentiis astrorum, de obtenebratione Solis & Lunæ, de cessatione motûs ipsorum, quæ expediri non facilè possunt sine peritia Astronomica? Sunt alia quæ alludunt ad proprietates animalium, luporum, ovium, leonum, ursarum, columbarum, aquilarum, struthionum, necnon elementorum, ventorum, nubium,

bium, plantarum, arborum, fontium, metallorum, gemmarum, quæ excutere nemo potest, nisi probè calleat Naturalem philosophiam. Alia sunt quæ respiciunt ad temperaturam regionum, ad locorum situm, cursum fluviorum, regnorum terminos, denique ad numerorum, ponderum & mensurarum rationes, quæ rectè expendi non possunt sine Geographiæ & Arithmeticæ calculo. Adhuc & alia sunt de moribus gentium & consuetudinibus seculorum, de notationibus temporum, de Ethnicorum idolis, cultu, ritibus, superstitionibus, deliriis, institutis, ingeniis, legibus, ludis, coronis, præmiis, triumphis, Ægyptiorum, Assyriorum, Chaldæorum, Persarum, in quibus aqua hærebit, nisi Historicos, Herodotum, Xenophontem, Strabonem, alió sque consulamus. Exempla è libris Ezræ & Danielis non obscura trahere possumus. De Danielis prophetia audiamus Hieronymum in prologo Danielis; *Ad intelligendas*, inquit, *extremas partes Danielis, multiplex historia Græcorum necessaria est, Diodori, Polybii, Possidonii & aliorum, qui post Alexandrum ad Cæsarem Augustum Syriæ & Ægypti bella describunt.* Postremò, sunt in Scripturis alia tropis & figuris adeò referta, interrogationibus adeò intercisa, verborum reticentiâ & compendio adeò involuta, anticipationibus adeò transversa, ut in nativum sensum resolvi non poterint, nisi advocetur Rhetorica. Quòd si Scripturæ anima non in verborum foliis, sed in radice rationis consistat, metuendum est nè pro anima umbram captemus aliquoties, nisi symbolam suam conferant exoticæ disciplinæ, quæ tantum ad eliciendam Sacrarum Scripturarum notitiam conferunt. Ista est prima Utilitas.

Secunda earum Utilitas est ἐλεγκτική· etenim vel maximè prosunt ad eorum oppugnationem qui adversantur veritati, sive Pagani fuerint, sive Hæretici. Quod ad Hæreticos attinet, contra eos in controversiis Religionis dijudicandis operam navare feliciter non est possibile, nisi leges disserendi ad unguem habeantur, ad fraudes sophistarum & paralogismos detegendos. Quòd vetus illud & sæpius tritum objiciunt, A lumine Fidei, non à Ratione, Religionis articulos fluere, quia rationem fides transcendit; causæ non præjudicat. Primò de Assensu intelligendum est, non de usu: ut assentiatur Religionis principiis, suo lumine fides contenta est, rationis arbitrium non exspectat; at verò ut utatur principiis ad hoc vel illud probandum, secundùm normam rectæ rationis procedat necesse est. Secundò, de Articulis Religionis discernendis & recipiendis verum est, non de docendis: in Religionis capitibus amplectendis, renunciamus rationi humanæ, quia in his quæ pendent ex Divina revelatione cæca est ratio. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Dei*, inquit Apostolus, *Spiritu enim Dei discernuntur*; h.e. homines lumine naturali non magis de cœlestibus judicare possunt, quàm bruta animalia de humanis negotiis. Sed in applicandis & illustrandis iisdem capitibus ratio ancillatur; neque enim ritè dispensari aut administrari possunt sine recta ratione. In rebus maximis est planè impossibile, quia vel in minimis difficile est & absurdum, absque ratione versari. Tertiò, de Principiis fidei verum est, non de Conclusionibus. De Principiis ratio non judicat, sed ratio fide illuminata rectè de Consequentiis & deductionibus judicat; quomodo partes inter se cohæreant, & se mutuò vel stabiliant, vel sibi invicem allidant: hoc est, circa Principia Fides versatur; ast quid Principiis istis consentaneum, vel ab illis dissentaneum, Ratio decernit. Ut verbo dicam, Veritas rerum dependet à lumine fidei, veritas consequentiarum etiam à regulis rationis. Credimus supra rationem, at non temere & irrationabiliter.

tionabiliter. Verbi causâ, sit ista Propositio, *Omnia in Ecclesia fiant ad ædificationem*; fides annuit, quia Scriptura hoc dicit: sit ista Deductio, Ergò *Preces in lingua peregrina inutiles sunt*; ratio concedit, quia Dialectica concludit. Sic illud, *Unus mediator Dei & hominum, homo Christus*, est Propositio fidei: Ergò, *Sancti ut Mediatores non sunt colendi*, est Conclusio rationis. Scriptura Thesin ponit, *Honorabile conjugium:* Ratio Hypothesin, Ergò *impiè sacerdotibus Pontificii conjugio interdicunt.* Propterea Christus in Evangelio *scrutari Scripturas* jubet, & Apostolus *omnia explorare*, 1 Thes.5.21. at fieri non potest hoc scrutinium, aut exploratio hæc ad hæreses ventilandas, sine interventu Dialecticæ.

Secundò, ut contra Hæreticos non possumus, sic neque contra Paganos disputare nisi simus eorum placitis instructi, & Elenchis atque cavillamentis exercitati. *Si quisquam*, inquit Hieronymus, *adversus Mathematicos velit scribere, imperitus Matheseos, risui patebit.* Quòd autem Franciscus Picus Mirandulanus dicit, *nunquam se legisse, neque inveniri posse qui legerit, hæreticum quenquam aut Paganum, vi aut Logica devictum, aut Rhetorices persuasum, dogma suum abjurasse*, l.1. De studio Div. & hum. Philosophiæ cap. 3. confidenter magis dictum quàm veré. Legimus enim, Act. 17. Dionysium aliósque Athenienses philosophos hoc modo a S.Paulo ad fidem conversos. Atque Isidorus Pelusiota astipulatur, l.4. ep. 76. πόσοι Πυθαγόρειοι, πόσοι Πλατωνικοὶ, &c. *Quot*, inquit, *Pythagorici, quot Platonici, quot Aristotelici, quot Stoici hoc modo facti sunt Christi discipuli?* Sed esto, ad convertendos Ethnicos philosophia purior non sufficiat; satis est si ad convincendos. Si exinde non eveniat ut os fidei confiteatur, satis est si os impietatis obstruatur: & vel ut hoc fiat, opus est philosophicâ armaturâ. Est enim Philosophia, ut inquit Clemens, Strom. 1. Ὡς φραγμὸς καὶ θριγκὸς, *instar valli seu sepimenti contra illorum insultus*, instar clypei ad sophismata retundenda, instar mucronis ad illos transfodiendos. Quid autem magis honorificum, quàm Jovi fulmen, Herculi clavum subtrahere? bis interimitur qui suis armis perit. Quid magis gloriosum quàm gladio proprio Goliæ caput amputare? Nec minus honorificum Ecclesiæ Doctoribus, in suis ipsorum castris hostes veritatis fundere, & imbecillitatem eorum in fidei robur convertere: iis ipsissimis armis quibus placere sibi & confidere solebant, sauciare, ut Lactantius loquitur, l.3.c.1. Hoc Deus ipse monstravit, quando Magos ad Christum, non per Angelum, non per Apostolum aut Evangelistam aliquem, sed per stellam, artis suæ symbolum, ducebat. Hoc author libri Job, quicunque fuerit, planissimè sensit; nam in eo libro, quia interlocutores, quos author introducit, homines Ethnici erant, igitur res agitur naturalibus duntaxat rationibus. Hoc Apostatarum princeps Julianus invitus concessit, qui cùm Gentiles philosophos ipsius philosophiæ subsidiis prosterni à Christianis cerneret, vocem illam emisit, τοῖς αὐτῶν πτεροῖς ἁλισκόμεθα, *Nostris ipsorum alis capimur.* Hoc S. Paulus, orator invictus, & novit & fecit, cùm Atheniensium, ex aræ titulo quam apud ipsos viderat, *Ignoto Deo*, superstitiones profligavit, Act.17.24. & *vicit quidem*, inquit Hieronymus, *aliud agendo; nam inscriptionem fortuitam arte torquet in argumentum fidei*, Hier. ep.84. ad Magnum. Hoc priscæ Ecclesiæ antistites, Tertullianus, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, Augustinus, &c. noverunt & fecerunt omnes, qui Gentilium dogmata suis ipsorum scriptis convellebant. Ista est Utilitas secunda.

Tertia earum Utilitas est διδασκαλικὴ, & ad vitæ bene transigendæ veritatisq; profectum se extendit.

LECTIO

LECTIO VIII.

IN perorando, si Platoni credamus, mensura dictionis non tam à dicente quàm ab audiente petenda est, quia finis Oratori propositus unus ille est, ut persuadeat aliis, non ut gloriolam aucupetur sibi. Quocircà non suæ, sed circumstantium coronæ prospicere debet, cùm non in suam gratiam loquatur, sed aliorum. Pariter & in disputando se res habet: inter disputationis leges regula illa, si non sola, certè præcipua habenda est, ut non causæ modò, sed & personis argumenta congruant; nec quæstioni tantùm, sed homini. Neque enim necesse est ut sibi elucescat veritas, sed aliis qui se opponunt; quibus nisi os contradictionis obstruatur, causa non promovetur. Peccasse in hoc uno Cyprianum Hieronymus notavit; *Erat*, inquit, *Cyprianus vir eloquentiâ pollens: sed ob hoc ipsum culpam aliquam contraxit, quòd adversus Demetrianum scribens, testimoniis usus sit Prophetarum & Apostolorum, quæ ille ficta & commentitia dicebat; & non potiùs philosophorum & poetarum, quorum authoritati, ut Ethnicus, contraire non poterat*, Hier. ep. 84. ad Magnum. Fortasse & mihi qui crimen idem intendant non deerunt: quòd sicut ille adversus Ethnicum, non ratione sed Scripturâ agens, infeliciter rem expedivit; sic Ego contra secularis Literaturæ hostes, homines Christianos, differens, imprudenter fecisse videar, quòd non Scripturis pugnem, sed rationibus & argumentis. Verùm habeo abunde quod respondeam, si qui sint qui hac de re satisfactum sibi iri cupiunt. Inprimis, non illam à me partem prætermissam quæ Scripturarum suffragium advocabat, sed superiùs confectam: deinde, & rationes adductas vel omnes vel plurimas Scripturis ipsis niti, & è Sacræ paginæ funda torqueri. Postremò, æquum esse duxi, ut qui disciplinas humaniores despicatui habent, pondus sentiant manûs contemptæ, ut vel hinc ipsarum utilitatem agnoscere cogantur. Igitur quod ad rationum rivulos spectat, è duobus illis fontibus haustos esse non est quod denuo suggerem; fons uterque perennis, ab origine mundi scaturiens usque ad exitum.

Vena prima ducitur ab Institutione Dei, qui ad hoc ipsum & mundum condidit, & Rationem homini indidit, & artium mysteria suis quæque temporibus patefecit, & singularia ingenii dona earum alumnis indulsit, & Sabbati sui solennitatem sanctificavit, ut suiipsius cognitioni, h.e. Theologiæ studio, subservirent. Quòd si laudum Divinarum ex creaturis recognitio sit finis & hominis, & artium, & ipsius mundi; quòd si à Deo ipso eadem recognitio reputetur opus dignum & Sanctuario, loco sanctissimo, & Sabbato, die sanctissimo, & Israelitis, populo sanctissimo; quid impedit quò minùs sit & ipsâ Concione dignum, exercitio sanctissimo? Hucusque vena prima.

Secunda ducitur ab Usibus sacris, sive utilitatibus quibus disciplinæ externæ inserviunt. Sunt autem tria. Una est ἐξηγητικὴ, ad Scripturarum intelligentiam enucleandam. Altera ἐλεγκτικὴ, ad Errorum monstra resecanda. Tertia διδακτικὴ, ad vitæ veritatisque profectum ampliandum. Priores duæ ad exitum nuper sunt perductæ.

Tertia sola nunc restat, quæ hodie mihi est persequenda: quod si fecero, instituti mei rationem esse omnibus confido per omnia absolutam. In hac

hac autem parte duo sunt nobis inspicienda: Quomodo ad Vitæ, & quomodo ad Veritatis profectum Artes liberales conducunt.

De vitæ morúmque institutione prima sese offert inspectio; & de hac Tert. lib. de Idololatria, tempestivè quærit: *Dic quomodo quis instituatur ad prudentiam humanam, vel ad quemcunque vitæ actum, sine literis; cùm instrumentum sit ad omnem vitam literatura.* Quod dixit *ad omnem vitam,* de omni genere vitæ, de omni parte vitæ, de omni vitæ ætate intelligendum proposuit: quia passim in ipsis Ethnicorum libris multa occurrunt adeò commodè dicta, adeò luculenter exposita, adeò graviter disputata, ut ad vitam rectè agendam maximopere faciant. Sed audire mihi videor qui obloquantur; Verborum seminator hic quid est quod dicit? nos aliter didicimus Christum: Scripturam solam esse & veritatis & pietatis Cynosuram accepimus; at ille nugas Ethnicorum obtrudit, prorsus quasi ad hoc ipsum norma cœlestis deficeret. Heus, bona verba! Agnosco Scripturam Sacram solam, eámque perfectissimam, regulam & Veritatis & Vitæ: in ea habet Ecclesia plenissimè exposita quæcunque vel ad salvificam fidem, vel ad mores sanctos pertinent: exinde discimus, εἴ τι μαθεῖν, εἴ τι ἀγνοῆσαι χρὴ, ut Chrys. optimè, *& quid sciri debet, & quid ignorari. Si arguere falsitatem volumus, indè hauriendum; si castigari & corrigi opus est, indè ducendum est; si quid desit ad exhortationem aut ad solatium, & indè oportet adipisci*, Chrys. hom.9. in 2 Tim. αὐτάρκεις γάρ εἰσι περὶ τῆς τῆς ἀληθείας ἐπαγγελίαν, inquit Athanasius, Orat. con. gentes in initio. αὐτάρκεις εἰσὶν, elegans est & augustum vocabulum; *neque datur aliqua Latina dictio quæ ei respondeat*, inquit Lambinus in 1 Ethic. sed pluribus verbis est declarandum. Et Vincentius Lyrinensis id facit, c.2. *Perfectus est Canon, sibi ad omnia satìs superque sufficiens: sibi sufficiens*, id est, nobis sufficiens, ex se nobis; *satis superque sufficiens*, id est, ad omnia sufficiens. *Lex perfecta,* inquit Psalmista, & *lex perficiens,* inquit Apostolus. *Sive docetur ignorans, sive arguitur insolens, sive corripitur errans, sive eruditur ad justitiam qui modum servare non novit,* Primasius. *Ad hæc omnia sufficit Scriptura, ut & prudentissimos faciat & probatissimos; prorsúsque nihil indigemus ad hoc externis magistris*, Cyrill. con. Julianum, l.7.

Sed istis concessis, num idcirco excluditur moralis philosophiæ usus, quominus faculâ suâ Divinum illud lumen sequatur? Etenim eo ipso in loco Athanasius quo Scripturarum αὐτάρκειαν prædicat, aliorum libros adjuvare docet περὶ τῆς τῶν γραφῶν ἑρμηνείαν, ad istam Scripturarum sufficientiam exprimendam. De istis igitur sequenda est regula quam de ritibus Augustinus ponit, ep. 119. *Una in his saluberrima regula tenenda est*, &c. *ut quæ habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solùm non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur.* Igitur ut quàm brevissimè dicam, Habent ad Scripturam Sacram exoticæ disciplinæ ordinem duplicem.

Primò, Dependentiæ; Scripturæ sunt ὥσπερ πηδάλια, *ut anchora navigii: Artes sicut vela, cursum accelerantia*, Basil. De leg. Gentil. libris. Fundamentum vitæ bonæ Scriptura; sed & Moralis philosophiæ non inutile medium perveniendi ad fundamentum illud. Quis nescit, de vitæ humanæ officiis, de virtutibus item & vitiis, multa præclarè scripsisse Poetas, & inprimis Philosophos? quàm salubria morum præcepta in Senecæ scriptis habemus; virtutum exempla quàm splendida apud Plutarchum; vitæ civilis institutionem quàm pulchram apud Xenophontem

tem & Epictetum; bonorum malorúmque discrimina quàm exquisita apud Aristotelem, Ciceronem, Theophrastum; ad beatitudinem incitamenta quàm acria apud Platonem? Homeri poesin Basil. De libris Gentilium legendis, *purum virtutis Encomium* putat; *nil aliud est*, inquit, *quàm τ̃ ἀρετῆς ἔπαινος.* & de Senecæ scriptis tam honorificè Hieronymus sensit, ut eum in Sanctorum Catalogo non vereatur collocare. Quocirca quod in agricultura Augustinus observavit, *solo vomere terra proscinditur; sed ut hoc fieri possit, cætera etiam aratri membra necessaria*, Aug. Civ. 11. 2. idem in hac re dicendum; sufficit Divina regula, sed ad eam aditus facilior per secularia studia. Penes Scripturam est harum contemplationum authoritas; ministerium secularia præstant, ut apparitores virtutis. Hic est Ordo primus.

Secundò, habent ad sacras Scripturas ordinem Assistentiæ. Scriptura est sola regula vitæ; sed philosophorum præcepta & exempla sunt utile commonitorium, sive ut sobriè & castè quis vivat, sive ut quæ justa sunt exsequatur: ut modestè se gerat; ut, cùm ratio postulat, magnificè & splendidè. Sed audire videor rursus qui negotium mihi facessat. Quid hæc ad nos? non habent Ethnici veras virtutes; *quia ubi non est vera Religio, non potest esse vera Virtus*, Aug. Civ. 9. c. 25. etenim & *virtutes quasdam pro vitiis, & vitia quædam pro virtutibus habuerunt*, Lact. l.6.c.14. Non habent æquitatis leges incorruptas; quia, ut Lact. l.6. c.9. *non tam justitia quàm utilitas inter eos leges reperit.* Ipsissima eorum inscitia genus quoddam erat injustitiæ. Possunt ista dici, sed & refelli possunt. De Idea virtutum non agitur, sed de adjumentis: veras virtutes philosophia Ethnica nescit, sed semina spargit; ad virtutem perfectam non perducit, sed conducit tamen; iter non perficit, at verò inchoat; non facit ut assequamur, sed, Comici verbo, *operam* dat *adjutabilem:* sunt enim, inquit Nazian. Or. 43. ad finem, *quasi clavi & stimuli quibus mentes nostræ non minùs agitentur, ἢ διεγείρεται σώματα τοῖς βουκέντροις.* Tritum est enim illud Sapientis cujusdam dictum, *Exempla imparia multùm movent.*

Cynicum novimus ad vitæ parsimoniam sese excitasse intuitu pueri aquam è manu concava bibentis. Num parsimoniâ vincetur etiam à puerulo Diogenes? Laert.l.6. Sic Græcorum Oratorum princeps fabri exemplo ad vigiliam se composuit; & Miltiadis trophæa somnum sibi ademisse Themistocles conquestus est. Non absimile est quod de Polemone tradunt, ab infami vita moribúsque profligatis ad severitatem unâ Xenocratis disputatione perductum esse. Et de se Augustinus testatur, l.3. Confess. c.4. & l.8. c.7. excitatum se ad Christianorum sapientiam indagandam, lectione Hortensii Ciceroniani, quo laudes philosophiæ continebantur. Quid quòd & ipsa Scriptura, exemplis Liliorum & Formicarum, ipsius Bovis atque Asini, nunc ad industriam, nunc ad Dei cultum, nunc ad fidem Deo habendam nos adigit? vel hâc ipsâ ratione, quia ex rebus minimis maxima documenta eliciuntur: & semper virtutis specimen majus, quò exempli speculum vilius in quo exprimitur. Ecquod ad virtutem majus calcar quàm provocari Ethnicorum præclarè gestis? Quis tam hebes, qui ad magna illa Syllæ & Aristidis & Metelli nomina non excitetur, ut vel invitis extorqueat Felicis & Justi & Pii cognomenta? aut quantum dedecus, si in his ipsis & rebus & nominibus à Gentilibus superamur? Dicat mihi quisquam, si facto Mutii, qui dextram foculo injecit, homo Christianus non inflammetur magis ad Martyrium. M. Marcellus super captas à se

ſe Syracuſas lacrymas effudit; & tu, ſeculi nequitiam intuitus, continere potes à fletu? Religioſa erat Juſtitiæ obſervatio quam de Zaleuco accepimus, qui inter miſericordem patrem & juſtum legiſlatorem partitus, alterum oculum filio, alterum ſibi eruebat, ut caſtitatis jura ſervaret. Ecquod majus argumentum excogitari poteſt ad juſtitiam colendam? aut excuſationi quis locus futurus eſt, ſi inter Ethnicos plus valeat crepuſculum rationis, quàm nobiſcum lumen fidei? At ego cùm Curtii pietatem erga patriam ſuam, & Codri erga ſuam, lego, ſtipes eſſem & truncus niſi me memorem facerent multò majoris vinculi quo erga Eccleſiam obſtrictus ſum. *Diligite ut fratres*, inquit Apoſtolus: annon Scipionis & Lælii exemplo acuitur præceptum Apoſtoli? *Nolite mundum diligere*, inquit alter Apoſtolus: eritne labor irritus, vel philoſophorum exempla urgere qui mundum contempſerint? At verò Pammachium ſuum & Julianum Hieronymus Cratetis & Antiſthenis facto ad abnegationem ſeculi exſuſcitat, iſtis verbis; *Contemnis aurum? contempſerunt & multi philoſophi. Plùs debet Chriſti diſcipulus præſtare quàm mundi philoſophus. Ille, gloriæ animal, totam ſimul ſarcinam depoſuit; & tu te putas in culmine virtutum conſtitutum, ſi partem ex toto offeras?* ep. 26. & 34. Sic & Paulinum ad ſtudium Scripturarum hortatur, ídque Platonis & Pythagoræ exemplo, qui provincias multas & terras peragrarunt, ut literas quaſi toto fugientes orbe perſequerentur. Sic mortem Bleſillæ filiæ ſuæ Paulam intemperanter plorantem, Ethnicæ exemplo ad moderationem animi revocat; *Erubeſce, ô Paula, Ethnicæ comparatione ſuperaris. Melior diaboli ancilla quàm mea eſt, dicet Chriſtus*, ep. 25. Ergò ſi hæc & ſimilia, ſive dicta, ſive facta, ad animorum motus tantopere valent: num Concionatori non licet ea in ſacros uſus convertere, & adjumenta fidei? *Imò*, inquit Baſilius, καὶ ποιηταῖς, καὶ λογοποιοῖς, καὶ ῥήτορσι, καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ὁμιλητέον, *& poetis, & oratoribus, & rhetoribus, & omnibus hominibus utendum eſt, ſi exinde nobis aliqua utilitas futura eſt in virtutis ſtadio percurrendo*; Baſ. De leg. Gent. libris. Atque iſte eſt Ordo ſecundus quem ad Divina eloquia Ethnicorum dicta habere obſervavi. De Vitæ honeſtæ adjumentis hactenus egimus.

Videamus jam nunc, quid illud ſit quod ad Veritatis profectum conferunt; nam neque hoc tacendum eſt, præſertim cùm ſit argumentorum linea ultima, quæ ſola reſtat in hac quæſtione ducenda.

Ad veritatis autem Divinæ ſtudium triplicem ordinem habent Gentilium literæ. Sunt enim & Januæ ad introitum, & Appendiculæ ad augmentum, & Stragulæ ad ornatum Veritatis: Tria hæc munera Theologiæ præſtant.

Primum earum munus eſt, ut ſint Januæ ad Veritatis introitum; quia præparantur iis ſtudiis hominum ingenia, & quaſi coticulâ acuuntur, ad ſuſceptionem & diſquiſitionem ſapientiæ altioris. Quemadmodum & corpus noſtrum non priùs ſolidis cibis refarciendum eſt, quàm in pueritia nutritum ſit ſimplicibus & lactariis: ſic liberalium Artium rudimentis præexercitandus eſt animus ad habitus qui verè virum deceant perfectiores. Experto credamus Quintiliano; *Minima hæc*, inquit, *minimè ignoranda, ut ſine quibus nullus ſit majoribus locus.* Si non ipſi credimus homini Ethnico, at ſaltem Philoni, homini Judæo. Ille in libro De temulentia, & in altero illo De congreſſu quærendæ eruditionis gratiâ, *ſequeſtras Divinæ cognitionis* diſciplinas illas vocat, in quibus neceſſarium eſt cuique verſari, priuſquam ad grandiores ſapientiæ fores ſe conferat. οὐ γάρ ἐσμεν ἱκανοί, *non ſumus idonei* *prolem*

prolem ex virtute & veritate concipere, nisi cum ipsius famula mens prius congrediatur. ὥσπερ ἐν οἰκίαις αὔλειοι, καὶ ἐν πόλεσι τὰ προάστεια, *ut in domibus*, inquit, *sunt vestibula ante januam, & urbes habent sua suburbia per quæ adeuntur: ità & ante virtutem Artes liberales sitæ sunt, ad istam metropolin hæc via ducit.* Rationem addit, μεγίστη ὑπόθεσις ἀρετὴ, καὶ τῶν μεγάλων ὑποθέσεων μεγάλα τὰ προοίμια εἶναι συμβέβηκε, *argumentum maximum virtus, habet enim ambitum maximum,* totam vitam hominum; *ergò opus est ut non parvis utatur proœmiis, Grammaticâ, Rhetoricâ, Logicâ, cæterisque quæ in circulo continentur literario.* Si non Philoni credimus, ut Judæo; audiamus duo ista & Christianorum & Patrum lumina, Augustinum & Clementem. Clem. Alexandr. in 1 Stromatũ, Προκατασκευάζει τὴν ὁδὸν, inquit, *viam præparat doctrina Sacræ philosophia, mores priùs formando:* & Strom. 7. Προκαθαίρει καὶ προεθίζει τὴν ψυχὴν εἰς παραδοχὴν πίστεως, *præpurgat & quasi præfigurat mentem ad fidem accipiendam. Alacriores homines,* inquit Augustinus, *& perseverantiores reddit, & comptiores amplectendæ veritati; ut & ardentiùs appetant, & constantiùs insequantur, & inhæreant dulciùs,* Aug. de Ordine, lib. 1. cap. 8. Denique, si non Augustino, at saltem experientiæ ipsi credamus: illa apertè docet, faciliùs in mysteria sacra perrumpere illius acumen ingenii, quod in liberalium artium studiis quasi super cotem limatum fuerit; nam vel hâc culturâ formantur tenella ingenia ad imbuendum se Divinis eloquiis. ὥσπερ οἱ δευσοποιοὶ, inquit Basilius, hom. De leg. Gentil. libris, *ut fullones rem tingendam præparant quibusdam medicamentis: ità & nos externis istis præinitiamur ad penetralia & secreta Sacrarum doctrinarum.* Per hæc vestigia ad culmen usque ascenderunt miracula illa orbis Ecclesiastici, Origenes, Gregorius, Basilius, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, & reliqui: nimirum primò Seculares literas didicerunt, mox devenerunt ad Sacras. Quanquam quid ego istos memorem? cùm ipse Moses Divinas non priùs attigit doctrinas, quàm Ægyptiorum; nec Daniel priùs quàm Chaldæorum sapientiam didicisset: quantò magis nos ad Theologiæ studia accedentes, æquum est ut in illis exotericis priùs exerceamur? nam sine hoc semine jacto, quotquot concipiunt abortiunt. Sicut enim Sensus ad Intellectum, sic se ad Theologiam Artes habent. Mens videt, sed meliùs per oculos; & mens audit, sed per aures meliùs: sic humanarum literarum adjutorium Scripturam advocare dicimus; probè conscii, quòd sicut profanis repurgandis Sacra necessaria, sic Sacris intelligendis profana perutilia; sunt enim Januæ ad introitum Veritatis.

Secundum earum munus sequitur, ut sint Appendiculæ ad augmentum Veritatis. Adeò est res manifesta, ut oculis indicare possitis. Quod Apostolus, 2 Tim. 2. 20. *In magna domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed lignea & testacea*; atque hæc quæ minoris sunt pretii, quamvis ad splendorem rei familiaris non faciunt, usu tamen suo non carent: Ità in Ecclesia, quæ est domus Dei, fictilia hæc Gentilium literarum vasa ordinem suum habent, non quidem magisterii, sed famulatûs tamen; & usus non deest, quia *dum secularibus instruimur, spiritualibus adjuvamur*, ut optimè Greg. in 1 Sam. 13. 20. Ergò nè videar clarissimis rebus tenebras obducere, paucis accipite. Ad perfectionis culmen non aio nos istis mediis perduci posse; sufficit si vel ad limen perducant. Sanctuarii siclus ponderosior, sed & Fori usum aliquem habet. Non aio cuivis Christiano eas simpliciter necessarias, sed Theologo perquam utiles & opportunas. Omnes æquè artes ad tabernaculi fabricam conducere non assero, quia eandem omnes non habent cum Sacra Scriptura affinitatem:

G tatem:

tatem: sed habent omnes aliquam, alia sic, alia autem sic. Quod ad Logicam attinet, necessaria illa est ut veritatem muniamus adversus hæresium insultus & incursiones; hæc illa ars est quæ veritatem à falsa ipsius imagine secernere, quæ omnem sermonis fraudem retegere, quæ Sophistarum insidiis ire obviàm solet, & in omni disputatione scopum collimare.

Quod ad sororem ejus germanam Rhetoricam, est ea utilis ut veritatis mysteria perspicuè tradamus, & verbis propriis, nè in solœcismos & ἀκυρολογίας incidamus, adeóque in errores; nam ex verborum corruptelis errores pedetentim oriuntur.

Quod ad Historias Gentilium, & illæ nobis usui erunt, *ut probemus ea*, inquit Hieronymus, *quæ à sanctis Prophetis multis antè seculis prædicta erant, tam Græcorum quàm Latinorum historiis ut facta contineri.* Hieron. prologo ad Danielem.

Quod ad Philosophiam; reperiuntur in veterum Philosophorum scriptis reliquiæ quædam & characteres multorum Fidei dogmatum, quæ ipsi è Mosis & Prophetarum scriptis suffurati sunt; atque vel illa humano ad Deum gradu promovent, quia paucula quædam de Deo rimantur. De Unitate Dei peti nonnulla possunt ex Pythagora, Archyta, Empedocle, Parmenide, Zenone, Platone, Aristotele, Homero, Demosthene; de Creatione mundi, ex Trismegisto, Orpheo, Homero, Hesiodo, Arato, Plotino, Porphyrio: ex aliis non pauca de Creatione hominis, de Immortalitate Animæ; atque de ipsis Angelis bonis & malis non contemnenda ex Orpheo, Menandro, Empedocle, oraculis Chaldaicis, Platone, aliisque. Imò, inquit Hieronymus, *si cunctos philosophorum revolvas libros, necesse est ut in eis reperias aliquam partem vasorum Dei, quæ intelligenda sunt dogmata veritatis*; Hieron. comm. in Dan. cap. 5. Quid autem, inquis, profutura sunt reperienti? *Omnimodo plurimùm*, ut inquit Apostolus, Rom. 3. 2. Plurimùm ad erroris redargutionem; quia facilè ea omnia peritus artifex in sua ipsorum pectora retorquere potest, & suis ipsorum vocibus ipsis os obstruere. Ad veritatis incrementum plurimùm, cui vel minutissima quæque aliquid addunt, sicut acervo tritici ex minutissimo grano aliquid est augmenti; & igni grandiusculo vel ex una scintilla aliquid splendoris accedat necesse est. Instantiis res erit clarior. Hortatur Plato Nè nimiam corporis curam geramus, neque plùs ei indulgeamus quàm quod ad philosophiæ ministerium sufficiat: annon cum S. Pauli convenit sententia, Rom. 13. 14. *Carnis curam nè habeatis ad explendas cupiditates ipsius? Non solùm manus judicis, sed etiam oculos continentes esse debere*, clamavit Pericles: ecquid aliud est quod Deus in mandatis reliquit per manum Mosis, Deut. 16. 19. *Non inclinabis in alteram partem judicium, neque capies munus; quia munus excæcat oculos sapientum, & destruit verba justorum?* Rursus, Euclides Megarensis, cùm furiosus quidam mortem se ei jurasset illaturum, *Et ego*, inquit, *vicissim juro patienter me laturum, atque precaturum tibi omnia optima atque faustissima:* annon per omnia quadrat Evangelico præcepto, Matth. 5. 44. *Diligite inimicos vestros, orate pro persequentibus, benedicite calumniantibus?* Ad idem recidit illa Alexandri digna Rege quovis Christiano continentia: Ille Darii filias captivas, admirabili formâ & decore conspicuo, vel videre dignatus non est; turpe esse existimans virorum victorem vinci fœminarum aspectu: annon è fontibus Salvatoris hausisse sui animi propositum auditor ignarus affirmaret, cùm verba legerit, Matth. 5. 28. *Ego dico, quòd omnis qui aspicit mulierem ad concupiscendum eam, jam adulteravit eam in corde suo?* Nè videar vos opprimere multitudine, liceat solummodo illud Cliniæ Pythagorici

thagorici attexere: Ille quando per juramentum mulctam trium talentorum vitare potuerat, injuriam pati maluit quàm jurare, idque cùm non esset falsò juraturus: prorsus quasi illud de juramento nobis interdicto præceptum audivisset, *Ego dico vobis, Nè juretis omnino, neque per cælum, neque per terram*, Matth. 5. 34.

Hæc ego è multis paucula delibavi, Auditores; quanquam non sum copiam, quam potui, in re non dubia persecutus. Hæc, inquam, libentiùs delibavi; ut extra omnem controversiæ aleam in tuto res ipsa ponatur, & licere nobis Ethnicorum supellectile uti ad emolumentum veritatis; quia quæcunque ab iis probè dicta sunt, nostra magìs sunt quàm ipsorum. Acerrimus Philosophorum hostis Justinus Martyr libenter concedit, Apologiæ parte primâ, ὅσα παρὰ πᾶσι καλῶς εἴρηται, ἡμῶν τῶν Χριστιανῶν ἐστιν, *Rectè dicta philosophorum sunt peculia Christianorum*: &, *consilium veritatis*, inquit Augustinus, *à quocunque fuerit, qualecunque fuerit, non debet contemni*, Aug. qu. 68. in Exod. Extra proprium locum Virtus & Veritas subsistunt ubi in Gentilium libris reperiuntur; ergò *ab iis vindicanda est in usum nostrum tanquam ab injustis possessoribus*, inquit August. De doct. Christiana. Sacri ærarii fures erant; extorquendus est eorum manibus thesaurus, & quodam postliminii jure recipiendus, ut quod suum est templi gazophylacium habeat, quia illa omnia Appendiculæ sunt ad augmentum Veritatis.

Tertium munus jam succedit, ut sint quasi Stragulæ & tapetia ad Veritatis ornatum: faciunt enim ut ipsa Fidei dogmata in mentem faciliùs & jucundiùs influant, maneántque diutiús. Ergò concedendum aliquid est vel ipsis auribus audientium, ut propinemus illis non utilia solummodo, sed suavia. ἔχει γὰρ ἑκάστη τέχνη γλαφυρὰ ἅττα καὶ ὁλκούς τινας δυνάμεις, *habet unaquaque ars suas elegantias* quibus alliciat, Philo De congressu quærendæ eruditionis gratiâ. Hinc Clem. Alexandr. inter Sacras & Seculares literas discrimen idem docet esse, quod inter Cibum & Condimenta: *ex Sacris literis veritas necessaria est ad vitam, tanquam panis; quæ ex aliis disciplinis petitur*, προσοψήματι ἔοικε καὶ τραγήματι, *condimento similis, & secundæ mensæ ferculis*. S. verò Basilius illud interesse putat quod inter fructus & folia; ἡ ἀλήθεια καρπὸς, τὰ ἔξω ὡς φύλλα τινὰ σκέπην τῷ καρπῷ καὶ ὄψιν παρεχόμενα, *Animæ fructus veritas, exteriores disciplinæ ut folia fructibus umbram & aspectum præbentia*, Bas. de leg. Gentil. libris. Laus arboris in fructu, ornatus etiam in foliis; nutrimentum è cibis petitur, at gustus sibi placet in condimentis. Quòd si vir sanctus Moses non se exuit Ægyptiorum disciplinis, quando Israelitarum dux constitutus est; quòd si Ægyptio auro tabernaculum ornare non timuit; quòd si ad corpus sive tegendum sive nutriendum, vestes cibósque Divina benignitas indulsit, non modò ad famem frigúsque depellendum necessarios, sed etiam ad voluptatem cibos jucundos, & vestes splendidas ad ornatum: nunquid debemus existimare in corporalibus hoc indultum fuisse, & in spiritualibus prohibitum? Imò non modò cibus sanioris doctrinæ apponendus est mensæ sacræ, sed etiam condimenta & deliciæ sermonis ex politiori literatura, quibus alliciantur auditorum animi ad altiora imbibenda.

Hæc postrema verba dum scriberem, ecce hora insonuit, atque à concha ad canalem me vocavit, à musæo ad subsellia. Tempori mos gerendus erat, atque eò libentiùs id feci, quia transegi jam tandem ea omnia quæ in hac quæstione discutienda mihi ordine quæque suo proposuerim. Ex Scripturarum Testimoniis, ex Prophetarum, Apostolorum,

veterúmque Patrum Praxi id illustratum accepistis; nec non Rationibus idoneis confirmatum, ex Institutione Divina, & Utilitatibus quibus literæ seculares inserviunt, desumptis; ad Scripturarum intelligentiam, ad Errorum Hæresiúmque redargutionem, ad Institutionem vitæ, ad Veritatis Introitum, Augmentum, Ornatum, quomodo conducant: & hoc à me copiosè demonstratum est. Et jam non video quid obstet quò minùs pars quæstionis affirmativa definiri atque concludi possit; Sacrarum literarum Interpreti licere, etiam in Concione sacra, externas disciplinas profanósque scriptores in suum subsidium advocare, & vel hoc modo implere legem Christi de *proferendo Nova & Vetera.*

LECTIO IX.

DUM librum aperio, & tremulos in verba recitata oculos conjicio, occurrunt mihi in mentē duæ, insignes ambæ, sed eventu contrariæ, historiæ: altera habetur in Evangelicis scriptis de Christo, de Origene in Ecclesiasticis altera. In Evangelio de Christo legimus, quòd Nazarenis verba facturus, incidit in illum locum Isaiæ 61. *Spiritus Domini super me, quia misit me ad evangelizandum pauperibus:* atque cùm legisset, complicavit librum, sedit, circumspexit, & ad explicationem festinans, dixit, *Hodie impleta est hac Scriptura.* Apud Epiphanium Hær. 64. verò de Origene longè contrarium fertur, quòd ille Hierosolymis extemporalem sermonem habiturus, in illum Psalmistæ locum incidit, Psal. 50. 16. *Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* atque cùm vidisset, complicavit similiter librum, attonitus stetit, dicendi propositum mutavit, denique cum fletu & lacrymis recessit, *πάντων ὁμοῦ σὺν αὐτῷ κλαιόντων*, *omnibus simul cum ipso plorantibus.* Inter se quisquis ista confert, Divinæ providentiæ digitum in utroque agnoscat necesse est; quia utrobique casus similis, dissimilis exitus. Liber se aperit Christo, & demonstrat Messiam; aperitur Origeni, & peccatorem indicat. Ergò Christus Locum explicat, quia memor erat Scripturæ adimpletæ: Origenes abstinuit, quia reus erat Scripturæ contemptæ, utpote qui pridem idolis sacrificasset, ut coactum nescio quod adulterium vitaret. Et Ego hæc mecum reputans non video quâ fronte audeam in enucleatione hujus Scripturæ ulteriùs progredi; & revera proximus sum tacenti, quia videor mihi audire vocem, non eam quæ à Christo manavit, *Hodie impleta est hac Scriptura*, sed quæ se obtulit Origeni, *Peccatori dicit Deus:* atque nimis sum mihi conscius, non impleri hodie Scripturam hanc, sed potiùs solvi. Etenim si peccatori justitiæ Dei enarrandæ non sunt, profectò neque oracula sciolo: si non nisi *de thesauro* proferenda sunt eloquia sacra, si à nemine proferenda nisi qui in *veteribus* & *novis* exercitatus fuerit, si de Divinarum humanarúmque Literarum consortio dicenti, opus sit ut in utrisque sit versatissimus; mea jam suscepti operis quanta præsumptio est? qui thesaurum nullum habeo nisi atramentarium, lacerosam & vacuam chartam, qui rerum Divinarum & humanarum pariter ignarus vix fragmenta veterum

veterum scriptorum primoribus unquam oculis viderim; & recentiorum titulos, nedum volumina, digitis vix primoribus evolverim? Erubesco librū aperiens, quia vox auribus intonat, *Quare tu enarras?* Quocirca tutiùs duco complicare librum cum Origene, vocem comprimere, & audaci incepto supersedere. Supersedere autem hoc est duabus syllabis plus quam sedere, sed animi tranquillitate minus, quia acquiescere nescio; neque motus fiduciam præstat, neque sessio quietem: sic utrinque coarctor; si asto, mihimetipsi cado; si sedeo, vobis; si progrediar, divinam censuram metuo, *Quare tu enarras?* si non progrediar, vestram, *Quare tu non enarras?* si in manus librum assumo, vox intus revocat, *Claude & Abi*; si depono, vox foris impellit, ut Augustinum illa, *Tolle & Lege.* Inter istas angustias quid faciendum, nisi quod sanctissimus David in angustiis suis, è duobus minimum, si fieri possit, ut malum eligam? *Incidam in manus Domini, quia multæ miserationes ejus*, potiùs quàm in ludibria hominum; ut ipsi magis rationem reddam inerudití sermonis, quàm vobis temerarii silentii. Non quòd candorem vestrum in suspicionem adducam, auditores optimi, nam illo nihil mihi est exploratius: sed quòd inter sacra saxúmque stanti, longè eligibilius duco, culpæ me simplicis reatui dubio exponere, quàm multarum pondus certissimum sustinere. Enimvero si quam in me suscepi provinciam prout decet non ornavero, una solummodo labecula hærebit, Oratoris mali; hinc quid incommodi, si Oratoris nomen non attingat qui non ambit? si eloquentiæ laudem perdat qui nunquam habuerit? At si eam penitus deseruero, major macula, pejórque turpitudo comitatur; non Oratoris mali, sed hominis pessimi, qui & fidem vobis præstitam fregerim, & officii mei, nec non ipsius causæ quæ agitur, curam omnem atque clientelam excusserim. Quocirca dicendum mihi necessariò est; excusatio nulla superest, subterfugium nullum, nisi velim simul & exspectationem vestram eludere, & à veritatis patrocinio in extremis desciscere: quæ mihi nunquam in mentem venerant, neque video cur venirent. Non adeò angustus est Quæstionis ambitus, literarum quas tracto campus non tam sterilis, ut non possit novam dicendi copiam præbere, qui differenti messem cumulatam suppeditavit. Si ad arguendum Scriptura utilis fuerit, utilis etiam est & sufficiens ad docendum; si ad corripiendum præpotens, pariter & ad hortandum: si quis castum secularis disciplinæ usum asserere, si quis abusum corrigere velit, habet ex istis fontibus quod hauriat ad utrumque negotium. Atque de usu ipsius licito copiosè à me disputatum est, neque mei me facti pœnitet: tantum vobis debui, qui Musarum non solùm filii estis, sed symmystæ; tantum consortibus meis, qui istarum scientiarum Professores clarissimi constituti sunt; tantum summo illi nomini, & de re literaria optimè merito, artium liberalium patrono & instauratori prudentissimo, Greshamo; tantum Academiæ matris honori, quæ infantiam nostram studiis istis imbuere dignata est, nec pudet agnoscere à quibus profecerim; tantum dogmatis contrarii fautoribus, qui adeò à literis melioribus abhorrent, ut omnino eis studere nefas arbitrentur, præjudicio quodam ducti, & quibusdam malè intellectis authoritatibus permoti; tantum ipsi Dominæ Theologiæ, quæ sine famulatu suo prodire in publicum non solet; neque certè decet ut ab hospitio ancillæ arceantur, quando Regina vocatur, quæ suis pedissequis tutelam præstare tenetur: tantum denique mihimetipsi, qui hoc in me munus recepi: & credo me debitum exsolvisse, atque eruditionis Ethnicæ usum ex Scripturis & Patribus abunde monstrasse; quàm sit ad Scripturam explicandam accommoda, ad Errores resecandos quàm necessaria; ad vitam probè ducendam quid conferat; ad Veritatis introitum, ornatum, pro-

fectum, quantum conducat. Hæc omnia quia à me inter legendum superiùs curata sunt atque confecta; nunc demum res postulat, ut post opaca sylvarum & argumentationum dumeta, ad campos exeamus locutionis liberæ, eóque libentiùs quia video vos cupidos ulteriora audiendi: quanquam & hîc quoque in ipso limine aliquantulùm hæreo, dubius quo fili ductu hanc telæ partem ordiar. Utrùm à secularium disciplinarum elogio? non placet; quia post ista à me superiùs dicta, nemo nunc est, opinor, qui vituperet: an à commodis aliis quibus inserviunt? erit labor irritus; quia habeo vos omnes juxtà consentientes: an ab admonitione aliqua verecunda quæ ipsarum adversarios in viam reducat sanioris sententiæ? neque hoc congruit; quia in hoc errore qui versantur paucissimi sunt; plures illi, qui Gentilium literarum amore adeò insaniunt, ut sacras negligere & aspernari videantur. Hîc ergò est pes figendus; ab hostibus qui se opponunt transeundum est ad rivales illos, qui ancillarum philtris adeò inescantur, amore adeò capiuntur, ut Theologiæ penetralia Scripturásque ipsas susque déque habeant, nec magìs respiciant quàm si nusquam exstitissent.

Quod ad hanc rem spectat, videndum est, an sint vel fuerint uspiam aliqui qui in hanc partem erraverint: & hoc non erit monstratu difficile; quia video prioris seculi Antistites, inter errores sui temporis cæteros, hunc quoque notasse. De Heliodoro Tricensi legimus, quòd cùm contra ipsius amatoria scripta Synodus provincialis statuisset, ut aut libros igne aboleret, aut Episcopatu cederet; vir bonus & sanctus maluit munus Episcopale deponere, quàm poema turpe & lascivum supprimere. *Can. cum multa, dist. 86. in decret.* Episcopum alterum reprehendi graviter à Gregorio Magno, epistolæ ipsius testantur, ob hoc ipsum, quòd semper prædicaret Grammaticam, & Gentilium fabulis aures populi quotidie vulneraret. Adhæc Eusebius, l. 5. c. ult. pessimi nominis hæreticos non paucos fuisse docet, qui Sacras Scripturas eodem fuco depravarunt, Christum nescierunt, nec quid Divinæ literæ de ipso dicant conquisivere; sed quæ Syllogismi figura ad ineptias suas confirmandas esset aptissima: quòd si illis quisquam aliquod Sacræ paginæ testimonium proferat, quærunt statim, inquit Eusebius, utrùm conjunctam an disjunctam Syllogismi figuram possit efficere. Euclidem colunt, Galenum venerantur, Aristotelem & Theophrastum in summa admiratione habent: Christum verò & verbum ejus penitus ignorant. Post Eusebium, de suis temporibus conquestus est Hieronymus, etiam inter Sacerdotes Dei reperiri nonnullos, qui omissis Evangeliis & Prophetis, Comœdias legere soliti sunt, & amatoria Bucolica canere; ut quod in pueris necessitatis est, crimen in se facerent voluptatis. Post Hieronymum, Augustini querelam haud absimilem Confessionũ liber ad nos detulit. *Lib. 1. c. 18, 19.* *Vide*, inquit, *Domine Deus, quàm diligenter observant à magistris suis accepta pacta literarum, & à te accepta perpetua salutis dogmata negligunt; magìs Grammaticorum legibus dediti, quàm Dei præceptis; linguæ magis barbarismum metuentes, quàm morum. Si contra Grammaticam disciplinam, sine aspiratione* ominẽ *quis dixerit, magis reprehenditur quàm si contra legem tuam hominem oderit: quasi scelus majus esset voci quàm homini vim inferre, & Prisciani quàm Christiani caput frangere, & vocabulo spiritum literæ, quàm proximo spiritum vitæ subtrahere.* Hæc fuit nonnullorum istius ætatis febriculosa temperies, ut ætas quælibet errorum ferax: & certè in nostram torqueri querimonia non minùs potest, quia & inter nos latitant ejusmodi noctuæ, Scripturarum lucifugæ, qui, ut pisces illi apud Aristotelem, literarum externarum petris adeò conglutinantur, ut vel mors sit avelli; istas solas amplexantur, exosculantur, efflictim amant, & Scriptura pro derelicta habetur: adeóque non Grammaticam modò, ut ille apud Gregorium, aut Philosophiam,

ſophiam, aut aliquam matronarum artium; ſed *ipſarum*, ut Philo loquitur, *concubinarum faces & quiſquilias*, non ſolùm Epiſcopatui cum Heliodoro, ſed Apoſtolatui, h. e. ipſi Evangelio, præferunt & anteponunt. Tæderet me iſta dixiſſe, niſi ipſis feciſſe volupe eſſet: nam nugas iſtas dies noctéſque verſant; iſtas crebris pervigiliis, & noctiſurgiis, & moleſtis pituitis empturiunt; in iſtas tempus omne conferunt, & rebus ſacris impendenda pretioſa annorum ſpatia; iſtis impalleſcunt, inſeneſcunt, non bis pueri, ſed ſemper. Poſtremò, quod magìs indignum, iſtis tricis & crepundiis conciones ſuas ità referciunt, prorſus quaſi Scripturarum eloquentiam abjuraſſent: terræ filii, ἐκ τῆς γῆς ὄντες, καὶ ἐκ τῆς γῆς λαλοῦντες· nam ſi è ſuggeſto audiveris, non prædicantes Miniſtros Dei, ſed Ægypti ranas coaxantes exiſtimares; nec concionantes Presbyteros, ſed Ludimagiſtros. Interea verò nolo hæc à vobis in pejus rapi (viri doctiſſimi,) nolo me emiſſarium putetis, qui fratres meos in crimen & invidiam vocarem: ſed plenam cum verbis animi mei accipitote ſententiam. Non ego culpam hanc in graviores Theologos impingo, ſed in novitiolos illos temerarios, Concionatores comicos, mimos, centoniſtas, qui cùm ſacrum dicendi locum aſcendunt, non radunt ungues humanæ literaturæ, neq; calceos exuunt pedeſtrium diſciplinarum, ſed nova ſibi Biblia cudunt ex poetarum & philoſophorum armamentario, & hâc ſupellectile inſtructi, Pulpita ſcandunt; prorſus quaſi Spiritum Sanctum è cathedra ſua deturbare vellent, & Fidei dogmata omnia, ex Euripede vel Ariſtophane, nè dum Platone & Ariſtotele, decernere. Teſtes, ſi neceſſe erat accire, ad manum habeo, quia ſentio me loqui etiam inter Academicos; atque illi non ſunt neſcii, niſi admodum nupera rerum mutatio facta ſit, ubinam hujuſmodi homunciones habitant, qui in exercitiis Theologicis cerebri ſui retibus litant, quæ tamen Apoſtoli reliquerúnt ut ſequerentur Chriſtum; qui Ethnicorum diis linguæ & ingenii offerunt primitias, nec tamen ſcire dignantur quid Moſes aut Chriſtus dixerit: ſacra ſunt ipſis nomina Ciceronis, Maronis, Ariſtotelis, Plutarchi; hi Patres ſancti quos citant, hi Apoſtoli quibus nituntur; iſtis teſtimoniis novi Sententiarum Magiſtri ſe muniunt: nam S. Petri aut Pauli nomina vix noſſe, ſcripta vix legiſſe affirmaveris.

Iſtis ſic conſtitutis, nemo eſt, opinor, qui ibit inficias, & eſſe & fuiſſe aliquos qui hunc errorem errarunt. Sed non tam opus eſt exploratore quàm medico: & ſi ad uſum licitum demonſtrandum defenſio erat neceſſaria, ad abuſum ſanandum multò magìs opus eſt pharmacis: calcaria exuenda, & in manus fræna ſumenda, quia magnum flagitium probrúmque eſt quod cohibemus. De Theodoro tragœdiarum ſcriptore Euſebius narrat, luminibus *De Præpar. l. 8.* eum captum fuiſſe, cùm nonnulla è Scripturis ad fabulam quandam transferre vellet: & de nonnullis aliis apud Demetrium Phalereum, cœpiſſe eos è ſcriptura Hebraica quædam oratione Græcâ exornare; ſed magno timore perculſos, reſponſum in ſomnis cœlitus accepiſſe, accidiſſe hoc, quia res Divinas lenocinio orationis inquinarent. Poſt hæc nemo argumenta criminis quærat, qui facta videt: ex ſupplicio ſcelus decernitur. Ecquid enim ſceleſtius quàm Evangelia ſacra, voce Filii Dei tradita & ſanguine obſignata, contemnere & pro nihilo ducere? quaſi Verbum Dei nunc ſcandalum eſſet non Judæis modò, ſed & Chriſtianis; & ſapientia Scripturarum ſtultitia non Græcis modò, ſed Anglis; nec vulgo hominum, ſed ipſis Theologis. Ecquid magìs inſulſum quàm ſomniorum ſecularium luto volutare, & porcorum ſiliquis paſcere, quæ ſaburrant mentem, non ſatiant; panem verò Angelorum & manna cœleſte eloquiorum Dei faſtidire? ecquod facinus pejus, fontes ſacros, fontes Salvatoris deſpicere; & ad Democriti puteum, ad Da-

naidum dolia recurrere, quæ salutiferas aquas non valent continere? Judicium vestrum, Viri! num abbreviata est Scripturæ manus ut convertere nequeat? num aliud salutis fundamentum ponendum est quàm quod posuere Apostoli? num alia fidei via est certior aut melior quàm quæ à Spiritu Sancto statuitur? an alia ad vitam compendiosior, quam illi fortasse vident, & Dei sapientia prævidere non poterat? Næ illi putant se Spiritu Sancto sapientiores: sed respondeant mihi; Nunquid Plato crucifixus est pro nobis, aut in nomen Demosthenis baptizati sumus, aut Homerus fortasse θεόπνευςος; nunquid ex eorum manibus Religionem nostram accepimus? nunquid eos Amanuenses aut scribas elegerit Deus, ut tu jam audeas Zaleucum aut Lycurgum in cathedra Mosis collocare? & pro duarum, duodecim legem tabularum ostentare? & pro Divinis oraculis, Delphica & Sibyllina? pro responsis Dei, Apollinis? *Et ego*, inquit Augustinus, *si vobis dicerem, Credite, hoc enim dixit Plato, hoc dixit Cicero, hoc dixit Pythagoras; quis vestrûm non irrideret me? quid enim hæc omnia ad Christianitatem?* quid ad nos Heliconii colles, & cacumina bicipitis Parnassi, qui ad Tabor & Hermon, & montem Sionis, montem Dei, vocati sumus? quid ad nos Abana & Pharphar, flumina Damasci, aut Musarum Aganippides, quibus ad fontem Siloe & aquas Israelis aditus indulgetur? Nunquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebub Deum Ekron? Obsecro vos, quis est iste locus quem capessimus? Chrysippi, an Salomonis porticus? Platonis Lycæum, an Ecclesia Dei? Aut quid illud est istis quod in locis tractamus? vel unde textus nostros desumimus? è Philosophorum placitis, an è mysteriis Verbi Dei? Si igitur Christum prædicamus, quod Samuel ad Saulem dixit, *quæ est vox gregum quæ resonat in auribus meis, aut armentorum quam ego audio?* Ità Plato, ità Demosthenes, Homerus ità. Utrùm Christus & Apostoli ità dixerint, vix unquam scrutantur; quasi & sine Christo Christiani, & sine Verbo Dei Theologi possint esse.

Videtis, Auditores, non esse leve aut falsum crimen illis quod objectamus, sed scelus audax & facinorosum. Verùm apagite à me istas ineptias, ipsâ stultitiâ stultiores: relinquamus cæcos duces per Græciæ & Ægypti suæ avia vagari; & ut res integra maneat, remedio prospiciamus. De excindendis vitibus ut ebrietatis vitio caveret, qui consilium dedit, sobrium se magis hominem probavit quàm sapientem; ad istius enim morbi medelam, securis non vitibus ponenda est, sed animo: Similiter & in eo quod præ manibus est negotio, non tam Artibus medicina paranda est, quàm ipsarum alumnis; quia si quid in hoc genere peccatum est, non Artis culpa est, sed utentis. Quod ad Artium vitia spectat, rescindenda ea esse nemo est qui negabit; sed cautè, & providâ manu, ut amputetur vitiis, non exstirpetur. Hucusque Patres processerunt, qui suis singuli temporibus calamos suos exacuerunt, non contra Artes, sed artifices; Tertullianus præsertim, Hieronymus, & Augustinus. *Quid nobis*, inquit Augustinus, *cum Anaximene, aut Democrito, aut etiam Homero? cùm illæ impiæ Poetarum fabulæ, & Oratorum inflata mendacia, & Philosophorum garrulæ argutiæ*, &c. Et ante Augustinum Hieronymus eodem calamo lusit, in 4. Jonæ; *Quid Aristoteli & Paulo? quid Platoni & Petro? quid facit cum Psalterio Horatius, cum Evangeliis Maro, cum Apostolis Cicero? cùm fidei mysteria universa & doctus Plato nescivit, & eloquens Demosthenes ignoravit, neque dormitavit modò Homerus, sed cæcutivit:* & ante Hieronymum Tertullianus, *Quid adeò simile philosophus & Christianus? Græciæ discipulus & cæli? veritatis interpolator & integrator; furator & custos? quid Athenis & Hierosolymis? quid Academia & Ecclesiæ? quorsum vestiris à nudo, si Christum induisti?*

Aug. ad Dioscorum.

Tert. in Apol. & De resurr. carnis, & Præscr. advers. hæreses.

quid

quid alieno uteris clypeo, si ab Apostolo armatus eras? Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium: cùm credimus, nihil desideramus ultrà credere; hoc enim priùs credimus, non esse quod ultrà credere debemus. Ecce quid illud sit quod monet vir sanctus, non destruendas istas vires, sed ordinandas; quia dum terminos suos servant, Theologiæ sunt adjumento; si dominentur, non sunt ornamenta, sed idola. De Ezechia Cedrenus narrat, sustulisse eum de medio Salomonis libros philosophicos; nè Judæi ex istis scriptis morborum remedia petentes, sanationem à Deo flagitare negligerent. Perpendamus seriò. Erant illi libri propter naturæ secreta & salutaris medicinæ regulas laudatissimi; & è medio sustulit, nè à Divino cultu avocarent: atque prudenter id factum, neque alio sanè consilio, quàm quod de libris Ethnicis Tertull. Hieronymus & Augustinus cœperunt, dignum fore ut exterminentur potiùs quàm ut Scripturis vel præferantur, vel exæquentur. Proinde Judæorum doctissimus Philo, in l. De congressu quærendæ eruditionis gratiâ, Deum sic inducit loquentem ad Theologiam de Secularibus artibus, ut Abrahamus ad Saram de Agar; *En tibi puellam, trado in manus tuas, tracta hanc sicut tibi libet; sume omnem ipsius eruditionem, & ad placitum utere, corripe, castiga, in captivitatem redige, ad pedes prosterne.* Agnovit vir doctus, æquum esse ut si Isaaci simplicitatem ridere Ismael incipiat, & Saræ bonitatem Agar Ægyptia contemnat, Abrahami complexibus turgida, foràs ambo ejiciantur. *Si ad hoc venerit secularis sapientia ut Scripturas excludat, dæmonum cibus est*, inquit summo cum fervore animi Hieronymus. Habent illa locum suum in Scripturis tractandis, sed suum servent. Ut qualitates elementares in misto, sic artes elementares in Dei Verbum admittantur non nisi remissæ & castigatæ: uti iis licet, sed ut mundo, quasi non utentes. Concedimus licere nobis & vasa mutuari ab Ægyptiis, ut Domus Dei ornetur; & apud Philistæos ligones exacuere, ut ager Domini pastinetur; & Sidoniorum operâ uti, ut Templum Dei exstruatur; & aurum Jerichuntiacum servare, ut thesaurus Dei impleatur: sed meminisse simul oportet, quod & Augustinus suggerit, *Incomparabiliter pulchriorem esse veritatem Christianorum quàm Helenam Græcorum:* ergò hæc illi aut subserviat, aut exsulet. Nos sic didicimus Christum & Scripturas ejus, ut illic esse agnoscamus quicquid ad salutem pertinet. Sive egestate laboramus, Scriptura gemma est; alia scientia omnis velut scoria ad hanc margaritam: sive esuriamus, Scriptura panis vitæ; cognitio reliqua furfur ad hoc triticum, cortex ad hanc medullam, umbra ad hunc solem: denique, si infirmi hæsitemus aliquando, fidei veritatísque fundamentum Scriptura est; reliqua rudimenta sunt, non opera, nec debemus illa discere, sed didicisse, nec tam tractare quàm tangere, transeundum per ea, non hærendum: si sequuntur, prosunt, nocent magìs si duces fuerint; diligere eas licet, non deperire: si voci Divinæ obtemperaverint, recipiendæ sunt; si petulcæ & procaces fuerint, oportet ut libellum eis scribamus, non solùm repudii, sed ipsius exsilii. Hæc omnia huc spectant, viri clarissimi, ut vos horter & suadeam, quod superiùs memini me fecisse, & rursus facere non desistam, ut præ Scriptura Sacra vilis vobis sit omnis alia literatura, & quasi onus stercoris. Novi vos precibus meis & cohortatione non indigere; novi neminem esse qui vobis meliùs suadere possit quàm vosmetipsi; novi vos hoc quotidie facere, atque Sacras Scripturas quotidie revolvere nocturnâ diurnâque manu; & gaudeo me id suasurum quod sponte vestrâ facitis. Ergò finite ut paucis moneam: nescio enim an posthac mihi futura sit nova suadendi occasio, quia nunc otii spatia longa sequuntur; sed vita brevis, eóque brevior, quia ira Divina

Sixtus Sen. l. 2. in verbo Salomon.

Ep. 9. ad Hieronymum.

Divina impendet, & Pestis contagio nimis metuo nè ingravescat, atque vel mihi vel vobis hanc comparendi ansam præripiat: finite, inquam, ut jam tandem moneam, ut Scripturarum studio vos addicatis totos & integros; istæ sint semper in ore, semper in manu, semper in animo; sint ipsis oculis, sint ipsis animis chariores: recognoscite munus vestrum, quàm sit Vocatio sancta atque sublimis, ad ipsa magnalia Dei explicanda. Ergò hoc agamus ad quod vocati sumus; curemus ut vox alia nulla, sonus nullus vocem pessundet eloquiorum Dei in Sanctuario Dei: de rebus fidei ex literis fidei discamus loqui, istis insatiabiliter delectemur, deliciemur medullitus, cùm opus sit omnium jucundissimum, divinissimum; κάλλιστον καὶ ψυχωφελέστατον, ut Damascenus optimè; ad animarum & nostrarum rationem, & aliarum salutem maximè accommodum. Sinite ut tribus interrogationibus rem omnem expediam. Aqua vitæ unde petenda est? è Fontibus. Fructus gratiæ unde? ab Horto. Divitiæ Christi unde? è Thesauro. Scriptura est Thesaurus optimus, & eloquentiæ & sapientiæ, ubi auri & argenti venæ reperiuntur; ut qui verè loqui desiderant, indè sumant quod loquantur: vena eloquentiæ, non fictæ & nugacis, sed cœlestis, quæ non doctiorem modò, sed sanctiorem reddit; nec solùm sapientiorem, sed meliorem; nec linguam exornat, sed vitam. Deinde, non modò Thesaurus, sed Hortus est, inquit Damascenus, ὁ κάλλιστος παράδεισος, καὶ γλυκύτατος, καὶ ὡραιότατος, *hortus pulcherrimus*, *dulcissimus*, ubi aromatum florúmque omnium areolæ, ubi omnigenûm volucrum intellectualium cantus circumsonant aures, tangunt corda, mentes consolantur, affectus serenant, & ascendere faciunt ad rutilantia dorsa Divinæ columbæ, & splendidis ejus alis ad unigenitum Filium, intelligibilem Vitem, & indè ad ipsum Patrem luminum. Postremò, non Hortus modò est, sed horti Fons purissimus, ubi fluenta perennia gratiæ immarcessibilis salientia ad vitam æternam, quibus rigata arbor animæ fructum affert pietatis puræ, & virentia folia sanctissimæ professionis. Quocirca agite, huc animos intendite: valeant Seculares literæ, non quod ad usum, sed quod ad primatum; valeant, inquam, nec ultrà retineantur, nisi ut Sacras ornent & comitentur; quia non in Dialectica, non in Rhetorica placuit Deo salvare populum suum, sed in Verbo fidei. Credite, credite viri; Deus noster est Deus zelotes, non solùm quod attinet ad Nomen suum, sed quod ad Verbum suum: & sicut non aliud Nomen quàm nomen Jesu, sic nec aliud Verbum quam Verbum Evangelii ordinavit in quo salvemur.

De fid. Orthod. 4.18.

LECTIO

LECTIO X.

VObis, Viri Doctissimi, quantum Ego pro præsentia vestra debeam, quòd ultro huc & sponte vestrâ convenistis, quantum Vos similiter Deo pro summa sua & singulari clementia, quòd huic diei horæque vos omnes servaverit, ipsa hæc verba quæ jam recitavi, & mox explicaturus sum, vel me tacente dilucidè indicant; & dicente me apertiùs, opinor, monstrabunt. Enimverò cùm vos intueor, charissimæ animæ, subrefectum me sentio primo hoc conspectu vestro; neque dictu est credibile quanto perfusus gaudio gestit mihi animus atque secum intus subsultat, quòd in Athenæum hoc nostrum video vos incolumes remeasse, & unà vobiscum veterem novúmque comportasse candorem. Metu suspensum non parvo fuisse me confiteor, per longa hæc silentii spatia, quibus locorum & temporum intervallis à vobis aliquandiu disjunctus fuerim, metu, inquam, suspensus fui, (ut amor semper est æquo timidior) nè solum me hîc parietes nudi conspicerent, atque orbatum me objicerent aliquâ parte vestrûm, interventu vel mortis, vel præjudicii. At supra spem res cecidit: Joseph adhuc vivit, & ego videbo eum: plenum habeo consessum, aurium & animorum copiam non minorem solito, laborantia denuo subsellia non orbitate, sed numero, capitá sese efferentia non diversa, sed eadem; & ut nil ampliùs dicam, conventus quidem novus est, sed corona pristina, nec ullâ re discrepans ab antiquo auditorio: oculi, supercilia, frons, genæ, vultus denique totus, unus idemque & omnium & singulorum. Credo vix eorum quenquam abesse quorum in aspectu habitare solebant oculi mei. Hoc illud est debitum quo vobis mè obstrictum dixerim, quòd servum vestrum in rebus Theologicis non deseruistis, sed eâ charitate diligitis, quæ non à frontis infirmitate, aut aurium pruritu, sed animi constantia ortum ducit: hæc pietas vestra; atque mea vicissim non minor est solicitudo, ut possim pro humanitate *Nova* & *Veteri* studia rependere, atque vigilias *veteres*, nec non & *novas*. Et quidem, ut verum fatear, libentiùs illud in me reciperem, nisi alterum majúsque succresceret, Patri misericordiarum exsolvendum, pro *veteri* sua benignitate & *nova*, quòd in hac flebili internecinæ contagionis vastitate, quæ civitati stragem, urbi ruinam interminatur, & me vestris, & vos meis precibus superstites custodiverit. Et huic quoque muneri prospiciendum, nè humanitatis mutuæ officia in Divinitatis injuriam cedant; quod non est ingrati modò hominis, sed impii. Hoc agite; & ut agamus, respiciamus, si placet, ad diem illum in quo jam Vale facto è circulo hoc Theologico nos subduximus; qui timor, quæ dubitatio, quanta hæsitatio, quis dolor, quæ acerbitates, quæ palpitantia præcordia, & animos vestros & urbem totam perstrinxerunt. Annon metu mutuo perculsa omnia, & præsentis periculi specie consternata? annon de latebris & diverticulis commune consilium est initum? annon dissipati omnes in pedibus præsidium posuerunt, & velut apum examina ad crepitum primum fulminis, quâ cuique patebat exitus, præcipites se fugæ mandabant? Nec tamen minùs fuga quam statio periculosa: nulla regio discriminis, domus nulla difficultatis expers; tutos aliqua, securos nulla præstitit: ad triarios res nostræ adductæ, & nosipsi velut inter sacrum saxúmque positi: si manemus, ignis vindictæ gliscit; si avolamus, novâ nos flammâ circumseptos videmus. Hæc mecum revolvite, Viri, & ad illos nunc tandem calculos nos revocemus quos tum abjecimus; ut si non recordatio beneficii quo fruimur, at saltem periculi

periculi quo liberamur, ad ſtudium nos gratiæ reducat & habendæ & ineundæ cum Deo noſtro. Quid retardamus? quid moras nectimus? An audet ſibi quis advocationem petere, tempus idoneum nactus gratitudini? an poſt tot ſpiramenta temporum, diem ex die prolatamus, & cras nos facturos pollicemur, qui cras morimur, & hodie ſeneſcimus? At Ego Vobis iterúmque iterúmque hoc canto: menſis jam ſeptimus, liberationis menſis agitur, & admonitionis meæ quintus, ex quo Ego Vobis memoriam refricare cœperim; & nihil agitur, niſi ut Ego re perfectâ accuratiſſimè monere non deſiſtam, ut hæc Vobiſcum penſiculatiùs cogitetis. Quid ſi Peſtis contagio duraret? & etiamdum durat; quid ſi jam poſtliminiò redeat, & in ſedes priores recurrat? quid ſi, ad irati Dei nutum, ipſum quem ducimus aerem & cœli tractus inficiat? ecquis erit jam fugiendi locus? ecquis conveniendi in Templis, Scholis, an in Cœmeteriis? ecquæ Teſtamentis Sacris explicandis opportunitas? minimè, noſtris condendis: ecquis Aaronis filius reperietur qui inter vivos & mortuos ſe ſiſtat? ecquis anguis Epidaurius, aut Anguis Æneus, qui aut diſpellat, aut cohibeat, quò minùs omne mortalium genus depopuletur? At nobiſcum meliùs Deus egit, abſterſit animi metum, iſtis nos moleſtiis laxavit. O quantos timores ſubitâ ſerenitate diſcuſſit! arcū magìs ſpectandum quàm ſagittas exhibuit; columnam nubis, non ignis, & magìs Iridis colores quàm miſſilia fulminis. Venit iræ nuncia Peſtis, & abſceſſit; unicuique noſtrûm vicina, & non attigit: diſſipati eramus, collegit nos; afflicti, ſuſcitavit nos; meticuloſi, & corda ſtabilivit; languentes, & ſanavit; filii mortis, & ſufflavit in nares noſtras halitum vitæ; ut viva potiùs monumenta miſericordiæ nos faceret, quàm vindictæ mortua. Quocirca quid ſupereſt, niſi ut nos omnes *veteres* & *novas* benedictiones ipſius Nomini, *ut ſcribæ docti ad regnum Dei,* reſonemus? Verbis Pſalmiſtæ *veteres*; verbis Apoſtoli *novas. Benedictus ſit Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, pater miſericordiarum, qui exaudivit vocem deprecationum noſtrarum, & conſolatus eſt nos in omni afflictione noſtra: Qui tegit nos ſub alis ſuis à pavore nocturno, & à ſagitta per diem volitante; à peſte in caligine pervadente, & à lue in meridie vaſtante:* denique qui huc Nos hodie miſit, ut mihi non ſolùm teſtes, ſed comites eſſetis ſpiritualium actionis gratiarum; ut unà mecum ſacrificia Laudis voveatis, & primitias labiorum ſummo ſalutis autori, cui ſit omnis Honos & Gloria in ſecula ſeculorum.

Iſtis ſic prælibatis, & Divinis, ſicut par eſt, officiis peractis, ſentio me ære tertio opprimi; nimirum, ut Deo & Vobis, ità & huic Evangelii portiunculæ debitorem. Ergò & huic incumbendum eſt negotio, quia ſacrum eſt depoſitum; &, quod Cicero in re alia, promiſi me niſi explicatâ ſolutione non diſceſſurum. Hoc ut diſtinctiùs fiat, paulò res altiùs & quaſi à fonte repetenda eſt, atque ad prima ordinis conſtituti capita revocanda oratio.

Paſtoralis muneris figuram ex ſpecifica Differentia & Cauſis propriis depictam verba in ſe continere, ſuperiùs dixi: Differentia ſpecifica eſt in illa voce *Profert*; docétque quodnam ſit officium Paſtoris Evangelici; unde Theſis prima orta eſt, Prædicationem Verbi opus eſſe & ordine primum, & maximè proprium, & longè præcipuum inter omnia Curæ Paſtoralis exercitia; cui ſe totum accingere debet qui Scribæ Evangelici partes agit in Eccleſia Chriſti.

Cauſæ connatæ attexuntur, velut 4 Appendices: & in iſtis oſtenditur,

Primò, Quæ proferenda, *nova & vetera:* iſta habent rationem Materiæ.

Secundò, Cui bono, quæcunque ſic profert, referenda ſunt; in iſta clauſula, *ad regnum cœlorum:* rationem habet Finis.

Teiiò,

Tertiò, Quod exemplar ſtatuendum eſt dum hæc meditatur, *tanquam paterfamiliâs :* ibi ratio Formæ.

Quartò, Quæ præparatio exigitur ut faciat ; eruditionis *theſaurus* comparandus eſt : illud ad inſtar Cauſæ Efficientis.

Hæret adhuc in prima parte calamus, in iis enucleandis quæ ad cauſam Materialem ſpectant, Quæ nimirum ſunt iſta *Nova & vetera* de quibus Salvator noſter loquitur. Illa verò & in Genere, & in Specie conſideranda propoſui.

In Genere hæc Propoſitio emergit ; Verbi Miniſtrum decet affatim inſtructum eſſe, & omnis ſcientiæ apparatum ad manum habere, ut è divite opum ſpiritualium theſauro proferre verbum gratiæ poſſit, diverſis ingeniis congruum, cuivis palato & deſiderio accommodum : ſive in arguendo, ſive in conſolando, ſive in hortando, ſive in diſputando verſetur, curare debet ut non niſi vera, non niſi ſalutaria, non niſi ad ædificationem tendentia proferat, ſive *nova* ſint, ſive *vetera* ; eáque nunc ſermone aperto tradat, nunc parabolis & ſimilitudinibus, nunc exemplis illuſtrata, nunc (prout res poſtulat) argumentis roborata, & authoritate ſancita.

In Specie verò, eventilatis tam veterum quàm recentiorum variis interpretationibus, ad quinque claſſes, ſive capita, dicendorum ſummam redegi, ſub Logica rerum partione, hoc modo.

Quæcunque ſub tractatu Theologico cadunt, vel ad Intellectum diriguntur, vel ad Affectum ; h. e. vel ad doctrinam Fidei, vel ad Vitam & mores. Iſta eſt *novorum & veterum* claſſis prima.

Quæ ad Vitam & mores ſpectant, ſunt vel Promiſſiones & præmia Evangelica, vel Minæ & terricula Legalia ; h.e. ea quæ ad bonum alliciunt, & ea quæ à malo retrahunt. Hæc claſſis ſecunda.

Quæ ad Doctrinam & Fidem ſpectant ſunt duplicis ordinis, vel Divina, vel humana ; h. e. vel Sapientia Scripturarum, quæ ſunt fundamentum Fidei, vel Scientiarum ſecularium peritia, quæ adjumenta ſunt rebus Fidei inſervientia. Hæc claſſis tertia.

Rurſus, Sapientia Scripturarum duo in ſe continet ; ea quæ in Veteri Teſtamento, & ea quæ in Novo habentur ; h. e. ſcripta Prophetica, & ſcripta Apoſtolica. Hæc claſſis quarta.

Denique Scriptores humani ſunt duplicis generis ; vel ſuperioris quod retroactum eſt ſeculi, vel ſeculi præſentis & adjacentium ; h. e. Antiqui & Neoterici. Iſta eſt *novorum & veterum* claſſis ultima.

Claſſis iſtas quia ſunt numero quinque, in tres ſpecies contractas dedi. *Vetera & Nova* præparatoria, i. e. merè humana ; *Vetera & Nova* fundamentalia, h. e. purè Divina ; *Vetera & Nova* acceſſoria, h.e. mixta ſive Eccleſiaſtica. Ex iſtis triplex Harmonia ſive concordia oritur, cui peritus Theologiæ artifex intendere debet.

Concordia prima eſt Literarum utriuſque reipublicæ : hinc prima Propoſitio, Tractatori ſacro licere, non è Scripturis modò, ſed è Scientiis ſecularibus copias ſuas atque apparatum inſtruere, & ex illis adducere quæcunq; ſive *nova* ſive *vetera* conducunt maximè ad promovendam veritatem.

Concordia ſecunda eſt Scripturarum utriuſque Teſtamenti : hinc altera Propoſitio, Tractatori ſacro neceſſarium fore, ut petitis ex utroque Inſtrumento armis ſe muniat, ut poſſit totum Dei conſilium annuntiare, & in iis quæ Legis ſunt, & in iis quæ Evangelii.

Concordia tertia eſt Scriptorum utriuſque Seculi : hinc tertia Propoſitio, Tractatori ſacro convenire, ut in ſcriptis tam veterum quàm recentiorum Theologorum verſatiſſimum ſe præbeat, quò poſſit utrinque Fidei dogmata vel explicare diſtinctiùs, vel firmiùs ſtabilire. Concordiam

primam expedivimus aliquando, unà cum Propositione quæ ipsi responde-at;de dulcissimo in rebus fidei Divinarum humanarumq;literarum consortio.

Ad secundam nunc propero, quia ordo tractandi id postulat, ut de Concordia Scripturarum nonnulla dicamus, Quàm sit imprimis necessarium, ut utriusque paginæ oracula Scriba doctus calleat, quò possit salutis mysteria dilucidare & exornare ex utroque armamentario. Quàm opportunè priorem illam sequatur, non opus est ut moneam: quia si cum Gratiis Musarum conjugia sunt adeò necessaria, quantò magis Gratiarum inter se? imò cedant ancillæ, fascésque submittant, ut Regis filia introducatur, quæ tota & sola pulchra: quia Scripturæ Sacræ eminenter in se continent omnes habitus Salutaris doctrinæ, tam practicos quàm theoricos; & sola est Via regia ad regnum cœlorum. Quòd si ad mensam philosophicam famelicas animas vocamus, quæ Christi justitiam esuriunt; si humanâ trutinâ fidei Sacramenta examinemus, neglectâ aurificis summi staterâ; certissimum est, & nobis nos fucos facere, & populo nostræ curæ concredito. Contra istos pastores Deus conqueritur, Ezech. 34. 2. semetipsos pascunt, non oves, quia semetipsos prædicant, non Christum. Fit enim tribus modis. Si commoda sua quærant, non oves, sed seipsos pascunt & ventrem suum: Si studiis incumbunt ut ipsi sciant, non alios scire faciant, non oves pascunt, sed seipsos & cerebrum suum: Si verba sua proferant, non Christi, non oves, sed se pascunt & famam suam. Non istis tignis veritas fulcitur, non istis cibis Christianorum animæ pascuntur. Secularium literarum somnia ad Scripturas comparata, siliquæ sunt, palea, furfur. Quid igitur magìs usui esse potest, quàm ut relictis levibus Gentilium tabularum bracteis, ad auream Sanctuarii laminam vos tandem revocem? quæ in fronte Sacerdotis propterea rutilat, dicente Hieronymo, *ut exinde doceamur, nihil nobis prodesse rerum omnium eruditionem, nisi Dei scientiâ coronemur*; & è Legis & Evangelii, sive Veteris & Novi Testamenti, thesauro ditati prodeamus.

Ad Fabiol. ep. 128.

Ut pedem tandem figam: quia Veteris & Novi Testamenti, Legis etiam & Evangelii vocabula, varia significata habent; istud hîc præmittendum est, Per Vetus & Novum Testamentum nos libros intelligere qui in codice utriusque Testamenti continentur, i. e. in Prophetarum & Apostolorum scriptis; quomodo in rebus humanis tabulæ & signa testamentorum *testamenta* vocantur, metonymicâ locutione. Per Legem autem & Euangelium, doctrinam Mosaicam & Evangelicam, distinctis temporibus traditam; Judæis quidem illam, hanc verò toti mundo promulgatam. Secundùm utrumque sensum Patres locutos prudens lector facilè observabit, dum hæc verba Christi explicant. Ad concordiam Veteris & Novi Testamenti Irenæus, Chrysostomus, Hieronymus & Augustinus referunt; ad concordiam Legis & Evangelii Origenes, Hilarius, Gregorius. Meum erit utramque concordiam per se sejunctim expendere: &

Primò, De prima concordia Veteris & Novi Testamenti paucis agamus. In illa autem duo sunt ad examen vocanda; Utrùm sit interpretatio nativa & propria, quæ Christi sensibus per omnia respondeat; & Quid est quod Salvator nos per hæc verba doceat, dum Scribæ erudito Veteris & Novi Testamenti cancellos circumdat, & salvificæ doctrinæ hos limites præscribit.

Prima pars disquisitionis est de proprietate interpretationis; nam nisi hoc statuatur, operam ludimus, in pertusum ingerimus dicta dolium. In hac autem parte tria sunt exquirenda: Quos authores habeat, Quos contrà sentientes, & demum Quibus rationum momentis & enervetur, & fulciatur.

Inprimis de hujus Interpretationis authoribus videndum est: sunt autem maximi nominis; Patres unanimiter omnes, è Pontificiis plurimi, & è nostris quoque aliqui: quorum omnium quia molestum erit annumerare sententias, paucis è vetustioribus contentus ero, omissis cæteris. Irenæus lib. 4. 21. adversus Valentinianos disputans, ex hoc ipso loco concludit consensum & unitatem totius Scripturæ. *Nova*, inquit, *& vetera sine contradictione duo Testamenta dicit*, &c. *nam utraque unus & idem paterfamiliâs produxit, Dominus noster Jesus Christus, qui & Patriarchis locutus est & nobis*. Post Irenæum, Origenes in locum, doctrinam hîc intelligi asserit Evangelicam, Legalem & Propheticam: & ex illo, Lev. 25. 22. illustrare conatur, ubi sermo est de comedendis frugibus veteribus, & veterum veteribus, donec nova nascantur; *Comedimus*, inquit, *in Prophetis vetera, in Lege veterum vetera, in Evangeliis vetera litera ex facie novorum educimus*. Origeni adjiciamus Chrysostomum, ut citatur etiam ab Anastasio, in lib. Quæstionum, quæst. 65. *Scribam dicit Christus*, τὸν θησαυρὸν γνώσεως ἀποθέμενον τῆς παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης; *qui recondit sibi thesaurum Veteris & Novi Testamenti, & ex eo expromit tempore disputationis*. Chrysostomo attexantur Augustinus & Gregorius. Ille l. quæst. Evangel. non modò sic exponit, sed addit præterea, per hanc parabolam alteram illam explicari vers. 44. de thesauro abscondito in agro; *Thesaurus*, inquit, *est Scriptura sacra: proferre ergò de thesauro nova & vetera, est locos Novi & Veteris Testamenti de Scripturis educere:* & in 2 De civit. rationem hanc assignat quare *nova veteribus* Christus præposuit, *ut ostenderet dignitatem novi super vetus*; *maluit enim*, inquit, *meritorum ordinem servare quàm temporum*. Ad eundem modum Gregorius Magnus in 1 Reg. *Nova & vetera, i. e. nova in veteribus, mysteria in figuris: solus enim nova sufficienter prædicat, qui eorum rationem ex veteribus cognoscit, & ad Novi Testamenti confirmationem Scripturas veteres adducit*. Mitto reliquos, Hilarium, Hieronymum, Theophylactum, Euthymium, Drithmarum, Bedam, nè fastidio vobis sim. Communis est illorum omnium interpretatio, atque opinor Patrum reliquorum neminem refragari. De interpretationis authoribus satis.

Videamus secundo in loco qui sunt isti Contrasentientes: nam & hoc quoque operæ pretium erit, ut postquam personas personis, & rationes rationibus apposuerim, orbitam optimam eligamus quæ ducit ad veritatem. Hîc Maldonatum Jesuitam inflato animo & verbis tumidis assurgentem in nostros audio, & dicentem, *Novi hæreticorum interpretes immeritò Patres hac in re reprehendunt*. Sunt ipsissima verba. Acerbè satìs, si modò verum dixisset: at Ego mox ostendam tantum inesse verbo huic falsitatis, quantum bilis & amaritudinis. Voce indefinitâ videtur omnes nostros perstringere; sed quare non memorat nomina? opinor, nè falsarium se proderet & calumniatorem. Verum quidem illud est, è nostris nonnullos aliam loci explicationem afferre, neque hanc quam tractamus per omnia probare: sed tamen omnes non faciunt, non Philippus Melanchthon, aut Theodorus Beza, non Martinus Chemnitius, quem juxtà cum Chrysostomo habemus sentientem. Imò verò & illi qui faciunt, non objurgatione aliquâ utuntur, neque voce Patres neque syllabâ aliquâ reprehendunt. Ipsi pro se loquantur. Quàm placidè Calvinus? *Quòd multi ex veteribus per nova & vetera Legem & Evangelium intelligant, nimis videtur coactum*. Nullus hîc animi motus; nulla jurgia: *nimìs coactum* dicit, & non simpliciter *coactum est*, sed *coactum videtur*. Nec minùs sedatè Bucerus, Musculus, Aretius. Ille, *quòd*

quidam per vetera & nova Legem & Evangelium intelligunt, *Firmum non est:* Hic, *Quidam intelligendum esse volunt Vetus & Novum Testamentum*; *sed locus ipse declarat non huc pertinere:* Tertius, *Alii de Novo & Veteri Testamento interpretantur, alii de Lege & Evangelio: nec malæ quidem sunt istæ sententiæ, sed ad scopum Christi non satìs respiciunt.* Quis unquam audivit aliquid mitius aut placidius? Patres non sequuntur, sed nominibus ipsorum parcunt, & verbis niveis se exprimunt; *Non huc pertinet*, *Firmum non est*, *Non satìs ad scopum Christi*, *Non mala sententia*. Hoccine est *hæreticum* agere? hoccine *Patres immeritò reprehendere?* ut Jesuita audeat viros adeò mansuetos & innocentes novâ suâ facundiâ perstringere. De suis quid dicturus est? nam sunt etiam è suis aliqui qui interpretationem Patrum non culpant solùm, sed refellunt. Adsunt in procinctu quatuor è Pontificiis, qui crimen, si quod sit, purgare possunt, cujus arguuntur Orthodoxi. Hilarion Monachus, Januensis, Paulus de Palatio & Cornelius Jansenius interpretationem non admittunt: & magnus ille Episcopus Abulensis, quod majus est, & Patrum nomina apponit, & expositionem eorum diluit atque convellit. Quid igitur? num propterea isti sunt *hæretici* dicendi? aut à persona fortassis excusatio ducenda est? ut Tostato rejicere liceat, Calvino non item? ut Bucerus immeritò reprehendere videatur, Jansenius meritissimè? Hem candorem Jesuiticum! Sed relinquamus Maldonatum suis calumniarum meritis; & seposito omni personarum præjudicio, videamus an recentiorum interpretatio quam illi statuunt, sit in aliquo huic sanctorum Patrum præferenda, quam cum illis Maldonatus ipse non sequitur.

Per *Vetera & Nova* simplex dicendi genus & parabolicum intelligi volunt; ut sensus sit, Varietatis Theologicæ laudem Christum hîc proposuisse, & *nil aliud commendasse*, ut Abulensis loquitur, *nisi eruditionis copiam, quâ possit Minister Evangelicus varia docere, & doctrinam veritatis vario modo proponere*; *vel ἁπλῶς vel παραβολικῶς*. An Salvatoris menti & rectæ rationi hæc magìs sit congrua, ipsi viderint. Nam primò, non agitur tantùm de modo docendi, sed res docendas Christus proponit, ostendens quòd *vetera & nova* testimonia, *vetera & nova* argumenta, *vetera & nova* theoremata è sacris fontibus Pastores traherent: ut tantùm ad *veterem & novum* stylum Christus respiceret, adduci non possum ut putem. Deinde verò, si ad stylum respexit, illud alterum non quadrat; nam simplex dicendi genus Apostolis, & parabolicum Prophetis est usitatissimum. Imò verò simplices & aperti sermones frequentiùs in novo, parabolæ & similitudines usitatiùs in veteri reperiuntur. Postremò, non alios arbitros quæro quàm semetipsos: nam si sensum hunc esse fateantur, Oportere Doctorem Euangelicum omni doctrinæ genere paratum fore & instructum, unde, quæso, meliùs hoc faciet quàm ex Veteri & Novo Testamento? Sed reprimo me, quia multis verbis ultro citróque habitis consumpta est hora. Ergò hæc sufficiat dixisse de contrà sentientibus.

Ad Rationes quæ datatim utrinque vibrantur nunc accedo. Argumenta quibus Theologi nostri utuntur in contrariam partem duo sunt.

Primum, Quòd Scriba Evangelicus non dicitur hîc *paterfamiliâs*, sed *similis* illi; atque *promere vetera & nova* ad ipsum *patremfamiliâs* pertinet, non ad *Scribam*. Quid exinde concluditur? de Veteri & Novo Testamento sermonem non institui? imò verò contrarium: Quia paterfamiliâs, Christus, cœlestis autor est & architectus utriusq; paginæ, sequitur necessariò, quòd si se

similem

similem patrifamiliâs pastor orthodoxus præbere velit, ut in hoc magistrum sequatur, & salutares aquas hauriat è fontibus Salvatoris; h. e. ex oraculis utriusque Testamenti.

Alterum eorum Argumentum est, Quòd in his parabolis expromendis, Christus nihil attulit è Veteri Testamento, sed omnia è pectoris sui penetralibus. Sed neque hoc quadrat: & miror homini docto atque cauto, Wolfgango Musculo, verbum hoc excidisse: nam primò, omnium istarum parabolarum habemus non obscura vestigia in Veteri Testamento. De Semine simile aliquid Hos. 10. 12. *Seminate vobis ad justitiam*: de Fermento, Amos 4. 5. *Sacrificate de fermento laudem*: de Thesauro & Margarita, Prov. 3. 13, 14. *Melior negotiatio ejus negotiatione argenti, & auro effosso proventus ejus; pretiosior est carbunculis*, & quæ sequuntur: de Sagena, Ezech. 12. 13. & 17. 20. *Expandam rete meum contra ipsum, & capietur in sagena mea.* Videsis, similitudinum istarum origines & fundamenta in Veteri Testamento reperiuntur: & quid inter se distant, ibi Semen justitiæ, hîc Semen Verbi? ibi Fermentum laudis, hîc prædicationis? ibi Thesaurus sapientiæ, hîc doctrinæ? ibi Sagena vindictæ, hîc Scripturæ? & ille tamen, *Nihil*, inquit, *attulit è Veteri Testamento.* Si hoc non sufficit, at illud est invictum, quòd in his ipsis parabolis tradendis tria aperta testimonia Christus proferat ex Scriptis Prophetarum: primum ver. 14. ex Isai. 6. 9. *Adimpletur prophetia Isaiæ, Auditu audietis & non intelligetis*; alterum ver. 35. *Completur quod dictum est per Prophetam, Aperiam os meum in parabolis*, ex Psal. 74. tertium vers. 43. ex Dan. 12. *Tunc justi fulgebunt sicut Sol in regno patris sui*: & ille tamen, *Nihil*, inquit, *attulit è Veteri Testamento.* Videtis quòd duo ista Argumenta quæ in contrarium vergunt irrita sunt & nullius ponderis.

Istis duobus duo alia Abulensis attexit. Primum, quia Christus de se & Apostolis loquebatur; at illi non proferebant testimonia de Novo Testamento, nec proferre poterant, quia nondum erat institutum quum hæc loquebatur. Secundum, quia hoc posito, Abraham & Moses & Prophetæ non possunt *Scribæ docti* appellari; quia non potuerunt in scriptis suis locum aliquem urgere de Novo Testamento. Sed neque hæc argumenta causam magìs debilitant quàm priora. Primò, Quia non urgetur ad Scripturas Veteris & Novi Testamenti Christum respexisse, sed ad mysteria quæ in utroque continentur, quæ & Christus & Apostoli quotidie proferebant: *vetera* proferebant, testimonia ipsius adducendo; *nova*, ipsum novum d m prædicabant & scribebant dictando & instituendo. Secundò, Quia non est eadem sapientia omnium temporum. Moses & Prophetæ plenam habuerunt cognitionem omnium eorum quæ docenda & cognoscenda erant ad salutem tempore suo; & pro Scribis doctissimis habendi sunt, quamvìs Novi mysteria suis scriptis non attigissent: sed attigerunt tamen. Ipse Abrahamus etiam *Novi Testamenti, etsi verba non nunciavit, at facta novit*, inquit Gregorius: imò verba nunciavit posteris suis, *Ero Deus tuus & seminis tui*; quæ verba Evangelii summam in se continere Apostolus Paulus asserit, Gal. 3. 16. Similiter & Prophetæ cum *veteribus nova* miscebant, cùm Christum prænunciarunt. *Scrutamini Scripturas; quia istæ sunt quæ testantur de me*, Joh. 5. 39. & Joh. 5. 46. *De me Moses scripsit.* Quæro, an Moses solus? imò S. David & reliqui, quos nescio Prophetas dicam magìs an Evangelistas. Postremò, Christus hîc non solùm de seipso & Apostolis loquitur, sed de Pastoribus ad finem seculi, quibus necessaria sapientia utriusque Testamenti est; & unusquisque quò in his peritior, eò doctior. Non solùm loquitur de his qui tum fuerant,

sed de iis qui postea esse poterant; docens & quid facturi essent, & quid facere deberent Ministri Dei post Novum Testamentum editum: ergò & ad Apostolos pertinebat, & ad Pastores omnes secuturos. De Apostolis dubitatio nulla est; illi jungebant *vetera & nova*, cùm Novum Testamentum tradendo, Vetus in testimonium vocatur; h. e. addendo scriptis Propheticis sua Apostolica: de Pastoribus sequentibus dubitatio minor; nos *vetera & nova* jungimus, cùm ex utroque Dogmata fidei probamus, & scriptis Apostolicis interteximus Prophetica.

Hoc modo Rupertus locum verbis explicatioribus reddit, *Docuit*, inquit, *omnia veteris & novi sacramenta proferenda in tempore suo: projecerunt de thesauro doctrinarum suarum nova & vetera; quia quicquid in Evangelio prædicarunt, Legis & Prophetarum vocibus comprobarunt*. Hieron. De Christo si quis dubitat, haud se Theologum præstabit, vix Christianum: ipse nova & vetera jungebat, dum Evangelium docens, ad Legem & Prophetas recurrit: cùm de lege prima justitiæ disseruit, *Quæcunque vultis ut vobis faciant homines, & vos facite illis*, Matt. 7. vetera novis conjunxit; cùm interroganti respondit, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Matth. 19. 17. cùm diviti responsum annunciat, *Habent Mosen & Prophetas*, vetera novis conjunxit. Cùm Judæis præcepit ut scrutarentur Scripturas, Jo. 5. 39. cùm discipulis dixit, *Non veni Legem solvere, sed implere*, Matt. 5. 17. cùm in transfiguratione cum Mose & Elia collocutus est, vetera novis conjunxit, Matth. 17. 3. Quid enim aliud indicant colloquia Mosis, Eliæ, Christi, quàm Legis, Prophetarum, Evangeliorum in Christo concordia? Denique, cùm concione primâ in monte habitâ, ex eodem suggestu Evangelium tradidit discipulis, quo priùs Legem Mosi, ut Tertullianus observavit; cùm, inquam, novum illum commentarium Legis veteris addidit, & de homicidio, adulterio, juramentis, tam copiosè disputavit, nonne *vetera novis* conjunxit? Hæc omnia quando Christus fecit, *nova* cum *veteribus*, extrema cum primis consociavit: & *nova protulit de suo, & vetera de veteribus libris*, ut Drithmarus optimè in locum. Atque hinc est quòd S. Chrysostomus observavit, *omnes beatitudines Novi Testamenti concione istâ à Christo traditas, in veteri Testamento reperiri. Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, dicit S. David, Psal. 51. *Beati pauperes spiritu*, Christus: *Cor mundum crea in me*, David; *Beati mundi corde*, Christus; & ità de cæteris: *ut vel hoc uno*, inquit, *se doctum scribam significaret*.

Sufficere ista possunt ad rem præ manibus declarandam, & plura replicare supervacaneum puto. Sed concedite tamen ut duos Scripturæ locos adjiciam ex abundanti. Et quia de *veteribus* & *novis* sermo instituitur, primus ex Novo, proximus ex Veteri Testamento ducendus erit.

Ex Novo Testamento locus insignis habetur, Eph. 2. 20. ubi Apostolus cùm significare vellet fideles inniti utroque Testamento, superstructos eos dixit ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν, *super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*; h. e. super veteres Scripturas & novas. Solus Primasius inter omnes interpretes adversatur; ipse per Prophetas Evangelicos intelligit, ità ut non possit ad duo Testamenta referri: reliqui contrà super Apostolos & Prophetas, id est, super Novum & Vetus Testamentum, Ambros. item Chrysostomus, πρῶτον τίθησι τοὺς ἀποστόλους, ἐσχάτους ὄντας τῷ χρόνῳ, *primùm ponit Apostolos, qui tempore sunt ultimi*. Sic Theophylactus & Theodoretus. Audiamus Theodoretum; *Prophetas hic vocat, non Prophetas Novi Testamenti, sed Veteris: præposuit autem Apostolos, quoniam prædicationem per illos accepimus*.

Certis-

Certissimum igitur est, per Apostolos & Prophetas, Novum Vetúsque Testamentum intelligi.

Ex Veteri Testamento locus alter non minùs ad præsens negotium aptatum videtur. Cant.7.13. *Nova cum veteribus, patruelis mi, servavi tibi:* est vox Ecclesiæ ad Dilectum suum, honorem & gloriam gratiæ utriusque Testamenti Sponso suo deferentis. Unanimi consensu Patres antiqui de doctrina Prophetarum & Apostolorum dictum volunt. *Quia illi Christum venturum prædicarunt, hi natum & passum*, inquit Justus Orgelitanus. Similiter Philo, *Ad Legalia*, inquit, *& Evangelica præcepta pertinet; quia quod præcipitur in veteri, mandatur in novo; & quod jubetur in novo, idipsum præcipitur in veteri.* Neque aliter Ambrosius, Ser.22.in Psal.118. *Meritò*, inquit, *Ecclesia dealbata cernitur, quia utriusque fulget gratiâ Testamenti: & sola hoc dicere Ecclesia potest: non dicit alia congregatio, non dicit Synagoga, nec secundùm literam nova tenens, nec secundùm spiritum vetera; non dicit hæresis Manichæa, Vetera servavi tibi, quæ Prophetas non suscipit.* Hæc ille. Hieronymus verò in Procem. c. 1. Isaiæ, & Theodoretus, non modò sic interpretantur, sed huic loco exæquant, illum per hunc, hunc per illum explicantes. Neque discrimen aliquod, nisi quòd illa vox Sponsæ ad Dilectum, hæc vox Sponsi ad discipulos. Quin & reliqui qui interpretationem hanc non sequuntur, non dissimilem cudunt: promittit se dilecto suo dare Ecclesia *vetera & nova*; id est, ut illi loquuntur, *bona utriusque populi, Judæorum & Gentilium.* Liceat igitur mihi percontari, quæ sunt *bona utriusque populi*, nisi Lex & Evangelium? quod maximum bonum Judæorum? doctrina Veteris Testamenti; quod maximum bonum Gentium? doctrina Novi. Ergò, vel ipsis fatentibus, per *nova*, Apostolica, per *vetera*, Prophetica dicta & scripta intelligenda sunt. Similiter & in hoc loco Christi agnoscunt Interpretes recentiores Loci scopum esse, ut scribæ Evangelici pectus sit tanquam thesaurus uberi penu redundans, in omni pietatis negotio, ut de illo penu omnia cibaria depromat ad gregis sui alimentum. At verò hoc dicendo quid aliud dicunt, quàm instructum eum esse debere cognitione plenâ utriusque Testamenti? quia non est promptuarium melius quàm Scriptura Sacra. Ergò generalis locutio speciali non detrahit, sed supponit & includit: ut juxta latitudinem significationis, omnia cujuscunque generis adjumenta; at juxta proprietatem, Vetus & Novum Testamentum intelligamus.

Hæc Ego copiosiùs disputavi de verborum istorum propriò & genuino sensu, nè viderer superædificare super debile fundamentum, ut alludit Apostolus. Et nunc circumspectis rebus omnibus quæ aut pro, aut contra interpretationem sanctorum Patrum dici solent aut possunt, rationibúsque subductis, summam feci cogitationum mearum, genuinam, & veram, & propriam explicationem hujus loci ab illis tradi: conspirante huc & Ratione rectâ, & Scripturæ calculo, & veteris Ecclesiæ suffragio. Atque sic primam Quæstionem absolvi; Utrùm hæc de doctrina Novi & Veteris Testamenti sit interpretatio loci propria, & Salvatoris menti consona. Liceat tantùm Coronidis loco illud S.Augustini attexere, l.4. de Trin.c.6. *Has Ego causas & ex Ecclesiæ authoritate à majoribus traditas, & ex Divinarum testimonio Scripturarum, & ex ratione numerorum similitudinúmque collegi. Contra Rationem nemo sobrius, contra Scripturas nemo Christianus, contra Ecclesiam nemo pacificus senserit.*

LECTIO XI.

A*Rtem longam* esse, & *vitam brevem*, Hippocrates dixit de Arte Medica. At erat tamen vox tanto viro digna, Medico: nam revera Medici & honor & scopus in eò ponitur, ut cursus & præscriptiones Artis breves & circumcisas faciat; languescentium autem Vitam, quantùm in se est, longissimam: & post hæc Princeps Medicorum, artem, etiam cùm in compendia contrahit, conqueritur longam; vitam, ad suæipsius artis opprobrium, brevem. Ex adverso se res habet in Theologiâ: ad decem verborum, ad duorum verborum brevitatem Artis supremæ regulæ reducuntur; & dirigunt tamen ad vitam non longam, sed æternam. In mentem mihi revocat celebre illud S. Bartholomæi dictum (si modò dictum ipsius erat) à Dionysio Areopagita, in libro De mystica Theologia, nobis commendatum. Ὁ θεῖος, inquit, Βαρθολομαῖός φησι, καὶ πολλὴν τὴν Θεολογίαν καὶ ἐλαχίστην, καὶ τὸ Εὐαγγέλιον πλατὺ, καὶ αὖθις συντετμημένον, *S. Bartholomæus dixit, Magnum esse Theologiam & parvam, breve Evangelium & longum*: Nè de sensu sancti viri simus soliciti, Bernardus dimidiatim reddit, ser. 1. in vigil. Nat. *Est breve verbum Evangelium, sed cælesti suavitate refertum.* Augustinus perfectè & plenè, De Symbol. Apostol. ser. 1. in vigil. *Breve est verbis, sed magnum Sacramentis:* h. e. quod ad sententias, angusti ambitûs; quod ad virtutem, potentiam & durationem, immensi. Præsenti negotio quàm aptissimè congruat & illud S. Bernardi, & S. Augustini alterum, & inprimis illud S. Dionysii, nemo est qui primo intuitu non videt. *Nova* & *vetera* sunt duo tantùm numero vocabula; & numerorum minimus est binarius. Sed quod Salvator de amore Dei & proximi, Matt. 22. *ab istis duobus tota Lex & Prophetæ pendent*; & quod de Esauo & Jacobo Deus ipse, Gen. 25. 23. non duos filios, sed duas gentes in utero Rebeccæ dimicasse: Idem de magno-parvo verborum istorum circuitu, non duas notiones, sed magìs duas nationes mysteriorum ea in se continere; nam in duobus istis non solùm Lex & Prophetæ, sed & ipsum insuper Evangelium comprehenditur: in quinque syllabarum guttulis, impenetrabilis altitudo Novi Veterísque Testamenti.

Hæc summa est illorum quæ Prælectione pridianâ fusiùs explicavi; atque recentioris memoriæ sunt quàm ut repetitionis molestiâ vos torqueam. Sufficiat in præsentiarum monuisse, propriam & nativam, atque cum loci scopo & Salvatoris sensibus conjunctissimam, esse eam interpretationem quam ab antiquis Patribus unanimi calamo transmissam accepimus; per *nova* & *vetera*, non modò cujuscunque generis adjumenta, sed inprimis Novi Veterísque Testamenti mysteria esse intelligenda.

Nunc ampliùs pergendum est, ut iter reliquum conficiam, ad alteram quæstiunculam quæ à prima originem trahit: Quænam illa sint quæ Christus exinde nos doceat, quæque ex verbis sic intellectis necessariâ consecutione eliciantur, quum scribæ erudito Veteris Novíque Testamenti terminos statuit, & intra hos cancellos omnem salvificam doctrinam circumscribit. Illa autem ad duo hæc capita reducuntur.

Unum est περὶ τῆς αὐταρκείας, De Perfectione & Sufficientia utriusque, si in se simpliciter; Alterum περὶ τῆς ὁμονοίας καὶ συμφωνίας, De Concordia

dia & mutuo consensu utriusque, si ad se comparatè sumantur. Sigillatim sunt ista inspicienda: & revera digna sunt in quæ pars aliqua laboris nostri impendatur. Atque ipsa causa postulat ut pro concessis habeantur, quia si alterutrum tollatur, Christi regula cadit: nisi duorum Testamentorum Sufficientia ponatur, est præscriptio mánca & claudicans; nisi Consensus ponatur, superflua est & parùm sibi constans. Sic istorum alterum sequi necesse est; aut inconsultò ad istos nos arbitros Christum relegasse, si inter se discordent; aut frustrà, si nobis quod ad salutem satìs est non subministrent.

Aggrediamur primum, in quo de consummata *novorum* & *veterum* perfectione agendum. Non quòd sit instituti mei per omnes istius controversiæ saltus vagari: sed spicilegia quædam faciam eorum quæ huic negotio maximè congruunt. Ut hoc saltem hinc addiscatis, quo tandem modo ad Scribæ docti laudem in duorum Testamentorum usu quis pertingere possit: si neque ipsorum integritatem mutilet, neque puritatem depravet, nec terminos augeat, nec honori detrahat, nec magisterium refugiat; sed se, & studia sua, & judicium suum, & omnia sua Sacræ paginæ imperio in rebus Fidei subjiciat, & aureis ipsius vinculis adstringi, solam libertatem putet. Ut tandem distinctè hæc atque ordinatè agantur, in tria Theoremata totum hoc argumentum compingam.

Sit igitur Theorema primum, Non est Scriba doctus qui partem aliquam, nedum totum, utriusvis Testamenti detruncat; quia hujusmodi non profert *nova* & *vetera* integra. Contra Judæos & Hæreticos hæc Thesis militat: quorum illi Veteri Testamento adhærent, rejecto Novo; hi Novum retinebant, & rejiciebant Vetus. Neque illa minima aut ultima erat inter Hæreticorum præstigias, latebras sibi quærere lucernarum extinctu. Beatus ille martyr Ignatius, in illa ad Trallianos epistola, etiam suo tempore fuisse nonnullos dicit, *οἱ τὸν Χριστὸν ἀλλοτριῶσι τοῦ Πατρὸς, τὸν δὲ νόμον τοῦ Χριστοῦ, qui Christum à Patre dividebant, & Legem à Christo:* nomina non memorat, quia monstra opinionum nuper edita nondum pennarum remigia ad volandum conquisiverant. Sed postea Athanasii tempore in sublime sese extulerunt: & ille quidem nomina apponit, Orat. 5. cont. Arianos. *διαιρεῖν τὰς διαθήκας, Μανιχαίων καὶ Ἰουδαίων ἐστὶν ἐπιτήδευμα, dividere Testamenta, & alterum ab altero sejungere, Manichaeorum & Judaicæ factionis est.* Quod ad Novum attinet, totum Novum Judæi reprobant; Hæretici alii magnam partem. Acta Apostolorum, Tatianus & Severus, teste Eusebio, lib. 4. hist. c. 29. Epistolam ad Hebræos, Tatianus & Arius; Evangelium Matthæi, Marci, Joannis, Marcion, teste Theodoreto. *Ex Evangeliis*, inquit Theodoretus, Compend. hæret. fabularum l. 1. *solùm illud quod est secundùm Lucam suscipit, genealogiâ etiam magnâ ex parte amputatâ.* Sic Ebion & Cerinthus Evangelium Marci; Evangelium Joannis Hæretici qui *Alogi* dicti, sive *Alogiani*, apud Epiphanium & Augustinum, id est, *sine verbo*, quia Verbum à Joanne prædicatum non recipiant, ut Hieronymus in Gal. 5. testatur, & Damascenus lib. De Hæresibus.

Quod ad Vetus spectat; contra totum Vetus latrabant Valentiniani, Cerdo, Marcion, Severiani, Gnostici, Valesii & Archontici. (Erant illi hæretici qui ad multos principes Universitatem referebant.) Denique, ipsi Manichæi, qui à malo Deo, sive principio, Vetus Testamentum, à bono Novum prodiisse asserebant; quasi non sufficeret ad blasphemiarum suarum cumulum veritatem corporis Christi abnegasse, nisi corpus veritatis dilaniarent. Sed istæ nunc hæreses sepultæ sunt, &, opinor, non terræ reddi-

ditæ

ditæ, sed Orco; nisi inter Anabaptistas reliquiæ ipsarum supersint: quorum aliquos librum Jobi, necnon & Ecclesiastis & Canticorum è Canone rejicere Sixtus Senensis autor est. Mitto igitur hanc partem, si unum aut alterum locum è sanctorum Patrum scriptis contra acerrimos Divinæ veritatis hostes addidero.

Contra Judæos, illud Ambrosii, Ser. 12. in Psal. 118. *Est quidem veritas in Veteri Testamento; sed amiserunt eam quæ est in Veteri, quia non receperunt eam quæ est in Novo: recessit ab eis veritas, & ad Ecclesiam venit.*

Contra Manichæos, illud Damasceni, Dial. De hæresi Manich. κρεῖττόν ἐστιν Ἰουδαΐζειν καὶ Ἰουδαῖον ἀποθανεῖν, ἤπερ κοινωνῆσαι τοῖς Μανιχαίοις, *melius est Judaizare & in Judaismo mori, quàm cum Manichæis societatem coire.*

Contra utrosque, illud Hieronymi in Eccles. c. 11. *DA PARTEM SEPTEM ET QUIDEM OCTO. Septem,* inquit, *& octo gradus erant ad ascensum Templi; nam septenario expleto, per ogdoadem ad Evangelium scandimus: præcipitur igitur, ut in utrumque Instrumentum, tam vetus quàm novum, pari veneratione credamus. Judæi dederunt partes septem, credentes sabbatum: sed non dederunt octo, resurrectionem diei Dominicæ denegantes. E contrario, Marcion & Manichæus dant partem octo, suscipientes Evangelium; sed eandem septenario non tribuunt, Legem veterem respuentes.* Periculosum est, Fratres, in extremis versari. Judæi ad sinistram vergunt, Manichæi ad dextram; uterque maximopere declinat à semita veritatis: neque enim minùs cum medio extrema pugnant, quàm inter se Judæi contra Manichæos, Manichæi contra Judæos, & ambo contra Christum; in sententiis hostes, fratres in deliriis. Veritati oculum sinistrum Judæi, dextrum Manichæi eruere enixi sunt; Judæi quæ à fronte sunt negligunt, quæ à tergo Manichæi; tantum illi à Prometheo distant, quantum ab Epimetheo isti; diversa intemperies, sed insania eadem. Nimis illi de futuro soliciti, promissiones sic adimplendas exspectant, ut adimpletas contemnant: nimis de præterito & isti oscitantes, sic adimpletas apprehendunt, ut obliviscantur fuisse aliquando adimplendas. Dicite quid pejus est, ubi ambo pessima: de duobus malis minus eligere multi possunt, de duobus pessimis nemo. Quid enim interest sive quis Jesum à Christo, an Christum à Jesu divellat? Ergò imperiti scribæ Manichæi, quia α Scripturarum nesciunt; Judæi, quia ω ignorant: illi, quòd *vetera* nolunt retinere; isti, quòd ad credendum *novis* nolunt animos inclinare; ambo, quòd quæ Deus sanctissimè conjunxit, ipsi nefariè separant. Non nos sic didicimus Christum, si per eum edocti sumus sicut veritas est in Jesu. At veritas non est omnino in Jesu nisi sit omnimodo in Jesu, h.e. nisi fluat ab utroque rivulo, nisi distillet ab utroque labio. Quæ autem sunt labia Christi, Hieronymus nos docet; *Labia ejus duo Testamenta*, Hier. in Pro. 8. Qui rivuli, nisi libri utriusque Paginæ, hinc indè ex utraque parte divinitus perscriptæ, idque digito Dei? & quæ literæ, nisi guttæ veritatis vivæ, quæ de cœlo veniunt, salientes in vitam æternam? Quòd si quis ad *scribæ docti* cupit proceritatem grandescere, utroque imbre irrigetur necesse est, *pluviâ matutinâ Veteris, & pluviâ vespertinâ Novi Testamenti*, ut Hieron. loquitur. Bibit primùm Vetus Testamentum, ut bibat novum; nisi primum biberit, secundum bibere non poterit: bibit primum ut sitim mitiget, bibit secundum ut satietatem hauriat. Manichæi non sic, quia puteum primum obstruunt, matutinâ pluviâ non rigati: Judæi non sic, quia puteum secundum exsiccare conantur, imbre non perfusi serotino. Relinquamus suis somniis utrosque, quia præ foribus utriusque judicium excubat. Veteri Testamento Deus

in Eccles. 11.
Ambr. in Psal. 1.

Deus consuluit his verbis, Deut. 4. 2. *Non detrahes aliquid de verbo hoc quod ego præcipio.* Novo, non verbis solis, sed minis, Apoc. 22. 19. *Si quis abstulerit aliquid ex verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus è libro vitæ.* Mittamus igitur, quia hujus comminationis hamo inuncantur; adeòque altero hamo hujus primi Theorematis. Non sunt *scribæ docti* qui Scripturas lacerant; non *scribæ docti* qui Oracula Dei proscribunt, & Spiritûs Sancti calamum spongiæ subjiciunt. Hoc primum erat, Non est *scriba doctus* qui vel totum, vel partem aliquam utriusvis Testamenti detruncat.

Sequitur Theorema secundum, & sic se habet; Non est *doctus scriba* qui vel sua vel aliena utriusvis Testamenti scriptis immiscet; quia hujusmodi non profert *nova & vetera* incorrupta. Contra Hæreticos veteres simul & Pontificios hæc Thesis pugnat.

Quod ad Hæreticos attinet, interpolatores non paucos Ecclesia antiquitus novit, qui Scripturis Sacris perniciosa quædam opuscula & ψευδεπίγραφα attexere non sunt veriti. *Scripta*, ut inquit Augustinus, *à nescio quibus sutoribus fabularum, & sub Prophetarum & Apostolorum nomine venditata.* Sub Prophetarum nomine commentitia nonnulla Athanasius numerat, Adami revelationem, Prophetiam Henoch Patriarchæ, Testamentum Mosis, Orationem Josephi, Danielis somnialia, Sophoniæ assumptionem, Apocalypsin Eliæ & Abrahami, & alia non pauca, quæ umbram præ se ferebant magni nominis, sed nè *gru* quidem veritatis. Sub Apostolorum nomine adulterina plurima fuisse notant Origenes in Luc. 1. Epiphanius, Ambrosius in Procemio Lucæ, & Theodoret. l. 2. Hæret. fabularum. Theodoretus plus quàm ducentos ejusmodi libros invenisse se asserit; nominatim ista, Evangelium Philippi, quo utebantur Gnostici, Evangelium Judæ Iscariotis, quo Caiani, Evangelium secundum Hebræos, quo Encratitæ, Evangelium secundum Jacobum, quo Nazaræi, Evangelium Ægyptium, quo Valentiniani, Clem. 1. Stromat. & Sabelliani, Epiphanius hær. 62. Evangelium Thomæ, quo Manichæi utebantur, de quo Cyrillus Hierosol. catech. μηδεὶς ἀναγινωσκέτω, *Nemo legat*, inquit, *quia non est unius è duodecim Apostolorum, sed unius è tribus discipulis pessimis Manetis.* Istis conjungere possumus Sancti Andreæ Acta, quæ Lucius Manichæus jactitabat, teste Augustino; Mariæ transitum; Mariæ interrogationes magnas & parvas, in quibus Gnostici & Stratiotici gloriabantur; Matthæi librum De ortu Mariæ & de infantia Salvatoris, qui Valentinianorum & Gnosticorum commenta sunt. Ut nihil interea dicam de Epistola Pauli ad Laodicenses, & ad Senecam philosophum; nihil de Christi literis ad Abgarum Edessenorum Regem; nihil de Epistola Barnabæ, de qua Eusebius l. 3. c. 25. aut de Hermæ scriptis: quæ omnia, ut spuria & supposititia, è canone Ecclesiæ pietas explosit, & meritò exsibilavit. Inter hanc & priorem sectam discrimen non magnum, quia crimen æquale: illi fontes obstruere, hi ausi sunt suis fabulis depravare; isti nullos, hi adulterinos fecerunt, quantum in se erat, brachia impiè extendentes quæ priores amputassent. Quod distare inter duo prima Decalogi mandata Theologi observarunt; in primo cavetur nè cultum verum diis falsis tribuamus; in secundo, nè cultum falsum & fictitium Deo vero: idem inter hoc genus hæreticos; illi Deo adimunt sua, hi obtrudunt non sua; illi canonem imperfectum & mutilum fecerunt, hi imperfectum putantes expolire voluerunt; quanquam hoc non est expolire, sed corrumpere. Istos Scripturarum Fures dicere possumus, qui de solio suo Spiritum Sanctum deturbare; hos Falsarios, qui in solium

Cont. Faustum l. 22. c. 79.

lium non suum eundem sanctissimum Spiritum introducere sategerunt. At verò Scripturæ puritas non admittit extraneum. Æqualis est à fide defectio, ἢ ἀθετεῖν τι τῶν γεγραμμένων, ἢ ἐπεισάγειν τῶν μὴ γεγραμμένων, *vel aliquid eorum quæ scripta sunt infirmare, vel quæ non scripta sunt inferre*, Bas. hom. De fide. Authoritati Scripturæ non minus additamenta detrahunt, quàm probra & calumniæ: nec minùs à scopo distat qui ultra, quàm qui citra metam sagittam dirigit. Hoc igitur nobis sufficiat quod S. Ambrosius in Luc. 17. in nostram gratiam observavit; *Dives philosophia plures deos fecit, pauper Ecclesia unum Deum novit.* Dives Hæresis Evangelia multa composuit, pauper Fides hoc solum Evangelium tenuit quod accepit. Cujus jam conditio potior sit ipsi judicent: an Orthodoxorum, qui in uno Evangelio salutis margaritam invenerunt; an Hæreticorum, qui erroris spiritum imbiberunt è multis; cùm una tantummodo sit veritas, sicut unus Deus. Ab unius Dei cultu magna fiducia acquiritur; à multorum, nulla: similiter ab unius veri Evangelii plus fidei quàm à mille supposititiis. Non ille dives dicendus qui spinis onustus multorum errorum, sed qui thesaurum possidet unius veritatis.

Hæreticos veteres prætereo, & ad Pontificios redeo; nam & illi ad hanc classem referendi sunt, qui & Traditiones suas Scripturis Sacris, & libros Apocryphos Canonicis & indubitatis exæquant. Tridentini statuunt, ut pari pietatis affectu & reverentiâ cum libris Canonicis suscipiantur Apocryphi, & Traditiones, sub pœna Anathematis. Egregium verò Decretum! Est aliquid quòd sunt in honore consortes: at Costerus hanc paritatem non largitur; *Traditionis præstantia multis partibus superat Scripturas quas nobis Apostoli in membranis reliquerunt.* De Traditionibus nihil dicam; de Apocryphis nonnulla: neque tamen opus est rem argumentis persequi. Ad examen tantùm vocabo hujus Scripturæ quæ præ manibus est: hoc sufficit, quòd Apocryphi libri non pertinent ad hæc *Nova* & *Vetera* quæ Christus ut terminos statuit Divinæ veritatis. Non ad Novum Testamentum; nam hoc ab adventu Christi exordia ducit: non ad Vetus; quia Judæi ut Canonicos non admiserunt. Erat Vetus hoc solummodo scriptum ad Ecclesiæ Hebraicæ usum, quia nulla erat tunc temporis Ecclesia nisi Judæorum: ergò necessarium erat ut linguâ Hebraicâ omnes ipsius libri scriberentur. At verò librorum Apocryphorum plurimi Græcè scripti; duo tantùm, Tobias & Judith, Chaldaicè: nè unus Hebraicè aut exstat aut exstitit unquam, nisi liber primus Machabæorum, quem se Hebraicè quidem vidisse, sed non transtulisse, Hieronymus solus testatur. Deinde verò, si hæc ratio vacillet, at illa videtur invicta quæ petitur à distributione Veteris Testamenti quam tradit Salvator, Luc. 24. 44. *Oportet omnia impleri quæ de me scripta sunt in Lege Mosis, & Prophetis, & Psalmis:* ad hæc tria capita Veteris Testamenti libri omnes reducuntur. Hanc distributionem ut perfectam Augustinus probat, quia istis tribus Dominus noster testimonium perhibet, tanquam suis testibus. Imò & inter Pontificios, Sixtus Sen. l. 1. bibliothecæ, inter septem canonicarũ distributiones, hanc primo in loco constituit quâ usus est Dominus noster post Resurrectionem: & apud Josephũ partitio eadem reperitur. At libri Apocryphi ad nullam istarũ partium revocari possunt. Non ad Legem; illa tantùm Mosaicos libros in se continet: non ad Psalmos; quia non sunt poeticè compositi: ad Prophetas igitur? nè hoc quidem; nam Malachias erat novissimus Prophetarum qui Divina oracula scriptis mandavit. Testes habemus locupletissimos. Inter Judæos Josephum, qui etiam citatur ab Eusebio, l. 3. c. 10. *A Mose*, inquit, *ad Artaxerxem tantùm sunt viginti duo libri Canonici*;

L. 1. cont. Appionem.

Canonici; *& post Artaxerxem qui compositi sunt Canonici non sunt.* Inter sanctos Patres, Eusebium & Theodoretum. Eusebius Demonstr. Evangel. l.8. *à reditu ex captivitate nullum habetur sacrum volumen, μέχρι τῶν τοῦ Σωτῆρος καιρῶν, ad tempora Salvatoris.* Theodoretus præfat. in Malachiam, *Malachias post omnes qui prophetias scripserunt Divina oracula scriptis mandavit.* Inter Pontificios, Genebrardum & Corn. Jansenium. Genebrardum l. 2. Chronologiæ, *Templum secundum destitutum erat Spiritu sive afflatu sancto qui Prophetas olim corripiebat*; *quia à Malachia ad Joannem nulli Prophetæ extiterunt:* & verum dixit Exclusivè loquendo, quia post Templum redintegratum revera nullus exstitit; quamvis Inclusivè loquendo, Haggæus, Zacharias & Malachias, ad ædificationem animosè hortati sunt. Jansenii locus habetur in c. 48. Ecclesiastici; *Post Joannem in prophetia Malachiæ promissum nulla exstat prophetia scripta ab aliquo Propheta qui Canonicus habeatur, quousque ille promissus veniret à quo incipit Scriptura Novi Testamenti.* Quid clarius, quid ordinatius, quàm ut ubi Vetus Testamentum desivit, Novum inciperet? Postrema verba Veteris Testamenti sunt hæc, *Ecce mittam Eliam prophetam, ut convertat cor patrum ad filios*, &c. & ab istis ipsissimis verbis S. Lucas suum orditur Evangelium, de Joanne, Luc. 1. 17. *Ipse præcedet in virtute & spiritu Eliæ, ut convertat corda patrum ad filios*, &c. Quis putat intervenire aliquid posse inter Scripturas Veteris Novíq; Testamenti, istâ non tam concordiâ quàm identitate conglutinatas? ut necesse sit, libros Apocryphos interponere esse humano cubito stateram Sanctuarii adaugere. Non jam regerant in more fuisse antiquis, libros Apocryphos publicè legere in Ecclesiis: non imus inficias, nam & hodie etiam leguntur in nostris.

Sed primò, lecta fuisse ut Apocrypha concedimus, non ut Scripturas Canonicas. Sic tertium Concilium Carthaginense prohibuit quicquam in Ecclesia legi nisi Scripturam, nimirum pro Scriptura.

Secundò, lecta fuisse concedimus, sed ut scripta magìs idonea ad informationem morum quàm ad confirmationem dogmatum. Habemus Hieronymum & Ruffinum adstipulantes. Hieron. in præfat. ad Proverbia, *Leguntur*, inquit, *ad ædificationem plebis, non ad autoritatem Ecclesiasticorum dogmatum.* Ruffinum in exposit. Symboli, *Leguntur in Ecclesiis, ad fidem confirmandam non proferuntur.* Quòd si adhuc distinguant de *proto-canonicis & deutero-canonicis*, & illos quidem solos inter Judæos Canonicos revera fuisse, hos autem Ecclesiæ authoritate Canonicos factos; ad rem non facit: nam in Canone sancto non est prius & posterius dignitate, quia non sunt gradus rectitudinis in rectitudine; neque fieri potest ut quod in se non est Canonicum, Ecclesia faciat, postquam Testamentum Deus ipse suo sigillo utrumque obsignavit: Testamentum Vetus solenni prohibitione, Deut. 4. 2. *nè addite ad verbum illud quod ego præcipio vobis*; Novum autem comminatione acerrimâ, Apoc. 22. *Si quis adjecerit ad ista, apponet ei Deus plagas scriptas in libro isto.* Quæro igitur undenam Romanus Pontifex privilegium habeat, ut possit Canonizare, sicut sanctos homines, sic sanctas Scripturas; & in Canonem redigere quod è Canone sacro Deus excluserit: an plagas etiam averruncare potest quas Deus interminatus est? At S. Paulus, ad Gal. 1. non minas nudas, sed *Anathematismum* vibrat contra istos audaculos, ostendítq; non licere hoc Apostolo alicui, non alicui Angelo; *Si nos, aut angelus è cælo evangelizaverit præter id quod accepistis, Anathema sit.* De Scripturis eum loqui, luce clarius, & Veteres ità interpretati sunt; Chrysostomus, & Cyrillus, & Augustinus, l. 3. con. literas Petiliani, c. 6. de Scripturis tum Legalibus, tum Evangelicis: imò & ipse Apostolus, 1 Cor. 4. *ut discatis non sapere supra id quod scriptum est.* Ecquod est locorum discrimen? ibi, nil

præter; hìc, nil *supra*: ibi, non *præter quod accepistis*; hìc, nil *supra quod scriptum est*. Per alias præpositiones Veteres explicationem reddunt. *Nil contra*, Ambrosius; & aliquando, *Non aliter*. *Nil extra*, Theophilus Alexand. in secundo Paschali. Tertullianus aliquando *Nil citra*, l. de Præscript. c.29. aliquando, *Nil ultra*; *Nil ultrà scire, est omnia scire*, c. 14. *Hoc priùs credimus, non esse quod ultrà credere debemus*, c. 8. Pariter & Theopoylactus sic, *Non modò si contrarium prædicaverit, sed si plusculum quippiam adjecerit*: & Chrysost. in Gal.1. 8, 9. *Non si contraria annuntiaverit, aut totum Evangelium subverterit, verùm si vel paulum, si minutum, si exiguum, vel minutissimum aliquid annuntiaverit*. Et ratio est in aperto: ab Hieronymo & Augustino redditur. *Habent Scripturæ utriusque Testamenti*, inquit Augustinus, l. 2. De baptismo, contra Donatistas, c. 3. *habent*, inquit, *Scripturæ suos terminos, quos transgredi nefas*. Intra istos terminos deutero-canonici non habentur; non intra Legis, Prophetarum, & Apostolorum, quia non sunt θεόπνευστοι, non à Spiritu Sancto, sed ab hominibus profecti, quibus errare & decipi sæpissimè contingit: ab hominibus, inquam, piis quidem, sed tamen hominibus; ergò doctrina ipsorum fidei regulam non figit; non enim sunt libri neque quoad authoritatem ἀνυπεύθυνοι, neque quoad veritatem ἀναμάρτητοι· non pertinent ad hæc *Nova & Vetera*, per quæ ipsi Pontificii Novum Vetúsque Testamentum intelligunt: soli Canonici sunt Testamentarii, unde eos solos Origenes & Eusebius ἐνδιαθήκους vocant, *quia illi soli efficiunt τὴν διαθήκην*, i.e. *utrumque Testamentum*; Orig. apud Euseb. l.6. c. 19. & Eusebius ipse, l. 3. c. 3. Apocryphos *Ecclesiasticos* alicui dictos lego ab antiquis; à Cypriano, in Expos. symboli: *Canonicos* nusquam. Ergò ut in compendia hæc mittam: Si scribam doctum Christus relegat (vel ipsis interpretantibus) ad Novum Vetúsque Testamentum, quia sola hæc duo sapientem hominem reddunt ad salutem & prædicandam & adipiscendam, sola hæc dúo hominem Christianum perfectum reddunt, 2 Tim. 3. sola scribam Evangelicum perfectum reddunt; si hæc, inquam, ità sint, pudeat Papicolas tandem istius expositionis, quia constat libros Apocryphos non esse aliquam partem Veteris Testamenti, nec Traditiones Novi. Liceat ergò percontari, An *scriba doctus* est qui ipsum αὐτόγραφον, sive πρωτότυπον, h. e. exemplar, secundum quod literas, & verba, & puncta quælibet configurare debet, qui ipsum (inquam) πρωτότυπον audet corrigere, emendare, ipsíque auctarium adjicere? an *doctus scriba*, qui magistro suo, & magno magistro Christo, qui audet se doctore suo, & summo doctore Spiritu Sancto, doctiorem jactitare? Sit quidem per me licet *doctus scriba*, modestus & pudens non est. Quid verò aliud Pontificii moliuntur, dum humana suáque figmenta Divinis oraculis æquiparant? annon hoc est manuducentem ducere, & sapientiâ Dei se sapientiores contendere? Quid est, si non hoc est, perversè & impiè uti talento Scripturæ nobis concredito? Istis si servus nequam in Evangelio conferatur, pro bono fideliq; servo quidni habeatur? unum ille talentum accepit, & unum reddidit, sed illibatum & integrum: hi ex uno Scripturæ talento quinque lucrantur, sed malis artibus; nam & talenta quæ accedunt ad cumulum sunt plumbea, & illa quæ acceperunt non reddunt nisi adulterata. Quantò nos rectiùs cohortatur S. Pater Ambrosius, ut liceat mihi ipsius verbis hanc Propositionem secundam ad exitum deducere? *Pecunia*, inquit, *Domini Scriptura Divina est*; *Denaria & Talenta quæ servis suis Deus distribuit: tu ergò, quasi bonus nummularius, eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum reconde; nec adulteram imaginem regis impiâ commutatione suscipias, nec immutatam principis tui figuram hæretica fraude perfidiæ thesauro tuo misceas, nec pecuniæ sono aures tentes fidelium*,

lium, ut religiosarum audientiam Scripturarũ tinnitus æris excludat. Hæc ille pro puritate Scripturæ sarta tecta servanda disputat; prorsus quasi Theoremati nostro calculum suum adjicere voluisset, Non illum esse bonũ Nummularium, qui Dei vivi imaginem in Scripturis lucentem ementitur; nec fidum Agricolam, qui vitibus tribulos inserit, & tritico zizania superseminat; neq; Architectum prudentem, qui super fundamentum Scripturæ certissimum sanctissimúmque, fœnum aut stipulam exstruit, & columnis aureis Propheticæ Apostolicæque doctrinæ trabes attritas & exesas agglutinat; neque *Scribam doctum*, qui humana Divinis miscet, & placitis suis oracula Sacra corrumpit. Hæc de Theoremate secundo. *Ambros. in Luc. 19.*

Tertium & ultimum sequitur, & sic se habet: Non est pro *scriba docto* habendus, qui Scripturæ arbitrio se eximit, & ipsius stare judiciis recusat; sed probris & contumeliis prosequitur, ut honorem ipsius & famam imminuat, atque authoritatem eludat. Adversus Pontificios solos Thesis hæc ultima distringitur, quibus adlatrare contra sacrum Canonem adeò usitatum est, ut è veteribus Hæreticis assignari vix quispiam potest qui acerbius quid evomuerit, quàm quod isti caninâ suâ eloquentiâ baubarunt.

De prima parte Theseos, Quòd Scripturæ habenas & arbitrium excutiunt, res est magìs manifesta quàm ut testibus id planum facerem. Caranzam, Pighium, & in Ratisbonensi Colloquio Theologos Papisticos pro reliquis loquentes audiamus. In illo Colloquio Scripturam normam infallibilem esse negant, nec solam & unicam; sed generalem & ordinarium, & legitimum judicem controversiarum fidei Pontificem Romanum asserunt, sive solus definiat aliquid, sive cum Concilio generali; & verus judex est, & semper infallibilis quando ex cathedra definit. Similiter Caranza, in Controversiis Summæ Conciliorum præfixis, in prima controversia; *Primum principium, certum & infallibile demonstrandi quid in fide indubitatè tenendum, est sine aliquo scripto Ecclesiastica Traditio.* In secunda seipsum superat; *Nos dicimus quòd prior regula, & notior, & multò latior est Ecclesia quàm Scriptura Canonica, & hæc per illam regulari debet, non contrá.* Nec propè abest à Caranza Pighius, *Ipsissima pietatis & veritatis regula est Ecclesiastica Traditio, & semper efficacior quàm Scriptura.*

Quod ad alteram partem Theseos spectat, de conviciis & dicteriis, si mimos omnes adeamus & scurras, sanniones, & institutos ad contumelias nebulones quotquot uspiam fuerint, haud scio an quicquam sit petulantius ab iis alicubi dictum. Facessat Leonis X. vox ad Bembum Cardinalem, *Quantum nobis profuit fabula de Christo?* Esto, sit fabula de Papa, quia authorem nescio an aliquem habeat præter Balæum nostrum. Audiamus quid illi effutiunt qui temperantiùs egisse videntur. Quid Costerus? *Scripturæ non continent omnia Religionis capita explicitè*, c. 1. Enchirid. quid Bellarminus? *Non continent expressè totam doctrinam, sive de fide, sive de moribus*, l. 4. de Verbo Dei, c. 3. Molliora sunt hæc, *non expressè, non explicitè.* Illud Cani durius est, *Multa sunt de fide, quæ nec apertè, nec obscurè continent*, l. 3. loc. c. 3. Iisdē penè verbis Caranza in 2ª controversia προλεγομένων in Summā Conciliorum, *Sunt alia quæ nec expressè, nec obscurè*, &c. sed quæ *alia?* fortasse paucula quædam. Doceat nos Charronæus, Veritatis tertiæ c. 4. *Scriptura est minima particula veritatis revelatæ*; & Hosius, Confessionis c. 92. *Multò maxima pars Evangelii pervenit ad nos Traditione, perexigua literis est mandata.* Hem verborum potenta! *non deficit in aliquibus Sacra Scriptura, sed in plurimis; non paucula, sed quamplurima sunt dogmata fidei quæ non continentur in Scripturis.* At insto, cedant illa dogmata quæ desunt. Petrus à Soto, Canus, Stapletonus, Bellarminus hæc afferunt; Trium personarum in

una substantia æqualitatem, ὁμοούσιον, Peccatum originale, Patrem ingenitum, & alia nonnulla, usq; ad viginti octo capita; quibus Purgatorium Bellarminus addit, & Canus Conversionem panis & vini in corpus & sanguinē Domini, i.e. Transsubstantiationem. Quod ad priora quatuor attinet, quis sanæ mentis negat ea esse in Scripturis, si non αὐτολεξεὶ, at necessariâ cōsequentiâ? Nonne Athanasius, Epiphanius, reliquíq; Patres, adversùs Arianos, Sabellianos, &c. omnia probant ex Scripturis? Ipsas quidem voces τοῦ ὁμοουσίου, *peccati originalis, innascibilitatis Patris, Trinitatis personarum* in Scripturis αὐτολεξεὶ contineri non dicimus, quod ad ipsas syllabas attinet, neque est necesse: sed res ipsas contineri in Scripturis an ipsi negare audeant? At verò verba non efficiunt Articulos fidei, sed significant. Eodem planè modo Pascentius Arianus Augustinum premebat, ostendíque sibi rogabat ὁμοούσιον legi in Scripturis totidem syllabis & literis. Ergò dextras porrigant Pascentio Ariano, nam eandem quæstionem proponunt. Sed audiant quid Augustinus respondeat Pascentio; *Si nomen ipsum non inveniatur in Scripturis, at res tamen ipsa invenitur*, Ep. 174. *& verbum* ὁμοούσιον, inquit, *& Innascibilitas Patris, etiamsi ibi non inveniantur, at illa inveniuntur quibus hæc vocabula rectè adhibita indicentur.* Quod spectat ad duo reliqua dogmata, Purgatorii & Transsubstantiationis, ultrò profitemur hæc non contineri in Scripturis; quia novimus Scripturas nullos tradere articulos fidei falsos. Imò non de istis solis, sed de reliquis controversis dicimus, non Adorationem Imaginum contineri in Scripturis, non Invocationem Sanctorum, non Suffragia vivorum pro mortuis, non Cœlibatum sacerdotum, aliáq; commenta eorum non pauca: imò verò contrarium haberi in Scripturis istis suppositiis articulis. Ergò pessimè ab iis dictum, *minimam partem veritatis revelatæ esse in Scripturis*. Interea gratiæ tibi debentur, Andradi, quòd paulò modestior exstitisti; *Eorum*, inquit, *quæ Christianum hominem credere oportet maxima pars Sacris Literis continetur.* Sic meretrix meretrici discolor; aliter catuli olent, aliter sues; sed ambo turpitudinis animalia, & hæ *volutabrum* habent, & isti *vomitum*. *Non continent expressè*, Costerus; *nec expressè, nec obscurè*, Caranza; *maximam partem* Andradius agnoscit, Hosius *perexiguam*, Charonæus *minimam*.

Sed & hæc leviuscula sunt, si ad illa respiciamus (& satis nota sunt, atque olim attigisse me memini) si, inquam, ad illa respiciamus quæ alibi ab Eckio, Pighio, Costero, Turriano, Hermanno, sparsim egesta sunt; qui singuli quasi vicibus alternis Scripturam Sanctam *materiam litis*, *materiam hæresiū*, *præceptorem mutum*, *literam mortuā*, *plumbeam regulam*, *nasum cereum*, *gladium Delphicum*, *Evangelium nigrum*, *Theologiam atramentariam*, *pennas anserinas*, *velut Æsopi fabulas*, vel feruntur, vel evincuntur appellasse. O ejulutum! O sordes! ut quodq; verbum contumeliosissimum occurrit, illud ejectant. Quæro an solent istas notas Traditionibus inurere: imò verò has *fundamentum fidei*, *Lydium lapidem*, i.e. veræ ac falsæ doctrinæ indicem, & *Homericum* μῶλυ vocant, quod fidem adversùs Hæreticorum incantamenta tueatur; & *Ajacis clypeum*, omnibus Hæreticis objiciendum; & *Goliæ gladium*, de quo dicitur, *Non est similis illi.*

Quæro secundò, an in Scripturis de Scripturis Spiritus Sanctus sic loquutus est: imò è transverso omnia, *Lex perfecta*, *lucerna pedibus*, *melle dulcior*, *auro purgatissimo desiderabilior*, *doctrina perfecta*, *verax*, *recta*, *pura*, *munda*, *restituens animam*, *lætificans mentem*, *illustrans oculos*, *sapientiam dans parvulis*, *sapientem reddens ad salutem*, *hominem Dei perfectum efficiens.* Quæro adhuc, an Patres habeant in istis verborum sordibus secum consentientes. Nihil minus. Non Chrysostomus; ille hom. 58. in Joh. *ostium* vocat *quod ducit ad Deum*, *oves custodit*, *hæreticis præcludit introitum*: ἀκριβῆ ζυγὸν καὶ γνώμονα

γνώμονα vocat, *exactissimam trutinam & perpendiculum veritatis*, hom. 13. in 2 Cor. Non S. Basilius; ille κοινὸν τῶν ψυχῶν ἰατρεῖον, Bas. in Psal. 1. Non Isid. Pelusiota; ille τὰς πρὸς τὸν Θεὸν ἀναβάσεως κλίμακας, l. 1. ep. 369. Non Cyrillus Hierosl. ille *thesaurum magnum, pretiosam margaritam, Christum in se habentem*. Non Ambrosius; ille *pabulum mentis, alimentum cœleste quod animam saginat, impinguat viscera*, Ambr. ser. 35. Postremò, non sic reliqui Patres; illi non aliunde dogmata Fidei confirmanda, aut Hæreses refellendas; illi ad hoc asylum recurrendum esse docuerunt. *Non alius doctor exspectandus*, Chrys. hom. 9. ad Coloss. *Ego*, inquit Tertullianus, *adoro Scripturæ plenitudinem*, advers. Hermogenem c. 22. & quod ille *plenitudinem*, Athanasius αὐτάρκειαν vocat; αὐτάρκεῖς εἰσι, i. e. interprete Vincentio Lyrinense, *perfectus Canon, ad omnia sibi satis superque sufficiens. In iis omnia illa apertè inveniuntur quæ continent fidem morésq; vivendi*, Aug. De doct. Christ. l. 2. c. 9. Conferamus hæc mutuó. Primò, Pontificios cum Scripturis. *Lex perfecta*, ait Scriptura: *est minima pars veritatis revelatæ*, Illi. *Lucerna pedibus*: imò *est recondita & perobscura. Convertit animam*: imò *est litera mortua. Est melle dulcior*: imò *est Theologia atramentaria. Sapientiam dat parvulis*: imò *plebi est inutilis & perniciosa*. Deinde, Pontificios cum Patribus. Illi, *est omnium demonstrationum certissima*, Clem. Strom. 7. *infallibilis regula*: hi, *est nasus cereus, & regula plumbea*. Illi, *refugium contra hæreticos*: hi, *materiam litium, materiam hæresium*. Illi, *nullum alium esse Doctorem, nullius authoritatem Scripturis æquari*: hi, *Traditio est prior & melior regula*. Illi, *sufficiens est, & omnia ad fidem & mores necessaria apertè continet*: hi, *multa nec apertè, nec obscurè continet*; *imò tantùm perexiguam partem*. Postremò, Pontificios inter se. *Traditiones sunt lapis Lydius*: *Scripturæ Lesbia regula. Traditiones Homericum μῶλυ*: *Scripturæ Evangelium nigrum. Traditiones Ajacis clypeus*: *Scriptura materia hæresium. Traditiones Goliæ gladius*: *Scripturæ gladius Delphicus*. Denique, *Papa est judex infallibilis*; *Scriptura non est*. Catech. 4.

His ità se habentibus, ecquis est qui eos omnium hominum audacissimos esse dubitabit, qui post ista, nos *Evangelii quinti authores* non verentur dicere? Cur ergò *Scripturarios* vocant, si modò novum Evangelium fingamus? annon satìs norunt nos libros Apocryphos à Canone sacro separandos docere? annon norunt nos pro Scripturarum authoritate contra Traditiones acriter disputare, & num novum Evangelium fingimus? At verò illos non alteram tantùm, sed utramque paginam ut controversiarum judicem aspernari manifestum est; adeóque non solùm Novum-Vetus Testamentum per Apocryphorum additamenta facere; sed novo-Novum, Traditiones & æquando & præferendo Scripturis. Nimirum Traditio est mare aliquod magnum, Scriptura instar guttulæ: illa Oceanus βαθύῤῥοος, hæc parvus aliquis Rubicon. Quænam igitur est causa, quòd ipsorũ plurimi de Veteri & Novo Testamento hîc loquutum contendant, si negant in iis omnia contineri ad salutem necessaria, si ad alium controversiarum judicem provocant, si hæc *nova & vetera* conculcant & convitiantur? An *scribæ docti* sunt qui Scripturis procacissimè illudunt, allatrant, obtrectant? an *scribæ docti*, qui magistro, quod Platoni Aristoteles dicitur, recalcitrant? Certo certiùs qui se de Scripturæ regimine subducit, & ab ipsius arbitrio se subtrahit, pessundans quantum in se est hæc *nova & vetera* nisi per Antiphrasin *scriba doctus* non audit. Verùm ille magìs qui intra Sacræ Paginæ cancellos se continet, & ipsius Magisterium agnoscit, & in rebus Fidei se & voluntatem suam, se & intellectum suum, se & opiniones suas, istorum *novorum* & *veterum* arbitrio libenter subjicit; is demum pro *docto scriba* est habendus.

LECTIO XII.

A Novi Veterísque Testamenti Perfectione ad eorum mutuam inter se Concordiam est transitus non modò facilis, sed proprius & nativus; quia cujusque rei ubi concordia defluit, perfectio evanescat necesse est. Si de mundo Majori loquamur, perfectio totius est concordia partium; si de Minore, concordia humorum est perfectio continui, concordia affectuum perfectio compositi; si de mundo Politico, concordia civium est perfectio reipublicæ; si de mundo Fidelium, concordia credentium non minima pars est perfectionis Ecclesiæ. Nè instantiis tempus absumam, sive sit corpus Naturale, sive Civile, sive Mysticum, adeò est inter se harum duarum qualitatum arctissima copula ratióque reciproca, ut si quis vel tantillum de concordia detrahat, fieri non potest ut perfectionem à deliquio sartam tectam conservet. Similiter se res habet in Sacris Literis, quæ veritatis Divinæ corpus totum, vel magìs Rempublicam & Universitatem in se continent: nisi jugi concordiâ utramque paginam sibi mutuò respondere monstravero, valde vereor nè dieculæ prioris opera penitus excidat; & quæ de Perfectione Scripturæ adeò concitato impetu dixerim, fundamento jam lapso universa sequantur. Τῷ ἀληθεῖ πάντα συνᾴδει τὰ ὑπάρχοντα, inquit Philosophus, Ethic. 1. 8. *cum vero consentiunt omnia quæ sunt*, quia semper sibi similis Veritas; si non una est, nulla est; si à seipsa in aliquo discordet, tota effluit. Quocirca haudquaquam indigna erit hæc altera pars instituti conatu nostro; imò supinus essem & negligens, nisi in illa quoque omnes industriæ nervos contenderem, quia ab hac prioris certitudo & evidentia eatenus pendet, ut nisi inter omnes conveniat de Concordia Scripturarum, actum planè erit de Perfectione.

Per *Nova & vetera*, Novum Vetúsque Testamentum intelligi, non est quod jam tertiò moneam: intra hos cancellos omnem salvificam doctrinam Christus circumscribit; hós *scribæ erudito* terminos constituit, quos transgredi nefas; quia intra hos omnia salutis pignora habentur, extra hos nullum: intra hos Principia Fidei immota & indubitata, Regula Veritatis certa & infallibilis, κριτήριον ἀσφαλὲς, ut Greg. Nyssenus, κριτήριον ἀμετάπτωτον, ut in Synodò Nicena Constantinus loquitur; extra hos quæcunque uspiam adducuntur, ambigua, lubrica, nutantia, flexuosa, animum aut in ancipiti pendulum, aut in præcipiti perditum relinquentia.

Hoc fundamento sic posito, duo exinde salutaria Documenta emergere nobis animadverti, ad salutis negotium quàm maximè spectantia.

Primum erat περὶ τῆς αὐταρκείας, de Perfectione utriusque Testamenti in se simpliciter sumpti; quòd & suis, & omnibus numeris utrumque sit absolutissimum, αὐτοτελὴς, καὶ ἀπροσδεὴς, ut Clem. Strom. 1. loquitur; ad omnia sive dogmata, sive mysteria fidei, & sibi & nobis satìs supérque sufficiens. Nisi hoc ponatur, præscriptio Christi manca est, si prætér hæc *Nova & vetera* quicquam inveniatur quod ad beatitudinis metam nos dirigat. In hac parte jam pridem sudatum est.

Documentum alterum est περὶ τῆς συμφωνίας, de consensu mutuo utriusque Testamenti, si ad se comparatè sumantur; quòd utriusque sit vox eadem & veritas eadem, idem semen gratiæ, idémque spiraculum vitæ. Nisi hoc ponatur, præscriptio Christi irrita est, si in his novis & veteribus habeatur quicquam quod secum vel leviter pugnet. Ad hæc nunc calamus festinat; atque ut in iis utiliter exerceamur, per duarum Propositionum semitas cursum itineris

neris ad exitum perducam. Una erit de dilucidatione Thematis in se, altera de accommodatione ad usum & imitationem nostram.

In Thematis indagatione prima opera navanda est: & quod ad eam spectat sit ista Propositio, ex Chrysostomo, Epiphanio & Augustino;

Scripturæ Veteris Novique Testamenti per omnia sibi cohærent, Chrys. *Hom.4. in Mat.* *Nihil repugnans continent*, Aug. de Genesi ad literam, l. 5. c. 8. *Nihil discrepans*, Cyr. in Joh. l. 12. c. 35. *Nihil contrarium*, Chrysost. *Hom.1. in Gen.* *Nihil discors aut dissonum, vel in toto, vel in partibus*, Epiphan. Hær. Non dogma dogmati, non regulam regulæ, non dictiunculam aliquam dictiunculæ adversam: sed quoad omnia & singula amicissimâ inter se copulâ itâ conglutinantur, ut in unius libri, & unius Canonis, & unius veritatis, & unius verbi titulum atque communionem coalescant. De hac Propositione quæ dicenda sunt; quia *per quæstiones veritatis fores pulsantur*, ut Pelusiota loquitur, l. 4. ep. 21. idcirco in duas Quæstiones omnia compingam; & sic se habent.

Prima Quæstio hæc est, Quomodo sunt unum, quæ sibi contradicunt, & se mutuò tollunt? Hoc illud est quod Judæi objectare solebant, In Novo Testamento reperiri multa quæ Veteris decretis & placitis refragantur: ut illud Matth. 1. 8. si cum 1 Chron. 3. 11. conferatur; & illud Matth. 27. 9. si cum Zachariæ 11. 12. & alia non pauca. Attingamus singula, sed obiter, & extremis tantummodo digitis.

Primus locus est Matth. 1. 8. *Joramus genuit Hoziam:* cùm tamen in 1 Paralip. 3. 11. & 2 Paralip. 26. 1. manifestum est Hoziam non à Joramo, sed ab Amazia genitum fuisse; atque inter Joramum & Hoziam tres Reges, Ochosiam, Joam & Amaziam, intervenisse. Intuitu primo loci pugnantes videntur, sed non sunt; quia est alia immediata generatio quâ filius gignitur à patre, alia mediata & intercisa: atque sic filius dicitur gigni vel ab avo, vel à proavo, eodem sensu quo nos omnes ab Adamo genitos & procreatos rectè affirmari potest; non solùm *vulgariter loquendo*, ut Maldonatus Jesuita, sed propriè & physicè, non quidem ut à proximo, sed ut à remoto principio: sic Matth. 1. 11. Josias dicitur genuisse Jechoniam, & tamen Joachim intercessit; sic Heb. 7. 9. Levi decimas solvit Melchisedecho, sed in Abrahamo. Et de Hozia idem statuendum, rectè eum dici ab Amazia genitum in libro Chronicorum, scil. immediatè; apud Matthæum à Joramo, scil. mediatè. Ratio autem quare reliqui tres Reges prætermittuntur ab Evangelista, ut Hieronymus & Hilarius volunt, hæc est, quia semini Achab regium Judæ sanguinem miscuissent: & Achabo per Eliam Deus interminatus est, se posteritatem ejus deleturum, 1 Reg. 21. 2. usque ad quartam generationem; quarta autem generatio in Amazia terminata est. Tantum ergò abest ut ordo à Matthæo observatus ab ordine Veteris Testamenti discrepet, ut magìs Dei verbum adimpleat: nam Spiritu Dei actus Evangelista, prudentissimè tres Reges delevit è Catalogo parentum Christi, quia justo eos judicio Deus ipse sustulisset è Catalogo viventium. De reliquis in genealogia Christi dubiis similiter statuendum est: quòd Matthæus descendendo, Lucas ascendendo eam recenseat; quòd ab Abrahamo Matthæus incipiat, Lucas usque in Adamum resolvat; quòd ille Josephi, hic Mariæ prosapiam describat; quòd ille à Davide per Salomonem, hic à Davide per Nathan Salvatoris ortum ducat: non sine instinctu Spiritûs quasi deditâ operâ hæc omnia Deus sanctissimè discriminavit, ut in exercitium nostrum cederent, non in scandalum, quia revera sunt multiformis ipsius sapientiæ insignia, non scissuræ veritatis.

Secundus locus habetur Matth. 27. 9. *Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam Prophetam, Acceperunt triginta argenteos pretium æstimati,* &

& dederunt ad emendum agrum figuli. Hic, si quis alius locus, dissonantiæ præfert speciem, errorisque prætextum non levem. Jeremiæ nomen prætenditur, & Zachariæ supprimitur; cùm tamen non in Prophetia Jeremiæ, sed Zachariæ solius, locus integer habeatur, in Zach. 11. 12. Ad hæc quid tandem? quis color, quod velamentum adest ut errore solvantur? Si ità comparatum est ut pro patre abavus sine concordiæ præjudicio ponatur, pro Amazia Joramus, an pro Propheta Prophetam fide vicariâ subrogare licet, pro Zacharia Jeremiam? Non ignoro quantopore in hujus difficultatis enodatione Interpretes laborarunt. Desumptum esse testimonium à Jeremia nonnulli asserunt, sed aliquibus ipsius scriptis quæ perierant: sed hoc gratìs dicitur, & sine firmamento. A Jeremiæ Apocrypho desumptum alii asserunt: sed hoc periculosè dicitur, & non sine fidei præjudicio. Fuisse aliquando in hac quam habemus Prophetia Jeremiæ, Eusebius existimat, l. 10. Demonstrat. Evangel. c.4. sed à Judæis malitiosè inter alia expunctum esse. Improbabile hoc est, quia crimen illud Judæis Christus aut Apostoli nunquam objiciunt: & post Apostolorum tempora hâc labe Judæos purgarunt Origenes, Hieronymus, Augustinus. Memoriâ lapsum Evangelistam alii existimant: temerarium hoc est, neque satìs intelligo quomodo id Spiritu Sancto dictante fieri, aut salvâ Scripturæ fide dici possit: *Absit de pedissequo Christi dicere quòd errarit*, ut scitè ad Pammachium Hieronymus. In Amanuensium culpam alii rejiciunt: sed neque hoc verisimile, quia omnes omnino codices Græci constanter Jeremiæ nomen legunt. Zachariam binomium fuisse volunt alii, & Jeremiam cognominatum: sed hoc incerto nititur fundamento, neque teste aliquo idoneo probari potest. In ipsissima Jeremiæ Prophetia vestigia ipsius quærunt alii, quòd ipse cap. 32. vers. 7. mandato Domini agrum emerit, & librum emptionis in vase fictili posuerit; adeóque Evangelistam duo vaticinia putant conjunxisse; ex Jeremia unum, qui de emptione agri, ex Zacharia alterum, qui de emptionis pretio loquitur: usitatum autem est duo testimonia connectere, & alterius tantùm nomen exprimere. Hoc minùs à vero abhorret, nisi quòd huic testimonio cum illo Jeremiæ præter nomen agri nihil commune sit; nihil illic de figulo, nihil de pretio, imò pretium aliud memoratur, non triginta argenteorum, sed septendecim. Inter tot Theologorum conjecturas, ubi tandem acquiescendum est ut duorum Testamentorum concordia nil detrimenti patiatur? Nempe S. Augustinus indicat, l. 2. de Consensu Evangelistarum, c. 7. neque pauci Interpretes sunt qui astipulantur, Evangelistam consultò nomina Prophetarum permutasse, ut ostenderet uno eodémque Spiritu Prophetas omnes fuisse impulsos, & unâ quasi linguâ locutos, ità ut singula sint omnium, & omnia singulorum. Eccere, subdubitavi modò nè quid imminutionis caperet veritatis Divinæ unitas, atque ecce in damno lucrum, in vulnere medelam; eo ipso quo perforatur telo lacuna expletur: nam inter Prophetas & Evangelistas tam arctus est consensus, ut singulorum dicta omnium sint communia: quod ab uno dictum, ab omnibus dictum censetur, quia omnium ore Spiritus Sanctus loquitur. Sicut qui chordarum harmoniam temperant, tantâ eam arte dispensant, ut plerumque cùm una tangitur, longè alia, ac multis interjacentibus, posita chorda quatiatur; cúmque ista sonitum reddit, illa quæ in eo pulsu temperata est tremit, prorsus quasi non duæ chordæ essent, sed eadem: sic, sic se res habet inter Prophetas, qui quasi chordæ erant Spiritûs Sancti digito pulsæ; unus Propheta tangitur, & alter sonat; quod ab uno dicitur, alteri imputatur; Matthæus loquitur, Jeremias nominatur, & Zacharias intelligitur. Si una lingua, unus calamus, nomen unum omnium Prophetarum & Apostolorum, quis unam negare audeat veritatem esse duorum

duorum Testamentorum? De secundo Scripturæ loco satis supérque.

De cæteris solicitudo minor. *Pater meus usque modò operatur, & ego operor*, dicit Christus, Joh. 5.17. *Requievit Deus ab omni opere suo quod patrarat*, dicit Moses, Gen. 2.2. An inter se pugnant? minimè veró: requievit enim ab opere Creationis; ab opere Gubernationis, Conservationis, Providentiæ, Gratiæ non cessavit: sic non solùm singulis diebus, sed singulis momentis operatur.

Et tu Bethlem Ephrata minima es in millibus Judæ, ait Propheta, Mich. 5.2. *& tu Bethlem nequaquam minima es*, Evangelista, Matt.2.9. Num contrariantur? absit: nam quoad situm & ambitum & externum splendorem fuit perexigua; sed Christi nativitatis honore longè maxima: olim quidem minima; nunc, Christi natalitiis, mundi facta Metropolis.

Mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, ait Propheta, Mal. 3. 1. *& præparabit ante faciem tuam*, Evangelista, Mar. 1. 2. Hæccine pugnant? nullo modo: nam apud Prophetam Christus inducitur alloquens populum, *Ego mitto*; apud Evangelistam Deus Pater alloquens Christum, *Ego mitto*: ibi Christus de se loquitur, *ante faciem Meam*; hic Pater de Filio, *ante faciem Tuam*. Ergò, ut ex utroque conjuncto æqualitas Filii cum Patre elucescit, quia est communio ejusdem operationis, indivisim ambo mittunt: sic ex utroque etiam Concordia Evangelistæ cùm Propheta, quia est consensus unanimantis sententiæ, indiscriminatim idem ambo loquuntur.

Omnem terram quam conspicis, tibi dabo, ait Deus Abrahamo, Gen.13.15. *Non dedit Deus hæreditatem illi, nè vestigium quidem pedis*, ait Stephanus, Act. 7. 5. An inter se diffident? nihil minús: quamvìs non habuit reipsa Abraham hæreditatem in terra benedicta, at spe obtinuit: in se ex dono Dei nec mensuram trium cubitorum habuit terræ promissæ; in posteris totam. *Scripturæ solitum est*, ut Chrys.hom.8. in Matth. observavit, τὰ πολλὰ πολλάκις λέγεσθαι μὲν ἐπ' ἄλλων, πληροῦσθαι δὲ ἐφ' ἑτέρων, *ut multa sæpe de aliis dicantur quidem, in aliis autem impleantur*: ut quod in Chanaan à Noe dictum, Gen. 9. in Gibeonitis impletum multò postea; quod in Simeonem & Levi à Jacobo, Gen. 49. factum est in ipsis qui de illorum stirpe processerunt. Abrahamo in se terra promissa est, ut radici & principio stirpis; Abrahamo non in se, sed in posteris, data est, ut ramis è radice temporis decursu pullulantibus. *Tibi dabo & semini*, est vox Dei; h. e. in semine tibi, & tui respectu semini: *ipsi non dedit*, est vox Stephani. Non lac lacti similius, quia ut pater & filius unam constituunt civilem personam; sic Mosis & Stephani voces diversæ unum idémque veritatis testimonium. Ut brevì reliqua percurram, quia hora fugit. Moses, Num. 25. 9. loquens de abolitione populi propter scortationem, *mortui sunt illâ plagâ viginti quatuor millia*: S. Paulus, 1 Cor. 10. 8. *ceciderunt uno die viginti tria millia*. Conciliatio facilis: quia Paulus tantummodo de gladio confossis loquitur; Moses non solùm de gladio confossis, sed de suspendio mortuis.

Ecce ego fundamentum posui in Sione, dicit Dominus, Isai. 28. 16. *Ego ut peritus architectus fundamentum posui*, dicit Apostolus, 1 Cor. 3. 10. Contrarietas nulla: nam ratione Decreti, & ordinationis, & missionis Filii in carnem, Deus posuit; ratione Declarationis ipsius, sive publicationis, Paulus: fundamentum salutis toti Ecclesiæ Deus, Doctrinæ prima rudimenta Corinthiis Paulus; Originalìter Deus, Ministerialiter Paulus.

Fugit Moses metu Pharaonis, Exod. 2. 15. *Moses non metuit iracundiam Regis*, Heb.11.27. Est pugna nulla: *in abitu timuit*, inquit Chrysost. *non in reditu*: vel, quod eodem recidit, in primo exitu cùm fugit ob cædem Ægyptii,

gyptii, timuit; in secundo exitu, quando populum eduxit, non modò non timuit Regem, sed revera contempsit.

Loquutus est Deus cum Mose facie ad faciem, Exod. 33. 10. *Deum nemo vidit unquam*, Joh. 1. 18. Verbo uno in gratiam redeunt; quia in essentia nemo unquam vidit, in ænigmate multi, in specie & similitudine Moses.

Hæc illa paucula sunt quæ è multis delibasse non mihi quidem molestum est, si modò vobis gratum fuerit aut fructuosum, ut obsignatis ostenderem tabulis, quàm sit in omnibus Sacra Scriptura sibi constans, secum autem in nullo pugnans. Non me præterit, minimam hanc esse portiunculam eorum quæ adduci possunt, & esse fortasse alia difficilioris notæ exempla; ut de agro quem Abrahamus emisse dicitur *à filio Seor*, Gen. 23. 9. *à filiis Hemor*, Act. 7. 17. de numero animarum quæ Ægyptum sunt ingressæ, *septuaginta animæ*, Gen. 46. 27. *septuaginta quinque*, Act. 7. 15. de vaticinio, Matth. 2. 23. *ut impleretur quod dictum est per Prophetam, Nazaræus vocabitur*; cùm tamen, dicente Hieronymo, in Matth. 11. *Omnes Ecclesiastici quærunt, & non inveniunt ubi scriptum sit*. De istis, & istorum consimilibus, etsi multa ultro citróque dicantur ab Ecclesiæ Doctoribus, at ego inter tacentes me sisto, atque liberè agnosco, non posse ea ità penitus expediri, ut non relinquatur studiosis excipiendi locus. Interea verò in regula Augustini acquiesco, tract. 112. in Johan. *Scripturas non esse Scripturis contrarias, licèt nobis aliquando concordare non videantur:* quòd si supra captum locus aliquis alicubi occurrit, durus sit ille impio, at non debet esse Christiano; intellectum excedere potest, veritatem transgredi non potest. Quæ verò exempla à me prolata sunt, quamvìs minima sint pars eorum quæ adduci poterant; at sufficiunt tamen ad sententiam conficiendam quæ præ manibus est, ídque Inductione Dialectica: Si hoc & illud & alterum, quæ umbram quandam & imaginem contrarietatis primâ fronte exhibent, reipsa non contrariantur, nec de cæteris ostendi possibile sit; equidem quadrare sibi per omnia hæc *nova & vetera* necessariò concedendum est. Pythagoræ illud tritum est, ex pede Herculis totius corporis mensuram arte suâ prodidisse: &, si sacra profanis miscere liceat, notum est & illud, ex primitiis spem certam Israelitas habuisse, & totam se messem tempestivè accepturos, & usum totius acervi sanctificandum fore: &, si adhuc Evangelica Mosaicis attexere opus est, illud notissimum, quomodo à parte ad totum Salvator disputat, Matth. 6. 22. *Si oculus simplex fuerit, totum corpus erit lucidum, quia lucerna corporis oculus* quæ totum illuminat. Similiter & nobis quidni liceat per minutiora hæc in majorem fiduciam alis mentis ascendere, & istis primitiis racematim collectis, quasi pedibus ire in fidem totius Scripturæ, Esse eam regulam congruam & uniformem, omnibus inter se partibus sanctissimè concinentibus? Nam si tenebræ luminosæ sint, O quantum est illud lumen? si in infirmitate potentia cernatur, quanta erit illa potentia? si inter se maximè conveniant Sacræ Literæ, etiam ubi dissentire videntur, O quàm arctissima est illa concordia? Adeò primæ quæstionis vis nulla, validitas nulla, Quomodo sint unum quæ sibi mutuò contradicunt.

Secunda quæstio sequitur, Quomodo sint unum quæ dividuntur authoribus, quæ nomine & numero & temporibus separantur. Hoc illud est quod Marcionitæ aliíque Hæretici objicere solebant, *ut ex diversitate nominum & sententiarum utriusque Testamenti, diversitatem quoque argumententur Deorum*, ut Tertull. loquitur, l. 1. con. Marcionem. Dicite quid intersit inter inania & falsa: nam & hæc omnia quàm genere ipso levia? quàm falsa re? quàm brevia responsu? Duæ sunt ipsius partes, quæ sigillatim ad examen vocandæ sunt.

Prima

Prima est de Authore & conditore. Quod ad Authorem attinet, dubitatio nulla: sive de causa Principali & prima loquamur, largitor utriusque Deus; sive de Instrumentis & Amanuensibus, & Prophetæ & Apostoli eodem Spiritu moti; æqualiter omnes direxit Spiritus Sanctus, ut id solummodo scriberent quod verum & Deo placitum esset: scribentium multitudo non impedit quò minùs sit συναλήθεια. Nam si testimonium idem sit, testium numerus non enervat veritatem, sed magis corroborat; καὶ οὐκ ἔστιν ἄλλο καὶ ἄλλο, διὰ τὴν τῶν προσώπων διαφορὰν· ἀλλ' ἕν, διὰ τὴν τῶν εἰρημένων συμφωνίαν, in ep. Pauli. Audiamus S. Paulum, Eph. 2.20. *superstructi sumus super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Quid apertius? diversi seculi scriptores Apostoli & Prophetæ, sed idem posuerunt, inquit, fundamentum. Audiamus S. Petrum, 2 Pet. 1. 19, 21. *habemus firmissimum sermonem propheticum:* & v. 21. *acti à Spiritu Sancto loquuti sunt Prophetæ.* Viden' ut Prophetis testimonium perhibeat Apostolus, & eos agnoscit eodem Spiritu actos, & eadem mysteria loquutos? Audiamus S. Johannem, 1 Joh. 2. 7, 8. *Non scribo vobis præceptum novum, sed præceptum vetus quod habuistis à principio:* & vers. 8. *præceptum novum scribo vobis:* quòd de præcepto Charitatis loquatur Apostolus, ex ipsius Evangelio patet, Joh. 13.34. *Præceptum novum do vobis, ut alii alios diligatis*; sunt verba Salvatoris. Quid igitur? an ex ore sanctissimi Apostoli calidum & frigidum provenire simul posse putemus, ut idem mandatum *Novum & non novum* appellitaret? Nullus credo; sed utriusque Testamenti consensum demonstrare voluit: quia doctrina de dilectione & vetus & nova est; Vetus, quia in Prophetarum scriptis olim fuit proposita, Nova, quia Christus eam renovavit, suóque & præcepto & exemplo commendavit. Audiamus ipsum Christum: ipse de se loquens, Joh. 5.39. *Scrutamini*, inquit, *Scripturas, quia ipsæ sunt quæ testantur de me:* & Joh. 5.46. *Si crederetis Mosi, crederetis mihi, nam ille de me scripsit.* Rursus, de Johanne Baptista loquens, & *Eliam* vocat, Mat. 11.14. & *plus quàm prophetam*, Mat. 11.10. Conferamus singula, & facilè constabit, testes sibi mutuò singulos singulis: Christum Prophetis, *scrutamini Scripturas*; Prophetas Christo, *testantur de me:* Christum Mosi, *si crederetis Mosi, Habent Mosen & Prophetas*; Mosen Christo, *de me Moses scripsit:* denique Christum Johanni, qui inconfinio erat utriusque Testamenti; ipse Elias, ipse plus quàm Propheta. Elias, quia spiritum Prophetæ; plus quàm Propheta, quia gratiam habuit Evangelistæ: nam *ipsi soli licuit & prophetare Christum, & videre*, ut Hilarius: *Inter utrumque ordinem quasi terminus constitutus, & desinentium veterum, & incipientium novorum*, Tertull. l. 5. cont. Marcionitas. Videtis, Auditores, quòd non modò author idem utriusque, sed & instrumenta eadem, quia eodem Spiritu ungebantur; ut haberet hoc Scriptura Sancta cum autore suo commune, quòd sicut Deus ipse, sic Dei Verbum summè unum. In Deo Essentia una in tribus Personis: in Dei Verbo una veritas in duobus Testamentis. *In Deo est alius & alius, non aliud & aliud:* in Verbo Dei aliud & aliud Testamentum, non alia & alia Veritas. *Quemadmodum*, inquit Epiphanius, *in duabus Jacobi Patriarchæ uxoribus videre est:* εἰ γὰρ δύο εἰσὶ γυναῖκες, ἀλλ' εἷς ὁ ἀνήρ· οὕτω εἰ καὶ δύο εἰσὶ διαθῆκαι, ἀλλ' εἷς ὁ Θεὸς ὁ ταῖς δυσὶ θέμενος, Epiph. hær. 66. *Uxores duæ, maritus unicus. Leah natu major, sed tenerior oculis: sic Vetus Testamentum prius, sed obscurius. Minor natu Rachel, sed aspectu pulchrior: ità Novum Testamentum posterius, sed multò fulgentius. Utrinsque idem sponsus, idem conditor Christus, ut utrobique maneret singularitas unius Veritatis, simúlque proprietas utriusque Testamenti.* Quod ad Authorem attinet, differentia nulla est.

De

De Nominibus & Temporibus non majus erit negotium: illa pars Quæstionis altera quæ nunc discutienda. Et de his scrupulus omnium minimus; ut idcirco divisa habeantur, quia duo nomina habeant, Vetus & Novum, & contraria, quia Temporibus alternis succedunt: at tempus non præjudicat veritatis unitati, quia veritas in se æterna est, utpote primò & essentialiter in mente Divina, prius & posterius non habet: in revelatione veritatis prius & posterius reperiuntur, adeóque gradus quidam claritudinis; sed gradus & temporum spatia non variant speciem. Plato in cunis vagiens non differt ab eodem philosopho & jam adultæ ætatis; atque opifex diei Sol, masculum illud sidus, quando sereno cœlo coruscat, & cùm obductâ nubis cute flaccescit, sive ad ortum equos albicantes ducat, sive ad occasum, idem Sol manet. Idem & hìc tecum cogita; *Nam habet*, inquit Ambrosius, ser. 4. in Psal. 118. *& equos suos Christus, bonorum equorum duodecajugum mirabile, quibus frena pacis, habena sunt charitatis; constricti inter se concordiæ vinculis, & jugo fidei subjecti, quatuor rotis Evangelii mysterium totius orbis finibus invehentes, bonum aurigam portantes Dei verbum. Mirandum mysterium, rota intra rotam currebat, & non impediebatur; Testamentum Novum in Veteri erat, intra illud currebat per quod annuntiabatur.* Hæc Ambrosius: ex quibus hoc unum Sole meridiano clarius reddit, temporibus quidem distingui duo Testamenta, sententiis copulari; imò, si accuratè loqui velimus, non tam temporibus quàm gradibus: hoc est, non tam temporibus *exsistentiæ*, quasi Vetus absque Novo aliquando exstitisset; sed temporibus *evidentiæ*, quia Novum supra Vetus splendidiùs emicuit. Hæreticorum illud delirium erat, Vetus idcirco *Vetus* appellatum quasi *vetulum* & *antiquum*, hoc est, *antiquandum*; Novum verò *novum*, quasi *novitium*, & in Veteris locum suffectum: quo quid futiliùs dici poterat aut absurdius? Perversa est hæc nominis notatio, & Christianis auribus impervia. Illa Hieronymi multò melior, in Isa. 65. *Vetus & Novum Testamentum dicitur*, inquit, *non quò Vetus pereat, sed quò Novo alius non succedat*. Illud Vetus, sed nescit senium; & hoc Novum, sed nihil innovatum. In Vetere Novum semper erat, & in Novo Vetus nunc habetur: sic Vetus semper Novum, & Novum semper Vetus exstitit; quia ut Novum tunc erat velatum in Vetere, sic Vetus nunc revelatum in Novo. De libro signato legimus, Isai. 29. 11. de libro aperto,
Aug. in Psal. 102. Apoc. 5. De duobus Testamentis nonnulli interpretantur (quamvìs alii aliter sentiant, ut solet Allegoriarum campus esse spatiosus) quia in illo veteres Incarnationem, Passionem & reliqua mysteria Christi non videbant nisi per velamen figurarum, umbrarum & prædictionum: in hoc jam figuris omnibus & umbris amotis, & prædictionibus adimpletis, revelatâ facie gloriam Domini speculamur. Hæc discriminis summa est, quòd eadem Arbor vitæ erat in illo & in hoc, sed non tam patulis diffusa ramis; lux eadem utrobique, nisi quòd nunc major doctrinæ perspicuitas. Διαφορὰ μόνον ἐστὶν ὀνομάτων,
Chrysost. tom. 5. hom. 24. inquit Chrysostomus, οὐκ ἐναντίωσις· καὶ διαφορὰ οὐ κατὰ τὴν οὐσίαν ἐστὶν, ἀλλὰ κατὰ τὴν τῶν χρόνων ἐναλλαγήν· *sola est in nominibus differentia, & non contrarietas; & non differentia quod ad essentiam, sed quod ad temporum rationem*: quòd nunc major Spiritûs Sancti efficacia refulget, & major Divinæ φιλανθρωπίας manifestatio, sicut major in face ignis quàm in lampade; sed flamma veritatis ejusdem in utroque. Ad Romanos S. Apostolus scribens, Rom. 16. 26. Evangelicam veritatem *mysterium tacitum* appellat *à temporibus secularibus, nunc autem manifestum factum, & per Scripturas propheticas declaratum*. In isto loco S. Apostolus, & *tempora antiqua* comparat temporibus suis, & *mysterium tacitum* mysterio revelato patefactóque. Nè quis autem illud *tacitum* κατὰ τὸ ῥητὸν intelligeret, quasi nunquam de eo Deus quicquam

quam locutus esset, sive per se, sive per Prophetas, addit, *per Scripturas propheticas declaratum:* i.e. propositum quidem antè, sed obscuriùs; nunc autem obscuritate illâ amotâ, non per ambages & ænigmata, sed perspicuè, dilucidè, explicatè omnibus annunciatum. Summa huc recidit, Ipsis mysteria revelata fuisse, ut Moses loquitur, Deut. 29.29. sed parciùs & obscuriùs, at revelata tamen; sive de Nativitate, sive de Passione, sive de Resurrectione, sive de Ascensione Christi loquamur, sive de quocunque alio Fidei articulo. *Penè nulla sunt*, inquit Augustinus, Retract. l. 22. *in Novo Testamento, quæ in Evangelica aut Apostolica doctrina reperiuntur, quæ illis etiam veteribus deerant.* In utroq; igitur idem mysterium, dispensatio diversa; aqua eadem, situlæ quibus haurienda erat variæ. *Imperitus quis*, inquit Epiphan. Hær. 66. *si situlas duas videat ex eodem fonte aquas haurientes, quia diversæ sunt situlæ, diversas esse aquas putat; cùm tamen vir prudens norit situlas duas esse, fontem eundem.* De Scripturis Sacris idem existimandum: duæ situlæ duo sunt Testamenta, quas lector imperitus conspiciens, duas opinatur esse veritates; sed in Sacris exercitatus animus ex utroque degustat, & discit eundem fontem esse, easdem aquas, μία γάρ ἐστι καὶ ἡ αὐτὴ συμφωνία. Non diffitemur largiorem hanc situlam fore, illam angustiorem, in qua & aquarum minor copia, & major hauriendi labor; sed eadem aqua Spiritûs in utraque, ibi mediocriter distributa, hîc plenariè effusa. Non diffitemur secundò, hanc posteriorem situlam fore, illam priorem, priúsq; in fontem immersam: sed tamen ambæ respondent sibi invicem, ut duæ situlæ, & alternis vicibus sibi mutuò serviunt, ut duæ situlæ. *Ut abyssus abyssum invocat*, inquit Hieronymus, *sic Vetus Novum annunciat, & Novum Vetus in testimonium vocat.* Mitto S. Chrysostomi conjecturam in illum locum Apostoli, 1 Cor. 9.9. *Cùm*, inquit, *docere vellet Apostolus oracula Novi Veterisq; Testamenti ab eodem ore & Domino profecta esse, unum testimonium petit à Testamento Veteri, Non obturabis os bovi trituranti; alterum ex Novo, ex verbis Christi, Matt. 10. Dignus est operarius mercede suâ; quia ambo ab eodem ore edita distinctis temporibus*, Chrys. to. 6. ser. 1. Hoc, inquam, mitto; & tamen non erit à causa alienum, si videamus quo ordine Scriptura Sacra solet seipsum in suiipsius testimonium vocare: non in uno modo id fit, sed diversis. Aliquando Vetus testimonium sumit ex Vetere, *Scriptum est in Lege Mosis*, Dan. 9. *Scriptum est in libris Lamentationum*, 2 Chron. 25. Aliquando Novum sumit ex Novo, *Sicut charissimus frater noster Paulus scripsit vobis*, 2 Pet. 3. Sæpissimè autem Novum ex Vetere, *Scriptum est in libro Psalmorum, Scriptum est in Psalmo secundo; David dicit, Isaias clamat.* Aliquando totum Vetus testatur de toto Novo, Jer. 31.31. *In diebus illis feriam cum domo Israelis fœdus novum:* & Deut. 18.15. *Prophetam vobis suscitabit Deus de fratribus vestris similem mihi.* Aliquando totum Novum de toto Veteri, 1 Jo. 2. 7. *Non scribo vobis mandatum novum, sed vetus, quod habuistis ab initio:* & 1 Cor. 10. *Biberunt omnes de sequenti petra, petra autem erat Christus.* Ad quid hæc omnia, nisi ut certissimi essemus de suavissima utriusq; Instrumenti harmonia: harmonia Veteris cum Vetere, Prophetarum cum Mose, Prophetarum inter se; harmonia Novi cum Novo, Apostolorum cum Evangelistis, Evangelistarum inter se; harmonia Novi cum Vetere, Apostolorum & Evangelistarum cum Mose & Prophetis? Sic Nominis diversitas futiliter adducitur, ubi substantia mysteriorum eadem; Temporis diversitas adhuc futilior, ubi veritas una. De secunda Quæstione jam satis; adeóque de Propositione prima, quæ in Thematis investigatione absumpta est, Scripturas Veteris Novíque Testamenti nihil repugnans aut contrarium in se continere, sed cohærere undique & arctissimâ copulâ conglutinari.

Propositionem alteram tribus verbis expediam. In illa autem dicendum

cendum est de Applicatione sive accommodatione istorum ad usum & imitationem nostram; & sic se habet. Ad eruditi Scribæ honorem quicunque cupit ascendere, debet in utroque addiscendo noctes diésque versari, in utroque interpretando operam navare, utroque telo debet contra Hæreticos pugnare; quia quicquid ab hac Concordia discordat, falsum est & fucatum: utroque debet vallo dogmata Fidei circumcingere, utriusque Testamenti clavis ea tabernaculo suffigere, utriusque paginæ sigillo obsignare, utriusque Cherubin alis tegere; quia hæc duo se mutuò illustrant, se mutuò fulciunt, ut nec Hercules ipse contra duos hos, sive testes, sive hostes, prævalere possit. Ad mentem mihi revocat quod ad hanc rem à Joanne Majore, & Paulo de Palatio, aliísque Pontificiis adduci solet; Per duo cornua mitræ Pontificiæ duo Testamenta significari: *Geminam portant mitram*, ut ipsi loquuntur, *quia mysteriorum utriusque Testamenti dispensatio ad ipsos pertinet*. Assumunt autem ex Innocentio tertio, qui libro de Mysteriis Missæ, cap. 6. iisdem planè verbis loqui videtur; nam seriò dixisse quis putabit? *Duplex tiara Pontificia cornu duo Testamenta significat*; sic ille. At non est quòd eorum quisquam de observationis acumine glorietur; nam si ità sit, doctiores existimo mitras & sanctiores quàm illi qui ipsis coronantur: nam mitra innocuum animal Scipturas Sanctas indigitat; qui mitras gerunt floccifaciunt, neque capita Scripturis ornant, sed eas magìs pedibus conculcant. At esto, sint duorum Testamentorum insignia mitræ cornua: quid Papæ triplex corona notat? an, quod ipsorum aliqui, *in tria regna potestatem, cæleste, infernale, terrenum?* an magìs tria Testamenta, Vetus, Novum, & Novissimum, Traditionum atq; Decretorum? Imò habeant sibi [illegible] mitras, gratias ipsis agimus quòd nobis duo reliquerunt Testamenta. Non istis nos commonitoriis indigemus; hoc Christi memoriale sufficit, ut ad *veterum novorúm*que studia evigilemus. Et revera, Fratres, cui hoc non satìs est, nescio an aliquid sit. ὅσοι, inquit Chrysostomos in locum, τῶν θείων εἰσὶν ἄπειροι γραφῶν, οὐκ ἂν εἶεν οἰκοδεσπόται· qui nescit utroque gladio uti, imperitus est scriba; neque fidi interpretis partes agere potest in Scripturis explicandis, neque prudentis arbitri in pugnantibus conciliandis, neque strenui vindicis in Erroribus refellendis. Idcirco consummatus Theologus utrinque se præparat: ad convincendos qui arguendi sunt, utriusque armis se munit; ad docendos qui instituendi sunt, utriusque præsidiis nititur: utriusque divitiis paginas suas in scribendo, utriusque copiis Conciones in dicendo exornat. Novit enim necessarium fore ut & Evangelium ex Lege & Prophetis explicetur, & interpretationes Legis & Prophetarum secundùm Evangelium examinentur, quia mutuò sibi suppetias ferunt: Legis & Prophetarum oracula Evangelio confirmantur, & Evangelium vim desumit ex testimonio Legis & Prophetarum. In columna ignis & nubis Deum olim se manifestasse legimus; & erant illa signa duo præsentiæ Divinæ, virtus eadem: Duo Testamenta columnæ istæ, in quibus nocte diéque meditemur; columnæ duæ sunt, sed eadem basis Veritatis. Sicut Oriens & Occidens non sunt duæ luces, sed duo tabernacula ejusdem Solis; Jacob & Israel non duo Patriarchæ, sed duo nomina ejusdem hominis: sic Vetus & Novum non duæ Leges, sed duo vehicula ejusdem Dei voluntatis. Huc Salomon respexit, cùm Favo & Liliis labia Christi comparat: *Favus distillans labia ejus*, inquit Salomon, Cant 4. *& labia ejus lilia distillantia myrrham primam*, Cant. 5. 13. Imò *dulciora sunt melle & favo mellis*, inquit David, Psal. 19. *Quæ autem sunt labia sponsi nisi duo Testamenta*, inquit Hieronymus, *concordi ad invicem attestatione conjunctâ?*

cta? & quæ lilia, nisi eadem quæ labia? distillant igitur myrrham primam & myrrham secundam, mel primum & mel secundum; quia favus duplex, mel idem, labia duo, vox quæ pronuntiatur eadem; lilia duo, sed à radice eadem proveniunt ejusdem sapientiæ, & florem emittunt ejusdem veritatis. Legimus Luc. 5. duabus naviculis piscaturam exercuisse discipulos, & annuisse sociis suis qui in altera navi erant, ut advenirent & auxiliarentur: Ad duo Testamenta Chrysostomus trahit, *quia*, inquit, *duas oportebat naves concurrere ad illam piscationem: nisi enim Prophetarum chorus Apostolicæ manui adsit & opituletur, nisi oraculis Prophetarum Apostolorum dicta respondeant, οὐ θηρᾶται τὰ θηρώμενα, non capimus quæ venamur,* Chrysost. to. 6. ser. 1. quia frater adjuvat fratrem, ex una parte τὰ παλαιὰ τοῖς νέοις, ex altera τὰ νέα τοῖς παλαιοῖς μαρτυρεῖ, Athanas. Disp. con. Arianos. Ut verbo concludam, Sicut in cithara aut tibia chordæ multæ sunt, & soni varii, acutus, gravis, continuus, intercisus; sed ex attemperato flatu aut pulsu fit una, eáque repercusso dulcior aura melo: ità in Scripturis, quæ Dei suavissima Lyra, chordæ sunt multæ, libri varii, sed afflatus unus; duæ sunt arculæ, sed idem thesaurus; duo sponsæ ubera, sed ambo in eodem fixa pectore, & eodem redundantia lacte; duæ paginæ, scheda una; duæ acies, unus gladius; duo oculi, una visio, ab uno Deo profecta, uno Spiritu irradiata, uni Ecclesiæ tradita, ut esset unius Fidei penarium, ex quo *scriba* doctus proferat *Nova & vetera.*

Hæc illa sunt, Auditores optimi, quæ pro modulo meo, quamvìs non pro merito vestro, de Veteris Novique Testamenti Consensu dicenda putavi; de Legis etiam & Evangelii concordia nonnulla postmodum dicturus.

Sed nescio quid interea mihi obtigerit, quod nefas duco taciturnitate celare. Accepi nudiustertius schedulam quandam, non mole magnam, sed characteribus, scriptam tantùm non πρόσω καὶ ὀπίσω, ut ait ille, & in facie & etiam in margine. In illa chartula acris mecum postulatio agitur, quòd libros Apocryphos Prælectione novissimâ malâ fide tractaverim, & è Scripturis Canonicis excluserim. Est quidem author ipsius mihi prorsus incognitus, nam neque nomen paginæ affixit, & prætera internuntius properante ad me famulo se clanculùm subduxit & avolavit. Quid in se ponderis habeat nondum sentio, neque enim vel ad legendum satis otii erat in his temporis angustiis. Hoc tantùm video, linguâ vernaculâ scriptam, sed Romanâ indole. Quocirca in præsentiarum hæc prælibasse sufficiat: & si postea responsione dignam judicavero, certo certiores estote, non alios facturum me aut candoris testes, aut fidei obsides, aut causæ judices, quàm vosmetipsos.

LECTIO XIII.

Donorum distinctiones sunt, inquit Apostolus, 1 Cor. 12. 4. *sed idem Spiritus; & distinctiones ministeriorum, sed idem Dominus; & distinctiones operationum, sed idem Deus, qui singulis distribuit sicut ipsi placuerit.* Et quidem si S. Paulus nobis hoc fidei mysterium non tradidisset, at experimento tamen res deprehenditur, si vel cum Petro Davidem, vel cum Isaia Jeremiam conferamus. In Petro se Spiritus Dei demonstravit in dono linguarum; per dictamen Spiritûs loquebatur: in Davide se indicavit etiam in dono silentii; per dictamen Spiritûs conticuit, Ps. 39. 2. In Isaia per gratiam alacritatis, quâ ad opus Propheticum ultrò se offerret; *Ecce ego sum, mitte me*, Isai. 6. 9. in Jeremia per gratiam modestiæ, quâ excusationem obtenderet; *Ecce puer sum, nè me mittas*, Jer. 1. 6. Divino Spiritu plenus Isaias clamat contra seipsum, *Væ mihi quia tacui*, Isai. 6. 5. & eodem ductu Spiritûs contra se Jeremias, *Væ mihi quia locutus sum*, Jer. 15. 10. *Væ mihi, mater mea, quia genuisti me virum litis, & virum contentionis.* Quòd diversæ sunt operationes nemo non videt, & tamen utrobique elucescit efficacia ejusdem Spiritûs. Quòd si in arbitrio & delectu meo res sita esset ut è duobus alterutrum excerperem; mallem hoc tempore primo animi motu Davidis mihi silentium arripere, quàm linguas Petri; & contentionis infortunium lugere magìs cum Jeremia, quàm cum Isaia taciturnitatis: adeò ad ipsam litigationis umbram atque imaginem ægrotat animus, ut non possim mihimetipsi imperare quò minùs conquerar, *Væ mihi, mater mea*, Væ mihi, munus meum, quòd genuisti me virum litis & contentionis. Sed inprimis me illud recreat S. Judæ Apostoli, *Vos hortor*, inquit, *ut decertetis & contendatis pro fide quæ semel tradita est sanctis:* & verbum ἐπαγωνίζεσθαι non modò vehementiam, sed repetitionem actûs denotat, quasi obnixè, etiam atque etiam, iterum atque iterum contendere. Vicissim me recreat illud Domini ad Jeremiam, 15. 19, 20. *Ego te oppono populo isti pro muro æneo munitissimo, ut oppugnantes te non prævaleant tibi: reverti debuerant isti ad te, non tu reverti ad eos: quia verò educis rem pretiosam è vili, quasi os meum es, & ego eripiam te de manu istorum.* Ex istis locis inter se comparatis, altercationum Theologicarum jura legésque, quibus animus in disputationibus hisce dirigatur, non obscurè ante oculos ponuntur.

Requiritur primò *debita Materia* circa quam versentur: oportet ut sint de Fide, non de verbis, non de rebus inutilibus & vanis, Tit. 3. 9. *de rebus futilibus contendere* ἀγροίκου ἐστὶ σοφία, *agrestis est sapientia*, Pelus. lib. 4. epist. 162. Deinde statuendus est *Finis debitus* ad quem colliment: oportet ut sint non solùm de fide, sed etiam pro fide, & pro fide sanctis tradita. De fide Hæretici disputant, at non pro fide, sed contra fidem; nullatenus pro fide tradita, verùm pro fide tradenda. Postremò, adesse debet *Modus debitus* juxta quem procedendum est. Imprimis summa animi Prudentia exigitur, à vili ut pretiosum sejungatur, i. e. à tritico palea, ab auro scoria, à Veritate mixtura Erroris, à religioso cultu sursur superstitionis. Deinde, summa animi Constantia necessaria; *illi ad te revertantur, non tu ad illos.* Veritati Error arma fascésque submittere debet; Errori Veritas si cesserit seipsum prodit. Veritatis victoria alia est quàm Charitatis:

Charitatis: cedendo quidem Charitas vincit, Veritas hærendo mordicus & ſtando; priùs vult vitam quàm herbam dare, & totam ſe exponere, quàm vel alterum pollicem porrigere, aut extremum unguiculum. Poſtremò, ſumma animi Fiducia requiritur, quia in cauſa Dei ſub Divinis auſpiciis militamus: habemus Deum approbatorem, *eris tanquam os meum*; habemus Deum ducem, *Ego te oppono illis*; habemus Deum judicem, *faciam te murum æneum*; habemus Deum vindicem, *Ego te eripiam*.

Quæ cùm ità ſint, nullus me jam mordet litigandi ſcrupulus, quia & de Fide & pro Fide certamen inſtituitur, de Scripturis pro Scripturis, & pro Scripturis Eccleſiæ traditis. Det Deus ut pretioſum ſegregare poſſim à vili, Canonicos ab Apocryphis, nam omne ſcriptum vile eſt ſi Sacras Literas intueamur; ut ad nos revertatur aliquando adverſarius, quia ad illum nobis non licet reverti, niſi ſententiam ſuam demutaverit, quæ nunc ad limam redigenda eſt. Duæ autem ſunt partes intra quas res tota concluditur. Prima eſt Propoſitio principalis, quæ eſt τὸ κρινόμενον, cardo ſuper quem reliqua vertuntur: Altera in ſe continet argumenta quæ hinc illinc alternatim agitantur.

Aggredior Propoſitionem principalem; ſic autem ſe habet. *Quòd libri Apocryphi ſint humani ingenii partus, nondum probatum audivi ab aliquo, neque à teipſo idoneis argumentis, & authoritas publica nuſquam eos humana opuſcula appellat, ſed Divinum eis titulum aſcribit, cum reliquis Veteris Novique Teſtamenti libris communem, Sacra Biblia*, &c. Si totam Propoſitionem in ſuas partes articulatim diſtribuerem, vereor nè tot emergerent quæſtiones quot verba. An ſint humana opuſcula, an à me hoc probatum fuerit, an ab aliquo alio, an authoritas publica hoc aſſerat, an tandem adverſarius ipſe hoc aliquando audiverit. Sed quorſùm ego has quintuplicarem quæſtiones? An ſint humani cerebri fœtus recta Ratio monſtrabit: an ego hoc confirmaverim, id auditorum ingeniis conjecturæque committo: an è noſtris aliqui probaverint, hoc totus orbis Chriſtianus judicabit, ex Guliel. Whitakeri, Johannis Raynoldi, Franciſci Junii, & Danielis Chamieri ſcriptis, quæ contra incurſus Pontificios manent, æternúmque manebunt, ὡς ἀπερίτρεπτοι πύργοι, ut Chryſoſtomi verbo utar: an authoritas publica hoc dicat, id ex Eccleſiæ noſtræ Faſtis & Archivis in poſterum patebit: an adverſarius hoc probatum audiverit unquam, id ipſius conſcientiæ relinquendum, ſi illius juſtus æſtimator eſſe velit.

Ad duo ego capita totum negotium deducam. Primum eſt quo negat ſe audiviſſe hoc ab aliquo probatum, ea pro humanis opuſculis cenſenda. Alterum quo aſſerit hoc non authoritate publicâ ſtabilitum.

Aggredior Propoſitionem primam, quâ negat ſe hoc probatum audiviſſe. A te autem quæro, vir bone, cur hoc te nunquam audiviſſe aſſeris? An verò non potuerit ità eſſe, niſi tu audiviſſes? aut fieri non poteſt ut audires, & obliviſcaris? aut adhuc ut audires, & parùm attendeſſes? Et factum negare & cognitum, in geminum reatum trahit. Quod de Anaxagora memoriæ proditum eſt, negaſſe eum non ſolùm nivem eſſe albam, ſed ſibi nè videri quidem: & tu ſimiliter, Nec probatum hoc à nobis, nec à te auditum. Igitur aures tuas interroga, an bene foratæ ſunt. Eſſe aliquos eloquentes mutos, Auguſtinus nos docet, in Pſalmorum commentario: & eſſe multos audientes ſurdos, Chriſtus in Evangelio, Mar. 8. 18. Cave ſis nè in eorum numero reperiaris quibus aures non deſunt, ſed auditus; & auditus non corporis, ſed animæ: nè tibi acciderit quod Ari-

stippo: Ille repulsus à Dionysio, ad pedes ejus corruit; & cùm ob id argueretur, Non mea, inquit, culpa est, sed Dionysii, ὁ ἔχων ἐν τοῖς ποσὶ τὰς ἀκοάς. Vereor nè ibidem aures tuæ habitent: sin minùs, eundem optarem tibi aurium tuarum situm, si sperarem exinde te iturum in nostram sententiam. Sed esto, concedatur te audivisse nunquam: quæro à te rursus, si nunquam videris, si nunquam legeris; metuo enim nè fortè decipias nos ambiguo vocabulo: ut ille olim, qui cùm crumenam è fenestra dentibus abstulisset, rogatus juravit se non tetigisse, quia scil. manibus non tractaverat. An putas te nescire, si non audiveris, & in doctorum tamen libris lectitaveris? Non puto Andradium, aut Canum, aut Bellarminum hoc unquam audivisse; quis enim in Scholis vestris vel mussitare contra vos audet? sed legisse hoc sæpissime nullus dubito. Ego autem ab auditore ad lectorem provoco; quia si in Ecclesias nostras & scholas parciùs venire soleas, ad libros tamen aditus & frequentior & tutior: (Jovem Juno supplicans pro Turni vita apud Virgil. Æn. 10. sic eum alloquitur;

——Quid si quod voce gravaris,
Mente dares?————)

in quibus jam sæpe dicta causa est, & sæpe probata. Erudito viro indigna est excusatio prætendere quòd non audiverit, si modò vel legerit, vel legere potuerit. Sed autores nostros mitto, à quibus quicquid nervosissimè dictum præjudicii gladio jugulatur, quasi subdebile & languidum. Quæro an nunquam hoc legeris à sanctis Patribus, nunquam à Doctoribus vestris & agnitum & comprobatum. Quid de illo Hieronymi loco existimandum est, quod habetur ep. 7. ad Lætam, de institutione filiæ? *Caveat omnia Apocrypha; & si quando ea non ad dogmatum veritatem, sed ad signorum reverentiam, legere voluerit, sciat non eorum esse quorum titulis prænotantur, & grandis est prudentia aurum in luto quærere.* Similiter in Ep. ad Paulinum, solos Canonicos numerans, *Hæc illa sunt,* inquit, *quæ per Spiritum Sanctum inspirata creduntur, & Ecclesiis Christi tradita.* Audi hoc, solos Canonicos Divinitus inspiratos dicit; & non sunt Apocrypha humana opuscula? Canonicos Auro, Apocryphos luto comparat; & non ea putavit esse humana opuscula? Sic Prologo in Esdram & Nehemiam, 3 & 4 librum Esdræ *somnia* vocat, *Nemo Apocryphorum tertii & quarti libri somniis delectetur:* & altero in Danielem prologo, Belis & Draconis *fabulas* non metuit asserere, & veru antepostito à se jugulatas: *Somnia, fabulæ,* minus quid pejúsque sonant quàm humana placita. Quid de illo S. Athanasii in fragmento ex epist. 39. *Quandoquidem,* inquit, *aggressi sunt aliqui describere sibi Apocrypha quæ dicuntur, & ea cum Divinitus inspirata Scriptura confundere,* ἐπιμίξαι ταῦτα τῇ θεοπνεύστῳ γραφῇ, *visum est mihi ab initio ordine exponere Canonica ut tradita, nec non credita Divina Biblia,* &c. Audin'? contradistinguit inter se Athanasius Apocrypha & Divinitus inspiratam Scripturam; dein, Apocrypha & Divina Biblia; & non Apocrypha existimavit humana opuscula? Postremò, quid de aliis sanctorum Patrum testimoniis non paucis, quibus libris Apocryphis autoritatem omnem derogant, ut minùs authenticam aut idoneam ad fidei mysteria stabilienda? Quòd si Spiritûs sancti calamo exaratos istos libros putassent, authoritatem sacram eorum in rebus Fidei non sine piaculo denegassent: quid enim aliud sonant hæc verba, *Authoritatem ad fidem confirmandam non habent,* quàm illud, autoritatem eam solam habent quam humana scripta & humana placita? Ejusmodi est B. Hieronymi in præfatione in libros Salomonis,

nis, de Apocryphis loquens, *Legat Ecclesia ad ædificationem plebis, non ad authoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam:* & Ruffini in expositione Symboli, *Leguntur in Ecclesiis, non tamen proferuntur ad authoritatem fidei confirmandam:* & Cyrilli Hierosol. in Catechesi illuminatorum, sect. 4. *Has tantùm studiosè meditare Scripturas quas in Ecclesia confidenter legimus; cum Apocryphis verò nihil habeas negotii,* περὶ τὰ ἀπόκρυφα μηδὲν ἔχε κοινόν. Non absimile illud Lyrani vestri, prologo primo in Biblia; *Non omnes libri pari veneratione sunt reverendi, nam inter Canonicos & non Canonicos tantum distat, quantum inter certum & dubium:* & Pet. Cluniacensis, lib. 1. Ep. 2. recitante Coccio, (nam in loco citato non reperio, sed Coccius producit, lib. 6. Thesauri sui, artic. 4.) *Restant post hos authenticos Scripturæ libros, sex non reticendi libri, &c. qui etsi ad sublimem illam præcedentium dignitatem pervenire non potuerunt, propter laudabilem tamen & pernecessariam doctrinam ab Ecclesia suscipi meruerunt.* Simile & Hugonis Victorini, in prolog. l. 1. de Sacr. cap. 6. prologi; *Sunt præterea alii quidam libri, scil. Apocryphi, qui leguntur quidem, sed non scribuntur in Canone:* & addit, *leguntur autem ut Hieronymi, Augustini, Ambrosii, Gregorii & Patrum scripta.* Jungamus hæc singula, *In Canone autoritatis non scribuntur, autoritatem non habent, non proferuntur ad fidem confirmandam, dubia sunt fidei, ad sublimem reliquorum dignitatem non perveniunt, cum iis nihil habeas negotii, caveat omnia Apocrypha, leguntur ut Hieronymi aliorúmque Patrum scripta.* Qui ista dicunt, necesse est ut aut accipiant pro humanis, aut insignem faciant contumeliam injuriámque Divinis: quia fides Christiana, ipsis Papistis fatentibus, innititur Veritati primæ tanquam basi & fundamento, hoc est, revelationi Divinæ extra ordinem factæ: ergò si libris Apocryphis fides non nitatur, ad Veritatem primam nullatenus sunt referendi, neque ad revelationem extraordinariam; adeóque antiquorum Patrum judicio in humanorum ordinem sunt redigendi. Hæc ego, auditores, post aliorum messorum terga, ex antiquorum Patrum scriptis spicilegia feci; non quidem in hunc finem ut libros Apocryphos ab antiqua Ecclesia è sacro Canone rejectos fuisse ostenderem, nam non ad præsens pertinet institutum, & jamdiu id abunde à nostris est præstitum; nec video quid sit quod illorum laboribus aut sudor addat, aut livor detrahat:

Illorum immensæ ruperunt horrea messes:

Sed ad hoc solummodo, ut omnibus lucidum esset & manifestum, non novâ me, aut protervâ, aut inhonestâ loquendi formulâ usum esse, quòd libros Apocryphos *humana opuscula* & *inventa* appellaverim, quod pensum à nostrorum nullo de industria factum observavi: sic ad illorum messem aliquid accessit ex mea semente. Nolui enim aut actum agere, aut extra Propositionis terminos vel tantillùm divagari, quâ chartæ Apologeticæ scriptor probatum hoc ab aliquo negat se audivisse. Ain' verò, mi homo, non audivisse te? Nè ludas nos homonymiâ vocabuli: num accepisti unquam? quæ quoquo modo intelligimus aut accipimus, audire dicimur, & à recto dicendi usu non abhorret; ut si in chartis suis viri docti, dum scribunt, loquantur, & nos in vigiliis nostris, dum scripta eorum legimus, eos ipsos audimus. *Cæcum auribus* nescio quem Sophocles dixerit; τυφλὸς τά τ' ὦτα, τόν τε νοῦν, τά τ' ὄμματ' εἶ, *Tu*, inquit, *simul & aure & mente & oculis cæcus es.* Eâdem loquendi licentiâ eum oculis surdum me dicere posse conjicio, qui quod à Patribus toties inculcatum, quod sæpius probatum à nostris, quod à nonnullis suæ partis doctoribus non ob-

ſcurè indicatum eſt, ſe non audiſſe, adeóque nec legiſſe aſſeveranter affirmat. Næ tu ſimul & aure & mente & oculis ſurdus es, ad quem rei tam apertæ clamor & ſplendor & conſcientia nondum pervenit. Quocirca ſi neque audiveris unquam, neque videris, hortor te tandem ut aures erigas, ſimul & oculos & mentem; imò, ut Cicero loquitur, ut plures in hanc rem animos intendas, ut ſaltem nunc & videas & audias & intelligas, non affirmatum modò, ſed planè demonſtratum, ſingulos iſtos libros humana opuſcula fuiſſe, ſive autores conſideremus, ſive ſtructuram, ſive errata & lapſus. Sic igitur argumentum inſtituitur;

Quicquid ab homine, quâ homine, hoc eſt, quicquid ab homine humanitus, humano ductu & humanâ aſſiduitate effectum eſt, id abſque controverſia pro humano opere cenſendum eſt: Sed ab hominibus, humano ſpiritu actis, arte & labore humano iſti libri ſinguli confecti ſunt: Ergò pro humanis opuſculis & placitis ſunt habendi. Ego utramque Propoſitionem ſic probatam reddo.

Major patet ex Matt. 21. 25. *Baptiſmus Joannis de Cœlo erat, an ex hominibus?* Quibus verbis innuit Chriſtus, quod cœlitus defluit non eſt inventum humanum, & quod eſt inventum humanum non defluit cœlitus. Item ex Gal. 1. 1. Paulus Apoſtolus, *non ex hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum ac Deum Patrem.* Iſtis verbis Apoſtolus opera contradiſtincta facit quæ ab hominibus facta, & quæ à Deo: ſi ab homine, non à Deo; ſi à Deo, non ab homine: & rurſus, ſi non ab homine, ergò à Deo; ſi non à Deo, ergò ab homine. S. Paulus ad Rom. 8. 5. *Qui ſecundùm carnem ſunt, ea quæ carnis ſunt cogitant; qui verò ſecundùm Spiritum, ea quæ ſunt Spiritûs:* h. e. ut Primaſius aptiſſimè explicat, *à carne carnalia, à Spiritu ſpiritualia; ab homine humana, à Deo divina procedunt.* Et Chriſtus ipſe, Joh. 3. 6. *Quod genitum eſt ex carne caro eſt, quod genitum eſt ex Spiritu ſpiritus eſt.* Ex quibus locis & Apoſtolus & ipſe Chriſtus hoc pro conceſſo ſumunt, ut Baſilius loquitur, τὸ ἔκ τινος γεννηθὲν, τοιοῦτόν ἐστιν οἷόν ἐστι τὸ ἐξ οὗ ἐγεννήθη, *quod eſt ex aliquo, tale eſt quale illud ex quo natum eſt*; nihil enim agit ordinariè ultra activitatem ſphæræ ſuæ. Virtus cauſæ inferioris non poteſt ſe erigere ad virtutem cauſæ primæ: Cauſa naturalis ad opus ſupernaturale non aſcendit, ſine aſſiſtentia virtutis ſupernaturalis; nec virtus carnis ad virtutem Spiritûs, ἄνευ τοῦ πνεύματος βοηθείας, ut Chryſoſt. loquitur; neque ingenium humanum ad opus Divinum, quod ſit regula fidei authentica & impeccabilis, ſine afflatu Divino. De Majori Propoſitione ſatis.

Aſſumptio ſic ſe habet; Ab hominibus, humano ſpiritu actis, arte & labore humano libri iſti ſinguli confecti. Hæc Propoſitio duabus rationibus fulcitur.

Prima eſt, Quod ab authoribus incognitis & factitiis prætextu afflatûs Divini prodit, illud eſt arte humanâ confectum: ſed Authores iſtorum librorum aliqui incogniti, aliqui ementiti. Incognitos eſſe minùs refert, nam & Canonicorum reperiuntur nonnulli quorum Scriptores aut prorſus ignorantur, ut Judicum & Ruth; aut incerti ſunt, ut liber Job, quem alii Moſi, alii Jobo ipſi aſcribunt: ſed authores factitios habere, Scripturæ Sacræ integritati & majeſtati non congruit. Largimur hoc tibi, Canonicorum quorundam eſſe authores incognitos; ſed eſſe ſuppoſititios & commentitios quis audet aſſerere? at in aliquibus Apocryphis ſic ſe res habet. Librum Sapientiæ à Philone ſub nomine Salomonis prodiiſſe Hieronymus conjicit, & Ψευδεπίγραφον vocat. Additamenta ad librum Heſte-

ræ

ræ à Josephi manu fluxisse Senensis dicit. Additamenta Danielis aliûs esse à Daniele Propheta ipse Bellarminus non improbabile affirmat. Hæc prima ratio.

Secunda hæc est, Quod non est θεόπνευστον, h. e. non afflatu Spiritûs inspiratum, est opus humanâ arte confectum: Sed authores eorum librorum non erant θεόπνευστοι. Probatur; Quia quodcunque scriptum aliquid in se falsi continet, impossibile est ut sit Divini Spiritûs instinctu elucubratum: Sed in libris Apocryphis sæpe erratum est & peccatum largiter. Quòd in se falsa, imò planè mendacia continent, duo Academiarum ocelli, Whitakerus & Raynoldus, suprà quàm refelli possit copiosè & eruditè in suis Commentariis docuerunt. Ego non *Mendacia* appello, quanquam & hoc dici potest, sed molliori vocabulo, *Errata*. Atque hoc res ipsa loquitur. Nam dicat mihi aliquis, quæ de Angelo & Pisce dicuntur in libro Tobiæ qualia sunt; quæ de Nabuchadonosor & Holoferne in libro Judith, quàm sunt ab omni historiæ veritate discrepantia? In additamentis Estheræ, quot sunt de Mardochæo & Hamane quæ historiæ Canonicæ apertè contraria? In historia Machabæorum, Templi purgatio narratur ante mortem Antiochi Epiphanis, lib. 1. c. 4. post mortem ejus, l. 2. c. 10. Perparvula hæc sunt ad locum alterum Machabæorum, ubi Antiochus tribus locis ter mortuus esse dicitur: l. 1. c. 6. Babylone mortuus dicitur ex morbo, sive dolore; l. 2. c. 1. mortuus dicitur in templo Nanææ, nimirum lapidibus obrutus, & membratim postea discerptus, & caput ei truncatum; l. 2. c. 9. mortuus dicitur in montanis, sc. vermiculari morbo, postquam de curru decidisset. Qualia sunt ista, ter mortuus, & triplici genere mortis, & morbo vermiculari post caput ipsi truncatum?

Dic aliquem sodes, dic, Quintiliane, colorem.

Nec tamen nostra est hæc sola sententia; prioris seculi Antistites habemus suffragantes. Hieronymus prologo in Danielem, *Belis & Draconis fabulas* vocat. Et prologo in Esdram & Nehemiam, Esdræ tertii & quarti libri *somnia* vocat. Ipse Sixtus Senensis additamenta Estheræ *lacinias* appellat, *hinc indè quorundam temeritate insertas*. Præterea Athanasius in Synopsi, & Hieronymus in ep. ad Paulinum, à Divinitus inspiratis Scripturis sejungunt: & Augustinus ipse, quem penè solum in hac causa Pontificii attestantur, præter Innocentium & Synodum Carthaginensem tertiam, Augustinus, inquam, Civ. l. 15. c. 23. falsa quædam in se continere non dubitat asserere; *In Apocryphis etsi inveniatur aliqua veritas, tamen propter multa falsa, nulla est in eis Canonica authoritas.* Quod si dixeris, per Apocryphos Augustinum intellexisse non eos quibus sola deerat authoritas ad confirmanda dogmata, sed eos qui sunt impii, & ab impiis editi, Apostolorum nomine præfixo: agnosco Augustinum eo sensu sæpissime Apocryphorum nomen usurpasse. Sed tamen hoc loco Apocrypha opponit iis quæ in Canone qui in Templo Hebræi populi servabatur, non reperiuntur, ut ipse se explicat: & Retract. l. 2. c. 10. seipsum redarguit, quòd testimonium ex Ecclesiastic. 10. 9. (*Quid superbit terra & cinis?*) appellaverit *verba prophetica*; *quia*, inquit, *non in ejus libro legitur quem certi sumus appellatum esse Prophetam:* nec paulò aliter de Machabæorum libris loquitur, *receptos esse eos ab Ecclesia non inutiliter, si sobriè legantur.* Vide sis, *non inutiliter, si sobriè:* hoc de iis nunquam dixisset, si simpliciter Canonicos putasset.

Ad calcem jam argumentum perduxi, ad quam cùm sit decursum, nihil est in hac parte præterea adjiciendum. Idcirco manus de hac parte

parte tollenda est, nam scabella concrepant. Quòd si humana commenta in iis libris reperiantur, permitte nobis ut jam verecundè nuncupemus *humana opuscula*. Ignoscibilius multò est *humana inventa* appellasse quàm *somnia*; & *ab humano cerebro facta* quàm *ficta* dixisse. Hæc si tecum sepofito omni partium studio seriò velis judicatóque æstimare, in posterum te spero nunquam dicturum, non vidisse te aut audivisse hoc unquam probatum. Interea verò exopto tibi, quod olim Vigilantio Hieronymus precatus est, *Tribuat Christus ut audias & taceas, ut intelligas & loquare.*

Et hanc quidem Propositionis partem, quæ ad Ecclesiæ nostræ de libris Apocryphis judicium provocat, sperabam me hoc tempore ad exitum perducturum. Sed dum ad hujus rei scrutinium me confero, & acta publica Ecclesiæ revolvo, invenio multa de istis libris magnificè dicta in libris Homiliarum; qualia sunt illa: *Propheta Baruch dicit*, *Scripturæ testantur in libro Sapientiæ*; *Deus Omnipotens dicit*, & locus Ecclesiastici producitur; *Spiritus Sanctus dicit*, & locus Tobiæ citatur. Hæc quamvis non sunt à meo in hac causa sive fratre sive adversario in lucem producta, at ea tamen persequi cum meo munere conjunctissimum putavi, nisi doctrinæ nostræ publicè receptæ vindicias desererem. Quocirca ut Simonides Hieroni roganti quid Deus esset, deliberandi diem postulavit; & postridie rogatus, alterum, & deinde tertium: similis nunc mihi postulatio necessaria; quoniam primus hic dies ad reliquorum examen non sufficit, opus est ut alterum à vobis petam, & deinde alterum, sícque totum negotium erit opus & iter trium dierum, quod tamen ego duobus tantùm destinavi. Opinor autem me rem non ingratam facturum, neque Ecclesiæ, neque vobis, præsertim cùm hæc omnia sint spinosa, & à nullo scriptorum nostrorum ventilata: & gratias ago adversario, quòd mihi hanc ansam dederit fidei meæ & Ecclesiæ nostræ in hac causa liberandæ.

LECTIO

LECTIO XIV.

IN libro de Republica, dial,4. Plato hanc dicendi normam constituit, nè animum audire aliquid cupientis longâ præfatione suspensum diutiùs teneas. Neque absimilis lex erat quæ ab Areopagitis lata est, ut causas graves tractanti nullum Exordium esset pro exordio, adeóque ἄνευ προοιμίου procederet. Utrâq; me sentio, Auditores, lege constrictum: nam & causa quæ agitur summa est, & video vos audiendi desiderio æstuantes, ut in hac quæstionis parte in qua ad Ecclesiæ nostræ Decreta appellatio facta est, exprobranti hæc nobis os obstruam; & manum manu, & chartam chartâ, & calamum calamo confodiam.

Atque de prima Propositionis parte hactenus congressi sumus; ut audiret jam tandem adversarius quod negat se unquam audivisse, libros Apocryphos justis rationibus inter humana inventa & opuscula numerari.

Altera nunc sequitur, ut discat non audire quod audivisse se putat, nimirum Authoritatem, hoc est, me interprete, Ecclesiam, non reputare eos inter humana inventa, sed divinum eis titulum ascribere, cum reliquis Veteris Novíque Testamenti communem, *Sacra Biblia*. Sic in vetitum omnes nitimur: Audita non audimus, non audita audimus. Ad memoriam mihi revocat vetulam illam, quæ oculorum periculum faciens, an quid visûs residui haberet, videre se super tectum corvum dixit, tectum autem ipsum se non videre. Ab ipsius hic noster videtur non longè ingenio remotus, qui quod sæpius dictum & decantatum est non audit; quod nullibi dictum aut factum, hoc audit, & asserit Authoritate publicâ libros Apocryphos pro sacrorum Bibliorum parte aliqua constitutos. Quanquam quid tu mihi jactas authoritatem publicam, aut quid est quod hâc voce intelligis? Num Regni? vos hoc jugum excutitis, & nè in politicis quidem suum dominium Principibus sartum tectum relinquitis. Num Ecclesiæ? at nostræ Ecclesiæ authoritas nulla est, nè in suos filios, quia non est subjecta Romano Pontifici; neque illius tute ipse, qui enutritus in ulnis ejus, aut authoritatem vereris, aut judicium sequeris, aut vim pertimescis. Quid? Catilina Cethegum? &, quod longè teterrimum, Catilina Ciceronem? Nos verò Matris pientissimæ voluntati in omnibus, ut filios decet, studiosè obtemperamus, dictis audientes sumus, jussa exsequimur, authoritati subjicimur, & libenter hæc omnia & agimus & agnoscimus: quia hoc persuasissimum habemus, nihil eam nobis nisi quod æquum & bonum est imperare, legésque nullas nisi quæ castissimæ sanctissimæque sunt præscribere. Quocirca si quid ego dixerim quod ipsius Decretis non congruat, objice, urge, audiamus quid illud sit; non erit mihi subturpicula palinodia.

Tria autem sunt quæ hic nostræ affingit Ecclesiæ, singula ad amussim repetenda. Quòd libros istos non reponat inter humana opuscula. Quòd communi eos cognomine cum cæteris Veteris Novíque Testamenti libris complectatur, & *Sacra Biblia* appellat. Quòd divinis titulis & epithetis exornet.

Assertiones tres sunt, naturâ quidem discrepantes, sed erunt, opinor, exitu similes. Nam prima & secunda jugulare causam videntur, sed nil in se habent veritatis: tertia veritatis aliquid in se habet, sed non jugulat causam. Ego eis tres Theses oppono ex diametro contrarias.

Prima,

Prima, Ecclesia nostra eos libros dijudicat & appellat *humana opuscula*. Secunda, Ecclesia nostra libros istos à Veteris Novique Testamenti libris, adeóque Sacris Bibliis, sejungit. Tertia, Ecclesia nostra quamvìs eos sublimibus titulis exornet, non tamen exinde sequitur ut pro divinitus inspiratis agnoscat. De singulis istis breviter & ordinatim agamus.

Ordiamur à prima: Ecclesia nostra eos libros inter humana opuscula numerat. Ad confirmationem Theseos potui producere locum ex Præfatione illa quæ præfigitur libris Apocryphis, in Bibliis beatissimæ memoriæ Elisabethæ tempore editis; ubi dicitur, *libros illos non receptos ab Ecclesia ut Canonicos,&c. sed ut libros à piis viris scriptos, ad historiæ peritiam & morum informationem apprimè utiles.* Sed locum istum non urgeo, & quia in Translatione nova Prologus iste non habetur, & quia non asseritur præcisè ea esse *humana inventa*, aut *humana opuscula.* Ex scriptis viri eruditissimi Richardi Hookeri, quæ sit Ecclesiæ nostræ indubitata sententia satìs supérque manifestum est. Ille l. 5. Ecclesiasticæ politiæ, sect. 20. sæpius hoc ipsum inculcat. *Non habemus eos libros pro Divinis, sed humanis scriptis*; & rursus, *Non habemus pro sacris, sed humanis operibus, quorum subjecta materia sunt res Divinæ:* & adhuc, *Illos honòris titulos recipiunt, quibus major nullus ascribi potest iis scriptis quæ pro authoribus homines habuerunt:* denique, *Epiphanius*, inquit, *eos libros utiles judicat, Divinos esse negat, eo sensu quo Scriptura Divina vocatur.* Hactenus Hookerus, magnus ille Mysta, quem pro sanctissimo & modestissimo viro, nostræque doctrinæ conscio, habendum esse, & ipsi qui inter nos eâdem luce fruuntur Pontificii liberrimè fateri non aspernantur. Ergò in hoc sibi egregiè imposuit hic scriptor Apologeticus, dum asserit authoritatem publicam Apocrypha non nuncupare humana opuscula. Hæc Thesis prima est, Ecclesiam nostram censere libros istos pro humanis opusculis.

Secunda sequitur, Quòd Ecclesia nostra eos non comprehendat unà cum Veteri Novóque Testamento, sub nomine *Sacrorum Bibliorum*. Et hujus quidem Theseos investigatio difficilior est paulò quàm prioris, quia videntur loci aliquot contrarium innuere. Locus primus habetur libro secundo Homiliarum, Sermone nono, qui est De Precibus publicis & Sacramentis, ubi sic legimus; *Apparet precum junctarum efficacia ex historiis Bibliorum, ex Jon. 3. Joel. 2. Hest. 4. & tandem libri Judith 9.* Alter habetur in reverendissimi viri Johannis Whitgifti, Archiepiscopi postmodum Cantuariensis, responso adversus Thomam Cartwrightum, tract. 21. c. 2. sect. 8. ubi sic seipsum explicat; *Libri Apocryphi eodem jure in Ecclesia legendi, quo pro Veteris Novique Testamenti portiunculis æstimantur, propterea quòd in illis nihil reperiatur quod Scripturis cæteris contrarium sit.*

Postremò, locus tertius ex ipsa Bibliorum inscriptione elicitur, quæ sic se habet, *Sacra Biblia, Vetus Novúmque Testamentum continentia.* Et primâ quidem fronte alicujus ponderis videntur hæc esse quæ adducuntur, minoris tamen si penitius introspiciamus.

Quod ad locum illum attinet qui petitur ex libris Whitgifti, viri doctissimi, consulenti facilè patebit quòd pro seipso respondeat. Verba ipsius hæc sunt; *Quòd olim*, inquit, *in Ecclesia legebantur Apocrypha, manifestum est ex Canone 47 tertii Concilii Carthaginensis, in quo inter libros Canonicos computantur*; & tum demum addit, *Non video quò minùs in Ecclesia legi possint, æquè ac pro Veteris Novique Testamenti portiunculis æstimari.*

Non

Non quòd ille sic existimaverit, esse propriè dictas Scripturæ Sacræ partes; non quòd istius Synodi Decretum per omnia probaverit, nam ipse Melchior Canus, Locorum Theolog. l. 5. c. ult. ad sextum argumentum, & Cæsar Baronius, Annalium tomo octavo, ad annum *692*, isti fidem Synodo derogant: Sed est argumentum à majori, Si synodus illa eousque processit ut libros Apocryphos Veteris Testamenti partes faceret, nobis multò magis licet ex iis lectiones publicas seligere. Quòd autem dicit *in iis nihil Sacris Scripturis contrarium reperiri*, Sole clarius est eum non de libris Apocryphis integris loquutum esse, sed de lectionibus publicis quæ ex istis libris in Liturgia nostra desumuntur, quas contra Cartwrightum ipse optimè tuetur nihil in se Scripturis Sacris contrarium continere.

Quod spectat ad locum ex secundo libro Homiliarum, solutio facilis. Adducitur ex Jonæ 3° exemplum Ninivitarum, Judæorum ex Joelis 2°, Hesteræ ex libri istius capite 4°, & Ecclesiæ ipsius pro Petro in vincula conjecto orantis, ex Actorum 12°, ínque his omnibus interseritur exemplum Judith Deum precibus interpellantis de successu contra Holofernem, c. *9.* & istis junctim sumptis hæc verba præfiguntur, *Quanta sit precum junctarum efficacia apparet ex historiis Bibliorum:* quis autem nescit, si largo sensu *Bibliorum* nomen sumatur, posse illud etiam Apocryphos libros sub se complecti? Verùm non est necesse ut huic acquiescamus responso, præstò est aliud quod abundantiùs satisfaciat; Veteribus hunc loquendi modum usitatum fuisse, locis Canonicis Apocryphos aliquando attexere, & singulos simul sumptos *Scripturæ Sacræ* titulo honorare. Sic Athanasius con. Arrianos, orat. 1ª, ὑπὸ τοῦ πνεύματος εἴρηται, *à Spiritu dictum est*; statímque recitat locum ex Psal. 50. subnectítque alium ex Ecclesiastici 15°, *Non est speciosa laus in ore peccatorum.* Hilarius in Psal. 125. *Discentes hæc omnia à Lege, à Prophetis, Evangeliis & Apostolis, & cantantes ex Lege, Judith 16. Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi.* Ità hic se res habet, exemplis quatuor ex Canonicis adjicitur quintum ex libro Apocrypho, & *Bibliorum* nomen præponitur; non quòd Apocryphi libri sint Sacri Codicis pars, strictâ & exquisitâ locutione, sed quòd in Sacri Codicis reperiantur volumine, quamvis non scribantur in Canone.

Similiter dicendum est de inscriptione Bibliorum. Tremellii quidem & Junii editio Latina per distinctionis notam in fronte Bibliorum positam, libros istos à Veteri Novóque Testamento secludit, hoc modo, *Biblia Sacra Veteris & Novi Testamenti*; deinde sequitur, *cui accesserunt Libri Apocryphi.* Non id factum est in nostra Translatione: quid igitur? num propterea in Bibliorum numerum cooptantur? Hoc secùs se habere patet ex Articulo sexto doctrinæ Ecclesiæ nostræ, ubi sic legimus; *Scripturæ Sacræ nomine eos Canonicos libros Veteris & Novi Testamenti intelligimus, de quorum authoritate nunquam in Ecclesia dubitatum est:* & Commentator insuper hoc adjicit, *eos in Bibliorum voluminibus non contineri.* Patet etiam ex ipso situ sive positura Apocryphorum in Sacris Bibliis, quòd ad finem Veteris Testamenti rejiciantur, pósque omnes libros Canonicos collocantur. Quòd si pro divinitus inspiratis Ecclesia nostra agnosceret, non sine insigni Spiritûs Sancti injuria libros eos à sede propria ablegaret: sed hoc ipso sensum suum piè demonstrat, quo tandem numero habeat, ut libros Scripturis Canonicis dignitate proximos. Neque est hic ordinis modus nuperus, aut à nobis excogitatus, sed ab antiquæ Ecclesiæ praxi ad nostram apertissimè dimanans.

Origenes apud Eusebium, l. 6. c. 25. de Canonicis loquens, ἔξω δὲ τούτων τὰ Μακκαβαϊκά, *extra hos libri Maccabæorum.* Athanasius in Synopsi, ἐκτὸς δὲ τούτων εἰσὶ πάλιν ἕτερα βιβλία, tum nominat Apocryphos. Epiphanius

in libello De Ponderibus & menſuris, *χρήσιμοί εἰσι καὶ ὠφέλιμοι, ἀλλ' εἰς ἀριθμὸν ῥητῶν οὐκ ἀναφέρονται.* Eodem & nos ordine libros Apocryphos circumgeſtamus, magno poſt Scripturas ipſas intervallo, quamvìs loco proximo: inter Atrium populi & Sanctum Sanctorum eos collocamus; ante alia humana opuſcula, ſed poſt ſacra Dei oracula. Non ab adjumentis fidei eos exterminamus, ſed à baſi & fundamento; non ex Eccleſia, ſed è divinitus inſpirata Scripturâ; non è Bibliorum volumine, ſed è ſacro Canone: quod Hookerus noſter optimè explicavit, cùm dixerit, *poſita Apocrypha in Bibliis ut idoneam fimbriam aut marginem Veteris Teſtamenti.* De ſecunda Theſi hæc dixiſſe ſufficiat, Eccleſiam noſtram libros iſtos à Veteris Novíq; Teſtamenti Canone, adeóque Sacris Bibliis, ſejungere.

Propero ad tertiam, Quòd licèt iſtos libros Divinis titulis exornet Eccleſia noſtra, non ſequitur tamen exinde quòd pro divinitus inſpiratis agnoſcat. Dicit quidem in hac cauſa adverſarius meus, *libros Apocryphos Eccleſiam noſtram Divinis titulis celebrare atque epithetis*: ſed dicit tantùm; quibus, non demonſtrat: at ipſius erat eos in medium depromere, & palàm facere, qui tituli, quis locus; nam nos pecus deſidioſum in actis Eccleſiæ publicis evolvendis minùs fortaſſe verſati ſumus. Hoc quoniam eſt ab ipſo prætermiſſum, in ipſius ego gratiam explebo, & in meipſum mucrone diſtricto in apricum producam. In Articulis doctrinæ Eccleſiæ Anglicanæ, aut Publicarum Precum libro, aut editione Bibliorum, nullum ego honoris titulum comperio. Ergò aut ex Homiliarum publicarum libris petendi ſunt, aut nullibi comparebunt. In illis verò libris multa, eáque clariſſima, elogia, non Apocryphorum omnium junctim, ſed ſparſim ſingulorum habentur, quæ obſervatione veſtrâ, Auditores, non ſunt indigna; & noſtrâ etiam, quia ſic res poſtulat, diſquiſitione digniſſima. Ordinatim ea accipite, ut ſunt à me quâ potui diligentiâ in unum faſciculum collecta, & in certas Claſſes diſtributa.

Prima Claſſis eorum eſt, quibus Baruch *Sanctus* & *Propheta*, Tobias *pater ſanctus* dicitur. De Tobia, l. 2. ſer. 11. qui eſt de Eleemoſynis, parte primâ, *Pater ſanctus Tobias ſic hortatur, Tob.* 4. De Baruch, l. 1. ſer. 2. qui eſt de Miſeria humana, par. 2. *Dicamus cum Sancto Baruch, c.* 2. & l. 2. ſer. 2. qui eſt de Idololatria par. 1. *Propheta Baruch dicit, Bar.* 6. & rurſus, ſer. 21. qui eſt Contra ſeditionem, par. primâ, *Propheta Baruch dicit, Bar.* 1. 11.

Secunda Claſſis eſt eorum quibus author Eccleſiaſtici *ſapiens* appellatur; & author libri Sapientiæ non modò *ſapiens*, ſed *ipſe Salomon.* De libri Sapientiæ authore ſunt loca plurima, l. 2. ſer. 17. pro Rogationis ſeptimana, par. primâ, *Sapiens dicit, Sap.* 16. *& Sap.* 17. & *Sapiens dicit, Sap.* 7. *& Sap.* 9. & par. ſecundâ, *Sapiens dicit, Sap.* 10. *& Sap.* 17. & par. tertiâ, *Sapiens teſtatur, Sap.* 7. *& Sap.* 13. & ſer. 2. qui eſt Contra idololatriam, par. tertiâ, *Salomon in libris ſuis contra idola loquutus eſt, Sap.* 13. *Sap.* 14. quod etiam in ipſo libri titulo habemus, inſcribitur enim *Sapientia Salomonis.* Similiter de libro Eccleſiaſtici, l. 1. ſer. 4. qui eſt de Fide, par. 2. *Sapiens dicit, Eccleſ.* 31. & l. 1. ſer. 8. de Defectione à Deo, parte primâ, *Sapiens dicit, Eccleſ.* 10.

Tertia Claſſis eſt eorum, quibus Scripturæ Sacræ, & Spiritûs Sancti, & Dei omnipotentis authoritas iſtis libris affigitur. Lib. 1. ſer. 9. Contra metum mortis, par. tertiâ, *Scriptura teſtantur, Sap.* 3. *& Sap.* 4. & l. 2. ſer. 2. Contra periculum idololatriæ, par. tertiâ, *Scriptura docet, Sap.* 13. *& Sap.* 14. & l. 1. ſer. 7. qui eſt De Juramentis, par. primâ, *Deus omnipotens per Sapientem dicit, Eccleſ.* 23. 11. & l. 2. ſer. 11. qui eſt De Eleemoſynis, par. ſecundâ, *Spiritus Sanctus ſic docet diverſis Scripturæ locis*, & quartum Tobiæ caput allegatur.

Hæ

Hæ ſunt tres Claſſes, quæ ſicut me collectorem habuerunt, ità nunc exſpectant vindicem. Intueamur igitur ſingulas.

Quod ad primam Claſſem pertinet, ubi *ſanctus pater* Tobias, & Baruch *Propheta* vocatur; non exinde ſequitur, Ergò liber Tobiæ & liber Baruch inſtinctu Spiritûs ſcripti ſunt: nam & Platonem ipſum, Ciceronis exemplo, *Divinum* dicere non metuimus; atque Doctores antiquæ Eccleſiæ & *Sanctos* vocamus, & ut Patres ſuſpicimus: & Chryſoſtomus *Pater ſanctus* erat, & Baſilius *Pater ſanctus*, & Auguſtinus *ſanctus*; numquid igitur eorum ſcripta non ſunt humana opuſcula? Quòd Baruch *Propheta* vocatur, eſt aliquid ſublimius; ſed nec hoc nobis negotium faceſſit: quia nomen *Prophetarum* non ſemper in ſtricto & proprio ſenſu aſſumitur, ut ſignificet enuntiatores Prophetiarum qui futura prædicebant, aut afflatos extra ordinem qui aliquid Divinitus revelatum ſcripſerunt; ſed aliquando latiùs, ut ſignificet Viros excellentes, qui doctrinæ Divinæ explicandæ & applicandæ operam ſuam navabant, ut ſæpe à S. Paulo uſurpatur, 1 Cor. 12. 28. Eph. 4. 11. 1 Cor. 14. 13. Et in hoc ſenſu author libri Baruch *Propheta* audit; cùm tamen Baruch libri iſtius authorem non fuiſſe certo certiùs apparet: quia c. 1. verſ. 3. librum eum dicitur legiſſe anno quinto poſt excidium Hieroſolymitanum in auribus Jechoniæ Regis, & univerſi populi habitantis in Babylonia; qui audientes miſerunt Jeruſalem ad ſacerdotes ut offerrent holocautomata ad aram Domini Dei: cùm tamen Baruch unà cum Hieremia abductus eſt in Ægyptum, Jer. 40. & Jechonias clauſus erat in carcere, quò ſi Baruch admiſſus, quomodo totus populus? & Templum nullum tunc exſtitit, altare nullum, quia omnia à Babyloniis cremata. Cur ergò *Propheta* vocatur? Reſpondeo verbo, quia res ſacras tractavit & ſcripſerit. At hoc non ſufficit. Probo ex Apoſtolo. S. Apoſtolus Paulus, Act. 17. 28. hemiſtichium ex Arato ſumens, Aratum *poetam* vocat, *Quidam veſtratium poetarum dixit*,

——τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.

Et idem Apoſtolus cùm Epimenidis Cretenſis verſum in teſtimonium profert, Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται,——&c. ἴδιος αὐτῶν προφήτης εἶπεν, *proprius eorum Propheta dixit*. Ecce te, Epimenidem *prophetam* vocat: vel quòd liber unde hoc teſtimonium aſſumpſit inſcriptus ſit περὶ χρησμῶν· vel propter loquendi uſum, quòd poetas Latini *vates*, Græci *prophetas* dixerunt. Plato l. 2. de Rep. poetas *Dei filios* & *Dei prophetas* vocat, & genus θεῖον καὶ ἐνθουσιαστικόν. Hinc igitur colligo, Si S. Paulus poetas *Prophetas* appellavit, communem ſermonis uſum ſecutus: multò magìs Eccleſiæ noſtræ licet Baruch *Prophetam* appellare, i. e. doctrinæ Divinæ interpretem. Hæc de Claſſe prima.

Quod ad ſecundam Claſſem attinet, ubi author Eccleſiaſtici *Sapiens*, & author Sapientiæ *Salomon* dicitur; non exinde ſequitur, Ergò Eccleſiaſticus & Sapientia non ſunt Humana opuſcula. Agnoſcimus Tertull. De præſcript. Hilarium in Pſal. 127. Ambroſ. Ser. 4. in Pſal. 118. Epiphanium, Hæreſ. 76. librum Sapientiæ *Sapientiam Salomonis* appellare: ſed tamen quia ſimul novimus *Sapientis* titulum Salomoni quaſi proprium fuiſſe & peculiarem, indè tractum eſſe putamus, ut ex uſu & conſuetudine loquendi liber qui de Sapientia tractat inſcriberetur *Sapientia Salomonis*, magìs quàm ex rei veritate. In 9. capite & verſu 7. iſtius libri, ut ſe Salomonem eſſe omnibus perſuadeat author libri, ſic loquitur, *Tu me elegiſti Regem populi tui*, &c. *& dixiſti ut ædificem tibi domum in monte ſancto tuo:* quibus verbis illuſus Sixtus Senenſis Sapientiam tribuit Salomoni, l. 1. & l. 9. ad hæreſin nonam. Et Coſterus etiam, *Hæc*, inquit, *præter Salomonẽ quis dicere potuit?* Apol. 2. cont. Gomarum, cap. 9. Verùm Hieronymus prologo in libros Salo-

 monis,

monis, librum hunc ψευδεπίγραφον esse testatur, quòd stylus redoleat Græcam eloquentiam. Et res ipsa sine testibus satis manifesta. Cap. 4 2. *Generatio casta in perpetuum coronata triumphat*, &c. in illo loco, στεφανηφορεῖν, πομπεύειν, ἆθλον, ἀγών, verba sunt quæ alludunt ad Græcorum certamina, & indè petita; cùm tamen Olympias prima acta sit ducentis atque ampliùs annis * ante mortem Salomonis. Proinde August. l. 2. c. 8. de Doctrina Christiana, de Sapientia & Ecclesiastico pronunciat, duos hos libros Salomonis dictos esse *per quandam similitudinem:* & Hieronymus eodem Prologo idem asserit de Ecclesiastico; additque præterea nonnullos scriptorum veterum Sapientiam Philoni Judæo assignare. Quòd si Philo, aut aliquis alius Græcarum peritus literarum, author ejus fuerit, Salomonis non potest dici, nisi, ut Augustinus explicat, *per similitudinem*; eritque nunc non *Moses* solùm Philo, sed *Salomon atticissans*. Ex hac similitudine & author Ecclesiastici *Sapiens* dictus, & liber ejus ab antiquis sub *Salomonis* nomine citatus; ab Hieronymo in decimo Ecclesiastis, à Gregorio Mor. 4. c. 10. Sed nemo est, opinor, qui dixerit librum Ecclesiasticum à Salomone factum; nam author ipse se prodit in libri prologo, *Jesus filius Sirach*. Quòd Bellarminus objicit, posse ejus Salomonem authorem nihilominus esse, quia sententiæ Salomonis à Jesu Sirach videntur excerptæ & collectæ, eâdem facilitate refellitur quâ objicitur. Nam c. 48. Ecclesiastici, de Elia author loquitur, *Surrexit Elia tanquam ignis*; & vers. 10. nonnulla videtur deprompsisse ex Malachia Propheta, ut Jansenius aliique Pontificii observant, *Ut convertes cor patris ad filium*, &c. At Elia multis annis, & Malachias aliquot annorum centuriis vixit post Salomonem. Ergò author libri Salomon nullo modo est dicendus, non magìs quàm libri Sapientiæ. Quænam igitur est ratio quòd liber Sapientiæ intituletur *Sapientia Salomonis?* Accipite paucis. In Doctorum antiquorum scriptis habemus aliquando Proverbiorum librum *Sapientiæ* nomine citatum. Clem. Constit. l. 1. c. 10. τὸ ῥῆμα τὸ γεγραμμένον ἐν Σοφίᾳ, *verbum scriptum in Sapientia, Prov. 21. Meliùs habitare in deserto.* Nazian. in laudibus Gorgoniæ sororis, *Divus Salomon dicit*, ἐν παιδαγωγικῇ σοφίᾳ, *in pædagogica Sapientia*, h. e. in Proverbiis. Cypr. l. 3. c. 17. ad Quirinum, De bono Martyrii, *in Sapientia Salomonis, Liberat de malis animũ martyr fidelis:* & c. 56. *in Sapientia Solomonis*, & Proverbiorum c. 15. producitur. Hinc illam consuetudinem ortam non est à vero absimile, ut Ecclesiasticus diceretur *Sapientia*, & liber Sapientiæ *Sapientia Salomonis:* & quia multa habent ex libro Proverbiorum, & quia de Sapientia tractant, & quia similitudinem habent cum Salomonis scriptis; non quòd ità sit, sed quia usus loquendi ità obtinuit. Neque ab hac loquendi licentia Scriptura ipsa & scriptores alii abhorrent. Præstò sunt exempla. Luc. 4. 22. & Joh. 6. 42. Christus *Josephi filius* dicitur; ipsáque B. Maria Christum sic alloquitur, Luc. 2. 48. *Pater tuus & ego cruciati quærebamus te:* cùm tamen non fuerit Josephi filius, sed solummodo ità putabatur, Luc. 3. 23. Sic & in multis aliis. Apostolorum Canones sub nomine Clementis & scribuntur & allegantur; quos tamen nonnulli è Pontificiis nec Clementis esse librum putant, nec Apostolorum Canones. Vigilii libri cont. Arianos sub Athanasii nomine conscripti sunt, Vigil. l. 5. cont. Eutychen. Salviani libri de Avaritia, sub nomine Timothei: Cornificii Rhetorica, sub nomine Ciceronis, Quintil. l. 1. Vives l. 4. De tradendis disciplinis; cùm tamen Ciceronis non erant. Sic Portius Latro Ciceronis nomine usus est in Declamationibus adversus Salustium. Isocrates in oratione quæ *Nicocles* inscribitur, pro sua, Nicoclis personâ usus est: ratio, *Quia plurimi refert*, inquit Orator, *quid cujus personâ dicatur, nostrâ, an alienâ*. *Et nos*, inquit M. Tullius, *omnem sermonem tribuimus*

Catoni

Catoni seni, quò majorem authoritatem habeat oratio. Sic se res habet hoc ipso in libro Sapientiæ, quia sub Salomonis nomine Patres iidem in arenam producunt, qui tamen negant eum scriptum fuisse à Salomone: eodémque modo in Homiliarum libro nomen Salomonis attexitur, non quòd ab ipso factum putaverit Ecclesia nostra, sed partim propter usum loquendi, partim propter similitudinem librorum, partim etiam propter sermonis compendium, ut longiores periphrases vitarentur; *Autor libri qui inscribitur Sapientia Salomonis.* Hactenus de Classe secunda actum est.

Sequitur tertia, in quibus libri Apocryphi non sine honoris verbo citantur, *Scriptura dicit*, *Deus omnipotens dicit*; & in istis passim loci Apocryphi producuntur: & istis similis fidelia inservit. Duplex igitur purgatio sese offert.

Prima est, Ideo hæc verba *à Deo*, *à Spiritu Sancto*, *à Scriptura* dicta affirmari, quia eadem verba habentur in ipsis Canonicis Scripturis. Ut illud, *Scriptura testantur*, Sap. 3. 1. *Justorum animæ in manu Dei*, habetur in loco Canonico, Deut. 33. 3. *Omnes sanctos habes in manu tua.* *Deus omnipotens dicit*, Ecclesi. 23. 10. *Flagellum non abscedet à domo jurantis*; idémque habetur in loco Canonico, Zach. 5. 4. *Maledictio invadet domum falsò jurantis, & consumet eam.* *Spiritus sanctus dicit*, Tob. 4. 11, 12. *Eleemosyna liberat à morte, & donum bonum est Eleemosyna coram Altissimo*; idémque habetur in locis Canonicis, Dan. 4. 27. *Peccata tua justitiâ abrumpe, & iniquitates tuas gratiâ erga afflictos:* & Heb. 13. 16. *talibus victimis delectatur Deus.* Hæc prima purgatio: Quia loci isti Apocryphi aliis locis Canonicis congruunt, & indè sumi videntur, non est fidei Analogiæ repugnans eos sic educere, *Dicit Deus omnipotens*, *Dicit Spiritus Sanctus*, *Dicit Scriptura Sacra.*

Altera purgatio est, Ideo nomen *Dei*, *Spiritûs Sancti*, *Scripturæ*, nonnullis Apocryphis apponi, quia veteribus in more positum erat istis appendiculis eos libros honorare aliquando ut ipsis Scripturis dignitate proximos. Athanas. in l. De virginit. λέγει ἡ θεῖα γραφὴ, *dicit Divina Scriptura*, *Eccles.* 13. *Qui attingit picem inquinabitur.* Hilar. in Psal. 135. *Docet Propheta, Sapientia 1. Spiritus Dei replevit orbem terrarum.* Sic Ambrosius in l. de Tobia, Tobiæ scripta *divina oracula* & *scripturam Propheticam* appellat. Cypr. l. 3. ep. 9. ad Rog. de Ecclesiastico loquens, *Salomon*, inquit, *in Spiritu Sancto constitutus.* Hieron. ep. 34. ad Julianum, *Divina Scriptura loquitur, Eccles. 22. Musica in luctu importuna*, &c. Hic mos loquendi Patribus usitatus, ut istos libros educerent cum præfatione honoris, quia erant eminentiora scripta: sed exinde non sequitur eos existimasse aut Canonicos, aut θεοπνεύστους· imò contrarium evincitur duabus istis rationibus. Primò, quia etiam humanis scriptis illos honoris titulos Patres aliquando affingunt. Tertull. l. de Oratione, Hermæ librum *Scripturam* vocat: & Irenæus, l. 4. 37. *Bene ait Scriptura*; & subjungit sententiam ex Hermæ libro. Epiphanius, Hæres. 8. testimonium ex constitutionibus Apostolorum appellat θεῖον λόγον καὶ διδασκαλίαν. Cyrillus Acta Concilii Niceni *sanctissima oracula* vocat, & *sententias divinitus inspiratas.* Et ipse Bellarminus, Controv. 4. lib. 2. c. 12. alios hujus rei testes adducit: Innocentium, qui sententiam Augustini appellat *Sacram Scripturam.* Sic scripta Augustini *Sacra Scriptura* dicuntur à Gratiano, l. 3. Decret. de celebratione Missæ, c. Cum Martha & doctorum. Denique, Epistolæ quæ ex Gregor. Amphilochio, Basilio colliguntur, *Epistolæ Canonicæ*, loquutione impropriâ, cùm propriè loquendo sola Scriptura sit Canon per excellentiam. Sic inter Græcos βιβλία appellantur quicunque libri, & *scriptura* dicitur quicquid scribitur: cùm propriè sola Sacra

volumina κατ' ἐξοχὴν dicuntur & τὰ βιβλία, & *Sacra Scriptura*. Si Patrum scripta veteres *scripturam sacram* & *Divina oracula* appellabant, quos sciebant tamen humana fuisse opuscula; ergò ex istis titulis pro Apocryphorum divinitate nihil concluditur. Hæc prima Ratio.

Altera est, quia illi ipsissimi Patres qui hos honorum titulos libris Apocryphis annectunt, aliis tamen locis eos agnoscunt Apocryphos. Hieron. epist. 34. ad Julianum, Ecclesiasticum vocat *sacram Scripturam*: at Præfat. in libros Salomonis, Ecclesiasticum negat esse Canonicum. Epiphanius in Anomœis Sapientiam & Ecclesiasticum vocat *Divinas Scripturas*: sed idem eos sejungit à libris Veteris Testamenti. Sic & ipse Calvinus in Psychopannychia, *Meliùs nos docent Sacra literæ*, *Corpus quod corrumpitur aggravat animam*, quæ verba sunt ex Sapientiæ 4. & tamen negat eum librum Canonicum. Eâdem loquendi formulâ usa est Ecclesia nostra, dum *Scripturam Sacram* aliquando Apocrypha appellat, non locutione præcisâ, sed populari. Quocirca quod M. Tullius Offic. 2. pro se dicit, cùm seipsum purgatum iret quòd Justitiam à Prudentia sejunxisset, cùm inter omnes Philosophos constaret eum qui unam Virtutem haberet habere omnes; *Alia est*, inquit, *cùm veritas limatur in disputatione subtilitas, alia cùm ad opinionem communem omnis accommodatur oratio: quamobrem ut vulgus, ita nos hoc loco loquimur; popularibus enim verbis est agendum & usitatis, cùm loquimur de opinione populari*: Iisdem & mihi licet verbis uti pro Ecclesia nostra; In illis ad populum Concionibus sermone utitur populari; quia laxo loquendi genere, etiam humana opuscula quæ diviniòris notæ sunt *sacra scripta* dici possunt, κατὰ πλεῖον καὶ τὸ ἧττον, quòd de rebus sacris tractant, à viris sanctioribus conscripta, adeóque digniora sunt istis elogiis si cum aliis scriptis comparentur. Non invidemus eis hos excellentiæ titulos, sed paritatem cum Canonicis denegamus. Non diffitemur eos libros, præcipuè Sapientiam & Ecclesiasticum, esse Ecclesiasticos, cum Ruffino, nec non divinos, sacros, sicut aliæ Ecclesiæ transmarinæ confitentur; sed tamen à divinitus inspiratis tantum distare asserimus, quantum à margarita vitrum, & à solaribus radiis lux lucernæ. Quemadmodum S. Paulus in magno pretio Legem habebat; sed cùm ab inimicis Gratiæ contra Christum urgeretur, *Egena & mendica elementa* Apostolus non dubitat appellare: ità Apocrypha scripta esto sint in se opulenta, & aureis pietatis mysteriis refertissima; sed quia humani ingenii studio & industriâ fermentata sunt, ad Scripturas indubitatas comparata, egena & mendica scripta non est quòd asserere metuamus.

Hæc illa sunt, Auditores, quæ idcirco contra meipsum spicula contorsi, & ut adversarius sciat nos non latebras aut integumenta quærere, non versutè aut subdolè, sed honestè & liberè nos ista tractare, qui nec ea reticemus quæ maximè contra nos faciunt; & ut vos etiam ea omnia intelligatis quæ ad causam præsentem spectant, cùm ab omnibus qui in hac controversia se exercuerunt, nescio quo consilio, hæc pars prætermissa sit, quâ tamen nulla videtur magìs tortuosa aut inextricabilis: sed gladio Spiritûs & hunc nodum solutum accepistis. Et de secunda Propositione, pro Ecclesiæ nostræ vindiciis, hæc sunt quæ mecum attentiùs permeditatus sum: & hîc vela sunt contrahenda, nam hora admonet, & ordinis ratio exigit; sic enim mecum constitui, non nisi trium dierum itinere hoc qualecunque negotium absolvere. Sed cùm vicissim cogito quanta silentii spatia è vestigio sequuntur, quámque ingrata & mihi & vobis altercationum istarum redintegratio futura est, quàm denique necessarium, ut relictis istis velitationibus, ad pristini instituti cursum, à quo non sine animi molestia divellor, me quamprimùm accingam; ista mecum reputans, vobis puto futurum acceptius à vobis

bis pauxilluli temporis circumforanei uſuram petere, & furto ſacro vobis ſemihorulam depilare, ut poſſim reliqua exſequi, quàm ea dubio & longinquo coitionis novæ diſcrimini committere. Aurium veſtrarum ſatietati occurrendum eſſe fateor, & ſi potero occurram: quod enim ſupereſt, alatis verbis currentíque calamo expediam, non tractando, ſed animadvertendo, ſtylo magis cenſorio, quàm oratoriâ manu.

Quæ ſequitur pars & major & minor eſt illâ quæ anteceſſit; mole major, minor verò pondere, quia ignoratione Elenchi undiquaque laborat. Ego contendo Apocrypha non eſſe partem Canonicam Vet. Teſtamenti, quia non ſunt ſcripta Hebraico idiomate, quia non ſunt à Judæis pro Canonicis agnita. Adverſarius malè ſic recitat, & in ſuum ſenſum diſtorquet, *Dicit eſſe humana inventa, eò quòd non ſunt ſcripta Hebraicè, eò quòd ab Eccleſia Judaica non recepta.* Hæc miſſa facio, nam tanti non ſunt; & ad Argumenta propero, quæ in quinque Sectiones ſic diſtribuuntur.

Sectio prima; Si Apocrypha non ſint pars divinitus inſpiratæ Scripturæ, eò quòd non ſunt linguâ Hebraicâ ſcripta, ergò duo abſurda ſequuntur. Primum, Partem aliquam Prophetiarum Danielis non eſſe divinitus inſpiratam, quia linguâ Chaldaicâ exarata eſt. Eſto, ſed pars tantùm; & quæ pars obſecro? Pars media: nam primum caput & quinque poſtrema, quæ res Judæorum deſcribunt, ſunt Hebraicè ſcripta; ſed à quartò verſu ſecundi capitis uſque ad caput octavum, Propheta linguâ Chaldaicâ utitur; & quia deſumpta ſunt aliqua ex Chaldæorum Annalibus, & quia Viſiones ſunt generales, quæ non ad ſolam Judaicam Eccleſiam, ſed ad ſtatum totius orbis, & inprimis Chaldæos, pertinebant. Attende igitur argumento. Eccleſiam ſuam Deus ſemper allocutus eſt linguâ cognitâ, eâ linguâ quam ipſa non intellexerit nunquam: at linguam Chaldaicam callebant tunc temporis Judæi, captivitate Babylonicâ edocti, non minùs quàm ſermonem patrium; linguam verò Græcam, in qua Danielis Apocrypha ſcripta ſunt, non callebant: proinde argumento non præjudicat quòd aliqua ſcripta non ſunt idiomate nativo; hoc ſufficit, quòd ſcripta ſunt idiomate Judæis cognito; & tam paucula, ut verè dici poſſit totum Vetus Teſtamentum Hebraicè ſcriptum. Hæc prima eſt incongruentia quæ infertur. Altera eſt, Tum ſequitur ſecundò, Novum Teſtamentum non eſſe Canonicum, quia non eſt Hebraicè ſcriptum: quod valde abſonum, quia lingua non eſt Scriptura, ſed veritas. Imò hoc eſt abſonum, Ea quæ de Veteri Teſtamento aſſeruntur ad Novum traducere. In Novo Teſtamento textus Græcus non minùs eſt Originalis quàm in Veteri Hebraicus; quia toti mundo linguâ toti mundo cognitâ Evangelium erat promulgandum, ut Iſraelitis Lex linguâ ipſis notiſſimâ. *Ante Chriſtum Judæi cuſtodes erant Scripturarum; nunc deſierunt eſſe Eccleſia, & nihil habent juris in Canonem, non tantùm novum, ſed nè veterem quidem.* Quid hoc ad argumentum quo contenditur non eſſe partes canonicas Veteris Teſtamenti libros Apocryphos? *Imò verò maximè; quia lingua non eſt Scriptura, ſed veritas.* Eſto, ſed & hoc etiam inſipidum, niſi grano ſalis condiatur. Si Verbi Dei poteſtatem & efficaciam conſideremus, verum eſt, virtutem ipſius non in ſono, ſed in ſenſu conſiſtere; non in linguæ vocibus, ſed in evidentia Spiritûs; non in verborum foliis, ſed in radice rationis: ſi originem, & interpretandi atque diſcernendi modum, ſic ipſius linguæ utilitas maxima. Primò, quia eſt ſignum & indicium ex quo Scripturæ dignoſcuntur à ψευδεπιγράφοις. Secundò, quia eſt κριτήριον ad quod loci ambigui ſunt penſiculatiùs revocandi; quia τὰ ἀπόγραφα tantum fidei merentur, quanta illorum eſt cum αὐτογράφοις concordia & ſimilitudo; & authoritas ectypi pendet à prototypo. Tertiò, quia non modò ſenſus, ſed

ipsa lingua quâ Prophetæ & Apostoli loquuti sunt, ex afflatu Spiritûs pendebat; non modò sententiæ, sed verba. 2 Pet. 1. *Acti à Spiritu Sancto loquuti sunt sancti Dei homines.* Deut. 18. *Ponam verba mea in ore ejus*, &c. Jer. 1. *Dedi verba mea in ore tuo.* Ezech. 2. *Loquèris verba mea ad eos.* Jer. 36. *Tolle volumen libri, & scribes in ea omnia verba quæ loquutus sum tibi.* Act. 2. *Cæperunt loqui aliis linguis, prout Spiritus dabat eis loqui.* Ergò si ipsa verba ab afflatu Spiritûs pendebant, & ipsa lingua unà cum veritate & sensu est Scriptura. Hæc de Sectione prima.

Sectionis secundæ summa hæc est; Quòd idcirco libri isti non sunt authentici, quia Judæorum Ecclesia non receperit in Canonem. *Neque hoc*, inquit, *sequitur; si de externa politia & forma Ecclesiæ loquaris, quia Jerusalem quæ deorsum est de Prophetis aut eorum testimoniis judicare non potuit, ut eos justificaret; occiderunt enim eos & lapidarunt*, &c. *Damnavit semper uxor illa conjugata veram sponsam & vocem ejus, quàmvis hæc sola est & semper fuit columna & firmamentum veritatis.* Et dignum quidem patellâ operculum; at Theologo vox indigna est, nedum Pontificio. Inter Christi Conjugem & Christi Sponsam, dic mihi quid intersit: inter uxorem adulteram & castam, simulatam & veram, discrimen maximum; ut inter Christi uxorem & sponsam aliquod inveniatur, Delio natatore opus est. Fuisse quendam docet nos Quintilianus, Instit. 12. 10. qui interrogavit rusticum an Amphiona nosset; *Nullo modo*, inquit: statímque subtraxit ille aspirationem, breviavítque secundam ejus nominis syllabam, iterúmque rogavit an Amphiona nosset; *Optimè, optimè*, inquit, *exquisitissimè novi.* Haud absimiliter eruditus Apocryphorum defensor, de Uxore Christi negat, Prophetarum scripta illam excipisse, de Sponsa concedit: eodem acumine quo Campianus Rat. prima, & Bellarminus Contr. 4. l. 3. c. 1. nomen Synagogæ ad Judæos pertinere dicunt, non nomen Ecclesiæ. Quam ergò Sponsam intelligis? num Ecclesiam Christianorum, quæ desponsata olim Divinis promissionibus, & in plenitudine temporis in uxorem recepta? at de hac non instituitur quæstio; de Judæis loquimur, non de Christianis. Damnat Synagoga Ecclesiam; esto, sed damnare non potuit antequam in rerum natura fuerit: nos non de temporibus Christianis, sed de retroactis seculis disputamus. Quid igitur est? num per Sponsam Ecclesiæ partem invisibilem & veram, per Uxorem partem visibilem & simulatam intelligis? at vobis hæc distinctio non arridet; & istis vocibus parùm aptè exprimitur, *uxoris* & *sponsæ.* Et tamen aut hic animi tui sensus est, aut nullus; quia verba ista interponis, *si de externa forma & politia, & facie Ecclesiæ loqueris.* At quis è schola Pontificia ferre poterit sic loquentem? Illi Pastores solos Ecclesiam jactant, & tantùm non Hæresin dicunt ad fidelium multitudinem Ecclesiæ nomen referre: tu Sponsam veram à forma Ecclesiæ externa sejungis; & nos libenter concedimus sub illa forma externa veram Sponsam latitasse. At verò ad argumentum sufficit, si pars illa Judæorum potior Scripturarum tabulas agnoverit, servaverit. At ego insto etiam ipsam Judæorum externam politiam fideles Veteris Testamenti custodes fuisse. *Librarios* Augustinus vocat, sive *Bibliothecarios Christianorum:* & S. Paulus, Rom. 3. 2. nos docet, quòd *eis credita sunt eloquia Dei.* Quid quòd Philo apud Eusebium, l. 8. De præpar. Evangel. c. 2. Judæorum incredibilem erga libros Sacros religionem fuisse testatur; & Origen. l. 8. in Isaiam, & Hieron. in c. 6. Isaiæ, & Augustinus, Civit. 15. 13. hoc Judæos crimine purgant, non corrupisse eos Scripturas Vet. Testamenti, nedum rejecisse? nec non Epiphanius, in l. de Ponderibus & Mensuris, rationem hanc reddit cur Sapientia & Ecclesiasticus non sint in numero Canonicorum, *quia non sunt in Aaron repositi*, τοῦτ' ἔστιν ἐν τῇ τῆς διαθήκης κιβωτῷ,

h. e.

h. e. *in arca testamenti*; idémque Augustinus, Civ. 15.22. *non esse in templo Hebræi populi*: & cum Epiphanio Hilarius, præfat. in Psal. Ruffinus in expositione Symboli, Hieronymus in prologo Galeato: & post istos, Isidorus, Rhabanus, Hugo, Canonicorum Veteris Testamenti numerum *Hebraico Alphabeto respondere* asserunt; *quia ut vocem literæ viginti duæ, ità fidem libri viginti duo formant*; *adeóque extra hos, Apocryphos omnes esse Analphabetos*. Non est igitur quòd Judæorum in hac parte testimonium refugias, aut Ecclesiæ nomen ipsis deneges: nisi velis ut auditores videant quomodò sibi Pontificii constant: Cùm pro authoritate Ecclesiæ pugnant, exemplum sumunt à Synagoga Judæorum, quòd illa summum judicium habuit super Scripturas, & illi soli erunt Canonici quos Judæorum Ecclesia pronuntiabat tales; cùm pro Apocryphis militant, negant Judæorum politiam fuisse Ecclesiam. Sic ex eodem ore calidum & frigidum evomunt; & quod Augustinus de Philosophis, *Inter eos etsi vera dicuntur, eâdem tamen licentiâ dicuntur & falsa*. Hæc de secunda Sectione.

In Sectione tertia & quarta nihil est quod refellit Adversarius: divisionem Ver. Testamenti in Legem, Prophetas & Psalmos non improbat; non negat Malachiam ultimum fuisse Prophetarum: hoc tantùm opponit, Esdram paulò post Danielem, Salomonem & Baruch ante utrosque vixisse: & deinde quærit cur Esdras non numeretur inter Prophetas æquè ac Ezra, Baruch æquè ac Jeremias, Salomonis Sapientia æquè ac Salomonis Proverbia. Ejusdem generis est illud quod ad finem Sectionis quintæ attexit; *Quòd si prophetia Henochi, aut Ahijæ Shilonitis, visiones Iddo, aut liber Nathanis reperiri possent, etiam nunc pro Canonicis recipiendi essent*. Quàm debili ista fundamento nitantur, lippientes vident. De Nathanis, Ahijæ, Iddonis scriptis, verisimile est quod Whitakerus noster disputat, contineri etiam ea hodie in Canone nostro, esséque partes librorum qui Samuelis & Regum nomine inscribuntur: nimirum à Nathane & Gado scripta esse Davidis gesta, quæ nomine Samuelis leguntur; Salomonis autem res gestas à Nathane, Abija & Iddone scriptas, & libro primo Regum contineri. Sed concedatur tamen esse quædam Prophetarum scripta quæ non sunt in Canone: at audiendus tamen est Augustinus, qui de Civ. 18. c. 38. rationem hanc reddit cur quædam Prophetarum scripta non sunt Canonica; quia alia sicut Prophetæ inspiratione Divinâ scripserunt, alia sicut homines historicâ diligentiâ scribere potuerunt: atque hæc ità fuisse distincta, ut hæc tanquam ipsis, illa tanquam Deo per ipsos loquenti, judicarentur esse tribuenda; & sic illa pertinerent ad ubertatem cognitionis, hæc ad Religionis authoritatem, in qua authoritate custoditur Canon.

De Henocho asserit S. Judas eum prophetasse, non ait eum aliquid scripsisse: quid verò prophetavit, S. Apostolum ex Spiritûs instinctu accepisse probabilius est quàm ab Enochi Apocrypho. Sed concedatur eum scripsisse aliqua, sicut Augustinus contendit, Civ. l. 15. c. 22. num propterea quod Enochi nomine circumfertur scriptum in Canonem erit recipiendum? Scriptum illud quod ità circumfertur, non Augustinus modò, & Hieronymus, & Athanasius, sed & ipse Bellarminus, Contr. 1. l. 1. c. 18. concedit fictitium fuisse & spurium. Fuit etiam & Elias Propheta, fuit & Sophonias, fuere Philippus & Thomas divinitus inspirati: num ergò Eliæ Apocalypsis, aut Sophoniæ Assumptio, aut Evangelium Philippi, quo Gnostici, aut Evangelium Thomæ, quo Manichæi utebantur, in Canonem recipiendum?

Idem de Apocryphis Baruch & Esdræ, & Sapientiæ libro est dicendum. Vixerunt Salomon & Baruch ante Malachiam, Esdras circa illa tempora, Aug. civ. 18. 36. ergò erant divinitus inspirati? Sed ostensum est suprà, neque

neque authorem Sapientiæ fuisse Salomonem, neque libri Baruch, Baruch: & nè ipsi Pontificii, nec Concilium Tridentinum, tertium & quartum Esdræ assumunt in Canonem. Con. Trident. sess. quarta.

In Sectione ultima duo sunt attingenda. Primum est de loco Deut. 4. 2. *Nè addite ad verbum illud quod ego præcipio*, &c. & Apoc. ultimo, *Si quis adjecerit ad ista, apponet Deus ei plagas scriptas in libro isto.* Istis locis utrumque Testamentum obsignatum dixi, nè quis præsumat adjicere non Canonica Canonicis. Sensum locorum hunc esse adversarius autumat. Primò, *Non quamlibet additionem prohiberi, sed talem quæ sensum mutet, pervertat aut corrumpat, i.e. additionem repugnantem aut contrariam:* est hæc interpretatio Bellarmini & Sonnii. Secundò, *Nihil addendum tanquam à Mose & Joanne scriptum:* quæ est interpretatio Driedonis. Rationem author suam producit, *Si nihil addendum Mosaicis scriptis, Ergò nec libri qui sequuntur, qui à Prophetis scribuntur, attexendi in Canonem*; quod est argumentum Peresii. *Si nihil addendum*, inquit Peresius, *libris Mosaicis, ergò excludendi libri omnes qui post Mosen recepti in Canonem.* At quam inania sunt ista? Primò, quia doctrina quam de fide & moribus Prophetæ & Apostoli docuerunt, non sunt additamenta, quia quod Prophetæ docuerunt, in libris Mosis continetur; quod Apostoli, in libris Prophetarum: sic ut nullum sit dogma Novi quod non confirmetur ex Veteri; obscuriùs quidem in Veteri, sed in Veteri tamen. Deinde, si dicantur *additiones*, at non sunt additiones humanæ, sed ejusmodi quarum ipse Spiritus Sanctus author est: at in istis locis additiones prohibentur non scribendorum à Prophetis, sed scriptorum uspiam à non Prophetis. Postremò, si non licet aliquod novum dogma addere, aut interpretationem novam quæ sensum Scripturæ pervertat aut mutet, multò minùs aliquem librum novum aut ἀθεόπνευστον, tanquam θεόπνευστον· & hoc modo utplurimùm Veteres interpretati sunt. Athanasius in fragmento ex Ep. 39. Paschali, postquam enumerasset Canonicos, μηδεὶς τούτοις ἐπιβαλλέτω, μηδὲ τούτων ἀφαιρείσθω τι, *Nemo his addat, neque hinc auferat quicquam.* Irenæus, l. 4. c. 63. *Scripturarum tractatio plenissima est, neque additamentum, neque ablationem recipiens.* Tertull. cont. Hermogenem, c. 22. *An de aliqua subjacente materia facta sint omnia, nusquam adhuc legi; scriptum esse doceat Hermogenis officina: si non est scriptum, timeat Væ illud adjicientibus aut detrahentibus destinatum.* Basil. hom. De fide, *Manifesta est à fide defectio & superbiæ indicium, ἢ ἀθετεῖν τι τῶν γεγραμμένων, ἢ ἐπεισάγειν τῶν μὴ γεγραμμένων, aliquid vel eorum quæ scripta sunt infirmare, vel quæ non scripta sunt inferre:* tum sequitur, *quia Apostolus interdicit quicquam addere aut detrahere Scripturis Divinis.* Ambros. de Paradiso, c. 12. *Si quid addas vel detrahas, prævaricatio quædam videtur esse mandati:* & paulò pòst, *Docet nos præsentis series lectionis, neque detrahere aliquid Divinis debere mandatis, neque addere*; & locum Joannis producit. Procopius in locum Deuteronomii, *Verba Domini cùm plena & perfecta sint, auctarium nullum admittunt.* Plura adduci possent, sed hæc sufficiunt ad locorum istorum sensum vindicandum.

Postremum quod in hac Sectione adducitur, est de libro à nostrati nescio quo conscripto, qui intitulatur *Babylon cecidit*, in quo Prophetia quædam Esdræ, ex l. 2. c. 11. explicatur: *Vir*, inquit, *eruditus erat, & vestræ Academiæ.* Quid exinde? esto noster, esto amicus; at æquum est veritatis causâ vel nostra ipsorum dogmata evertere. Et Genebrardus vester est, sed ille tertium & quartum Esdræ Canonicos esse ait, & sacros; aliter quàm Tridentina Synodus: num igitur hoc præjudicat causæ vestræ? Sequitur, *Non veritus est Esdram in Prophetarum numerum cooptare, & librum ejus Scriptu-*

ræ

ra Sacræ titulo insignire. Non negatur; quid tum postea? at neque authorem *Prophetam* vocat, neque librum ejus *scripturam Canonicam*. In Prologo *Prophetiam* vocat, in Appendice *Scripturam Sacram:* at multum interest inter Scripturæ Sacræ & Scripturæ Canonicæ nomina, inter Prophetam & Prophetiam annuntiantem: & Balaam prophetavit, & Caiaphas; an Prophetæ censendi? Sed audiat præterea quid in hoc libro author explicitè tradat, Ruinam Babylonis, i. e. Romæ & idolorum ejus. Hem, ut Petrus sit Romæ, sit Roma Babylon; ut Pseudo-Esdras sit Propheta, Roma cadat. Sic *sapientia justificatur à filiis suis:* Benedictus sit Deus.

Seriùs quàm volui, & tamen ocyùs quàm putavi, ad hæc tandem verba perveni, in quibus est mihi pes figendus. Bono igitur estote animo; terram nunc video sub istis sanctissimis verbis, *Sapientia justificata à filiis suis*. Agnosco Pastoris vocem. Tua hæc sunt verba, animarum salus, Jesu dulcissime! Tu Sapientia Patris in se, tu Dei factus es Sapientia nobis; tu ab inimicis tuis sæpe, tu à servis tuis semper justificatus es, & semper justificandus: nè desint aliquando qui vel confiteantur mortuum, vel regnantem adorent. Post te, à te cœlitus inspirata Veritas tua est nobis cordi; nam & illa Sapientia Dei, & Sapientia nostra est: est, inquam, cordi nobis, aut si quid corde intimius; supra ipsas animas est nobis curæ, ut verbis, scriptis, factis semper justificetur à filiis, quæ compluries pro justissima est agnita ab ipsis hostibus. Non sum nescius, Auditores, quàm sint hujus aurei Apophthegmatis multiplices interpretum conjecturæ; dum per *Sapientiam* alii doctrinam cœlestem, ut Hieronymus; alii providentiã cœlestem intelligi volunt, τὴν θεῖαν κηδεμονίαν, ut Chrysost. loquitur: Per *filios* alii Scribas & Pharisæos, qui filios se regni putantes sapientiam Salvatoris habuerunt despicatui; alii discipulos, fideléisque Judæos, qui eam medullitus amplexi sunt. Denique & vox illa *Justificata* aliis idem sonare videtur atque *in jus vocata*, aliis *pro justa comprobata*; aliis *pro justa habita & vindicata*. Ità in tres sententias res tota solvitur, quæ maximè conveniunt huic quod præ manibus est negotio. In jus vocatam sapientiam Scripturarum nemo non videt; in tribunalia ducitur, accusatur, reprehenditur, damnatur, proscribitur, nisi cum Traditionibus, ut cum Apocryphis, authoritatis suæ jura dividat; idque ab iis qui se solos & Ecclesiæ filios jactant, & Veritatis hæredes. Quid igitur exspectandum est? an ut intereat Veritas, defensoribus orbata, destituta patronis? O nos miseros! O miserum Religionis statum, si in hac prima interpretum sententia acquiescendum esset!

Sed adest altera quæ nos hoc animi metu liberabit: quia si hostes habeat Veritas, habet eosdem vel invitos testes, qui dum opponunt se, & cum pudore desciscunt; quamvìs assentire nolunt, at quia refellere non possunt, in conscientiis suis convicti, velint nolint, coguntur confiteri, *magnam veritatem esse & prævalere*, sanctam piámque doctrinam esse quam rejecerunt.

Adest etiam & tertius, non minùs jucundus verborum sensus, quia quos alumnos habet veritas, eosdem habet & vindices, qui omni contentione animi, ingenii, vocis, virium, quasi pro aris & focis, usque ad aras & flammas se interponunt; ut quamvìs se rumpant degeneres catuli, causa nihilominus salva manet, laudémq; suam & authoritatem conservat. Sic ab utrisque, & bonis & malis, ab iis qui credunt & qui non credunt, sive amplexantur homines sive respuant, Sapientia justa declarabitur. De Christi temporibus nulla subest dubitatio; habemus id Christi ipsius verbo confirmatum, Matth. 11. *Cecinimus vobis, & non saltastis; lamentavimus, & non planxistis:* utroque modo rebellem probavit Deus populum. Venit per lamentationes & planctus in Joanne Baptista, ut ad pœnitentiam provocaret; & hoc modo

conversi

conversi non sunt: venit per canticum & saltationem in Christo suo, ut ad bona opera alliceret; & nè sic quidem sunt capti; nec tubæ voce, nec tibiæ, nec jejunii, nec saturitatis. Ergò quia utramque prædicandi normam, utramque viam salutis Scribæ & Pharisæi spreverunt, percussi sunt à Christo hoc Epiphonemate, *Justificata est sapientia ab adversariis suis.*

Ad nostra tempora quod spectat, quis non videt ejusdem contumaciæ rediviva vestigia? habet & nunc Scribas suos & Pharisæos orbis Christianus, qui sibi solis Mosis cathedram vendicant, & claves regni, & Sacerdotis decus, & Pontificatûs primatum, & Ecclesiæ gubernacula, & Patrum consensum, & Spiritûs Sancti *proprietatem* dicam, cum Jurisconsultis, an improperium? & istorum titulorum falso fulgore præstringunt vulgi oculos, eludunt populum, veritatem pessundant, sapientiam Scripturarum extorrem, urbe, luce, foro, templo, domo & hospitio omni prohibent: & inter hæc quid filii sapientiæ? tacemus? dormimus? quiescimus? imò verò instamus, urgemus, adjuramus, obtestamur, cantu, luctu, prædicationis tubâ, scribentis calamo, è Scholis, è Pulpitis, Scripturarum oraculis Patrúmque suffragiis insequimur; & frustrà, heu! frustrà hæc omnia, nam nihil proficimus. Quid superest quàm ut ad querelam Salvatoris nos recipiamus, ut indè solatium aliquod reportemus, *Cecinimus vobis, & non saltastis, lamentavimus, & non planxistis*, neque illâ neque hâc disciplinâ edocti? Nam si jejunium vobis placet, cur Joannes displicuit? si saturitas placet, cur non placet Christus? si Scripta nostra vobis molesta sint, cur vosmet ab Ecclesiis subducitis? si Conciones, quare deuritis libros? si Scripturæ arrident, cur sacros obstruitis fontes? si Patrum volumina, quare infecistis rivulos? denique, si Scripturæ placent, cur ad Traditiones confugitis? si Scripturæ non placent, cur Apocryphorum suspicitis auctaria? O frustrà susceptos labores nostros! ô inanes & irritos conatus! conclamatum jam esset, & despondereremus animos, nisi quòd opus nostrum apud Deum nostrum, & pignus fidei in istis verbis positum, *Sapientia justificata est à filiis suis.* Laudatur ab Horatio poeta qui quæ —*desperat tractata nitescere posse, relinquit*; atque Attilii dictum probatur à Plinio, l. 1. ep. 9. *præstat otiosum esse quàm nihil agere*, i. e. aliquid frustrà agere: & in operibus iniquis sic se res habet, in bonis non item; præstat nihil agere quàm otiosum esse. Sit illud Hieronymi receptissimum, in Ezech. 14. *Non meretur veritatem audire qui fraudulenter interrogat*; & illud M. Tullii, *Nescio quomodo fit, sed errare plerique malunt, quàm sententiam quam semel amplexi sunt derelinquere.* Contorqueat in me vetus illud verbum qui velit, cur laterem lavas? cur verba prodigè effundis, & nihil proficis? invenisti lateritium, relinquis marmoreum. At Solonis filium defunctum lugentis, mea erit responsio; Cùm dixisset quidam, ἀλλὰ οὐδὲν ἀνύτεις, *imò propter hoc ipsum illacrymor*, ὅτι οὐδὲν ἀνύττω· & ego hæc propterea dixi, quia nihil proficio: sed hoc lucratus sum tamen, quòd liberavi fidem meam; & hoc, quòd in posterum nemo mihi molestus erit, quia spondeo me has in me partes in posterum non recepturum.

LECTIO

LECTIO XV.

GRavis ab Apostolo Paulo cùm Corinthiis postulatio agitur, eò quòd ad sedes Corinthiacas rediturum Apostolum vix crederent, cùm Philippis diutiùs commoratus esset. *At ego*, inquit S. Paulus, *si Dominus voluerit*, *citò venturus sum ad vos*, *& cognoscam non sermonem eorum qui ista dicunt*, *sed virtutem.* Similiter & ego, Auditores, si de superioris Termini exactis jam laboribus vobiscum placidè conquererer, necesse est ut eodem spiritu iisdémque verbis me vobis purgarem. Audivi enim, ídque non semel, esse aliquos qui ad incepta priora, unde discesserim, reversurum me aliquando vix sibi persuadere possunt, quòd Apocryphorum librorum proletariam Apologiam ad spongiam revocaverim, intermissâ aliquantisper mei parte debita instituti. Scilicet incautè hoc à me & temere factum, cum larvis luctari, & provinciam susque déque pro derelicta habere. Et quæ porrò spes erit pergendi, si pulex aut musca quævis quæ hiscere aut exsilire cœperit, à conscientia propositi ad inanem inutilémque capturam animum abducat? Equidem, ut verum fateor, non audeo temere frigidis istis me præbere credulum rumusculis, de vobis præsertim, viris ad unum omnibus integerrimis, quorum humanitas usu mihi jam & experimento satìs est cognita. At si fortasse fuerint ejusmodi qui istis sibi adblandiantur conjecturis, attendant velim quid in re simili Hieronymus, *Nihil tam facile quàm otiosum & dormientem de aliorum labore & vigiliis disputare.* Sin minùs, audiant saltem quid in re non dissimili Apostolus, *Citò*, inquit, *venturus sum ad vos:* & ego pariter dicto citiùs, non venturus sum, sed venio, & ad sedes pristinas rursus me confero; faxóque ut istâ intercapedine non retardatum me, sed multis gradibus provectum vos omnes sentiatis. *Summa est prudentia*, inquit, ni fallor, alicubi Augustinus, *si quis ex contrariis malorum sibi possit remedia comparare. Prudentia* quidem rectè dictum, sed prudentiæ magìs quàm difficultatis, quia hac in re naturam habemus ducem, nè dicam experientiam, absque alterius magisterio præceptoris. Ex naturæ principiis, à motu ad quietem res universæ feruntur; Elementa idcirco moventur ut quiescant: at secundùm Artis regulas, aliquando à motu ad quietem, aliquando à quiete ad motum, aliquando à motu ad motum homines ducuntur. Nam operarii & artifices nocte quiescunt ut interdiu moveantur; Principes contrà, dulcissimæ Pacis viam Bello sibi & motu aperiunt; & vice versâ salientes recurrunt & moventur, ut majori motu impetúque progrediantur. Utroque modo Oratores, aliquando se intra silentium tenent, ut vehementiùs loquantur; aliquando loquuntur denuo, ut Adversarii fracti convictíque taceant. Post hæc singula tam usitata, planéque notissima, non est quod Vos de processu nostro desperetis, posse etiam & nos vel per contraria media ad finem destinatum pertingere. Neque est quòd miremini si perpaululùm de via flexerim, ut pacem diuturnam lite breviculâ emerem, & pusillo motu perpetuam quietem. Tantum verò abest ut isti altercationum scopuli, aut olim orti, aut olim orituri, viam mihi intercludant, magìs ut muniant

ant atque accelerent. Solis curriculo nihil habet Natura rerum constantius; deturbari de loco non potest, Procellæ licèt sæviant, & phrenetici Septentrionum filii debacchentur: at novimus tamen quando hoc sidus masculum, opifex & auriga diei, de circulo se subduxerit; nam & Hezekiæ Regis tempore retrocessit, & ad Josuæ nutum constitit, ut huic Victoriæ, & illi Pacis ac Vitæ signum esset diuturnioris. An quia per horas aliquot cursum suum Sol remoratus est, etiam & semper? An quia ad decem gradus se retraxit, in fines pristinos se nunquam postea receperit? Nihil minùs: sed incitatione summâ & pernicibus alis per signa Zodiaci saliens, quæstum horarum deperditarum resarcivit, *exsultavítque ut Gigas ad decurrendam viam suam.* Quòd si non absque arrogantiæ nota Solis in nos, creaturæ cœlestis, similitudinem recipere possimus; at saltem ad Umbræ effigiem liceat aspirare, Umbræ quæ retroversa est in horologio Ahaz. Esto, concedatur hoc vobis, quòd per hæc spiramenta temporum & silentii intervalla rota nostra constiterit, quòd per illa priora jurgia retrocesserit; at nunc tandem ad lineas priores umbra reversa est, ad hæc *nova* & *vetera*, diu multúmque desiderata, ut qui Divinarum humanarúmque literarum, nec non Veteris Novíque Testamenti conjugia in istorum verborum speculo vobis superiùs monstravi, nunc tandem ad Legis similiter & Evangelii nuptias vos convocarem. Quæ quomodo huc spectant facilius erit observatu, si modò eandem quâ me primùm insinuavi, retro jam viam repetitam dedero, & ordinis primitus constituti capita paucis exposuero.

Scopus verborum ad quem collimare Salvator noster videtur, is est, Ut pastoralis muneris specimen ex specifica Differentia & Causis propriis depictum Discipulis suis exhibeat. Differentia specifica est in verbo *profert*; docétque quodnam sit officium Pastoris Evangelici: & hinc Thesis prima orta est, Prædicationem Verbi esse opus & ordine primum, & dignitate præcipuum, inter omnia Curæ pastoralis exercitia, cui se totum accingere debet qui Scribæ Evangelici partes agit in Ecclesia Christi. Causæ connatæ in reliquorum verborum ambitu continentur; & in istis ostenditur, Primò, Quæ proferenda, *Nova & Vetera:* ista habent rationem Materiæ. Secundò, Cui bono ea quæ sic profert referenda sunt, in ista clausula, *ad regnum Cœlorum:* rationem habet Finis. Tertiò, Quod exemplar statuendum est dum hæc meditatur, *tanquam paterfamiliâs:* ibi ratio Formæ. Quartò, Quæ præparatio exigitur ut faciat; Eruditionis thesaurus comparandus est: illud adinstar causæ Efficientis.

Hæret adhuc in prima parte calamus, in iis enucleandis quæ ad Causam materialem spectant, Quæ sunt hæc *Nova & Vetera* quorum cura nobis tam solicitè commendatur: illa verò & in Genere & in Specie consideranda proposui. Ex intuitu Generali hæc Propositio erumpit, Verbi Ministrum decet affatim instructum esse, & omnis scientiæ apparatum ad manum habere, ut è divite penu opum spiritualium proferre verbum gratiæ possit, diversis ingeniis congruum, cuivis palato & desiderio accommodum: sive in arguendo, sive in consolando, sive in hortando, sive in disputando versetur, curare debet ut non nisi vera, & salutaria, & ad ædificationem tendentia proferat, sive *Nova* sint, sive *Vetera*; eáque nunc sermone aperto tradat, nunc parabolis & similitudinibus, nunc exemplis illustrata, nunc (prout res postulat) argumentis roborata & authoritate sancita. Hæc summa est intuitûs Generalis.

Particularis verò in expiscando sensu verborum absumpta est, ut in hac quidem

quidem parte, eventilatis tam veterum quàm recentiorum variis interpretationibus, ad quinque classes compendia dicendorum redegi, sub Logica rerum partitione, hoc modo; Quæcunque sub tractatu Theologico cadunt, vel ad Intellectum diriguntur, vel ad Affectum; hoc est, vel ad Doctrinam fidei, vel ad Vitam & Mores: ista est *Novorum & Veterum* Classis prima. Quæ ad Vitam & Mores spectant, sunt vel Promissiones & Præmia Evangelica, vel Minæ & terricula Legalia; hoc est, ea quæ ad bonum alliciunt, & ea quæ à malo retrahunt: hæc Classis secunda. Quæ ad Doctrinam & Fidem spectant sunt duplicis ordinis, vel Divina, vel Humana; hoc est, vel sapientia Scripturarum, quæ sunt fundamentum Fidei, vel peritia Scientiarum secularium, quæ adjumenta sunt: hæc Classis tertia. Rursus, Sapientia Scripturarum duo in se continet, ea quæ in Veteri Testamento, & ea quæ in Novo habentur; hoc est, scripta Prophetica, & scripta Apostolica: hæc Classis quarta. Denique, Scriptores humani sunt duplicis generis, vel superioris quod retroactum est seculi, vel seculi præsentis & adjacentium; hoc est, Antiqui & Neoterici: ista est *Novorum & Veterum* Classis ultima.

Classes istas, quia sunt numero quinque, in tres species contractas dedi; *Vetera & Nova* Præparatoria, id est, in rè humana; *Vetera & Nova* Fundamentalia, hoc est, purè Divina; *Vetera & Nova* Accessoria, hoc est, mixta sive Ecclesiastica. Ex istis quadruplex harmonia sive concordia oritur; quibus omnibus peritus Theologiæ artifex intendere debet. Concordia prima est literarum utriusque Reipublicæ, Secularis & Sacræ: hinc prima Propositio, Tractatori Sacro licet non è Scripturis modò, sed è Scientiis secularibus, copias suas atque apparatum instruere, & ex illis haurire quæcunque sive *Nova* sive *Vetera* aptiora sunt ad promovendam veritatem. Concordia secunda est Scripturarum utriusque Testamenti: hinc secunda Propositio, Tractatori Sacro necessarium fore, ut petitis ex utroque Instrumento armis se muniat, quò possit totum Dei consilium enarrare, tam labio Prophetico, quàm labio Apostolico, & in Via lactea Elementorum, & in via sublimi Oraculorum Dei. Concordia tertia est mediorum utriusque Tabernaculi, Mosis & Christi: hinc tertia Propositio, Tractatorem Sacrum teneri non Legem tantùm, sed & Evangelium docere, & utrinque populum instituere, & in iis quæ Lege suâ Deus requirit, quæ nisi præstiterimus, simus damnationi obnoxii; hæc est Doctrina vetus: & in iis quæ in Evangelio Christus requirit, ut credamus in Christum, qui nostra est & Legis impletio, & à maledictione Legis liberatio; hæc est Doctrina nova, alteri affixenda. Concordia quarta est Scriptorum utriusque Seculi: hinc quarta Propositio, Tractatori Sacro convenire ut in scriptis tam veterum quàm recentiorum Theologorum versatissimum se præbeat, quò possit utrinque fidei dogmata vel explicare distinctiùs, vel firmiùs stabilire. Concordiam primam expedivimus, unà cum Propositione quæ ipsi respondeat, De suavissimo in rebus fidei Divinarum humanarúmque literarum consortio: Præterea & Concordiam secundam, unà cum Propositione quæ exinde contexitur; & utroque membro istius Propositionis, altero de ἀυτάρκεια, altero de συμφωνία & consensu Testamentorum.

Ad Tertiam jam propero, quia ordo tractandi id postulat, ut de Concordia Legis & Evangelii nonnulla dicamus, quàm sit inprimis necessarium ut in salutis mysteriis tractandis, Pastor Evangelicus sit Moses Atticissans, hoc est, ut utroque fonte se imbuat Scriba eruditus, quò possit & ex luce Evangelii Legem, & ex face Legis Evangelium explicatius reddere:

nam quòd ad hos etiam terminos *Vetera* & *Nova* referenda sunt, ex iis quæ deinceps dicturi sumus luculentè patebit. Quod autem ad hanc partem attinet, duo sunt quæ discutienda mecum constitui; Quibus Columnis interpretatio nitatur, & Quæ sunt Theoremata quæ ab interpretatione emergunt, Columnis istis quasi Epistylia superstruenda.

Ordiamur à prima parte, ut videamus quibus Columnis hæc interpretatio fulciatur: nam nisi istæ statuantur, vereor nè reliqua quæ sequuntur omnia luxurient vobis, ac vana evadant, eâdémque facilitate rejiciatur interpretatio, quâ ante oculos ponitur. Columnas autem cùm dico, non eas solùm intelligo quæ molem pondúsque ædificii sustinent, sed etiam eas quæ nitoris ornatûsque gratiâ solent coaccedere. Istas columnas Architectonicas vocant, has Adventitias; illas Sustentationis, has verò Ordinis. Columnæ Adventitiæ ab Interpretum Doctorúmque consensu edolandæ sunt. Authores enim non desunt qui expositioni huic suffragantur. E recentioribus, Pontificiis quidem, Simon Cassianus, Hugo Cardinalis, Joh. Arboreus; nostris autem, Lutherus, Philippus, Brentiûs, Chemnitius, sic se expediunt. E vetustioribus, Origenes, Hieronymus, Hilarius, Gregorius, Cyrillus, Anselmus, Beda, Paschasius, Rhabanus, & author Recognitionum quæ sub Clementis nomine circumferuntur. Hi uno ore omnes per *nova* & *vetera* intelligunt ea quæ sunt Legis & quæ sunt Evangelii; nisi quòd hoc tantummodo intersit inter eorum expositiones, quòd alii ad Disciplinam, alii ad Doctrinam Legis & Evangelii referunt, alii, ut Rhabanus & Beda, ad utrumque. Sed eos mitto, propterea quòd Hieronymi & Hilarii vitulis ararunt, & transcriptores se magìs exhibuerunt quàm interpretes. Cæteri non sunt indigni quos verbis propriis loquentes audiamus; & illos qui de Disciplina, & illos qui de Doctrina Legis & Evangelii dictum existimant.

Ad Doctrinam Legis & Evangelii Origenis sententia inclinat, & Hilarii, & Hieronymi, & Cyrilli. Origenes in Com. super cap. 13. Evangelii secundum Matthæum, *Nova sunt*, inquit, *doctrina Evangelica, Vetera verò ea quæ à Lege & Prophetis assumuntur.* Item Hilarius in locum, *Ea sunt nova & vetera, quæ in Evangeliis & Lege proferuntur; ejusdem utraque patrisfamiliâs, & unius utraque thesauri.* Nec non Hieronymus etiam in locum, *Nova & vetera sunt quicquid in Evangelio prædicatum; idem Legis & Prophetarum vocibus comprobatum.* Adhuc & Cyrillus l. 3. in Johan. c. 34. *Vetera & nova, Legalis & Evangelica gratia; Vetera enim Legalia sunt, Nova verò Christi.* Postremò, author Recognitionum, l. 4. *Per vetera & nova reputantur ea quæ sunt Mosis & Christi. Debet enim is qui ex Gentibus est, & ex Deo habet ut diligat Jesum, proprii habere propositi, ut credat & Mosi.* Et rursus, *Hebræus qui ex Deo habet ut credat Mosi, habere debet & in proposito suo ut credat in Jesum.*

Ex altera parte, ad Disciplinam Legis & Evangelii, ut per *vetera* & *nova*, Minæ Legales & Promissiones Evangelicæ statuantur, tres reliqui propendent, Gregorius, Anselmus, Paschasius. Gregorius Hom. 11. in Evangel. *Profert nova & vetera, hoc idem est ac si apertè diceretur, Ille in sancta Ecclesia doctus prædicator est, qui & nova scit proferre de suavitate regni, & vetusta de terrore supplicii; ut vel pœna terreant quos præmia non invitant. Audiat de regno quod amet, audiat de supplicio unusquisque quod timeat: ut torpentem animum si amor ad regnum non trahit, vel timor adigat.* Eodem planè modo Anselmus, *Nova*, inquit, *& vetera Christus vocat Comminationem pœnæ, & Promissionem cœlestis gloriæ. Vetera ergò prædicat, qui pœnam infernalem minatur: nova verò annunciat,*

nunciat, qui regnum cœleste pollicetur. Paschasius paulò aliter, verbis potiùs discrepans quàm sensu, *Nova & vetera, hoc est,* inquit, *quæ ad Adæ prævaricationem pertinent, & quæ ad Christi gratiam. Debet enim qui est Doctor in Ecclesia, & quæ sunt Cæli docere, & pœnas Inferni denuntiare; debet & vitia quæ ad veterem pertinent hominem curare, & bona opera ad novam vitam pertinentia ostendere; debet ità temperare hæc nova & vetera, nè vel timor gehennæ fideles absorbeat, vel spes beatitudinis jactanter nos elevet.* Liceret mihi in hac causa infinita alia testimonia adjicere; sed modus aliquis statuendus est. E multis hæc pauca delibasse sufficiat: quorum quidem sententias ordinatim ego in apricum produxi, non quòd in ipsis firmamentum ac robur totius interpretationis collocandum existimem; sed quòd de Veteribus & Novis disputans, meritò culpandus essem, si Novorum & Veterum sententias præterirem, præsertim ubi tam apposité loquuntur. Sed tamen in istis non est ultimò acquiescendum: *Columnas Adventitias* de industria appellavi, ornatui magìs subservientes quàm sustentaculo.

Non desunt verò Columnæ, quas dixi *Architectonicas*, superéstque alia basis, eáque multò firmior, cui interpretatio incumbit, nimirum ipsius suffragium Scripturæ; quo si librata fuerint veterum testimonia, nervosa satis erunt atque valentia. Solent nautæ pluribus anchoris infrænare navigia, ut firmiùs hæreant: nec dissimile illud est quod de Phileta Coo habetur apud Athenæum l. 12. Deipnosophistarum, quòd cum valde levi & gracili corpore esset, plumbeos nescio quos globulos pedibus subjicere solebat, nè à vento everteretur: & *Apes*, inquit Ambrosius, l. 5. de Virginit. *quum aeris motus suspectos habent, lapillis sublatis per inania se librant nubila, nè leve alarum remigium. præcipitent flabra ventorum.* Hi globuli, hi lapilli, hæc anchora Scriptura Sacra est, si cum Patrum testimoniis conferatur. Ergò quod Basilius ad Eustathium medicum, διαιτησάτω ἡμῖν ἡ θεόπνευστος γραφὴ, *Judicet nos Sacra Scriptura.* Sunt autem quatuor Scripturæ Sacræ loci qui expositionem hanc lumine candenti tingunt, ut clariùs lucescat.

Primus locus habetur Cant. 7. 13. *Ecce omnes pretiosos fructus, & novos simul ac veteres, dilecte mi, servavi tibi.* Est vox Ecclesiæ ad Caput suum, honorem & gloriam salutaris gratiæ Sponso suo Christo deferens. Neque vos latet, Auditores, adductum olim hunc locum fuisse à me, ut per *vetera* & *nova*, Vetus Novúmque Testamentum significari ex ipso Scripturæ idiomate docerem. Sic enim unanimi consensu Patres omnes. Sed tamen Philo Carpathius, non contemnendi nominis author, & post eum è Neotericis non pauci, pressiùs quàm reliqui, non modò de Veteri Novóque Testamento, sed inprimis de Legalibus & Evangelicis præceptis illud à Salomone dictum putant. Ut si jam huic loco adaptemus, *Frater adjuvat fratrem*; ut ex istis *novis veteribúsque* Salomonis, quæ sunt etiam Salvatoris nostri *nova* & *vetera* nemo non videat. Nimirum in significationis latitudine, omnia cujuscunque generis adjumenta; juxta proprietatem significationis, Vetus Novúmque Testamentum; per eminentiam autem, ea quæ sunt Legis & quæ Evangelii.

Secundus locus habetur Matt. 5. 21. *Audistis quòd dictum sit veteribus, Non occides: Ego autem dico vobis, quòd quisquis irascetur contra fratrem suum temere, reus est judicii:* & sæpiùs eodem capite hujus repetitio formulæ occurrit, *Audistis quòd dictum sit veteribus, Ego autem dico vobis:* Quibus quidem verbis non Mosi aut Legi Christum se opponere, sed Legis

 explana-

explanatoribus Scribis, non est necesse ut urgeam. Non enim Legem aut corrigit aut solvit Christus, sed suo sensui restituit; neque novum Legis sensum comminiscitur, sed veterem illum à Mose & Prophetis traditum, à Scribis autem & Pharisæis depravatum, instaurat. Hæc mitto, ut præsenti instituto minùs accommoda. At loquendi formula huic quæ præ manibus est dulcissimè astipulatur; *Dictum veteribus*, &c, *Ego dico*. Quæro, quænam sunt hæc quæ dicta Veteribus? Dicta Legis: Quæ verò dicta Christi? Dicta Gratiæ Evangelicæ. Quid hoc est aliud quàm *vetera* dicere & *nova*, quod Doctoris boni officium unicum est, Mosis & Christi dicta è thesauro depromere, hoc est, Legis & Evangelii, hoc est, *vetera* & *nova*?

Tertius locus occurrit in Evangelio secundum Joannem, c. 13. vers. 34. *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis.* Videte autem, Dilectionis mandatum *mandatum novum* Christus vocat; & non aliud erat tamen quàm quod à Mose acceperant. Videte denuo, *novum* vocat, & *vetus* non vocat: sed tamen Joannes Apostolus, qui è Christi pectore, in quo solus recubuit, hoc Dilectionis mandatum suxisse videtur, & illud alterum ascribit, 1 Joh. 2. 7. *Dilecti mei, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod erat vobis à principio:* & rursus, versu octavo, *Mandatum novum scribo vobis, quod est verum in ipso.* Quid hæc sibi volunt? *Mandatum novum,* & *non novum*, non sunt ἀσύςατα. *Vetus* enim *erat mandatum, quia in tabulis Mosis scriptum*, inquit Oecumenius: *novum autem est*, ὅτι καινόν ἐςι τὸ εἶδ☉ τ ἐντολῆς ταύτης, inquit Ammonius, *quia nova est forma mandati veteris*; *nova qualitas & modus dilectionis*, ut Cyrillus optimè. Quanquam & hoc haud intempestivè adjici potest, *novum mandatum* dici, vel quia novis, ínque novo statu collocatis, est impositum; vel quia novissimè post alia omnia est à Christo inculcatum; adeóque non jam novum & vetus erit ampliùs, sed novissimum & vetustissimum: vetustissimum, quia primum; novissimum, quia postremum mandatum. Jungamus singula. Quodnam est *mandatum vetus?* Quid aliud nisi hoc, *Diliges proximum?* Quod autem *novum?* Quid aliud nisi idem redintegratum, *Diliges proximum?* Quid est quod Lex præcipit? Mandatum vetus, *Diliges proximum.* Quid est quod Evangelium inculcat? Mandatum novum, *Diliges proximum.* Quid Moses loquitur? Hoc unum & idem. Quid Christus? Hoc ipsissimum idem, *Novum mandatum & vetus*, Christi & Mosis, Legis & Evangelii. Hæc sunt illa *vetera* & *nova*.

Postremus locus habetur Luc. 5. 16. *Nemo immittit panniculum vestimenti novi in vestimentum vetus, & nemo injicit vinum novum in utres veteres*, & quæ sequuntur. Atque affinis huic est locus ille alter Apostoli, 2 Cor. 5. 17. *Vetera præterierunt, & omnia facta sunt nova.* Ambo eòdem recidunt, sive literali, sive morali sensui placeat magìs insistere. Sed nos sigillatim locum utrumque discutiemus.

De Apostoli loco quis dubitare potest, aut scrupulum aliquem injicere, quò minùs ad Legalia & Evangelica referatur? *Præterierunt*, inquit, *vetera:* quæ *Vetera?* Verbo dicam: & ea quæ ad veterem Hominem pertinent, Infidelitas, Peccatum, Mors; & ea quæ ad veterem Legem pertinent, Sacrificia, Circumcisio, Ceremoniæ, καὶ τὰ Ἰουδαϊκὰ πάντα, ut optimè Chrysostomus. *Facta sunt*, inquit, *omnia nova.* Quid hoc sibi vult nisi hoc ipsum, introducta sunt omnia, & quæ ad novum hominem spectant, Fides, Justitia, Obedientia, Charitas; & omnia quæ ad Evangelium, sive novam Gratiæ legem pertinent, populus novus, anima nova,

vita nova, Sacramenta nova, Legis dispensatio nova: pro Hierosolymis Cœlum substituitur, pro Circumcisione Baptisma, pro Manna Corpus Christi, pro Aqua Sanguis Domini, pro Virga Aaronis Crux Christi, pro Agno Filius Dei; & sic de cæteris.

De Christi loco altero dubitatio minor. *Nemo*, inquit Salvator, *immittit vinum novum in utres veteres, aut panniculum vestimenti novi in vestimentum vetus.* Annon & ista pariter huc referenda sunt? Imò verò certissimum est & hæc Christi verba eòdem prospicere, quâcunque limâ verborum sensus poliatur. Si, ut Hilarius explicat, *Infirmæ vetustate peccatorum animæ novæ Gratiæ Sacramenta non capiunt*; Si, ut Remigius, *Novæ vitæ mysteria non sunt committenda mentibus non innovatis*; Si, ut Venerab. Beda, *Judæis veteris vitæ salivâ imbutis novæ Gratiæ præcepta sordent*; Si, ut Nyssenus, Augustin. Theophyl. *Veteribus legibus dediti novam doctrinam Evangelii capere non possunt*; Si, ut Hieronymus, & Doctores Ecclesiæ apud Epiphanium, *Scribæ & Pharisæi veteribus traditionibus depravati nova præcepta Evangelii sustinere non possunt*; Denique si, ut Chrysostomus & Victor Antiochenus, *Apostoli Evangelii prædicatores constituti, veterum Ceremoniarum legibus servire non debent, nec iis obstringi*: Quocunque, inquam, oculo locum intueamur, sensus nativus se prodit, Traditiones Ceremoniásque veterum cum Evangelica doctrina non esse commiscendas. Cui congruit & illud S. Pauli, *Vetera transierunt, nova facta sunt omnia.* Ergò sicut in istis duobus locis, per *vetera* & *nova*, Ceremoniæ Legis & Gratia Evangelii subintelliguntur: ità ex locorum Analogia sequitur, ut hîc per *nova* & *vetera*, præcepta Legis & mandata Evangelii intelligamus. Priora Christus sejungit, *Nemo immittit vinum novum in utres veteres*, quia Ceremoniæ Legis cum Gratia Evangelii nihil nunc habent commercii; posteriora suavissimè complicat, Si sit doctus Scriba, proferat è thesauro *nova* & *vetera*, quia Evangelium Legem non solvit, sed absolvit & perficit.

Videtis, Auditores, quòd jam tandem ex usu & consuetudine loquendi Sacræ Paginæ satis familiari, per *vetera* & *nova*, Legalia & Evangelica subintelligi satis supérque demonstraverim. Hæc Sponsæ vox in Canticis, *Ecce omnes pretiosos fructus, & novos simul & veteres, servavi tibi*: Hæc Sponsi vox in Evangelio, *Dictum est antiquis, Ego autem dico*: Hæc vox Discipuli, *Mandatum novum scribo vobis*; rursus, *Mandatum non novum scribo vobis*: Hæc summi vox denique Magistri, *Proferat Nova & Vetera.* Hæ sunt istæ Columnæ quibus innixam esse loci hujus interpretationem superiùs monui. Atque istâ interpretandi viâ, quæ ex locorum comparatione ducitur, haud scio an ulla sit aut facilior aut certior. Hanc Irenæus olim tutissimam putavit; *Secundum Scripturas*, inquit, *expositio legitima est, & sine periculo*, lib. 4. cap. 63. Hanc Clemens Alexandrinus longè optimam; *Optima*, inquit, *est interpretatio* ἀπ' αὐτῶν περὶ αὐτῶν τῶν γραφῶν, hoc est, ut ipse se postea explicat, περὶ αὐτῶν ἐξ αὐτῶν τῶν ὁμοίων γραφῶν, *ex ipsis ipsæ sunt interpretandæ, loci affines ex suis similibus.* Quod igitur ad primam instituti partem spectat, hæc tradidisse abunde sit; si modò hoc unum addidero, Non esse hanc, de qua nunc contendo, *novorum & veterum* significationem discrepantem ab illa quam priùs exhibui, sed ipsi quàm maximè consonam, & secundum leges artis subalternatam. Sicut in Cœli orbibus videre est, intra orbem orbis continetur, at Cœlum est unicum; & in Ezechielis Prophetæ visione quatuor erant rotæ, sed ità implicatæ, ut quasi sphæram unam constituerent, ità dispositæ, ut rota una secaret alteram ad angulos circulares, & altera

vicissim alteram; quatuor rotæ & una rota, quia rota in medio rotæ: Eodem modo hîc se res habet; sunt tres interpretationes & una interpretatio, quia in qualibet quælibet comprehenditur. Si generatim loquamur, tum *nova & vetera* sunt omnia cujuscunque generis prædicandi Verbi adjumenta; hæc prima rota: Si speciatim, omnia Veteris & Novi Testamenti mysteria; hæc secunda rota, & est in medio primæ: Si adhuc magìs strictè, sunt Legis & Evangelii quæcunque propria, ex altera parte Mandata utriusque, ex altera Promissiones & Minæ utriusque; hæc est rota tertia, & est in medio secundæ, neque reipsa rota alia quàm prior, sed eadem: ut sciamus non modò Veteris & Novi Testamenti, sed etiam pressiùs loquendo, Legis & Evangelii, concordiam nobis hîc commendari.

Cui fundamento, quibus Columnis interpretatio nitatur, jam tandem accepistis. Nunc superest ut ad Theoremata transirem, quæ velut Epistylia interpretationi huic sunt superstruenda. Sed manum mihi injicit horologii manus altera, ut meam de tabula tollam. Sic stylus stylo pellitur, non minùs quàm clavus clavo. Quocirca satìs sit hâc vice stravisse mensam: conabor sequenti, si potero, instruere, & Theoremata (hæc enim futura sunt bellaria) cùm satìs cocta fuerint apponere.

LECTIO XVI.

QUod de Architectis M. Pollio, lib. 1. cap. 1. *Non debet, nec potest esse Architectus Grammaticus ut fuit Aristarchus, sed non agrammatos; nec Musicus ut Aristoxenus, sed non amusos; nec Pictor ut Apelles, sed graphidos non imperitus; nec Plastes ut Polycletus, sed rationis plasticæ non ignarus; nec Medicus ut Hippocrates, sed non aniatrologicos; nec denique in doctrinis cæteris singulariter excellens, sed nullius tamen expers eruditionis:* Idem de Theologis si quis pronunciaverit, à veritatis non multùm sententia aberrabit. Ut in doctrinis singulis summum cognitionis laudísque principatum Theologus quisque habeat, necessarium esse non existimo, & vix ac nè vix quidem possibile: sed omnium tamen habere debet peritiam mediocrem disciplinarum. Non debet, nec potest esse Theologus Agricola ut M. Varro; sed non agriculturæ prorsus ignarus, quia sudandum est quotidie in cultura cœlesti animarum. Non debet esse Architectus ut P. Septimius; sed non rei ædificatoriæ ineruditus, propterea quòd in hanc Metaphoram cardo totius Muneris pastoralis vertitur. Hæc summa est nostræ disciplinæ, hic finis & Prædicationis sacræ, & Disceptationum Theologicarum, ut omnia dicantur & fiant ad ædificationem corporis Christi. In his autem ædificiis fidei, progrediendi regula non ab Aristarcho aut Celso, sed à Verbo Dei petenda est; non à Vitruvii, sed S. Pauli architectura. Nam revera nihil est ad has spirituales structuras vel obliquè spectans, quod non est abunde nobis in Sacra Pagina depictum, & graphicè delineatum. Quodnam sit Ædificium, Apostolus docet, Eph. 4. 12. *Ædificium corporis Christi:* quod Fundamentum, idem Apostolus, Eph. 2. 20. *Fundamentum Apostolorum & Prophetarum:* quæ Columnæ, Salomon, Prov. 9. 1. *Sapientia excidit columnas septem, Dona* nimirum *septiformis*

Spiritûs, dicente Hieronymo: quæ Trabes, idem Salomon, Cant. 1. 17. *Tigna domorum nostrarum sunt è cedris:* qui Clavi, rursus Salomon, Eccles. 12. 13. *Verba sapientum sunt sicut clavi & stimuli:* qui Parietes, S. Petrus, 1 Pet. 2. 5. *Et vos tanquam vivi lapides ædificemini:* quæ Fenestræ, Christus, in Matth. 5. 14. *Vos estis lux mundi:* quæ Tegulæ, Christus itidem, Matth. 10. 27. *Quod dico vobis in tenebris, prædicate in tectis*, id est, ore aperto & voce publicâ: postremò, qui Architecti, quæ Fastigia, quæ Merces, S. Paulus, 1 Cor. 3. 10. *Juxta gratiam quæ data est mihi, posui fundamentum tanquam Architectus sapiens, alius autem super ipsum ædificat. Quisque autem videat quomodo ædificet super illud. Si aurum, aut argentum, aut pretiosos lapides, mercedem suam accipiet, quia opus permanebit: si ligna, aut fænum, aut stipulam, dies declarabit*, & quæ sequuntur. Hæc illa sunt Architecturæ spiritualis compendia; hæ Sancti Pauli regulæ observatu nostro longè dignissimæ.

De Fundamento prima Regula est; Nisi fundamentum jaciat, non est peritus artifex: Domus absque fundamento necesse est, ut corruat.

De Fabrica Regula altera; Fundamento posito, oportet ædificare super illud: Fundamentum sine tecto futile est, atque lusorium.

De modo Structuræ tertia Regula; Videat quisque quid & quomodo superædificet: non *ligna*, non *fænum*, non *stipulam*; nihil vile, ut *stipula*, nihil leve, ut *fænum*, nihil periturum, ut *lignum*; non istis nixa stabit veritas columnis: sed *aurum, argentum, & lapides pretiosos*, id est, quicquid firmum & sanctum & maximè diuturnum: hoc si fecerit, opus permansurum est, & mercedem accipiet. Quæ cùm ità sint, permittite paulisper ut ad eosdem me revocem calculos; nam & nostra quoque opera est genus quoddam Architecturæ, quamvis rude & impolitum. Concordia Legis & Evangelii est Ædificium; Salvatoris verba Fundamentum, *Proferat Nova & Vetera*; Columnæ ornatûs, consensus Doctorum veterúmque Interpretum; Columnæ firmitudinis, similitudo & Analogia locorum Scripturæ quæ huic respondeant. *Omnes pretiosos fructus, novos simul ac veteres, servavi tibi*, Cant. 7. 13. *Dictum est veteribus; Ego autem dico vobis*, Matth. 5. 21. *Mandatum vetus scribo vobis; mandatum novum scribo vobis*; ambo unum & idem, 1 Joh. 2. 7, 8. *Nemo injicit vinum novum in utres veteres*, Luc. 5. 17. *Vetera transierunt, nova facta sunt omnia*, 2 Cor. 5. 17. Has ego Columnas omnes superiori die ad perpendiculum exegi, hæc interpretationis fundamenta posui.

Theoremata supersunt istis Columnis quasi Epistylia aut fastigia superstruenda. Sic se res contrà habet quàm quod à Quintiliano dictum; *Operum fastigia spectantur*, inquit, *fundamenta latent:* hîc fundamenta spectantur, latent fastigia. De Fundamentis jamdudum accepistis, de Fastigiis in præsentiarum dicturi sumus. Sunt autem duo Theoremata quæ ex verbis sic intellectis assurgunt. Alterum de Unione Legis & Evangelii quantum ad Disciplinam; alterum de Unione ipsorum quantum ad Doctrinam spectat. Ad hæc duo Officia Ministerium Evangelicum Apostolus revocat, Col. 1. 28. *Quem nos prædicamus, admonentes omnem hominem, & docentes omnem hominem.* Officium alterum est νουθεσίας, alterum διδασκαλίας· νουθεσία ad affectum seu Disciplinam refertur, διδασκαλία ad intellectum & Doctrinam. Illa in pravis moribus reformandis versatur; hæc in cæca mente illuminanda. νουθεσία fit duobus modis, Hortando & Increpando; διδασκαλία duobus etiam, Verbo Legis & Verbo

Verbo Gratiæ. Qui Increpationes & Exhortationes prudenter miscet, superædificat argentum ad Disciplinam; aurum verò, qui conjungit quæ sunt Legis & Gratiæ in negotio Doctrinæ. Hinc duo Theoremata; Primum est de Concordia Legis & Evangelii, quod ad Disciplinam pertinet, & affectus ordinandos, & sic se habet:

Ad Officium Ministeriale spectat usquequaque omnia tentare, ut semen Verbi radices agat in cordibus hominum. Proferre debet quicquid maximè conducere potest, vel ad vitiorum ἔλεγχον, vel ad virtutum προτρέπειν curare debet ut ignaris institutio adhibeatur, errantibus correctio, præfractis & contumacibus comminationes, consolationes autem afflictis & trepidantibus. Quòd si sic promissiones minis acuat, & minas promissionibus leniat, *nova* cum *veteribus* miscet, καινὰ καινοῖς, & καινὰ χαινοῖς.

Theorema secundum est de Concordia Legis & Evangelii circa Intellectum & Fidem, & sic instituitur; Ad Ministeriale officium pertinet & Legis & Gratiæ doctrinam explicare, & in omnibus quæ ad plenam utriusque intelligentiam requiruntur, Auditores suos erudire. Hic est thesaurus supellectilis nostræ, atque hoc vicissim *nova* cum *veteribus* miscere, spicula ex utraque pharetra depromere.

Aggredior Theorema primum, De salutari copula cohortationum & increpationum; hoc est, minarum Legalium & Evangelicarum promissionum, in iis quæ ad populum habentur Concionibus. Quæ quidem speculatio, quoniam est moralis, nihil habet cum spinis Scholasticorum aut demonstrationibus subtilioribus commune: sed non idcirco est contemnenda, quia vulgaris & protrita; nam sapienter Senec. l.4. Ep.95. *Etiam aperta monstrare plurimùm prodest, quia interdum scimus, nec attendimus.* Ingerenda igitur est animo notitia rerum notissimarum. Quod ut commodiùs fiat, ad duo capita rem totam deducam; Quæ necessitas Unionis, & Quæ Regulæ atque Cautiones; hoc est, Quibus Rationibus fulcitur Propositio, & quibus Mediis adimpletur.

Rationibus si causa indigeret, adsunt ad manum plurimæ, quæ impellere possunt fideles Pastores ad utraque hæc officia præstanda. Possum idipsum Exemplis illustrare Prophetarum & Apostolorum, qui fecerunt; nec non & Divinis Præceptis insistere, quæ jubent ut faciant: Possum ad Judicia Dei ipsius provocare, quæ impendent si non fecerint; denique & Argumentis contendere, quæ hinc indè vehementer urgent nè facere negligant, aut obliviscantur. Et inest singulis latens quædam energia atque vis persuadendi non exigua. Exempla ducunt, Præcepta obligant, timor Divini Judicii coercet, Argumenta convincunt. Sed quia res integra est & in confesso, nolo eam scindere in istas minutias. Hoc unum sufficit, quòd sub Præcepto Divino continetur; sub Præcepto legis Charitatis, & sub Præcepto legis Justitiæ: Nam Charitatis actus est Exhortatio; Justitiæ simul & Charitatis, Correptio. *Qui corripit, eleemosynam dat,* inquit Augustinus, in Enchirid. c. 72. Ità sub generali præcepto utrumque cadit; imò utrumque junctim sub particulari. Quod si explicuero, non modò pro bono & utili reputandum erit, sed pro necessario & irresolubili. *Audaciam existimo,* inquit Tertull. de Pœnit. *de bono Divini præcepti disputare.* Religiosa obedientia non discutit Dei mandata, sed facit. Neque enim quia bonum est, ideo auscultare debemus, sed quia præcipitur. Respondeas autem, Bonum est, annon? Quid revolvis? Deus præcipit: in Veteri Testamento, Levit. 19.17. *Non habebis odio fratrem tuum, sed corripiendo corripies proximum tuum:* etiam & in Novo, 2 Tim.4.2. *Obtestor coram Deo & Domino Jesu Christo,*

qui

qui judicaturus est vivos & mortuos, prædica sermonem, insta tempestivè, intempestivè, argue, objurga, obsecra, sive exhortare. Tit. 1. 9. *Oportet Episcopum tenacem esse fidelis sermonis, ut possit* καὶ παρακαλεῖν καὶ ἐλέγχειν, *& hortari et arguere*; & c.2.vers. 15. *Hæc loquere, & exhortare, & argue.* Denique in Sancti Judæ Epistola, vers.21. *Et alios quidem, habito delectu, commiseramini; alios verò cum timore servate, ex flamma rapientes.* Istis sic positis, de necessitate præcepti quis est qui potest ambigere? Quis *novorum* & *veterum* concordiam mutuam non videt sub uniuscujusque locorum istorum ambitu comprehensam? Annon *vetera* sunt quæ ex Adamo ducimus, *nova* quæ ex Christo? Annon *vetera* ex culpa, *nova* ex gratia? Annon sunt *vetera* quæ ad veterem hominem pertinent, Peccata singula; *nova* quæ ad novam vitam, Fides & bona Opera? Annon Increpationes & pœnæ infernales onera sunt Legis, Consolationes & præmia æternæ vitæ promissiones sunt Evangelii? Quid igitur est quod ex his locis singulis addiscere possimus, nisi hoc unum, quod Clemens Alexandrinus & Isidorus Pelusiota exinde colligunt? *Ostendunt*, inquit Clem. l 4. Strom. ὅτι δύο εἰσὶ τῆς ἐπανορθώσεως τρόποι, ὁ μὲν διδασκαλικὸς, ὁ δὲ κολαστικὸς, *quòd duo sunt modi procedendi contra peccatores, unus Doctrinalis, alter Correctorius. Ostendunt*, inquit Pelusiota, ὅτι μιγνῦναι χρὴ τῇ παῤῥησίαν τῇ φιλοφρονείᾳ, καὶ τοῖς ἐλέγχοις τὴν ἀγάπην, l.4. Ep. 139. *quòd miscere oportet comitate libertatem, & reprehensionibus nostris amorem.* Hoc est quod Moses dixit, *Non habebis odio, sed corripies fratrem*; id est, corripies sine odio, ex amore, ut fratrem. Hoc est quod Judas Apostolus, *Alios cum commiseratione tracta, alios cum timore:* illos trahas funiculis amoris, velut ex aqua; hos, quasi torres ex igne, timoris manu violentâ evellas. Hoc quod S. Paulus, *Argue, obsecra, objurga, hortare:* id est, fac ut alii audiant tubam Legis, ut veterem hominem exuant; alii tibiam Evangelii, ut in novitate vitæ ambulent. Utroque digito viam indica, ambabus ulnis amplectere; argue si peccaverint, obsecra nè peccent; per minas Legis peccata radicitus evelle, per amoris viscera Divinæ gratiæ semitas cœlíque aditum commonstra; hortando dirige phalanges tuas, increpando rursus ad iter virtutis circumducas. Currentes incita, excita dormientes: sit Hortatio velut calcar, quo adigantur ad bonum; Increpatio velut frænum, quo à malo cohibeantur. Utriusque junctim vis inenarrabilis, καὶ τοῖς σπουδαίοις τὰς ὁρμὰς ἐπιτεῖναι, καὶ τοῖς ῥαθύμοις ἐπεγεῖραι τὸ πρόθυμον, *ut possit & studiosis impetum intendere, & ignavis excitare promptitudinem*, ut scitè Basilius, Orat. 2. de Jejunio. De Præceptis plus satis.

Exemplorum verò copia multò major, quòd utroque modo Prophetæ & Apostoli se gesserint suis quas habuerunt ad populum Concionibus. Hoc modo se Moses gessit erga Israelitas, Deut.11.26. *Propono vobis hodie benedictionem & maledictionem; benedictionem si obedieritis, maledictionem si non obedieritis:* & 30. 15. *Proposui tibi hodie vitam & bonum, mortem & malum: quòd si ambules in viis ejus, dico tibi quòd vives, & multiplicaberis; quòd si averterit se cor tuum, denuntio tibi quòd pereundo peribis:* & Deut.32.2. *Stillet ut pluvia doctrina mea, stillet ut ros eloquium meum; ut imber super gramen, ut pluvia super herbam.* Novit nimirum vir sanctus ex rebus similibus & dissimilibus eximias populo plectere corollas. Benedictionem, inquit, propono & maledictionem; vitam, mortem; rorem, imbrem; obedientibus, immorigeris; herbæ, gramini. Quid enim Rori similius quàm dulcis cœlestísque Exhortatio? Quid Imbri, quàm densa nubiláque Increpatio, cœli procella,

quæ

quæ cordis parietes lavat, & totas perluit duri pectoris regiones? Quid Herba tenera, nisi herba tenerior Conscientia? Quid Gramen setosum & hispidum, nisi spinis hirsuta Pectora? Habuit igitur Moses è nubium thesauro quod expromeret, & rore dulciora verba Consolationis super herbam, & super gramen sterile imbrem torrentémque Increpationum.

Hoc etiam modo Isaias se gessit erga Hezekiam regem, 2 Reg.20.1. *Præcipe domui tuæ, quia morieris & non vives.* Quid dici potuit acerbius? Sed vers. 5. *Audivi orationem tuam, vidi lacrymas tuas. Ecce ego sano te, & die tertiâ ascendes in domum Jehovæ, & addam diebus tuis quindecim annos, & de manu Assyriorum liberabo te.* Ecquid istis excogitari potest jucundius?

Hoc modo Nathan erga Davidem, 2 Sam.12.7. *Tu es vir ille, tu fecisti absconditè, tu contempsisti Verbum Domini; suscitaturus sum malum adversùs te, non recedet gladius de domo tua.* Heu, quot sunt hic Legis aculei! Sed mox vers.13. *Non morieris; Dominus transtulit peccatum tuum.* Hem, Gratiæ malagmata! Adeò *sicut Apis, severus* est Propheta *ad ultionem, suavis* & promptus *ad refectionem: Aculeum Legis exercet, & cibum vitæ cælestis exhibet*, ut Ambrosius loquitur, Ser.83.

Hoc modo S. Paulus ad Ecclesias quæ ipsius curæ erant concreditæ, dulcia acerbis sæpius attemperat. 1 Cor.4.14. οὐκ ἐντρέπων ὑμᾶς γράφω ταῦτα, *non ut vos pudore suffundam hæc scribo:* sed cap. 6. πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω, *ad pudorem vestrum hæc dico.* 1 Cor.11.2. ἐπαινῶ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, *laudo vos, fratres:* at vers. 22. οὐκ ἐπαινῶ ὑμᾶς, *laudabo vos in hoc? imò non laudo.* 2 Cor.5.20. quasi caduceator, aut legatus pacis, inquit, *tanquam Deus per nos hortaretur, obsecramus Dei nomine, Reconciliamini Deo:* at vers.11. quasi fecialis aut tubicen quàm triste classicum canit? *Scientes terrorem Domini, hominibus suademus.* Ad Gal.3.1. *Amentes Galatæ, quis vos fascinavit, nè obediretis veritati?* at vers. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio.* Talia sunt ista, 1 Cor.5.5. *tradatur Satanæ:* at Gal.6.1. *instruite in spiritu lenitatis.* 1 Cor.16.22. *Qui non diligit Dominum Jesum, abeat cum suo Anathemate:* at Eph.6.24. *Gratia sit cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum.* Ad Galatas 4.16. *Inimicus vester factus sum, dum vera loquor?* at ad Thess. 1.2.7. *Placidi fuimus inter vos, ut nutrix quæ fovet filios suos.* Sexcenta potui ejusmodi proferre, nullo ferme negotio; sed reliqua in re tam clara superfluunt.

Potui ex ipso Dei Exemplo documentum vobis hujus rei statuere. Nam & Salvator noster hujus Concordiæ leges servavit erga Discipulos suos, nec non erga Scribas & Pharisæos: unde in Apocalypsi, nunc *Agni*, nunc *Leonis* nomen ad se trahit. Et Spiritus Sanctus quando præsentiæ specimen exhibuit, utroque modo se manifestavit; super Christum in Columba apparuit, super Discipulos in Igne: exinde nos docens & mansuetudinem columbinam in Exhortationibus, & zelum igneum in Increpationibus, ab eodem fonte Spiritúque manare. Adhuc & Deus ipse in promulgatione Legis, præcepta Negativa, quæ de recessu à malis tractant, Minis tanquam sepimine vallavit: *Visito iniquitatem patrum in filios; Non relinquam impunem qui assumpserit nomen meum in vanum.* At præcepta Affirmativa, bonorum operum viam monstrantia, Promissionibus sancivit, Eph.6.1. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est præceptum primum cum promissione;* cum promissione scilicet vitæ longævæ, quâ nihil est quod puerilis animus, cui ætati mandatum hoc præscribitur, magìs gestit audire. Potui ex hoc speculo rei præ manibus imaginem vobis ante oculos ponere. At sublimiora hæc sunt; fortasse nostris pedibus Apostolorum vestigia magìs congruunt.

Sic, sic Arietes gregis, sic Principes disciplinæ nostræ, sic summi Pastores, sic primi animarum Medici, Apostoli, se gesserunt. Quod ipsorum exemplo fit, jure fieri quis negat? Et nos Pastores sumus; Pastoris autem insignia Virga & Baculus: *In Virga, Disciplina corrigentis, in Baculo, Sustentatio est consolantis*, ut inquit Hieronymus, ut & filios corripere possit, & fratres emendare. Quod legimus, Heb. 9. 4. in Arca fœderis tabulas Legis fuisse repositas, unà cum Virga Aaronis & urna Mannæ: quo ostenditur, quòd in dispensatione Verbi, Manna non minùs convenit Tabernaculo quàm Virga, sic ut severitas Legalis Evangelii clementiâ corrigatur; &, ut Greg. ep.24. loquitur, *cum Virga districtionis reperiatur Manna dulcedinis*. Quemadmodum Apostolus Paulus Corinthiis suadet, ut eligant ex utroque alterum, aut Mannam, aut Virgam, 1 Cor. 4. 21. *Quid vultis? cum virga veniam ad vos, an Spiritu lenitatis?* Et nos Medici sumus, Fratres: *Solet autem medicus*, inquit Chrysostomus, *multa contraria facere ratione simili*, καὶ γὰρ καίει, καὶ ὁ καίων, τέμνει, καὶ ὁ τέμνων τὸ αὐτὸ σῶμα· nunc urit, nunc fovet, nunc secat, nunc verò ligat; aliquando fame torquet, & siti excruciat, & lumine privat, & lecto affigit, aliquando in balnea deducit, & opiparam mensam apponit; nonnulla vulnera unguentis sanare conatur, graviora, admoto igne & caustico medicamento; & nisi utrumque, prout res postulat, fecerit, medicum se præstare non potest. Ità etiam Ministri Verbi non possunt esse fideles in Domo Dei, nisi peccata abscindant ferro Legis, & leniant conscientiam unguento Indulgentiæ. Insunt enim in utroque medicæ virtutis non obscura vestigia. De Exhortationibus, Clem. Alexan. sic loquitur, ἡ νουθέτησις δίαιτά ἐστι νοσούσης ψυχῆς, 1 Pædag. c.8. *diæta ægrotantis animæ admonitio*: de Increpationibus Basilius, ἰατρεία ψυχῆς ἐστιν ἡ ἐπιτίμησις, Bas. Reg. fusiùs Disput. q.54. *Reprehensio medicina animæ.* Hinc est quòd, docente Veritate, Samaritanus in vulnera semivivi vinum & oleum instillat, ut per Vinum mordeantur vulnera, per Oleum foveantur. Dicat mihi quis, Quod Oleum, quod Vinum infundendum est peccatorum vulneribus? An Oleum aliud assignari potest quàm Oleum gratiæ Evangelicæ, Oleum exsultationis, Oleum mollitudinis, quod resolvat fessorum labores? An Vinum aliud quàm Vinum Legis, & Comminationum ipsius, quæ pungant & rodant conscientiam? Habet igitur Vinum quod duris cervicibus respondeat, & Oleum quod timoratis mentibus magìs est accommodum. Si Vinum solummodo infundat, timendum est nè civem interficiat: si Oleum tantùm, timendum est nè hostem nutriat. Oleum sine Vino, Evangelium sine Lege, aliquando ducit in præfractam temeritatem: Vinum sine Oleo, Lex sine Evangelio, sæpissimè adigit in desperationem. Alterius ergò altera poscit opem res, ut sit & justè consolans Misericordia, & piè feriens Disciplina.

Tom. 5. Ser. 24.

Perfecti Cantici duos terminos S. David constituit, Psal. 101. 1. *Misericordiam & Judicium cantabo tibi, Domine.* Prudenter hos posuit cancellos cùm Domino psalleret, qui & Deus est Judicii, & Pater Misericordiæ, cujus viæ omnes Misericordia & Judicium. Sed & iidem termini statuendi sunt, si quis in populi gratiam canticum meditetur: Misericordiam & Judicium cantabimus & vobis, viri Fratres, quia & omnes viæ nostræ inter Adhortationes & Objurgationes partiuntur; inter pœnas Legis & præmia Evangelii. Duobus istis non minùs conservatur res sacra quàm publica. Et hoc ipsum Joannes Apostolus ex illa parte Visionis intellexit, quæ habetur Apoc. 4. 5. *De throno procedebant tonitrua & voces:* per *Voces* temperatas Admonitiones mediocriter auribus insonantes intelligendas esse, penè communis est expositio; per *Tonitrua*, terrificas de futuro Judicio pœnisq;

N Commi-

Comminationes. Quàm aptè inter se conveniunt ista, ut Tonitrua videret & Voces ille, qui à Voce *Filius tonitrui* dictus? Sed audi tamen, si *Filii tonitrui* Jacobus & Joannes, & *Filii olei* Zorobabel Dux populi & Josua Sacerdos dicuntur, Zach. 4. 14. *Isti sunt duo filii olei*; jungamus invicem, & figuram perfectam habemus Pastoris Evangelici: si sit & *Filius olei*, qui stillare Misericordias Domini; & *Filius tonitrui*, qui Judicia Dei tonare noverit. Unde & Sali & Luci Salvator noster discipulos suos comparat, Matth. 5. 13, 14. *Vos estis Sal terræ, Vos estis lux mundi.* Quæ natura sit Lucis & Salis, omnes norunt: Lucis est reficere, consolari & lætos facere; Salis, mordere, purgare, adurere. *Ergò & Sal & Lux dicuntur*, inquit Chrysostomus, *ut scias utrinque* ϗ ἤλεγχον τῶν χαλεπωμένων ῥημάτων τὸ κέρδος, ϗ τῆς σεμνῆς διδασκαλίας τὸ ὄφελος, *quantum verborum mordentium lucrum sit, & quantum mansuetæ*, sic enim verto, *doctrinæ commodum.* Quàm apposita est similitudo? Debent esse instar Lucis, ad discutiendas mentis nubilæ tenebras; & instar Salis, ad siccandas affectionum corruptarum putredines. *Instar Lucis*, inquit Hieronymus, *ut salsitudinem correctionis amor temperet; instar Salis, ut amorem proximi Sal justitiæ condiat.* Si consolari detrectent, Lux deest; Sal verò, si increpare non audeant. Si Legis tantùm Comminationes urgeant, immites sunt, & sine Luce: si Gratiæ solius ostium, idque impœnitentibus aperiant, falsarii sunt & sine Sale. Isti laqueis infirmas mentes irretiunt: hi pulvillos sub axillis effrænatæ mentis consuunt. Isti Columbas abigunt: hi Vultures ad se vocant. Isti injuriosi in filios fidei, dum vetus Vinum in utres novos immittunt: hi verò in mysteria fidei, dum Vinum novum in utres veteres profundunt.

Sentio me istis diutiùs quàm par erat immoratum esse; præsertim cùm membri secundi, quod Regulas & Cautiones in se continet, ratio aliqua habenda sit: sed quia vereor isthuc me non posse hodie pertingere absque satietate vestra, idcirco si Exemplis istis & Similitudinibus rationem unam aut alteram hujus Concordiæ addidero, spero me iisdem finibus & horam & primum hoc Theorematis membrum terminaturum.

Rationes autem sunt duplicis ordinis; quædam à Commodo, quædam ab Incommodo ducuntur. A Commodo duæ sunt.

Prima est à bono communi omnium, quia sui utrumque opus est diffusivum. In Exhortationibus, solatium paucorum erit fiducia omnium; in Increpationibus, dolor paucorum erit metus omnium. 1 Tim. 5. 20. *Peccantes coram omnibus argue, ut reliqui timeant: quia dum unus corripitur, plurimi emendantur*, ut scitè Isidorus, l. 3. Sent. c. 46.

Secunda est à bono proprio cujusque. Ubi magna est auditorum frequentia, prospiciendum est genio & indoli uniuscujusque: non enim idem calceus pedi Socratis, placidi hominis & verecundi, convenit, qui morosæ rabidæque Xantippæ; neque mensa eadem paranda est uni, atque hominum multitudini. Qui in magna frequentia dicturus est, curare debet ut è thesauro suo depromat quod cujusvis palato congruat. Nam tritum est illud Axioma philosophorum, *Receptivum non recipit per modum imprimentis, sed per modum receptivitatis*; hoc est, Cujusque passionis receptio non tam sequitur conditionem agentis, quàm dispositionem & modum patientis. Et tenet etiam in Theologicis. Propter hoc motus quos Spiritus Sanctus in corde producit sunt imperfecti, quia Subjectum recipiens est angustum & fluidum. Propter hoc ipsum humano more loquitur in Scripturis, quia mens fæculenta tantorum minùs capax est mysteriorum; ergò nostro se captui accommodat. Propter hoc etiam sanctus Paulus factus est omnibus

omnibus omnia, ut aliquos servaret; Judæis Judæus, ut Judæos lucrifaceret; infirmis infirmus, ut infirmos; parvulis parvulus, ut salvos faceret parvulos. *Lac vobis potum dedi*, inquit, 1 Cor. 3. 2. *non cibum, quia ferre non poteratis.* Summâ igitur prudentiâ opus est, ut possit cujusvis Auditoris temperamentum Concionator sanctus dignoscere, & congrua singulorum vulneribus medicamina apponere; quia opus est ut omnibus omnia fiat, & palæstrarum more in diversi lateris artes se vertat, cùm quod uni medicamentum est, sit alteri venenum. Dum superbi deprimuntur, timidiores sæpe absorbentur; rursus dum fiducia timidis proponitur, superbis crescit effrænatio: dum ad largitatem tenaces hortamur, solent prodigi exinde effusionis sibi fræna laxare; è contrà, dum prodigis parcitas commendatur, tenacibus sæpenumero avaritia augetur. Hæc omnia B. Gregorius Papa, in tertia parte Curæ Pastoralis, tam prudenter & eruditè delineavit, ut si Ego post regulas ab ipso traditas aliquid de meo conarer adjicere, insubida omnia meritò censeri possent, nè dicam puerilia. In sex & triginta admonitionibus caput primum tertiæ partis Pastoralis absumitur, revera dignissimis quæ à Theologis omnibus sæpiuscule legantur. Ex istis nos docet, *Aliter senes admonendos esse, aliter juvenes; quia hos severitas admonitionis ad profectum dirigit, illos ad meliora opera deprecatio blanda componit. Aliter inopes, aliter divites: istis solatium contra tribulationem, illis metum contra elationem inferre debemus; ut & illi discant quia divitias quas non conspiciunt possidebunt, & isti agnoscant quia eas quas conspiciunt retinere non possunt. Aliter lætos, aliter tristes: lætis inferenda tristia quæ sequuntur ex supplicio, tristibus læta quæ promittuntur ex regno; ut læti discant ex minarum asperitate quod timeant, & tristes præmiorum gaudia audiant de quibus præsumant. Aliter sapientes hujus seculi, aliter tardos & hebetes: illi admonendi ut discant amittere quæ sciunt, hi ut appetant scire quæ nesciunt. Aliter denique humiles, aliter elatos: audiant illi*, inquit adhuc Gregorius, *quàm sint æterna quæ appetunt, quàm transitoria quæ contemnunt; hi verò, quàm sint transitoria quæ ambiunt, quàm æterna quæ perdunt.* Hactenus Gregorius. Hæc & istorum similia sunt quæ Pædagogiæ nostræ repagula licet nuncupare; quibus qui penitus imbuti fuerint, in *novis* istis & *veteribus* librandis peritissimi evadent. Atque hæc sunt primi ordinis Argumenta, à Commodo ducta.

Secundæ Classis ab Incommodo ducuntur.

Primum ab Incommodo publico; Neglectus Correptionis licentiam majora audendi inducit & aliis & ipsi delinquenti. Aliis est causa scandali, Prov. 24. 24. *Qui dicit impio, Justus es, exsecrabuntur eum populi, detestabuntur nationes.* Ipsi est causa audaciæ; nam propter hoc ipsum sibi plaudit, & omnia licere putat, quia non arguitur. Levit. 19. 17. *Corripies proximum tuum, nè crimen ei impingas*; vel, ut in Vulgari Translatione, *nè habeas super ipso peccatum.* Imo nè augeas peccatum & tibi & ipsi. Egregium enim est illud Basilii, τὸ κρύπτειν ἁμαρτίαν ἐστὶ τῷ νοσοῦντι τὸν θάνατον κατασπουδάζειν, *peccatum occultare, est peccatorem ad mortem ruentem impellere*, Baſ. Reg. fusiùs disput. q. 46.

Secundum ducitur ab Incommodo proprio negligentis hoc officium: facit se reum peccati quod non perpetravit, magísque reum quàm qui commiserit, si Augustino credamus; *Pejor es*, inquit, *tacendo quàm ille peccando, quia patientia tua illius mors est*, Aug. Ser. 16. De verbis Domini. Si minùs Augustino credamus, adsunt alii testes non pauci. *Qui non corripit, errori consentit*, Isidor. Sent. 3. c. 46. *Qui non corripit, resecanda committit*, Greg. Ep. 6. *Qui non corripit, bis peccat*, inquit è Philosophorum Schola Theo-

N 2 logus

logus Ethnicus; & de se Sanctus Prosper, de Vita Contemplat. 3. 23. *In omnibus peccantibus pecco, quando eos quos scio peccare quadam crudelis animi malignitate non increpo.* Si ista non sufficiant, adest testimonium ipsius Veritatis, Ezech. 33. 8. *Si non monueris impium, sanguinem ejus è manu tua requiram.* Audiant hoc meticulosæ animæ homines, qui tacent quia timent; audiant palpandi magistri, qui arguere nolunt quia adulari malunt; *Sanguinem ejus è manu tua requiram.* Quis verò Animæ sanguis? Æterna salus; Non est αἷμα, sed ἰχώρ. Et quorsum requiritur è manu non corripientis? S. Paulus docet, Act. 20. 27. *Mundus sum à sanguine omnium; non enim subterfugi quò minùs annuntiarem vobis omne consilium Dei:* mundum se dicit à sanguine, quia non subterfugit; si ergò subterfugisset, non mundus à sanguine fuisset, sed velut homicida judicandus. Et meritò sanè; nam homicida solum corpus interficit, & præsenti morti tradit: qui verò non corripit fratrem, animam perdit, eámque ad sempiternas pœnas & cruciatus transmittit. Judæis olim præcepit Deus, ut vel inimicorum suorum jumenta errantia non negligerent; aut si cecidissent, non præterirent. Quòd si sine reatu jumentum proximi non despicitur, annon extremæ feritatis erit animam proximi contemnere, animam cum qua nihil conferendum, nè mundus quidem totus? Atque si Charitati nostræ boum & ovium irrationalium salus & custodia concreditur, quid responsuri sumus Deo nostro, si τῆς λογικῆς ψυχῆς, ut Chrysost. loquitur, curam omnem custodiámque excusserimus; neque ea hominibus officia præstemus, quæ Judæi bestiis? Imò attendamus potiùs verbis supremi Moderatoris; *Corripiendo corripies fratrem tuum. Neque mirum videatur*, inquit Tertullianus, *si ità doceat, qui pecora fratris tui, si errantia in via inveneris, prohibet despicias, quò minùs ea reducas fratri; nedum ipsum sibi.* Contra Marcion. l. 4.

Accepistis quæ de prima parte Theorematis dicenda erant, leviter, & ὡς ἐν τύπῳ, prout in populari decuit argumento; sed ejusmodi tamen quæ Propositioni confirmandæ plùs æquo subserviunt: ut usquequaq; sentiatis, quam sit in exercitiis sacris Minarum Legalium & Evangelicarum Promissionum copula necessaria, si modò vel in præcepto Divino, vel in exemplis Prophetarum & Apostolorum, vel in consequentiis hinc indè fluentibus ponderis aliquid statuatur.

Quæ superest pars altera, de Regulis, Cautionibus, & Mediis, quibus ad hoc Prudentiæ Pastoralis culmen ascendere possimus, proximè sequentis diei curriculo est reservanda.

LECTIO XVII.

QUod Arrianus in Epicteto ſuo, de Philoſophis & Medicis, τὸ ἰατρεῖόν ἐστι τὸ τοῦ φιλοσόφου σχολεῖον, *Schola Philoſophi officina Medici*; in Medicos & Theologos appoſitè magìs, me judice, quadrabit, ut officina Medici ſchola Theologi cenſeatur; ſunt enim artes æmulæ, vel magìs ſororiæ, Medicina & Theologia. Nam & idem Finis utrique eſt propoſitus, & circa idem Objectum ambæ verſantur, & iiſdem paſſibus aditum ſibi aperiunt: utriuſque Finis vita eſt, Medicinæ temporalis, Theologiæ æterna; Objectũ utriuſq; ſalus, illinc corporis, hinc verò animæ. A morbis ad remedia, à remediis ſimplicibus ad compoſita, ordine ſynthetico utraque procedit. Neque enim pro perito Medico habendus eſt, ſi morborum & affectûs ſymptomata calleat, remedia verò neſciat; aut in remediis, ſi Simplicium virtutes cognoſcat, niſi porrò intelligat quâ arte permiſcenda ſunt ſingula, & calida frigidis, & humidiora ſiccis, ad ægroti ſtatum habitúmque temperanda. Ità nec Theologus prudens cumulatúſque eſt dicendus, quantumvìs poſſit de Vitiorum cauſis atque diſcrimine enucleatè diſputare, atque ſciat inſuper quæ medicamina quibus vulneribus adhibere, niſi & hoc ipſum doceat, quo demum modo oleum Evangelicum vino Legali miſcendum ſit, & *vetera novis*. Promiſſionibus Minæ ratione pluſquam geometricâ librandæ: & de remediis iſtis animæ ægrotantis, quàm ſit in exercitiis Sacris Exhortationum & Increpationum copula neceſſaria, ſuperiùs accepiſtis. Hæc Theorematis prima pars erat, de Neceſſitate Unionis iſtarum inter ſe.

Secunda ſupereſt, de Regulis, Cautionibus & Mediis, quibus ad hoc prudentiæ Paſtoralis culmen aſcendere poſſimus, & Concordiam hanc vel temperare ſuaviùs, vel feliciùs exercere. Eſt autem res valde ardua, & multis obſtructa difficultatibus; quia in ea nos tempora incidimus, quæ nec Vitia ferre poſſunt, nec Remedia. Pecus effrænum ſumus & intractatum, quibus libido peccandi indomita, redeundi ſpes quàm exigua. Nec trahi, nec duci ſe patiuntur homines; adeò eſt & exhortatio omnis impotens, & reprehenſio inſuavis, non minùs quàm equo calcar. Quocirca cùm via ſit lutoſa & ſylveſtris, periculorum plena & anfractuum, regulis & cautionibus munienda eſt, nè labor huic operi inſumptus incaſsùm cadat, velut *aereus bractea fucus, aut picta nebula*, ut Symmachus loquitur. Perplurimùm hac in re ſudarunt Scholaſtici, & veteres & recentiores, in 4 Sent. Diſt. 19. & in 2ª 2æ, Qu. 33. nec non Canoniſtæ & Summiſtæ penè ad unum univerſi; ſtatuúntque legitimæ Correptionis conditiones multas. Ex parte Corripientis, aptitudinem ad corripiendum, manſuetudinem in corripiendo, certam cognitionem peccati. Ex parte Peccantis, temporis opportunitatem, peccati gravitatem, ſpem probabilem de correpti emendatione, & ejuſmodi; quæ tamen univerſa vocabulo uno abſolvuntur, ſi fiat debitis circumſtantiis, quarum omnium inprimis ratio habenda eſt, ut ſit Gradus debitus, & Modus debitus, & Finis debitus, & Perſona, & Ordo, & Locus, & Tempus, & omnia debita. Mallem autem ego meiipſius veſtigiis inſiſtere, ut poſſim eodem digito & Regulas vobis & Cautiones piæ & juſtæ Increpationis indicare. Nam Regulæ in Cautionibus, & Cautiones in Regulis continentur. Sunt autem Regulæ quinque.

Prima Regula eſt ejuſmodi; Evangelica Correptio fieri debet in ſpiritu

mansuetudinis, non tumoris, aut superbiæ. Quòd in spiritu lenitatis & mansuetudinis, hæc Regula est; Quòd absque asperitate & arrogantia, hæc Cautio. Regula ab Apostolo Paulo ponitur, Gal. 6. 1. *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi hominem instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, nè & tu tenteris:* & 2 Tim. 2. 24. *Servum Dei oportet mansuetum esse, cum lenitate corripientem eos qui resistunt.* Quod in loco posteriori est ἐν πρᾳότητι, *in lenitate*, in priore est ἐν πνεύματι πρᾳότητος, *in spiritu lenitatis:* vel ut subinnueret, non modò mansueto vultu & linguâ fieri id oportere, sed & mansueto animo; vel ut ostenderet, inquit Chrysostomus, ὅτι καὶ τῷ πνεύματι ταῦτα δοκεῖ, καὶ χαρίσματός ἐστι πνευματικοῦ, *cum humanitate corripere est donum spirituale, à Spiritu Sancto proveniens*, ipsíque gratissimum. Quòd verò Tit. 1. 13. idem Apostolus imperet, *Argue eos durè*, ἀποτόμως, *acriter, ut sint sani in fide;* & c. 2. 15. *Argue cum omni imperio, ut nemo contemnat te:* quòd 1 Cor. 4. 21. hæc inter se disjungere videatur, Virgam scilicet & Spiritum lenitatis: *Non à seipso dissentit Apostolus*, inquit Primasius, *quia de diverso delinquentium genere sermo instituitur.* Qui præfracti & contumaces sunt, acerbiùs corripiendi, ut aculeos peccati sentiant saltem in alio, quos in seipsis non sentiunt: at cum ingenuis molliùs est agendum, ut ad suave jugum Christi pari suavitate sermonis ducantur. Quanquam & illud addi potest quod à Chrysostomo observatum est, Etiam cum virga lenitatem, & cum severitate mansuetudinem ritè posse consistere. *Est quædam ira generosa,* inquit Chrysost. *quæ quasi acies est gladii spiritualis, & mansuetudinem non tollit, sed acuit. Odit & amat, dici non potest: irascitur & amat, dici potest*, Aug. Hom. 6. Authoritatem & vehementiam mansuetudo non tollit, sed clamorem & iracundiam; gravitatem servat, sed comitate condîtam. Authoritate & gravitate convincuntur errores, clamore irritantur. *Fiat* igitur, inquit Chrysost. μετ᾽ ἐπιταγῆς, οὐ μετὰ θρασύτητος, *cum ardore, non cum jactatione verborum;* ἵνα θεραπεύσωμεν, οὐχ ἵνα προσαλίζωμεν, Naz. orat. 2. *zelo acti, non furore aut rabie, nè magìs exprobrare quàm emendare velle videamur.*

Quòd si rigidè & acriter, cauteriis solis assueti, fumigantes & quassatos animos tractemus, emendandi spes omnis evanescit: *Non erit hæc medicina, sed carnificina,* inquit Gul. Parisiensis. οὐ φιλοστοργίας ψῆφος, ἀλλὰ μισανθρωπίας, inquit Chrys. Hom.24. in Matth. Si Isidoro credimus, non est arguere, sed exulcerare, Sent. 3. c. 46. Si Cypriano, Ep. 31. non erit curare, sed potiùs occidere. Flectenda igitur arundo est, non frangenda, & affectu nutricio vulnerum ora tractanda magìs quàm resecanda; *considerans*, inquit Apostolus, *teipsum, nè & tu tenteris.* Nam & tu fortasse, cùm ejusdem sis naturæ particeps, potes esse etiam & criminis. Ergò meminisse oportet quòd talis aut es, aut fuisti, aut esse potes. Si propriæ imbecillitatis sis memor, futurus es in alios indulgentior. Sic sapientes medici quoties membra putrefacta secturi sunt, molli manu, quasi aliud agentes, breviter hoc facere student, celeritate sectionis cruciatûs sensum fallentes: similiter, & paucis verbis objurgatio constringenda est, breviloquentiæ non minùs alumna quàm suaviloquentiæ, quia mansueti animi officium est correptio. Hæc prima Regula.

Regula secunda. Non solùm in spiritu mansuetudinis fieri debet, sed in spiritu Charitatis & dilectionis; hæc Regula. Non ex Odio, non ex vindicta; hæc Cautio. Et hæc quoque norma ab Apostolo Paulo statuitur, 1 Cor.16. 14. *Omnia in charitate fiant;* & 2 Tim. 1. 13. *Formam teneto sanorum verborum, in fide & dilectione. Sanantia verba* Apostolus vocat quæ à charitate procedunt; sin minùs, non sanant, sed sauciant. Pariter &

2 Thess.

2 Theſſ. 3. 15. *Non ut inimicum habeto, ſed corrigito tanquam fratrem*; hoc eſt, non ut inimicus inimicum, ſed ut frater fratrem: nam mutuus eſt recurſus, Non ut hoſtis, ſed frater; non ut hoſtem, ſed fratrem. Huc ſpectat Auguſtini regula in expoſ. Epiſt. ad Galat. *Nunquam alieni peccati objurgandi negotium ſuſcipiendum eſt, niſi coram Deo conſcientia noſtra liquidò reſponderit, dilectione nos id facere; quicquid enim exacerbato animo dixeris, punientis eſt impetus, non charitas corrigentis.* Ut verò charitatis radii in verbo Correptionis emicent, duo potiſſimùm requiruntur; ratio Objecti, & ratio Finis. Pro Objecto, non perſonam, ſed peccatum oportet ſeligere; & *vitiis potiùs dominari quàm fratribus*, ut Gregor. loquitur; & odio habere nequitiam, amore complecti creaturam; hominem diligere oportet, errores interficere. Sic Chriſtus ipſe in Evangelio, adversùs mulierem deprehenſam in adulterio, Joh. 8. 10. *Nemo te condemnavit? Nec ego te condemno.* Quid eſt, Domine? Num ergò faves peccatis? Nullo modo: damnavit, ſed peccatum quidem, non perſonam: *Nè ampliùs pecces.* Sic S. David, Pſal. 59. 12. *Nè occîdas illos, Domine, ſed diſperge illos.* Sic & amorem ſuum ſimul & odium indicavit. *Non amat tantùm*, inquit Auguſtinus, *nec odit tantùm, ſed & amat & odit: odit quod ipſi fecerunt, peccatum; amat quod Deus fecit, hominem.* οὐ τὸν ἄνθρωπον, inquit Chryſ. ἀλλὰ τὴν πονηρὰν πρᾶξιν· ὁ μὲν γὰρ ἄνθρωπος ἔργον Θεοῦ, ἡ δὲ πλάνη ἔργον τοῦ διαβόλου. Sic Venantio Greg. Magnus olim reſcripſit, l. 1. Ep. 33. *Ità culpam tuam inſequor, ut te diligam; ità perſonam tuam diligo, ut vitia non amplectar.* Hoc ipſe Seneca agnovit, quando pacem cum hominibus ineundam docet, cum vitiis bellum: hócque Medici non inviti faciunt, dum in morbos crudeles ſe præbent, in ipſos ægrotos mites & placidos; & id agunt curando ut ægritudo pellatur, æger levetur. Neque enim aliter poteſt eſſe legitima Increpationis ratio, quàm ſi perſonam ſervet, errorem ipſius transfodiat. Hoc primum Dilectionis ſignum, ſi in peccatum, non in perſonam, Correptio feratur.

Alterum à Fine petendum eſt. Quis autem ſit Finis congruus, S. Baſilius demonſtrat, Conc. 7. de Peccato; ὁ ἔλεγχος τέλος ἔχει τὴν διόρθωσιν τοῦ ἁμαρτάνοντος, *finis arguentis eſt emendatio peccantis.* Quod majus Dilectionis pignus, quàm emendandi ſtudium? Jac. 5. 20. *Qui avertit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Qui avertit, ſalvabit*; hoc idem eſt ac ſi dixiſſet, *qui corripiet, ſalvabit*, quia avertuntur homines corripiendo. Imò verò quod majus eſt, non modò animam ſalvabit, ſed delicta ipſius teget. Hoc paulò intellectu difficilius. Quis putat increpatione peccata tegi, ſed magìs propalari? Imò verò *operiet*, inquit Apoſtolus. Quo autem modo operiet, S. Petrus oſtendit, 1 Pet. 4. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Corripiens operit, dicente Paulo; Charitas operit, Petri ſententiâ; hoc eſt, corripiens in Charitate operit: ídque multis modis, Deo, Hominibus, Peccanti, Corripienti.

Reſpectu Dei operit, Ad pœnitentiam & fidem ducendo. Correptio idcirco eſt inſtar tegminis, quia eſt medium Converſionis.

Reſpectu Hominum, Celando: non dicax eſt aut garrula Charitatis correptio; non divulgat aut prodit, ſecretò ſe habet, agítque remotis arbitris. Prov. 10. *Odium ſuſcitat rixas, & univerſa delicta operit charitas. Quia*, inquit Lyranus, *ſicut odium per rixas manifeſtat defectus aliorum: ſic charitas celat, niſi quantum correctio fraterna requirit; facítque ut ipſi pateant, aliis abſcondantur.*

Reſpectu Peccantis, Ligando & ſanando; ulcus aperit ut ſaniem tollat, & ſinus expleat, & cutem obducat. Eſt enim *vinculum perfectionis charitas*,

mansuetudinis, non tumoris, aut superbiæ. Quòd in spiritu lenitatis & mansuetudinis, hæc Regula est; Quòd absque asperitate & arrogantia, hæc Cautio. Regula ab Apostolo Paulo ponitur, Gal. 6. 1. *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi hominem instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, nè & tu tenteris:* & 2 Tim. 2. 24. *Servum Dei oportet mansuetum esse, cum lenitate corripientem eos qui resistunt.* Quod in loco posteriori est ἐν πρᾳότητι, *in lenitate*, in priore est ἐν πνεύματι πρᾳότητος, *in spiritu lenitatis:* vel ut subinnueret, non modò mansueto vultu & linguâ fieri id oportere, sed & mansueto animo; vel ut ostenderet, inquit Chrysostomus, ὅτι καὶ τῷ πνεύματι ταῦτα δοκεῖ, καὶ χαρίσματός ἐστι πνευματικοῦ, *cum humanitate corripere est donum spirituale, à Spiritu Sancto proveniens*, ipsique gratissimum. Quòd verò Tit. 1. 13. idem Apostolus imperet, *Argue eos durè*, ἀποτόμως, *acriter, ut sint sani in fide*; & c. 2. 15. *Argue cum omni imperio, ut nemo contemnat te:* quòd 1 Cor. 4. 21. hæc inter se disjungere videatur, Virgam scilicet & Spiritum lenitatis: *Non à seipso dissentit Apostolus*, inquit Primasius, *quia de diverso delinquentium genere sermo instituitur.* Qui præfracti & contumaces sunt, acerbiùs corripiendi, ut aculeos peccati sentiant saltem in alio, quos in seipsis non sentiunt: at cum ingenuis molliùs est agendum, ut ad suave jugum Christi pari suavitate sermonis ducantur. Quanquam & illud addi potest quod à Chrysostomo observatum est, Etiam cum virga lenitatem, & cum severitate mansuetudinem ritè posse consistere. *Est quadam ira generosa,* inquit Chrysost. *quæ quasi acies est gladii spiritualis, & mansuetudinem non tollit, sed acuit. Odit & amat, dici non potest: irascitur & amat, dici potest*, Aug. Hom. 6. Authoritatem & vehementiam mansuetudo non tollit, sed clamorem & iracundiam; gravitatem servat, sed comitate condîtam. Authoritate & gravitate convincuntur errores, clamore irritantur. *Fiat* igitur, inquit Chrysost. μετ' ἐπιταγῆς, οὐ μετὰ θρασύτητος, *cum ardore, non cum jactatione verborum*; ἵνα θεραπεύσωμεν, οὐχ ἵνα τραπλήξωμεν, Naz. orat. 2. *zelo acti, non furore aut rabie, nè magis exprobrare quàm emendare velle videamur.*

Quòd si rigidè & acriter, cauteriis solis assueti, fumigantes & quassatos animos tractemus, emendandi spes omnis evanescit: *Non erit hæc medicina, sed carnificina,* inquit Gul. Parisiensis. οὐ φιλοσοργίας ψῆφος, ἀλλὰ μισανθρωπίας, inquit Chrys. Hom. 24. in Matth. Si Isidoro credimus, non est arguere, sed exulcerare, Sent. 3. c. 46. Si Cypriano, Ep. 31. non erit curare, sed potiùs occidere. Flectenda igitur arundo est, non frangenda, & affectu nutricio vulnerum ora tractanda magìs quàm resecanda; *considerans*, inquit Apostolus, *teipsum, nè & tu tenteris.* Nam & tu fortasse, cùm ejusdem sis naturæ particeps, potes esse etiam & criminis. Ergò meminisse oportet quòd talis aut es, aut fuisti, aut esse potes. Si propriæ imbecillitatis sis memor, futurus es in alios indulgentior. Sic sapientes medici quoties membra putrefacta secturi sunt, molli manu, quasi aliud agentes, breviter hoc facere student, celeritate sectionis cruciatûs sensum fallentes: similiter, & paucis verbis objurgatio constringenda est, breviloquentiæ non minùs alumna quàm suaviloquentiæ, quia mansueti animi officium est correptio. Hæc prima Regula.

Regula secunda. Non solùm in spiritu mansuetudinis fieri debet, sed in spiritu Charitatis & dilectionis; hæc Regula. Non ex Odio, non ex vindicta; hæc Cautio. Et hæc quoque norma ab Apostolo Paulo statuitur, 1 Cor. 16. 14. *Omnia in charitate fiant*; & 2 Tim. 1. 13. *Formam teneto sanorum verborum, in fide & dilectione. Sanantia verba* Apostolus vocat quæ à charitate procedunt; sin minùs, non sanant, sed sauciant. Pariter & 2 Thess.

2 Thess. 3. 15. *Non ut inimicum habeto, sed corrigito tanquam fratrem*; hoc est, non ut inimicus inimicum, sed ut frater fratrem: nam mutuus est recursus, Non ut hostis, sed frater; non ut hostem, sed fratrem. Huc spectat Augustini regula in expos. Epist. ad Galat. *Nunquam alieni peccati objurgandi negotium suscipiendum est, nisi coram Deo conscientia nostra liquidò responderit, dilectione nos id facere; quicquid enim exacerbato animo dixeris, punientis est impetus, non charitas corrigentis.* Ut verò charitatis radii in verbo Correptionis emicent, duo potissimùm requiruntur; ratio Objecti, & ratio Finis. Pro Objecto, non personam, sed peccatum oportet seligere; & *vitiis potiùs dominari quàm fratribus*, ut Gregor. loquitur; & odio habere nequitiam, amore complecti creaturam; hominem diligere oportet, errores interficere. Sic Christus ipse in Evangelio, adversùs mulierem deprehensam in adulterio, Joh. 8. 10. *Nemo te condemnavit? Nec ego te condemno.* Quid est, Domine? Num ergò faves peccatis? Nullo modo: damnavit, sed peccatum quidem, non personam: *Nè ampliùs pecces.* Sic S. David, Psal. 59. 12. *Nè occidas illos, Domine, sed disperge illos.* Sic & amorem suum simul & odium indicavit. *Non amat tantùm*, inquit Augustinus, *nec odit tantùm, sed & amat & odit: odit quod ipsi fecerunt, peccatum; amat quod Deus fecit, hominem.* οὐ τὸν ἄνθρωπον, inquit Chrys. ἀλλὰ τὴν πονηρὰν πρᾶξιν· ὁ μὲν γὰρ ἄνθρωπος ἔργον Θεοῦ, ἡ δὲ πλάνη ἔργον τοῦ διαβόλου. Sic Venantio Greg. Magnus olim rescripsit, l. 1. Ep. 33. *Ità culpam tuam insequor, ut te diligam; ità personam tuam diligo, ut vitia non amplectar.* Hoc ipse Seneca agnovit, quando pacem cum hominibus ineundam docet, cum vitiis bellum: hócque Medici non inviti faciunt, dum in morbos crudeles se præbent, in ipsos ægrotos mites & placidos; & id agunt curando ut ægritudo pellatur, æger levetur. Neque enim aliter potest esse legitima Increpationis ratio, quàm si personam servet, errorem ipsius transfodiat. Hoc primum Dilectionis signum, si in peccatum, non in personam, Correptio feratur.

Alterum à Fine petendum est. Quis autem sit Finis congruus, S. Basilius demonstrat, Conc. 7. de Peccato; ὁ ἔλεγχος τέλος ἔχει τὴν διόρθωσιν τοῦ ἁμαρτάνοντος, *finis arguentis est emendatio peccantis.* Quod majus Dilectionis pignus, quàm emendandi studium? Jac. 5. 20. *Qui avertit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Qui avertit, salvabit*; hoc idem est ac si dixisset, *qui corripiet, salvabit*, quia avertuntur homines corripiendo. Imò verò quod majus est, non modò animam salvabit, sed delicta ipsius teget. Hoc paulò intellectu difficilius. Quis putat increpatione peccata tegi, sed magìs propalari? Imò verò *operiet*, inquit Apostolus. Quo autem modo operiet, S. Petrus ostendit, 1 Pet. 4. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Corripiens operit, dicente Paulo; Charitas operit, Petri sententiâ; hoc est, corripiens in Charitate operit: ídque multis modis, Deo, Hominibus, Peccanti, Corripienti.

Respectu Dei operit, Ad pœnitentiam & fidem ducendo. Correptio idcirco est instar tegminis, quia est medium Conversionis.

Respectu Hominum, Celando: non dicax est aut garrula Charitatis correptio; non divulgat aut prodit, secretò se habet, agítque remotis arbitris. Prov. 10. *Odium suscitat rixas, & universa delicta operit charitas. Quia*, inquit Lyranus, *sicut odium per rixas manifestat defectus aliorum: sic charitas celat, nisi quantum correctio fraterna requirit; facítque ut ipsi pateant, aliis abscondantur.*

Respectu Peccantis, Ligando & sanando; ulcus aperit ut saniem tollat, & sinus expleat, & cutem obducat. Est enim *vinculum perfectionis charitas*,

inquit Apostolus, Col.3.14. hoc est, & vinculum gratiarum, quo devinciuntur omnes virtutes nè dilabantur; & vulnerum, quo adstringuntur etiam vitia aliorum nè possint excrescere, quo colligantur increpationes nè evanescant; dissolvuntur enim facilè nisi fiant in charitate. *Quemadmodum in Navi*, inquit Chrysost. *etiamsi magna sint instrumenta, & non sint quæ eam succingant tabulata, nihil prodest; & in Domo, si non sint contignationes; & in Corpore, etiamsi sint magna ossa, non sint autem ligamenta, nihil juvat: ità & in Correptione fraterna, etiamsi aderit manus placida, & quæcunque alia desiderantur non pauca, irrita fiunt omnia, veluti inania fomenta verborum, nisi Charitatis fasciis vulnera circumligentur.*

Postremò, respectu Corripientis. Delicta Charitas operit, extenuando, obliviscendo; non suspicione cæcâ ducitur, subesse posse peccatum ubi non sit; non est in aliena Republica curiosa, aut rumorum auceps, ut possit nosse; non adauget, aut exaggerat; non est admissi memor si noverit: sed omnia pro summo, quo pollet, candore animi in mitiorem partem interpretatur; & quod non invenit laudat, & quod invenit tegit. Quòd autem Scholastici hac in parte disputant, An teneatur quis de aliorum Vitiis sedulus inquirere, ut habeat quod redarguat: & quod Aquinas, cum turba Sententiariorum, in 2ª 2ª, Quæst.3. Art. 2. inter fraternam correptionem & Prælatorum hoc discriminis ponunt, Quòd lege fraternæ correptionis, non tenetur homo inquirere aliorum defectus quos reprehendat; sed paternæ correptionis lege tenetur, ut præcavendo malis obviet: non nisi cum grano salis est accipiendum; quia disquisitio pietatis etiam in privatis est probanda; disquisitio pruriginis & curiositatis nè in Prælatis quidem laudanda est. *Nè quæras*, inquit Salomon, Prov. 24. 15. *impietatem in domo justi; septies enim cadet justus, & resurget.* Qui in quærendo & rimando versatur, Charitatem solvit; Charitatis enim vinculo tenemur non scrutari, sed tegere. Hæc Charitatis lex est, hic justæ Increpationis finis, ut fiat οὐκ ἐν πάθει τῆς ἐκδικήσεως, ἀλλ' ἐν ἐπιθυμίᾳ τῆς διορθώσεως, ut Basilius loquitur, *non ulciscendi libidine, sed desiderio emendandi*; sic ut à concupiscibili parte animi magìs oriatur quàm ab irascibili; non à supercilio aut stomacho, sed amoris visceribus, quandoquidem ut reliquorum, sic etiam hujus Præcepti finis est Charitas. Hæc Regula secunda.

Regula tertia. Non solùm in spiritu Charitatis debet fieri, sed in spiritu Patientiæ; hæc Regula. Non præcipiti animo, aut de salutis exitu desperante; hæc Cautio. Sunt enim nonnulli objurgatores præproperi & morosi, qui si primo impetu se nihil proficere persentiscant, statim despondent animos; & cùm tardè sua monita perfici videant, illico discruciantur, quasi jam spes nulla superesset prolapsam semel mentem in meliorem statum vertendi. At verò animus fortis & obfirmatus, qui amore flagrat pietatis, paucorum dierum facilè devorabit molestiam. Nihil longum putat quod potest aliquando evenire. Si res paulò lentior sit, non recusat tædium pati, & quamvis seræ spei exitum exspectare. Sic Paulus Apostolus hortatur 1 Thess.5.14. *Rogamus vos, fratres, corripite delinquentes, & longanimes estote erga omnem hominem:* pariter in 2 Tim. 4.2. *Argue*, inquit, *redargue*, ἐν πάσῃ μακροθυμίᾳ, *cum omni longanimitate*; nam & hoc unum non pignus ultimum est Vocationis nostræ, si *cum humilitate & patientia toleremus alii alios per charitatem*, Ephes. 4.2. Neque est sigillum minimum Ministerii nostri, ut *in omnibus exhibeamus nosmetipsos ut Dei ministros, in multa patientia & tolerantia*, 2 Cor. 6. 4. Et revera honorificentius nihil excogitari potest, quàm ut ipsos feramus qui se ferre non possunt; nihil æquius, quàm ut nos alios patiamur, cùm Deus nos omnes humanissimè, imò divinissimè,

pertinaces

pertinaces atque immorigeros quàm diutissimè pati non dedignetur. Tu verò, mi homo, an divitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quòd ad similem te patientiam benignitas Dei provocat? Rom. 2. v. 4. an pro duritia tua thesaurizas tibi iram in diem iræ, qui peccantes pati non potes quos Deus patitur? Qui fit igitur ut tu teipsum diutiùs feras, si peccatoris nomen tibi molestum sit? *Unusquisque in se intendens peccatorem invenit*, inquit Augustinus. A te incipe. An tuiipsius memoria intercidit? An peccatorem te nescis? an ægrum? an medicum? Respondeas igitur, Sanisne parantur hæc medicamina, an ægris? Si ægris, quid est quòd ægre feras, nisi major te cœperit ægritudo? Discas tandem saltem à medicis patientiam. Medicus, si morosiorem paulò ægrotum viderit, non recedit illico, non curam abjicit; quinimo si usque ad ravim & rabiem insaniat & furore ardeat ægrotus, judicii certus & inconcussus perstat, nec nisi re perfectâ conquiescit. Vade & fac tu similiter; si intemperantiùs paulò languentes animulæ se gesserint, non novum hoc est, aut nuper cognitum, imò querela vetus. Sic solent amicos suos homunciones miseri peccatorum fæcibus defixi. Adeò molesta est veritas, & amara disciplina justitiæ, ut si quis vel ulcus tangat, nedum vomicam aperiat, fremunt illico, mordent, calcitrant, & phreneticorum more medicis probra atque convitia ingerunt; & quò quisque pejor, eò asperiùs sessorem patitur. Tu quid ad ista? An cadis animo? Imò contrà audacior ito. Admone, obsecra, osculare, pedes amplectere, lacrymas profunde, preces Deo offer; nam hæc omnia Medici, dum ægrotos petulantes tractant, & ferre & facere non erubescunt: si minentur, si indignentur, si convitia in te jaciant, si contumeliis afficiant, si quidvis aliud intentent, fortiter omnia feras. μαρτύριον τοῦτ' ἐστιν, inquit Chrys. *martyrii genus est*; martyres autem nil magis decet quàm patientia. Hæc Regula tertia.

Regula quarta; Non solùm ex spiritu Patientiæ, sed Innocentiæ, correptio laudatur: vacare crimine oportet qui redarguit, nec crimine solùm, sed culpâ; hæc Regula. E contrà verò, qui vitiorum contagionibus servit, non debet vitia aliena corripere. *Est enim improbum*, inquit Isidorus, *arguere in alio quod deprehendit quis in semetipso*. Hæc Cautio. Et hæc quoque Regula ab Apostolo traditur, Tit. 1. 7. *Oportet Episcopum inculpatum esse, tanquam Dei dispensatorem:* hoc est, inculpatus sit qui culpas prosequitur aliorum; & irreprehensibilis, qui alios reprehendit. Habetur etiam regula inter Scholasticorum disceptationes, multáque in eam partem argumentantur diffidentibus sententiis. At summa hæc est, Quòd in peccato mortali exsistens, si alium corripiat, sive fraternaliter, sive authoritativè, mortaliter peccat. *Imò utrinque peccat*, inquit Richardus in Sentent. *sive corripiat, sive taceat: si taceat, contra fratrem peccat; si corripiat, contra seipsum.* Per se non peccat corripiendo, quia non eximitur ab officio, quia peccatum proprium non tollit judicium rationis, unde corripientis partes agat: sed per accidens peccat, & *tripliciter impeditur quò minùs corripiat*, inquit Cajetanus.

Primò, *ratione Superbiæ annexæ*; quia peccata sua parvipendit, aliorum severâ austeritate dijudicans: non autem debuit corripere, sed congemiscere.

Secundò, *ratione Suppositi indigni*; quia majoris peccati reus non est dignus ut alium de minori corripiat. Matth. 7. 3, 4. *Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non animadvertis? Aut quomodo dicis fratri tuo, Sine ejiciam festucam ex oculo tuo, & ecce trabes in oculo proprio?* tu magno crimine teneris obnoxius, & minora fratribus non concedis?

Tertiò,

Tertiò, *ratione Scandali*; quia officio pio contumeliam facit, & contra ſeipſum ferre ſententiam non veretur. De ejuſmodi S. Paulus, Rom. 2. 21. *Tu qui cæcorum dux es, eruditor inſipientium, alium doces, teipſum non doces? qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis non mœchandum, mœcharis? qui abominaris idola, ſacrilegium facis? hoc eſt*, inquit Ambroſius, *tu alios arguis, teipſum non arguis, & facis quod prædicas fieri non debere.* Quid indè ſequitur? *Ergò inexcuſabilis es, ô homo, qui judicas*, verſu primo, quia reus in iiſdem quæ arguis inveniris; & oſtendis quòd fratrem tuum ipſe odio judices, non ſtudio diſciplinæ; nec emendare eum cupis, ſed maculam inurere, dum quod in illo reprehendis ipſe facere non erubeſcis. Sic ipſi vivis, & tibi moreris, & exemplo tuo ſupremum judicem doces ex ore tuo non te arguere modò, ſed prædamnare. *Legem ſibi indicit*, inquit Seneca, *qui ab altero rationem vitæ repoſcit.* Et *ſi legem non ſervaveris, in proprium tuum convitium diſertus eris; quia opus tuum deſtruit officium tuum, & in quo alterum arguis, teipſum condemnas*, ut Primaſius optimè. Quocirca ſtudeamus, Fratres, innocentiæ ſinguli, quæ integritatis prima ſimplicitas eſt. Nocentes ſunt quicunque ab honeſto recedunt, quamvìs nemini noceant; atque bis noxii, ſi in aliorum errores involemus, nobiſmetipſis faveamus. *Purificate vos qui fertis vaſa Domini*, inquit Propheta, Iſa. 52. 11. *Purificate*, inquit, *vos*. Quo autem modo? Et à reatu, & à macula; nè ad vos vel crimen ullum, vel ficta criminis ſuſpicio perveniat. Qua verò de cauſa? Quia *fertis vaſa Domini*. *Vaſa* docet Apoſtolus eſſe homines, vel converſos, vel convertendos, 2 Tim. 2. *Boni & ſummi viri ſunt vaſa aurea; mediocriter boni, argentea; non boni, vaſa lignea*, inquit Ambroſius. Ut igitur vaſa nitida & emundata Deo exhibere poſſint Sacerdotes, priùs ſeipſos pient eluántq; neceſſe eſt. Ut forcipes & emunctoria Templi ex auro puro fierent, Deus Moſi præcepit, Exod. 25. 38. Forceps ſacerdotalis eſt Correptio, quâ errores & vitia purgantur: Ex auro forcipes fiunt, cùm ex vitæ innocentia verba increpationis proveniunt; & munda ſunt Davidis judicio, cùm innocentiæ lavacro tinguntur; neque enim eſt clavis alia diſciplinæ noſtræ quàm innocentia. Hæc Regula quarta.

Regula ultima eſt, Ut fiat in & cum ſpiritu Prudentiæ. Nam juxta ordinem à Salvatore traditum, Innocentiæ columbarum ſerpentum prudentia jungenda eſt, ut conſilio & circumſpectione currus impellatur; hæc Regula. Non temeritate aut incogitantiâ, non levi aut præcipiti judicio; hæc Cautio. Ad hanc Regulam referenda ſunt iſta loca Apoſtoli, 1 Cor. 12. 8. *Per Spiritum datur ſermo ſapientiæ*; & Col. 3. 16. *Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter, cum omni ſapientia docendo & commonendo vos mutuò*; & 1 Cor. 14. 20. *Omnia fiant honeſtè, & ſecundùm ordinem*, εὐσχημόνως, καὶ κατὰ τάξιν· i. e. κατὰ τὸ πρέπον, καὶ κατὰ τὴν τάξιν· hoc eſt quod loco altero, *prudenter docendo & commonendo*. Prudentiæ enim radii ſunt Decor & Ordo. Atque haud ſcio an alicubi fulgeant magìs quàm in verbo Correptionis. *Sive in choro fueris*, inquit Chryſ. *ſive in navigio, ſive in curru, ſive in caſtris*, οὐδὲν οὕτως οἰκοδομεῖ ὡς εὐταξία, *nihil eſt quod magìs proficit quàm prudens ordinis conſervatio*. In rebus ſpiritualibus multò magìs, ſi quis hortari velit, ſive conſolari, ſive erudire, ſive arguere, non alio clavo Diſciplinæ cymba regenda eſt quàm Ordinis & Prudentiæ. Sunt autem quatuor capita ad quæ hæc Ordinis & Prudentiæ ratio revocanda eſt; Rei nimirum, & Perſonæ, & Temporis, & Loci cauta diligénſque inſpectio.

Primus Prudentiæ radius in Rerum diſcrimine ſitus eſt, ut poſſit diſtinguere inter lepram & lepram, inter peccatum & peccatum. Nam ſæpe virtutes ſe eſſe vitia mentiuntur; Crudelitas Juſtitia vult videri, Luxuria Charitas:

ritas: aliquando pro vitiis virtutes habentur; Amentiæ titulo notatur Zelus, & pro Stultitia Modestia reputatur: aliquando iniquâ rerum vicissitudine majora in minora, & minora in majora vertuntur; Culpa levis pro Crimine judicatur, & Scelera Errata appellantur. Opus est igitur inprimis Prudentiâ, ut certa habeatur Peccati cognitio, nec non ut discerni possit quid cuique delicto debeatur. De Venialibus Scholastici disputent, Utrùm Correptionis præcepto subdantur. Quod non est, sub præcepto esse non potest. Attamen ad gradus peccatorum quod spectat, meminisse oportet, Non lapsus singulos correptione perstringendos esse, neque crimina singula eodem impetu. Nonnulla prorsus sunt prætereunda, alia tangenda, alia exagitanda, prout magis minúsve congruum Prudentia judicaverit.

Secundus Prudentiæ radius in Personarum discrimine constituitur, Ut possit distinguere inter peccatorem & peccatorem; inter oves & lupos discernendum est, nec non inter agnos & oves. De infirmis Apostolus cavet, nè acerbè corripiantur, sed in Spiritu lenitatis, Gal. 6.1. De obstinatioribus præcipit, ut duriùs & acerbiùs tractemus, Tit. 1. 13. *Sic pater instituens filios prudenter id facit*, inquit Epiphanius, ἑκάστῃ ἡλικίᾳ ἁρμοζόμενος, *accommodans se ad singulorum ætates*. Non infantem eâdem quâ adolescentulum disciplinâ continet; nec adolescentulum perinde ac juvenem; nec hunc, ut robustum & virili ætate præditum, coercet. Quinimò tenellum adhuc & penè lactentem digito castigat, puerulum paulò grandiorem colapho, loris adolescentulum, juvenem virgis, virum baculo. Adeò pro Personarum discrimine personæ habitus mutandus est; nunc lenitatis partes agendæ sunt, nunc verò severitatis persona induenda est, prout rerum prudens animus æquissimum existimaverit. Hæres. 33. sect. 11.

Tertius Prudentiæ radius in Locorum discrimine statuitur, Ut possit distinguere inter secretum & publicum; quia sæpe Correptio tacita ad medelam tendit, publica semper ad discordiam; illa monentis habetur, hæc exprobrantis. Ergò hunc ordinem servandum esse Christus docet, Matth. 18. 15. *Primùm argue eum inter te & ipsum solum: si non audierit, accipe tecum unum aut duos; si adhuc non audierit, dic Ecclesiæ.* Hîc tres enumerat gradus legitimæ Correptionis. Primus *est amoris*, inquit Hugo, *alter timoris, tertius pudoris.* Primum appellare liceat Privatum; secundum Testibus comprobatum; tertium Publicum. Primò solus hoc facias, dein duobus aut tribus testibus, postremò coram Ecclesia. Non est igitur nostrum primâ quaque vice à supremo gradu ordiri, omissis duobus intermediis: & quod intra parietes & postes priùs transigendum esset, in forum aut theatrum redigere. Quæ sic progreditur Increpatio, quomodo proficiet? qui sic agit *non est correptor, sed proditor*, inquit August. in Matth. Ser. 16. *Est ea multorum peccatorum natura*, inquit Chrysost. *ut quamdiu latere possunt, facilè in animum inducunt ut in viam redeant: at cùm de fama & existimatione sua actum senserint, seposito officii magistro pudore, statim desperant rebus suis, & in impudentiam labuntur, & fidenter jam ac liberè peccandi potestatem sibi arripiunt.* Cavendum igitur est, ut rei Locus inserviat; nam *si prætermisso Christi ordine palàm arguis quem priùs clàm monere debueras, erratum ipse cognosces*, inquit Ambrosius. Adeò vel ipsius Loci ratio habenda est, si prudens aut rerum æstimator, aut errorum vindex censeri velis.

Quartus Prudentiæ radius in Temporum distantia ponitur; nam exitu felix esse non potest aut auspicatum, quod non est tempore opportunum. In morositatem inutilem & odiosam nunquam non incidit intempestiva Correptio. Quòd si corripiendus fuerit aut irâ percitus, aut præjudicio aliquo, exspectandum est dum ira transeat, sustinendum dum mens à furore conquie-

scat;

ſcat. Porrò, ſi aut deterior, aut non melior ex Correptione futurus eſt, aut certò, aut ſaltem veriſimiliter, ceſſat ejus obligatio, ſi Scholaſticis aliqua fides habenda eſt. *In hoc caſu*, inquiunt, *omittitur correptio meritoriè, niſi in Communitatis detrimentum omiſſio ceſſura ſit.*

De expedita Temporum diſtinctione nos Salomon monet, *Omnia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt univerſa ſub cælo: Tempus eſt plantandi, & tempus eſt evellendi; tempus occidendi, & tempus ſanandi; tempus quærendi, & tempus perdendi:* atque noſtrî inprimis intereſt hæc omnia cognoſcere momenta temporum. De opportuno Increpationis tempore agit idem Salomon, Prov. 9. 8. *Noli arguere deriſorem, nè oderit te; argue ſapientem, & diliget te.* Quod idem eſt ac ſi dixiſſet, Si profuturus es, increpa; ſin minùs, deſiſte: niſi fortaſſe, quod Scholaſtici interponunt, ſalus publica periclitetur; hoc ſuppoſito, etiam intempeſtiva Increpatio tempeſtiva erit, non ipſi, ſed aliis; ſicut Apoſtolus monet, 1 Tim. 5. *Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant;* hoc eſt, etiamſi incaſsùm labores, & verba profundas, nihílque promoveas, argue tamen, ut cedat in multorum commodum. Hæc Temporum diſcrimina Gregorius Mag. pulchre deſcribit, Mor. l. 31. c. 11. *Non cuncta*, inquit, *tempora doctrinæ ſunt congrua: nam plerumque dictorum virtus perditur, ſi intempeſtivè proferantur; ſæpe verò & quod leniùs dicitur conventu temporis congruentis animatur. Ille ergò ſcit rectè dicere, qui & ordinatè novit tacere. Quid enim prodeſt iraſcentem eo tempore corripere, quo alienatâ mente non ſolùm aliena verba percipere, ſed ſemetipſum vix poteſt tolerare? Doctrina itaque ut ad cor audientis pervenire valeat, quæ ſibi ſunt congrua temporum intervalla perpendat.* Hæc Gregorius. Has temporum leges Apoſtolus Paulus & perſpexit, & calluit, & obſervavit: nam idcirco Paulum rurſus vobis teſtem conſtituo, & præ omnibus ad ſanctam illam animam me confero, quoniam Pauli verba omnia Oracula quædam ſunt & Divinæ leges. Paulus verò, 1 Cor. 1. cùm Corinthios propter lites & jurgia correpturus eſſet, non niſi gradibus quibuſdam & temporum ſpatiis ad hoc ſe munus accingit. Orditur primùm à laudibus, verſ. 3. *Gratias ago Deo meo pro vobis, ob gratiam Dei quæ data eſt vobis, quòd in omnibus ditati ſitis in ipſo.* Poſtmodum adulari videtur, & blandimenta multiplicat, ver. 5. *In omni verbo & in omni ſcientia ornati, ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis.* Adhuc in laudis conſummationem ſubjungit, verſ. 7. *Ità ut nihil vobis deſit in ulla gratia, exſpectantibus revelationem Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Tandem ad preces ſe confert, verſ. 10. *Obſecro vos, Fratres, per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint inter vos diſſidia.* O quot ambages, quæ præparatio! Quæſo te, Paule, iſtis tot ambagibus quò tendis? Oſtendit verſu 11. *Declaratum eſt mihi de vobis, Fratres, quòd contentiones ſint inter vos; & unuſquiſque veſtrûm dicit, Ego ſum Pauli, Ego Apollo, Ego Cephæ, Ego Chriſti. Quid? num diſpartitus eſt Chriſtus? Num Paulus crucifixus eſt pro vobis?* Ecce quibus ſpatiis ad aperta Correptiónis verba deſcendit. Ecce quàm blandâ manu viam diſtrictæ Increpationis aperuit. Laudat, blanditur, probat, obſecrat, quaſi priùs voluit manus religare, quàm vulnus ferro correptionis incîdere. Erant profectò in Corinthiis & quæ laudari debuiſſent, & quæ argui: peritus igitur Medicus priùs ſana membra, quæ circa vulnus erant, laudando palpavit, & poſtmodum putridum ſinum vulneris feriendo transfixit; utrinque & Perſonis conſulens & Tempori.

Hoc totum illud eſt Evangelicæ Correptionis artificium, hi termini & regulæ quibus undique circumdatur; quas ſi quis ſtudio & exercitatione didicerit, næ ille Muſas Gratiis, & utile dulci, & Evangelium Lege, & *nova veteribus*

veteribus miſcet, ut *Eruditi Scribæ* nomine inſigniatur. Atque de Theoremate primo, quod Legis & Evangelii unionem in rebus Diſciplinæ, craſſâ licèt Minervâ, exhibuit, hæc dixiſſe non pœnitet.

Theorema alterum, De ipſarum unione in Doctrinæ negotio, præſentiæ noſtræ die ſequente proximo eſt enucleandum.

LECTIO XVIII.

QUÆ ſingula Auditorum animos in perorando afficere ſolent plurimùm, ſi utilia & ſuavia ſint quæ dicuntur, ſi gravitate & varietate ſplendeſcant; ea in his *novis* & *veteribus* junctim omnia convenire tam perſpicuum eſt, ut neminem eſſe judico vel in Cimmeriis tenebris natum cui non innoteſcat. Sive enim de argumenti quod tractamus Gravitate & Dignitate quæratur, quis vulgare exiſtimabit atque exigui momenti, de duobus Teſtamentis, de Lege & Evangelio, ſubtiles & ſpinoſas diſputationes contexere? Sive de Suavitate cogitatio altera ſit, cui non jucundum fuerit, tam inter ſe, ut videtur, diſſona, & ſuprema tamen Religionis noſtræ capita, in unum colligata faſciculum intueri? Sin Utilitatem etiam ſpectare velis, res ipſa loquitur, nihil eſſe quod nobis majori fructui ſolatióque eſſe poſſit, quàm Legis Minas Promiſſionibus Evangelii temperatas, & Legis doctrinam Evangelii voce ſtabilitam accipere. Poſtremò, ſi in Varietate multimoda, quid ſit quod bibularum aurium exſpectationi reſpondeat; opinor vix quenquam reperiri qui modos multiplices & numeros iſtorum verborum, ad humana, Divina, Legalia, Evangelica, antiqua, recentia ſe protendentium, anguſto ſermonis vaſculo contineri poſſe exiſtimet: οὐδ' εἰ μυρία ϛόματα ἔχοι, καὶ μυρίας γλώσσας, οὐδ' εἰ μυρίοις ἔτεσι βιώσῃ, ut de Hexaëmero Theophilus ad Autolycum loquitur, *Non ſi ipſi linguas centum, oráque centum, non ſi annorum centum vitam benigna mater natura indulgeret.* Quocirca faſtidium veſtrum non metuo, Auditores, quamvìs eruditi palati eſtis, nè tituli ſæpius repetiti crambe vos nauſeet, quòd à *novis* & *veteribus* per dies ſingulos dicendi exordia ducamus; nam meminiſſe oportet, quòd licèt exordia eadem ſint, at progrediendi ſpatia in infinitos penè ſcinduntur rivulos documentorum, quæ non minùs jucunditate & varietate oblectare, quàm uſu & commodo prodeſſe poſſunt. Et Ego quidem non video quibus potero artibus aut vobis, aut huic quidem Scripturæ fidem præſtitam liberare, niſi ordinis conſtituti membra univerſa, ſponſionis fideíque mei ſanctiſſima pignora, uſquequaque explevero. *In cithara*, inquit Chryſoſtomus, *non eſt ſatìs ex uno aut altero nervo concentum efficere, ſed ordine ſuo omnes numeroſè & decenter ſunt pulſandi:* pari modo, ad plenum cumulatúmque ſenſum iſtorum verborum, quæ *Chriſti ſuaviſſima lyra* dici merentur, non ſatìs eſt unum aut alterum membrum evolvere, verùm univerſa oportet & ſingula percurrere, atque examuſſim tractare. Atque aliqua jamdudum expedivimus. Et nunc quidem in *novorum* & *veterum* Concordia tertia hodierni inſtituti ratio verſatur, Concordia nimirum Legis & Evangelii in rebus & ad Diſciplinam & ad Doctrinam ſpectantibus.

De prima Concordiæ parte, in Disciplinæ negotio, hactenus disseruimus; Quàm sit in exercitiis Sacris Minarum & Promissionum, Cohortationum & Increpationum Copula necessaria, & quibus mediis ad hoc prudentiæ Pastoralis culmen ascendere possimus. De Necessitate unionis accepistis aliqua, de Regulis & Cautionibus non pauca; & hæc quidem omnia unius Theorematis ambitu comprehensa.

Pars altera Concordiæ nunc superest, De Legis & Evangelii unione quantum ad Doctrinam utriusque: & exinde Theorema quod emergit alterum sic se habet; Ad officium Pastorale pertinet, & Legis & Gratiæ doctrinam explicare, & in omnibus quæ ad plenam utriusque intelligentiam requiruntur Auditores suos erudire. In cujus Theorematis confirmatione ut nihil in præteritis relinquamus, in partes nativas & proprias distribuamus necesse est. Sunt autem partes duplicis ordinis, Similares & Dissimilares. Similares tres sunt: prima, de Prædicatione Gratiæ; secunda, de Prædicatione Legis; tertia, de Unione utriusque. Dissimilares duæ sunt; una Contraria, Subcontraria altera. Pars Subcontraria è calumniis Pontificiorum petenda est, qui nos Legis Divinæ hostes & eversores passim in scriptis suis clamitant. Pars Contraria, è dogmate fæculento Libertinorum & Antinomorum, qui Legis Moralis usu Christianis interdicunt, & vocem ejus, nè in Concionibus Sacris audiatur, pulpitis excludunt. Partes Similares sunt primò inspiciendæ, & de singulis sigillatim agendum est; de Doctrina Gratiæ, de Doctrina Legis, de Unione utriusque.

De Doctrina Gratiæ nemo dubitat, quin proprium sit Ministri Evangelici omnia istius mysteria recludere. Hoc Apostolis Salvator noster in mandatis dedit, Matth. 10. 7. *Prædicate, dicentes, Appropinquavit regnum cælorum:* & Mar. 16. 17. *Prædicate Evangelium omni creaturæ; Qui crediderit, salvabitur:* & Matth. 28. 20. *Docete eos servare omnia quæ mandavi vobis*; Docete quæ credenda, docete quæ facienda. Hæc regni cœlestis via, hæc Gratiæ Evangelicæ vestigia, quibus & nobis regnum, & nos regno appropinquamus. Has sibi metas Apostolus Paulus posuit, 1 Cor. 1. 3. *Nos Christum prædicamus crucifixum:* & Ephes. 3. 8. *Mihi omnium sanctorum minimo data est hæc gratia evangelizandi impervestigabiles divitias Christi.* Pleniùs non potuit Apostolus neque pressiùs Prædicationis compendia describere, quàm duobus Christi nomine sanctificatis vocabulis, *Crux Christi*, *Divitiæ Christi*, sine quo nec gratia gratia est, nec Evangelium Evangelium, nec Christianus Christianus. *Sine causa*, inquit S. Malachias, *Christianus sum, si sine Christo sum id quod sum.*

De Doctrina Legis non minùs in aperto res est, quòd spectat etiam ad officium Pastoris in vera Legis cognitione populum Dei instituere. Est enim Lex dictatum Divinæ mentis, & regula voluntatis atque operationis humanæ. Unusquisque autem tenetur illud scire ad cujus normam debet vitam suam componere. Atque si modò populus teneatur scire & facere, quis negat Pastores astringi religiosè docere? Interea verò illud mecum recognoscere oportet, in quo etiam ipsi Scholastici nostris Theologis assentiunt, Legem Mosaicam, quà Mosaicam, hoc est, quatenus per Mosem Judæis lata est, Christianos non tenere; eò quòd Mosis legislatio tantùm pertinuerat ad populum Israeliticum, idque ad Christi duntaxat adventum & Evangelii prædicationem, in qua tota Mosaica constitutio finem accepit. Sed nihilominus tamen hoc concesso, duplex est vinculum quo Legi Divinæ Christiani astringuntur. Unum est Naturæ,

Estius l. 3. d. 36. Zanch. de Decal.

Naturæ, quâ homines sumus; quia *Lex primordialis, data Adæ & Evæ in paradiso, quasi matrix erat omnium præceptorum Decalogi*, inquit Tertul. adverſ. Jud. cap. 2. & Lex Decalogi nihil aliud quàm Legis naturalis explicatio, *Explicatio Legis primæ in ipsis cordibus manu formatoris scripta*, ut Augustinus loquitur, in Psal. 57. Alterum est Gratiæ, quâ Christiani sumus; quia *Naturalia omnia præcepta, quemadmodum & legis Moralis, communia sunt*, ut Irenæus loquitur, utrique populo, & in hunc finem à Christo & Spiritu ejus in Apostolis sæpius confirmata. A Christo, Matth. 5. 17. *Non veni ut solvam Legem & Prophetas, sed ut adimpleam*; adimpleam nimirum & in me & in meis. Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Mandata quænam? Legis certè Moralis, *Non occides, Non mœchaberis*, & *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, quod primum & maximum præceptum est non minùs in Lege quàm in Evangelio, ut Irenæus observavit, lib. 3. cap. 25. Ab Apostolis ubique in scriptis suis. 1 Tim. 1. 5. *Finis Legis est charitas, de puro corde, conscientia bona, & fide non ficta.* Rom. 3. 31. *Legem destruimus per fidem? Absit, imò statuimus.* Rom. 13. 8. *Qui diligit proximum, Legem implevit.* 1 Joh. 2. 4. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est*; quia in mandatis suis Deus & cognoscitur & colitur: neque Redemptor tantùm noster Christus est, sed & Legislator; nec Medicus tantùm noster, sed Rex & Dominus; Finis quidem Legis, sed *finis perficiens, non interficiens*, ut Augustinus optimè, Tract. 55. in Joan.

De Unione utriusque quid dicam, cùm penè nulla sit officii operísque Christiani vel minima portiuncula, quæ non utrinque robur aliquod atque momentum mutuatur? Si de Charitatis & Obedientiæ præceptis sermo habeatur, Legis apparatu Evangelium sancitur, luce Evangelii Lex illustratur: quia *leges morales eædem utriusque paginæ*, ut Augustinus loquitur. Si de Peccato, Legis est coercere, Evangelii sanctiùs instituere; Legis morbum indicare, Evangelii sanare & tegere. *Lex jubere novit, Gratia juvare*, inquit Augustinus, Ep. 95. ad Innocentium. Si de Afflictionibus, ex Lege discimus quòd sunt signa iræ Dei & supplicia peccati; ex Evangelio, quòd sunt favoris Dei pignora, & adoptionis nostræ atque æternæ vitæ testimonia. Ergò inter docendum jungenda sunt hæc *nova veteribus*. Sed acre judicium ad hoc requiritur, quia facilè erratur nisi Cautiones quædam ex utraque parte adhibeantur.

In proponenda Evangelii doctrina cavendum est nè libertatis specie licentiæ viam aperiamus; nè umbratilis fidei malè-sanâ sententiâ obedientiæ jugum homines præfracti & contumaces excutiant. Nam quamvìs Lex, quatenus in manu Mosis erat, abrogata jam sit fidelibus; at quatenus jam est in manu Christi, habemus eam renovatam & restabilitam. Si morte Christi Legis chirographum deletum sit quoad vim damnatoriam, at adhuc habet vim directoriam. Si à maledictione Legis liberemur, non tamen ab obedientia. Si ipsius sanguine onus Legis, quod neque nos, neque patres nostri portare poterant, tollatur; at disciplina Legis, & speculum Legis firmum fixúmque manet. Si quoad damnationem ad Christianos non spectet; at quoad obedientiam magìs ad Christianos pertinere credimus, quò accuratiùs illam Christus exposuit & confirmavit. Summatim, Si quoad ea quæ nobis sunt perniciosa rescindatur, ut Apostolus testatur, Gal. 3. *Christus nos redemit ab exsecratione Legis*, & Rom. 6. *Non estis sub Lege, sed sub gratia*, & Rom. 7. *Liberati*, sive (ut Interpres Vetus maluit) *soluti sumus à Lege*; at non rescinditur in iis quæ sunt fi-

O 2 delibus

delibus utilia, prout est doctrinæ vitæque regula, & explicatio voluntatis Divinæ. *Si non sint sub Lege fideles, at in Lege*, inquit Augustinus: *Qui est sub Lege, secundum Legem agitur; qui in Lege, secundùm Legem agit*, August. in Psal. 1. Quod ad hanc partem spectat, à Christo rata est & confirmata, ne illinc sibi quis peccandi sumat licentiam, unde arripere oportet alacritatem serviendi Deo. Idcirco ex parte Evangelii sit hæc Cautio.

Ex parte autem Legis, cavendum est nè in proponenda Legis doctrina hominum mentes in ea sistantur, quasi possent salutem in ejus observatione invenire: sed per Legis severitatem ad Christi misericordiam sunt perducendæ, quia Lex pædagogus est ad Christum. Cavendum etiam nè eodem prorsus modo fidelibus & verè pœnitentibus accommodetur Legis doctrina, quo improbis & contumacibus. Proponenda est piis tantummodo ut regula sanctæ vitæ, in qua ambulandum est ut Deo pareant: proponenda est impiis, non modò ad illorum vitam dirigendam, sed ad terrorem incutiendum, ad demonstrandam justam illorum damnationem, nisi resipiscant. Proponenda est piis sub cautela impossibilitatis implendi eam, nè seipsos justificent, & de seipsis plùs æquo præsumant: impiis verò sub conditione possibilitatis alicujus, ex gratiæ adjutorio, si credant & resipiscant; nè redeundi curam omnem abjiciant, & de salute sua prorsus desperent. Denique, piis sub cautela arrogantiæ, quia *in multis labimur omnes*, Jac. 3. 2. nè Christum negligant: impiis sub spe indulgentiæ, si revertantur, & ad Christum Mediatorem confugiant: ut & isti discant ad Christum properare, & illi in Christo acquiescere. Atque hæc de partibus Similiaribus dixisse sufficiat.

Quæ sunt Theorematis partes Dissimilares nunc deinceps consideremus. Sunt autem, ut suprà dixi, duæ, una Contraria, altera Subcontraria. Pars Subcontraria è calumniis Pontificiorum petenda est, qui probris nos & contumeliis onerant, quasi hostes Legis, & tantùm non proditores; atque suæ maximam partem innocentiæ in hoc statuunt, si modò nostram lædere atque obtrectare possint. Nimirum nos è fæce & stercore impietatis nuper nati homunciones, in Evangelio nihil præceptum esse dicimus præter Fidem, cætera omnia neque præcepta neque prohibita, sed libera; ipsa denique Decem Mandata, digito Dei exarata, nihil ad Christianos pertinere constanter docemus. Sic solent, pro canina sua eloquentia, allatrare stellas, quas de cœlis, de rostris dixissem, non valent deducere.

Et puderet nos quidem potuisse hæc aliquando dici, si non minori negotio possent & refelli. At non erubescimus tamen, neque rubri supercilii prologo opus est, quia *testificabitur pro nobis justitia nostra*, quod S. Jacob dixit, non die crastino, sed magìs hodierno.

Sed videamus quibus testibus cædimur. Adstant in procinctu Bellarminus, Canisius, Coccius, Becanus, Smytheus, mendaciorum figuli artificésque peritissimi. Bellarminus de Justificat. lib. 4. cap. 1. *Adversarii in eo libertatem Christianam constituunt, quòd homo justus sit liber à debito Legis implendæ coram Deo, & per hoc omnia opera sint illi jam indifferentia, id est, nec præcepta nec prohibita. Ità docet Lutherus in cap. 2. ad Galat. Et in argumento ejusdem epistolæ, Summa, inquit, ars & sapientia Christiana est nescire Legem, ignorare opera, & totam justitiam activam; & in lib. de Libertate Christiana, Nullo opere, nullâ lege homini Christiano opus est, cùm per fidem sit liber ab omni Lege; & Calvinus, lib. 3. Instit. cap. 10. Paragr. 2, & 4, & 7.* Rursus Bellarminus ejusdem libri

cap.

cap. 5. *Adversarii, ut suprà diximus, in eo ponunt libertatem Christianam, ut nulli legi subjecti sint coram Deo & in conscientia; & Christum habeant pro Redemptore, non pro Legislatore; Moses autem cum suo Decalogo nihil ad eos pertineat:* & rursus cap. 1. *Multi ipsorum aliud loquuntur, aliud sentiunt; & quicquid sit de modis ipsorum loquendi, cùm excutiuntur ipsorum principia & dicta & scripta, videntur sic existimare*, & quæ sequuntur. Hæc Bellarminus.

Ad eandem monetam pertinent quæ à Petro Canisio, l.1. de Corruptelis Verbi Dei, c.11. adducuntur, *Lubecenses Ministri audaciùs vociferantur, Qui docent servanda Mandata, Christum negant, & fidem abolent:* atque rursus, *Altenburgensium hæc sunt horrenda dogmata; Christiani Concionatores prædicare debent merum Evangelium, & non Legem: Opera bona Legis non ad regnum Christi, sed ad mundum pertinent: Lex non docet bona Opera, nec idcirco prædicanda Lex est ut bona Opera peragantur: Nihil ad nos Christianos pertinent primum & nonum & decimum Præceptum Decalogi: Qui credit Christianus supra omnem est obedientiam & supra omnem legem: Ad Satanam spectant Christiani cum omnibus operibus bonis.* Hæc Canisius de Altenburgensi Colloquio, ad verbum ex Jodoco Coccio, qui Thesauri sui to.2.l.3. ar.3. è Philippi locis nescio quid simile attexit, Editione secundâ, p. 76. *Necesse est*, inquit Philippus, *ut fateamur Decalogum quoque abrogatum esse. Sophistæ nostri Judicialia & Ceremonias abrogatas esse dicunt, legem de moribus novè à Christo auctam; Adeò ex Christo bis Mosen faciunt.* Ejusdem farinæ sunt quæ à Becano Jesuita, & à Richardo Smytheo in sua Collatione, adducuntur. Becanus Theologiæ Scholasticæ par. 2. tract. 4. c.4. Qu. 2. *Non pudebit fortè Calvinistas dicere, Deum joco & ironicè loqui cùm proponit nobis observationem Legis: & ubi Christus dicit, Tollite jugum meum; Si vis ad vitam ingredi, serva mandata; Amici mei estis, si servaveritis quæ præcipio vobis; Docete eos servare omnia quæcunque mandavi vobis: an hic Calvinus dicet*, inquit Jesuita, *Non tollo jugum tuum, quia nimis grave est; Volo ad vitam ingredi, sed sine mandatorum observatione; Ero amicus tuus, etiamsi non fecero quæ præcipis; Docebo eos non servare mandata, sed solâ fide contentos esse?* En Aristarchi novi censuram, fellis & amaritudinis plenissimam. Neque bile dissimili tumet Smytheus, *Protestantes alii Legem Decalogi abrogatam esse dicunt quoad fideles; alii, etsi verbis negent, reipsa tamen id dicunt; Confessio Augustana, Zuinglius, Martyr, Calvinus, Beza, Whitakerus, Bullingerus, & alii Protestantes communiter: Quòd Lex præcipiat tantùm impiis, piis verò sit abolita: Quòd homini justificato cessent omnes leges: Quòd omnia sint libera & licita: Quòd Christus omnes leges in universum abrogavit: Quòd Lex non est posita justo in ullo usu.* Sic sui similes semper sunt in nobis calumniâ gravandis; & quod Cicero l.1. Acad. quæst. dixit, *non ovum ovo similius est quàm Servilius Servilio*, Bellarmino Canisius, Canisio Becanus, Becano Coccius, Coccio Smytheus. Quis verò est tam subtilis, qui distinguere hæc inter se possit, majórne sit numerus nominum quæ in apricum producuntur, an pessimorum dogmatum? dogmatum, an calumniarum? Sic Cyrum regem Persarum in obsidione Sardium fecisse scribit Julius Frontinus, l.3. c.8. Simulacra quædam hominum armatorum malis imposuit, & urbis mœniis admovit, ut pro veris militibus ab oppidanis haberentur. Sic in Comœdia Thraso socios suos convocat, & quos habuit, & quos non habuit; *Simalio, Dorax, Syrisce, sequimini: cedo alios; ubi centurio est Sanga, & manipulus furum? Eccum adest; ubi alii?* Sic Smytheus tandem, *Zuinglius, Martyr, Calvinus, Beza,*

Whitakerus, Bullingerus. Ubi alii? eccum adsunt; *& alii Protestantes communiter.* Quid igitur? an nobis hoc in loco aliqua disputanda est controversia? Nihil minùs, sed tantùm impudens compescenda calumnia; & regerendi nobis potestas non deest. Quod si nos digni sumus hâc contumeliâ, at illi indigni qui facerent tamen. Velim enim respondeant; Quis Papam contra Divinam Legem dispensare posse asserit? Protestantes? Quis est qui pejus esse nubere dixit quàm uri, contra S. Pauli sententiam? Protestantes? Quis fornicationem & lupanaria permittenda esse clamitat, contra totius Scripturæ decreta? Protestantes? Quis in Sacerdotum cœlibatu & interdictione calicis Ecclesiam Romanam statuit authoritatem habere, præter & contra Scripturam Sanctam; leges conscientiam obligantes instituendi? Protestantes? Quis ab ore Episcopi Romani magis quàm à Sacris Paginis Religionis institutionem se accepturum gloriatur? Protestantes? Quis non Legem modò, sed ipsum Evangelium *regulam plumbeam & Evangelium nigrum* appellat? Protestantes? Quis profanationem Sabbati, convitium ex ira cum deliberatione injectum, ex animi passione volitionem vindictæ, stultiloquium, scurrilitatem, officiosum mendacium, peccata venialia defendit? Protestantes? Quis Decem Præceptorum secundum de Imaginibus colendis è numero Præceptorum miro ingenii artificio sustulit? quis Judæis latam ejus Legis partem, non Christianis, contendit? Protestantes? Atque post hæc tanta & talia, pro sanctissimis Legis Divinæ patronis Pontificii habendi sunt; nos contemptores sumus & hostes. Sic Clodius non mœchos, sed castos.

Manius absentem Novium cùm carperet, Heus tu,
(Quidam ait) ignoras te? Hor. Ser. l.1. Sat.3.

Revera si qui reperiantur qui Legi Divinæ fideles non omnino subesse, qui nihil ad nos Decalogum Mosis pertinere dixerint, adversùs eos disputent, certi habituros se nos non adversarios, sed socios; si socios tamen patiatur Jesuiticum supercilium; ut in posterum caveant nè dixerint omnes Protestantes hoc communiter tenere & asserere. Agnosco in Lutheri scriptis sparsim hîc & illic reperiri aliquando verbum aliquod insolens & duriusculum: verùm non contra Legem Divinam, sed contra Papalem Legis abusum in negotio Justificationis. Luthero ea excidisse singula nemo sobrius est qui queat diffiteri: nam & ipse librum scripsit *de Lege Mosis cum fructu legenda*; & fidem suam abunde liberat in Commentariis super Gal.3. ver. 23,24, & 25. *Verus usus Legis nullo pretio potest æstimari*; & rursus, *Abutuntur Lege qui Christianos ab ea prorsus absolvere volunt*, &c. De Calvino res apertior quàm ut nostrâ defensione egeat. Instit. lib. 3. cap. 19. s. 2. aliísque in locis non paucis; *Non est Lex fidelibus supervacanea, tametsi apud Dei tribunal in eorum conscientiis locum non habeat. Hæc enim sunt Legis officia, docere, hortari, stimulare ad bonum, ad sanctitatis & innocentiæ studium excitare, & ejusmodi.* Eâdem simplicitate verborum sententiam suam explicat Phil. Melanchthon in Locis suis, titulo, de Lege Divina; *Lex moralis est æterna & immota sapientia Dei, & regula justitiæ discernens recta & non recta*, & quæ sequuntur: & paulò pòst, *Furor est exsecrandus dicere, vocem Legis moralis, sicut eam Christus & Prophetæ & Apostoli declarant, non docendam esse in Ecclesia.* Eadem Theod. Beza in Annot. super 2 Cor. 3.11. & in 1 Joh.2.7. *Lex quid sit faciendum, Evangelium quid sit credendum docet: sicque sunt inter se hæc duo distincta, ut unum alteri subserviat: nec enim Evangelio Lex aboletur quatenus quod rectum est præcipit, sed duntaxat quatenus mortem non perfectè præstantibus minatur:* & super 1 Tim.

1 Tim.1.9. *Damnanda est Antinomorum & Libertinorum detestanda Hæresis.* Eadem Electorales Theologi in Colloquio Altenburgensi; *Docemus fideliter, obedientiam erga mandata Dei nobis tradita debitam & rem necessariam esse:* & in primo scripto, *Antinomos nostri temporis, fanaticos Anabaptistas, Libertinos, & horum similes, Divinæ Legis hostes & oppugnatores pertinaces, rejicimus & damnamus.* Denique & Confessio Augustana, Artic.6. *Necesse est docere homines, non solùm quòd Legi obediendum sit, sed etiam quomodo placeat hæc obedientia; nè conscientiæ incidant in desperationem, cùm intelligant se Legi non satisfacere.* De reliquis non opus est ut moneam, quàm insignis fit hac in re injuria Bullingero, Whitakero, Martyri, & Theologis nostris universis, qui unâ & voce & manu in scriptis suis profitentur, Obedientiam & prædicationem Legis Divinæ esse quàm maximè necessariam; & quidem ità, ut qui eam violet peccati reus sit: peccati autem non venialis, quo sensu Papistæ veniale dixerint, sed verè mortalis, adeò ut eo ipso verè mereantur æternam damnationem, à qua nullo se ipsi pacto eximere possint per ulla merita, per ullas satisfactiones, per ulla hominum suffragia, sed tantùm per veram vivámque fidem, id est, per merita Christi. Quid ergó? satín' purgati sumus? Imò vide immane κακοηθὲς & extremam inhumanitatem Papistarum: *Etsi verbis negent, re tamen dicunt,* inquit Smytheus: *Aliud loquuntur, aliud sentiunt,* inquit Bellarminus. Quasi verò hos necesse sit nos conscientiarum judices agnoscere; aut tot tantæque controversiæ non satìs testatam fecerint nostram in profitendis nostris sensibus παῤῥησίαν, quam neque ignes neque cruces potuerint suffocare; quasi ipsis de nobis magìs habenda fides esset quàm nobisipsis. Quod in re alia Quintilianus, (Orat. Instit. l.5. c.12. & Val.Max.l.3.c.7.) *Q. Varus Hispanus M.Scaurum principem Senatûs socios in arma ait concitasse; M. Scaurus princeps Senatûs negat: Utri vos, Quirites, convenit credere?* Desinant igitur maledicere, & argumentis agant magìs quàm calumniis. *Puerilis est jactantia,* inquit alicubi Hieronymus, *accusando illustres homines, nomini suo famam quærere:* addo, & virilis prudentiæ os calumniatori obstruere. Quæ igitur sit illa pars Dissimilaris Theoremati subcontraria, è Pontificiorum probris deprompta, jam tandem accepistis.

Pars altera restat Theoremati ex diametro contraria, in qua Antinomorum paradoxa discutienda sunt. Quod August. l. 1. contra Adversarios Legis, c.1. in causa non simili, sed eâdem, *Defendenda est adversùs eorum linguas Lex Divina, quam maledicis disputationibus insectantur.* Atque hoc faciemus, si quidem Deus permiserit.

LECTIO XIX.

NON capitis modò, sed corporis Ecclesiæ militantis Davidem typum fuisse, prælia ipsius testantur. Et illi quidem non solùm à Philistæis atque exteris Gentibus, sed ab ipsa Saulis domo, rixas Deus suscitavit atque tumultus; &, quod magìs erat intestinum & asperum, etiam de domo & familia propria. Neque S. Pauli conditio melior exstitit, qui periculis se obsitum conqueritur, non iis tantùm quæ ab hostibus conflata sunt, sed quæ à falsis fratribus. De Ecclesia ipsa quid dicam, cùm in Evangelio legimus prædictum esse à Salvatore, magìs inimicos domesticos futuros, & qui priùs copulati sacramento unanimitatis fuerint, ipsos invicem tradituros? Hoc inter ipsa mundi initia Ecclesia sensit, cùm Abelem justum non nisi frater occîderit, & Jacobum fugientem persecutus sit frater infestus, & Josephus puer venierit vendentibus fratribus; adeò in Lege Gratiæ fratrum non modò gratia rara, sed nulla. Quid quòd Christus ipse à fratribus est detentus, & ab eo quem inter Apostolos delegerat proditus? Nè cui mirum videatur, si ex amicorum ædibus tela contorqueantur adversus veritatem, recognoscat secum quid illud sit quod Apostolus dicat, Rom. 9. 6. *Non omnes qui ex Israel, sunt Israelitæ*; neque de Ecclesia, aut pro Ecclesia omnes qui sunt in Ecclesia. Si Area Domini Ecclesia sit, permittendum ei est ut habeat intra se non minùs paleam quàm frumentum; si Hortus, spinas & tribulos unà cum liliis pullulantes; si Domus, vasa in contumeliam æquè ac in honorem; si Mater, quid novi accidit si nonnullos in utero concipiat, alios verò abortiat? *Nihil interest*, inquit ad Cornelium B. Cyprianus Ep. 55. *quis tradat aut sæviat, cùm Deus tradi permittat quos disponit coronari? Neque enim nobis ignominia est pati à fratribus quod passus est Christus, nec illis gloria est facere quod fecerit Judas.* In illa jam tempora incidimus, in quibus non hostis adversus hostem, sed adversus fratrem frater insurgit, tunicámque Christi quam milites profani sortibus integram accipiunt, discipuli scindunt. Non Gentes sunt quæ fremunt, non extranei qui clamitant, *Dirumpamus vincula eorum.* Quòd si in Papatu contra nos voces illæ audiantur, ferendæ fortassis sunt: at è visceribus nostris jam tandem erumpunt, atque acutissimis accentibus dentatæ, *Dirumpamus vincula*, projiciamus jugum, non ipsorum, sed Christi; nam quia Deo dicunt, etiam & Christo dicunt, *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus: Quis est Omnipotens ut serviamus ei, aut quid utilitatis in Lege ipsius?* Ecce *nova* facta sunt omnia; quid nobis cum *veteribus*, non antiquis solùm, sed antiquatis?

Adversus istos tenebriones defendenda est Lex Divina quam linguâ maledicâ insectantur. Et instituti ratio, & ordo procedendi, & exspectatio vestra hoc postulat; hic enim status est secundi Theorematis, quod è tertia *novorum veterúmque* Concordia elicitur, Quòd vel maximè ad Officium Pastorale pertinet, & Legis & Gratiæ Doctrinam explicare, & in omnibus quæ ad plenam utriusq; intelligentiam requiruntur, Auditores suos erudire. De Theseos partibus Similaribus superiùs verba fecimus, quando de necessitate Unionis præceptorum Legis & Evangelii, atque de Cautionibus in utriusque dispensatione observandis, laxè quidem, sed latè disputavimus. De parte etiam Subcontraria è Pontificiorum contumeliis petenda non prorsus

prorſus tacuimus; verùm eorum calumnias, quibus nos ut Legis hoſtes & contemptores perſequuntur, ad unam omnes deterſimus.

Sola jam ſupereſt Theorematis pars tertia, Theſi è diametro contraria, è dogmate fæculento Libertinorum & Antinomorum oriunda, qui Legis moralis uſu ſuaviſſimo Chriſtianis interdicunt, & os ipſi obſtruunt, nè in Concionibus Sacris vox aliquando ipſius audiatur. Non opus eſt obſignatis tabulis', ut ſacrilegi dogmatis anfractus ſingulos lutoſóſq; calles ſpectandos exhibeamus. Si quis ſit qui ipſorum chartulas emiſſarias viderit, quæ paſſim in manibus deploratæ fidei hominum circumferuntur, ex iſtis diſcernere poteſt venenata ſpicula malè-ſanæ ſententiæ; Quòd Lex non ſit digna ut vocetur Verbum Dei; Quòd Decalogus ad Curiam pertineat, non ad Suggeſtum; Quòd quibuſcunque cum Moſe res eſt, rectâ viâ tendant ad Diabolum; Quòd bona Opera Legis ſint peccata, & ad ſalutem perniciosa; Quòd Lex non doceat bona Opera, neque idcirco eſt prædicanda ut bona Opera peragantur; Quòd qui credit Chriſtianus ſupra omnem eſt obedientiam; Quòd præcepta Decalogi nihil ad Chriſtianos pertineant; & quicquid præterea evomere poſſit contra Legem Dei lingua petulca Marcionis, aut filiorum Belial, mea verò horret recitaſſe. Quocirca cùm *Ordo ſit pater modi*, ut Auguſtinus loquitur, lib. 2. de Ordine, & decorem rebus conciliet, & latentia patefaciat; cúmque, ut diſciplinæ militaris magiſter Vegetius cap. 14. conſulit, Ordinaturus aciem Soli debet Ventóque proſpicere: Agite, videamus ſi Solem Ventúmque adepti, latentis anguis ſibilum detegere poſſimus, fumúmque & pulverem quem venditant in faciem ipſorum oculóſque regerere. Ad duo autem capita rem totam deducam, Ea quæ in limine ſive introitu, & Ea quæ in corpore ipſo ſive viſceribus cauſæ ſunt dicenda: hoc eſt, partem Introductoriam, in qua prælibanda ſunt aliqua; & partem Diſcurſivam, in qua Argumentis hinc illinc agendum eſt.

Pars Introductoria erit velut rei geſtæ hiſtoria, & ab ea ordiendum eſt. Sunt autem tria hîc enucleanda: Quibus Radicibus orti ſunt erroris hujus exitioſi ſectatores; Quibus Stimulis concitati hanc ſibi ſententiam ſelegerint; & Quæ Neceſſitas defenſionis noſtræ.

Prima pars inquiſitionis eſt de Progenie erroris hujus, quam ætatem habeat, quo nomine glorietur, quibus parentibus. Hoc cognitu neceſſarium, tum quia, ut Vincentius obſervavit, *Mos eſt Hæreticorum ſub aliquo nomine veteris, ſi fieri poteſt, cujuſpiam authoris errores ſuos concinnare*; tum etiam quia, ut Hieronymus loquitur, *Hæreſes ad ſuam originem revocaſſe, eſt refutaſſe*. At hîc tamen calamus hæret, quia neque nominis, neque temporis, neque authoris certi veſtigia reperio apud Scriptores idoneos, vel veteres vel recentiores. De Acephalis ſcribit Alphonſus à Caſtro, lib. 4. tit. de Chriſto, Hæreſ. 4. ſic eos nominatos, quia *ſine capite* erant; *Simul*, inquit, *inſurgentes, nullus repertus eſt qui illorum eſſet princeps atque magiſter, à quo originem traxiſſe viderentur*. Neque conjectura diſplicet, quia ante eum Bernardus Lutzenburgus in ſuo Catalogo, & ante hunc Sigebertus in ſua Chronographia, eandem nominis rationem reddunt, *Acephalos* dictos, quia *ſine capite*, quia author hujus erroris neſcitur. Verùm aliam reddunt rationem utroque antiquiores Nicephorus Calliſtus & Leontius. Nicephorus, lib. 18. cap. 45. *Acephalos* dictos ait, διὰ τὸ ὑπὸ ἐπισκόποις μὴ ἄγεσθαι, *quòd ſub Epiſcopis non fuerint*. Leontius autem in libro de Sectis, Actione ſextâ, ὅτι τῷ Πατριάρχῃ αὐτῶν μὴ ἀκολουθήσαντες καθ᾽ ἑαυτοὺς ἐκοινώνουν, *quod* Petrum Epiſcopum Antiochenum *Patriarcham ſuum minimè ſequebantur*, *ſed ſe-*

orſim

orsim communicabant. Cuicunque aſſenſeris, in præſentes aptiſſimè ratio nominis quadrabit. Si idcirco quia ſub Epiſcopis non erant, noſtri nolunt eſſe; ſi quia authorem & caput erroris agnoſcant nullum, de noſtris planè compertum non eſt quem ſibi Sectæ principem arrogent, aut quo nomine diſtinguendi ſint. Qui doctrinæ Chriſti renunciant, quidni ſint acephali, ἄνομοι, ἀνώνυμοι. Si hoc non ſufficiat, penſiculatiùs paulò rem agamus, volvamus monumenta veterum; aut Ego caput hujus erroris & authorem eruam, aut omnium quotquot fuerint uſpiam hæreticorum ſordes & purgamenta rimabor. Ad Joannem Iſlebium Gulielmus Lindanus (lib. qui dicitur Dubitant. Dial. 2.) proſapiam eorum revocat, eúmque ſequitur Gabriel Prateolus in ſuo Catalogo: ſed non moror iſtos. Ad Libertinos Petrus Viretus, (lib. 2. de Miniſter. verbi) Jo. Calvinus, (lib. cont. Libertinos) & *Hen. Bullingerus, hoc dogma rejiciunt; atque uno verbo recentiores omnes *Antinomos* appellant: at viridioris memoriæ hæc appellatio eſt, atque vix centenaria. A Socrate Scholaſtico nonnihil lucis mutuari poſſumus, at non multum tamen: τινές εἰσι, inquit lib. 5. cap. 21. *Sunt nonnulli, qui Dei præcepta evertentes ipſi ſibi leges ſanciunt; omnem quidem ſcortationem ἀδιάφορον, rem indifferentem, putantes;* ἀντιστρέψαντες μὲν τὰ τοῦ Θεοῦ παραγγέλματα, παρ' ἰδίαν δὲ τὴν τῶν ἀποστόλων νομοθεσίαν τιθέμενοι, *evertentes Dei præcepta, & Legis promulgationem ab Apoſtolis traditam pro nihilo putantes.* Auguſtinus paulò propiùs ad rem accedit, nam libros duos conſcripſit contra hos mures tineáſque Legis Divinæ; ſed proprio nomine non indigitat, quiſnam ſit author Sectæ, aut quî vocetur; appellativo tantùm utitur & ſpecifico Sectæ magìs quàm hominis, *Contra Adverſarium Legis & Prophetarum.* Similiter & S. Ignatius Epiſcopus & Martyr, Epiſt. primâ quæ eſt ad Trallianos, fuiſſe ejuſmodi aliquos narrat, etiam ſuis, hoc eſt, naſcentis Eccleſiæ, temporibus; nominibus tamen prætermiſſis, Εἰσί τινες ματαιολόγοι, inquit, καὶ φρεναπάται, οἳ τὸν Χριστὸν ἀλλοτριοῦσι τοῦ Πατρὸς, τὸν δὲ νόμον τοῦ Χριστοῦ, *Sunt nonnulli vaniloqui & ſeductores, qui Chriſtum à Patre alienum eſſe docent, & Legem à Chriſto.* Hem rei totius caput; etiam primo Seculo exſtitiſſe hujus Sectæ infeliciſſimos patronos, integerrimum certiſſimúmque teſtem habemus Ignatium. Ergò temporis origo eminet, quamvìs nominis proprietas neſciatur.

Tentemus & illud. Qui fugitivi temporis rationes diſpungere norit, non procul abeſt ab ipſo primigenii authoris nomine. Ab Ælianis Epiphanius hær. 76. originem eorum ducere videtur: *Nulla,* inquit, *apud Ælianos cura ſanctitatis eſt aut mandatorum Dei; & hoc vulgò jactant, tam perſpicuè ſe Deum noſſe, ut nè quidem ſeipſos meliùs quàm Deum noverint.* Erant autem Æliani quarti Seculi progenies. A Manichæis S. Athanaſius, Orat. 5. *Dividere Legem ab Evangelio,* inquit, Μανιχαίων ἐστὶν ἐπιτήδευμα. Aſtipulatur etiam & Epiphanius, Hær. 66. *Teſtamentum Legis, Mortis teſtamentum Manichæi vocant;* & Auguſtinus, *Teſtamenti Veteris lectionem in Eccleſia Chriſtiana ſub Evangelio inutilem eſſe Manichæos dixiſſe.* Ad finem autem tertii Seculi Manichæi caput exſerere cœperunt. Sed ad primum nondum venimus: nam ante Manichæos centum plùs minùs annos vixit Tatianus; & Clem. Alexandrinus in 4. Strom. in ipſius tempora reſolvit, καταλύει τὸν νόμον· ὁ Τατιανὸς, ὡς ἄλλου Θεοῦ, *Tatianus Legem ſolvit, ut à Deo altero latam.* Ante Tatianos Valentiniani, qui Legem Moſis τοῦ καταλόγου τῶν θείων ἐκβάλλουσι γραφῶν, inquit Chryſ. l. 4. de Sacerd. Ante Valentinum Apelles, teſtante Tertull. lib. de Præſcrip. adverſ. Hæret. Ante Apellem Marcion, magiſter Apellis, teſtantibus Hieronymo

ronymo & Tertulliano. *Legem veterem*, inquit Hieronymus, in Eccles. 11. *respuebat Marcion, & rabido ore dilaniabat. Proprium erat & principale ipsius opus*, inquit Tertull. lib. 1. advers. Marcion. *Legem separare ab Evangelio, ut ex diversitate Instrumentorum diversitatem argumentetur Deorum.* Ante Marcionem Cerdon, testante eodem Tertulliano in lib. de Præscript. advers. Hæreticos: hic autem magister Marcionis erat, & Legem & Prophetas repudiavit; vixit autem circa medium secundi Seculi. Hîc pedem suum sistit Alphonsus à Castro, nec ultrà scrutatur; *Primus*, inquit, *ejus author & princeps fuit Cerdon:* sed temere hoc, ut alia multa. Primus enim Cerdon non potuit esse, cùm Damascenus in Catalogo Hæreticorum ad Carpocratianos, Basilidianos & Caianos hanc hæresin referat. Isti se Lege teneri negarunt, ejúsque authorem improbarunt; vixerunt autem aliquot annos ante Cerdonem circa principium secundi Seculi. Sed neque sic ad radicem pervenimus; nam ante omnes Simoniani exstiterunt, ipso Apostolorum ævo; atque ipsos Legem rejecisse docet in Catalogo suo Augustinus, & Author Apostolicarum Constitutionum, lib. 6. 19. οὐ γὰρ πω κατέλυσε τὸν νόμον, ὡς Σίμων δοξάζει, *Christus nunquam solvit Legem, ut Simon opinatus est.* Quid dici potest apertiús? Non jam res conjecturis, sed oculis manibúsque tenetur. Clamare licet cum Archimede, εὕρηκα, εὕρηκα. Hi sunt quos S. Ignatius dedignatus est nomine appellare, τινὲς εἰσι. Hi sunt quorum familiam primam nescire se Augustinus fatebatur, cont. Advers. Legis & Prophet. l. 1. c. 1. *Quæsivi*, inquit, *cujus esset erroris; non enim soli Manichæi Legem Prophetásque condemnant, sed & Marcionitæ, & alii nonnulli, quorum Secta non ità innotuerunt populis Christianis: mihi autem non apparet cujus Sectæ sit iste blasphemus.* In hoc se speculo intueantur Antinomi, agnoscant veterem prosapiam suam, claritudinem gentis ostentent. O natales splendidos! O sanctissima stemmata! Et agnoscant se non parentes, sed filios atque discipulos putidissimæ hæreseos; adeóque non novum hunc errorem esse, sed veterem redivivum è cineribus Manichæorum, è Cerdonis & Simonis sepulcro effossum. Discant tandem, si non risu, at fletu parentes suos agnoscere; aut, si me rogitent, ego docebo. Quis Pater ipsorum? Manes; quis Avus? Tatianus; quis Proavus? Marcion; Abavus? Cerdon; Tritavus? Simon. Adhuc perge; quære ex me quis tibi quintus sit pater, & promptè dicam: sed verba desunt, at faciam tamen; Oct-avus, Non-avus quis? Et hoc quoq; dicam, si mecum recurrere placeat ab Evangelii ad ipsius mundi cunas atq; primordia. Ibi hæresiarcham omnium primum, serpentem antiquum, intueri licet, quàm propinquâ ipsum cognatione contingant. Etenim tentationis primæ summa ad Divinæ Legis abolitionem respexit; *Etiámne dixit Deus, Non comedetis ex ulla arbore horti?* Prorsus quasi dixisset, Tam durè vobiscum egit Deus, ut solis omnium animantium vobis jugum Legis imponeret? O miseram servitutem! O legem iniquam, dominio vestro & libertate indignam! Ausculta mihi potiùs, Regina Mundi; ego hoc te onere levabo, si me audies; mandatum exsulet, sit vobis pro lege voluntas propria, comedite, & eritis sicut Dii. Sic, sic antiquus hostis, hæreticorum pater, matrem viventium adortus est; & quod in Paradiso egit, hoc in Ecclesia quotidie agere non desistit, ut appareat jam tandem quàm sit hæc hæresis ἔγγονος τοῦ ἀρχικάκου πνεύματος, ut Ignatius loquitur ad Smyrnenses, *proles pulcra tortuosi parentis.* Non illam Manes aut Apelles, non Tatianus aut Marcion, non Cerdon aut Simon excogitarunt; non terræ filia est, sed inferni. Vos ignoscite, Auditores, si acerbiora hæc cuiquam videantur. Æquum est, me judice, ut amandetur impietas in locum suum, ut cognoscat surculus radicem. Huc Christus Judæos mittit, cùm

cùm patrem ipsorum Diabolum pronuntiat, non naturâ, sed doctrinâ & imitatione. Et huc quoque Antinomorum hæresis est detrudenda cum suis magistris, quia licèt nomen Marcionis defugiunt, at ejus perfidiam asserunt; Manichæorum tempora transiliunt, impietatem exsequuntur: diversa nomina sunt, sed una blasphemia; ætate quidem impares, dogmate gemelli fratrésque uterini. Adeò per omnia conveniunt, ut vel ipsi respondebunt percontantibus, Quis Legem criminatus est? Marcion; Quis explosit? Manichæus & Marcion; Quis ut damnaret, damnavit? Serpens priùs quàm Marcion. Ergò quia communi voce cum Cerdone & Marcione & Manete Legem Dei improbant, respuunt, dilaniant, communi etiam patre meritissimò exsultent. Hæc est inquisitionis pars prima, de Progenie & Ortu.

Secunda sequitur, de Processu & Incremento, quibus stimulis excitati sectatores isti sententiam pessimã amplexi fuerint, amplexámq; promoverint. Ordinis ratio hoc exigit, ut ab utero parientis ad mammillas lactantis pergamus. Sunt autem Ubera duo quibus distentis hæreses ut plurimùm grandescunt, Contumacia & Fastus: nec refert multùm sive quis Ubera, sive Alas appellet, cùm in infantia omnis Hæresis vermis sit & tinea, alata cùm adoleverit; non repit modò, sed volat, & à Serpente fit Draco. Hoc unum tantummodo interest, quòd hæreses aliæ duabus, hæc tribus Alis videtur sustineri.

Ala prima est Superbiæ, quâ supra cæteros omnes in altum feruntur authores hujus sententiæ: cæteros ut carnales & impuros contemnunt, & tantùm non in peccatis mortuos; seipsos sanctos prædicant, quasi nullius peccati conscios, nè odoris quidem. Hinc illa vocum portenta, In suis Deus peccatum non cernit; Si fide semel justificati fuerint, non est quòd in posterum remissionem exposcant; Credentibus Orationis Dominicæ petitio quinta est superflua. Et satìs hæc quidem Dialecticè; nam Ubi non est Lex, ibi non est transgressio. Nisi quòd ipsis tutius sit è converso ratiocinari, Ubi transgressio, ibi Lex. Quòd autem sit transgressio inter ipsos, præter alia, hæreseos & schismatis gravia peccata demonstrant; at ipsi interea liberi sunt, non modò à reatu, sed venia vel petenda quidem. Quasi è quavis Secta subducere vellent quicquid pessimum, Pharisæi quoq; preces clepserunt, Gratias tibi, inquit, Deus, quia nihil peccavi; quod idem est atque dicere Deo, Non habeo, Domine, quod ignoscas. Quo major qui potest esse furor, aut magìs intoleranda superbia, si Deus paratus sit ignoscere, & reus festinat indulgentiam recusare? Hæc Ala prima.

Ala secunda est Licentiæ, quâ effrænatis animis nihil dulcius sonat. Tolle Legem, & libertas indomita sequitur vivendi, prout quisque sibi placuerit: quod in Libertinis observarunt Viretus & Calvinus. *Ex eorum sententia*, inquit, *nihil est peccatum nisi eorum opinione qui se peccare putant. Verus Dei timor, atq; eo imbuta conscientia, pro Inferno illis habetur; pro Paradiso autem conscientia Divini judicii contemptrix, secura, stupida, & consopita; &, verbo uno, vitium virtus habetur, & virtus vitium. Suam spiritualem regenerationem*, inquit Calvinus, *in eo collocant, nè re ullâ, nec peccati remorsu, nec Dei timore, nec judicii terrore tangantur. Omnia licita putant, & omne genus vivendi probant: lenones volunt suo fungi munere, & fures audacter furari; promiscuos laudant concubitus, & modò alter altero sit contentus, id vocant spirituale matrimonium.* De Libertinis hæc scripta reliquerunt duo gravissimi authores, Calvinus & Viretus. De nostris quid dicam? Non accuso, non postulo; sed respondeant mihi tamen, si non sint in extremo discrimine, nè à pravo Legis contemptæ dogmate in hæc barathra labantur. Si Lucerna Lex sit, si Frænum, si Norma vitæ, si disciplinæ Pædagogus; exstinctâ Lucernâ, quid non sunt in tenebris commissuri? dempto Fræno, quæ erit

P. Viretus l. 2. de Ministerio verbi.

Calvin. l. de Libertinis.

erit coercitio cervicis indomitæ? si Regula pereat; quid erit illicitum? si morum Magistra sileat, heu quantus ubique vitiorum strepitus! χαθάπερ τὰ πονηρὰ παιδία, inquit Clemens, Strom. 4. *Sicut improbi pueri, quò possint impunè ludere & circumcursitare, Pædagogum excludunt: ità & illi Legem & Prophetias arcent*, inquit, *à sua Ecclesia, propter reprehensiones & admonitiones.* Et quis exitus? hem! Jam custode remoto, gaudent equis canibúsque, ad licentiæ volutabrum se tutò recipiunt, & ad vomitum redeunt. Hæc Ala secunda.

Ala tertia est Pertinaciæ; quæ gaudet semper in extremis & præcipitiis vagari, nihil mediocre novit aut attemperatum; hoc stultitiæ semper habet, dum vitia fugit in contraria currit. Arius dum Sabellii impiam confusionem vitat, insanam Divinæ essentiæ divisionem comminiscitur. Quia Deum solùm Christum Manichæi prædicarunt, Photinus spiritu contradictionis merum hominem statuit. Quia Nestorius erravit in dualitate Personæ Christi, Eutyches ex diametro recurrit ad unitatem Naturæ. Sic & nostrates hodie ratiocinantur, ut quia Judæis Lex data est, idcirco ab ejus obsequio Christiani immunes sunt; & quia ex Legis operibus Papicolæ justificationem metiuntur, ergò ad Protestantes, credentes si fuerint, Mandatorum obedientia non pertinet. Quàm verò insana est hæc argumentatio? Si in extremum unum Judæi impingunt, omnia Legis observando; si Cerinthus & Ebion &, teste Ambrosio, Symmachiani, nec non & inter nos Pontificii, Legem simul ostentent & Christum; ergò in alterum extremum nobis vergendum est, ut Lex moralis prorsus proscribatur, & ab Ecclesia eliminetur? At verò, ut hac ipsa in re scitissimè Chrysostomus, *mediam sibi viam veritas eligit*, τῆς ἀμφοτέρων ἀμετρίαν φεύγουσα, nec minùs in medio consistit quàm virtus ipsa.

In Ep. ad Galatas.

Chrys. l. 4. de Sacerdotio.

Non me latet quàm pervulgata sit differentia quam inter Beatitudinis, Virtutis & Veritatis habitacula Philosophi statuunt; quòd Beatitudo caput occupet rerum expetendarum, umbilicum Virtus, pedes Veritas. Nam Felicitas in summo consistit, & quasi in Pythagoræ monte; Veritas in imo, velut in Democriti puteo; Virtus verò in medio, tanquam in Platonis annulo collocatur. Hoc est ac si dixissent, Non in extremitate, sed inter extremitates Virtus est posita, ità ut ex utraque parte habeat repugnans aliquid, ultra se excessum, defectum citra se; ad dexteram nonnihil quod superfluat, ad sinistram aliquid minus debito quod flaccescat. E contrà verò Felicitas & Veritas non inter extrema, sed in extremis habitant, ità ut ex altera tantùm parte contrarium reperiatur: neque enim habet ultra se Felicitas quicquam quod ei adversetur, licèt quod citrà repugnat Miseria appellatur; ad dexteram nihil est quod contra Veritatem militat, quamvis ad sinistram Error consurgat & obluctetur. Non, inquam, me fugit quòd sic solent Philosophi hæc nomina distinguere; quàm pulcre ipsi, quàm subtiliter alii viderint. Nam ut de Felicitate nihil dicam, de Veritate non est dubitandum, Non minùs eam extremis esse undique obsitam quàm ipsam Virtutem, & æquè in mediocritate consistere, in quodcunque Fidei dogma quod ab Hæreticis tentatum est oculos conjiciamus. Si in sanctæ & individuæ Trinitatis mysterium, res est in confesso. Sabellius agnovit Unitatem Essentiæ, sed Personarum Trinitatem negavit; Arius Trinitatem Personarum fatebatur, sed Unitatem Essentiæ non tenuit. Hæ erant illæ hæreticarum sententiarum extremitates; at inter utramque quasi in medio ambulans Veritas Catholica Orthodoxæ Confessionis puritatem servavit, unum Deum in Trinitatis plenitudine, & Trinitatis æqualitatem in una Divinitate venerata: sic ut

neque singularitas Essentiæ Personarum confundat proprietatem, cum Sabellio, nec Personarum distinctio Deitatis separet unitatem, cum Ario. Si mysterium Incarnationis contemplemur, magìs adhuc erit res comperta. Manichæus, dum miracula Christi respicit, hominem eum negat; Photinus, dum passiones humanitatis, Deum non judicat. Atque iterum, duas Nestorius respiciens naturas in Christo, duas posuit Personas, scil. duos Christos; Eutyches, unam respiciens Personam, unam censuit esse Naturam, sc. Divinam solam. Hæc sunt errorum extrema. Veritas in medio dignoscitur, duas in Christo credens Naturas, Personam unam: ut neque Naturarum distinctio unitatem Personæ dividat, neque Personæ unitas differentiam Naturarum confundat; sed in singularitate ejusdem Personæ, & proprietate utriusque Naturæ, verum Deum confitetur Christum, & verum hominem eundem Christum. Eodem modo de controversia quam nunc tractaturi sumus dijudicandum est. De Lege morali agitur, ejúsque cum Fide nexu; nec non de valore & obedientiæ vinculo quo ipsi astringimur, sub istis Evangelii temporibus. Argumentum sacrum est, & in immobili exquisitissimæ rectitudinis centro medióque constitutum: sed utrinque in contrarias partes, velut in extremitates, scinduntur Adversarii. Hinc Pontificii plùs æquo ad dextram vergunt, dum causam Salutis nostræ in Legis Operibus ponunt: illinc Antinomi ad sinistram, dum Legis usum omnem & obligationem explodunt. In medio fides Catholica se prodit, dum contra illos, Gratiâ, non Lege, fideles salvandos; & contra hos, etiam sub Gratia Legis obsequio fideles devinctos profitetur. Sic utroversum justificatur veritas ab inimicis suis; & dum sunt sibi invicem Hæretici contrarii, nobis supra spem errores utriusque testimonium dicunt, ut utrosque redigamus ad silentium. Adversus Pontificios urgemus, Quòd qui Lege justificari volunt, à Gratia Dei excidunt: adversus Antinomos, Quòd qui Legi obtemperare nolunt, falso Gratiæ nomine seipsos eludunt. Contra illos, bonorum Operum meritum excludimus: contra hos, bonorum Operum studium medullitus amplexamur. Contra illos, Abrogari Legem per Christum quoad vim damnatoriam: contra hos, Stabiliri Legem quoad vim directoriam, enixè contendimus. Quocirca liceat mihi utrisque insurgere iisdem verbis quibus olim S. Vigilius, l. 1. in Sabellium & Arium, in Manichæum & Photinum, in Nestorium & Eutychetem, tria Hæreticorum paria, alloquitur; *Quis non videt*, inquit, *quòd tribus erroribus tres errores dissipantur, veritásque ipsa stabiliatur?*

Inprimis, contra Arium & Sabellium sic argumentatur; Quòd unam Naturam & unam Personam Trinitatis Sabellius statuat, hoc tres Arii substantias evertit: quòd Arius tres Personas & tres Naturas, hoc unam Sabellii Personam destruit. Audiat Sabellius, in tantum tres esse Personas, ut eos Arius tres Naturas ausus est dicere: Audiat Arius, in tantum unam esse Naturam, ut Sabellius ausus est dicere unam esse Personam. Secundò, De Manichæo & Photino sic concludit; Quòd Christum Deum Manichæus fateatur, & hominem neget, Photinus hominem fateatur, & Deum neget; hinc grande miraculum exstat, ut expugnatione sui veritas confirmetur, & verum uterque dicat dum uterque mentiatur. Audi, Manichæe, In tantum homo est, ut Photinus Deum neget: Audi, Photine, In tantum Deus est, ut Manichæus hominem neget. Postremò, cùm Nestorio & Eutychete sic agit; Quòd duas Naturas & duas Personas Nestorius in Christo ponat, quòd Eutyches unam Personam & unam esse Naturam censeat, sequitur ut ambo suis armis & assertionibus transfodiantur.
Audiat

Audiat Nestorius, in tantum non esse duas Personas, ut Eutyches unam dicat esse Naturam: Audiat Eutyches, in tantum non esse unam Naturam, ut Nestorius duas dicat esse Personas. Cùm igitur ambo vobis contrarii sitis, ad nos in medio venite; transeat unus in alterius sententiam, sic ut non relinquat suam; & ille unam Personam, & hic duas agnoscat Naturas. Iisdem, quamvis serò, at aliquando tamen, liceat & mihi tum Pontificios tum Antinomos verbis alloqui. Quòd Pontificii tantum in Lege glorientur, quòd Antinomi pessundent; quòd à Legis operibus illi salutem exspectent, hi jugum & obedientiam Legis excutiant; quid hoc est aliud quàm veritati facem suffragiis contrariis accendere? Audiant Pontificii, in tantum nos operibus Legis non salvari, ut ipsa Legis præcepta Antinomi rejiciant: Audiant Antinomi, in tantum Legem non esse rejiciendam, ut in ipsa Pontificii salutis causam constituant. Illi nos insimulant, quòd Legi Divinæ detrahamus; hi quòd ipsi nimium tribuamus arguunt. Inter utrosque sic se temperavit serpentina calliditas, ut utrumque sine utriusque calumnia vix vitare possumus; dum si quis Pontificiorum damnat perfidiam, Antinomorum putatur errori succumbere; rursus, dum Antinomorum hæresin destruit; Pontificiorum arguitur dogmati assentire. Sed dum querelas contrarias in nos movent, accusatio in purgationem cedit, & inconcinnæ perfidorum sententiæ in unum rectæ fidei modulum consonant, trophæúmque victoriæ nostræ eorum certamina gignunt. Faxit Deus ut malum de alterius uterque corrigat malo; & bonum, quod uterque nobiscum tenet, commune fit utrique; ut & gratiâ nos solâ salvari, & tamen à Legis observatione non penitus eximi, discant. Hæc enim est ratio *novorum & veterum*, in quibus temperandis se doctus Scriba exerceat. Hujus ignoratio & Pontificiis occasionem calumniandi dedit, quia ab ipsis justè recedimus; & Antinomis errandi, quia ab iisdem plùs justò ultra omnem modum recedere statuerunt, usque ad ipsam extremitatem alterius præcipitii. Hæc Ala tertia quâ circumferuntur, calcárque præcipuum quo stimulantur. Et de inquisitionis parte secunda hæc dixisse sufficiat, quibus Uberibus foveatur, quibus Alis circumferatur post hæreses natas pestilentissima opinio, quam Superbia peperit, Licentia nutrivit, Pertinacia roboravit.

Accedo ad tertiam partem, quam verbo expediam; Quæ sit Necessitas defensionis nostræ, ut Alas has, Augustini verbo, *deplumemus*, & Ubera distenta siccemus. Atque huic quidem parti meritò supersedere possim, nisi summa sollicitudo me traheret cumulatè vobis in omnibus satisfaciendi. Alioqui post hæc omnia à me disputata, quis est qui defensionis rationem postulat? Inimicus seminat zizania in agro Domini; an nobis dormiendum est? Non modò zizania seminat, sed triticum conculcat, & radicitus evellit; an tacendum est nobis? Absit: veritatis causam prodere non minùs possumus silentio linguæ quàm ipso convitio; hoc tantùm interest, hostes tradendo produnt, amici tacendo. Quòd si quis mihi verba Salvatoris objecerit, Matth. 13. 34. *Sinite zizania crescere usque ad messem*, meminisse oportet, non de erroribus Christum loqui, sed de hominibus. Sunt homines zizania; sic prohibet nè eradicemus, hoc est, nè interficiamus; quia *multi sunt*, inquit Augustinus, *primò zizania, qui postea fiunt triticum; qui nisi patienter tolerentur, non fierent: ut Matthæus, quem de Publicano Evangelistam, & Paulus, quem de Persecutore Apostolum Ecclesia possidebat*. Sunt & errores zizania; hæc imperat Dominus ut evellamus. *Jubet*, inquit Chrysost. καὶ ἐπιστομίζειν αὐτοὺς, καὶ ἐκκόπτειν τὴν παῤῥησίαν, καὶ τὰς συνόδους διαλύειν, *& libertatem concidere, & conciliabula dissipare, & ora obstruere*; idque si solummodo sint errorum zizania: at dogma præsens

inter errorum tribulos, & spinas, & vepres est recensendum. Quòd si extranei essent, non prorsus prætereundi erant: verùm domestici sunt, & ejusmodi qui pietatis prætextum insignem præ se ferunt; eóque magìs sunt cavendi, nè impietati fidem species pietatis conciliet. Enimvero si, ut simulant, verè pii sanctíque essent, non idcirco hæresis nequaquam est hæresis quia à viro sancto procedit; at ego pro sanctis viris non ausim habere, sed magìs pro simiis sanctitatis. Prædixit Christus, venturos lupos sub pellibus ovium; *Qui verò sunt lupi*, inquit Tertullianus, *nisi falsi Prædicatores, adulteri Evangelizatores? quæ pelles ovium, nisi Christiani nominis extrinsecùs superficies?* Prædixit igitur Christus, nè fortè simplices animæ coloribus & pigmentis deciperentur; prædixit, ut nos doceret, ex personis veritatem non mensurandam aut dijudicandam. Si enim esset, quidni Nestorio aut Apollinari eam acceptam feramus? nam & ipsi pellem ovilem sanctitatis ostentabant. Erat Nestorius vir studio Sacerdotum, amore sanctorum, favore populi ubique celebratus: nec immeritò quidem; nam ille noxios Judæorum & Gentilium errores confutabat; ille cunctarum hæreseωn blasphemias insectabatur. Sed cui bono? Cui malo potiús? *Idcirco*, inquit Vincentius, *hæreses alias insequitur, ut uni hæresi suæ aditum patefaceret, de duabus Christi Personis.*

in Præscript.

Ejusmodi Apollinaris erat, vir pius & sanctus habitus, quòd hæreses alias non minùs quàm Nestorius refutavit, quòd insanas Porphyrii calumnias triginta librorum mole confodit, sic ut summis Ecclesiæ ædificatoribus æqualis videbatur: sed unâ hæresi, quâ contra Christi animam militavit, cunctos labores suos velut lepræ admixtione fœdavit. Ejusmodi Origenes erat, *alter post Apostolos Ecclesiæ magister*, ut Hieronymus loquitur: si Vita facit authoritatem, pudicitiâ & patientiâ insignis erat, pro Christo sæpius affligebatur, omníque facultate privatus; si Eruditio, & Divinæ & humanæ philosophiæ peritissimus, tam multa conscripsit, ut vix legi possint; si Labores, ab ejus sinu innumeri Doctores, Confessores, Sacerdotes, Martyres egressi sunt: Christiani eum penè ut Prophetā, Philosophi ut Magistrum venerati sunt. Et hic tamen tantus & talis in tot tantósq; errores incidit, quos vel nominare mihi non est volupe, nomini ipsius parcendo & memoriæ. Quid igitur? Num Nestorii error sequendus, quia author sanctus; aut Apollinaris, quia doctus; aut Origenis, quia tum sanctitate tum eruditione eminebat? Nihil minús. Audiamus Tertullianum. *Si*, inquit, *Episcopus, si Diaconus, si vidua, si virgo, si Doctor, si etiam martyr lapsus à regula fuerit, ideo hæreses videbuntur veritatem obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?* Dubio procul ex fide personas. Non est igitur quòd personarum speciosâ pietate capiamur, cùm Christus prædixerit eos sic venturos. Nos non venturos, sed venisse videmus, animarum lupos virtutis habitu indutos; itá ut *foris homo cernatur, intus bestia fremit:* Vestitus est ovium, facta luporum, eóque magìs calamis insequendi sunt. Quòd si contra personam Mosis viri sanctissimi loquuti essent, defensionis exemplar ab ipso Archangelo peti possit, nam S. Michael Archangelus adversus Diabolum certavit de corpore Mosis; & præterea ipsum Aaronem Miriámq; ad nubis tribunal Deum novimus vocasse, & acerbo hoc perstrinxisse Epiphonemate, *Quare non timuistis loqui adversus servum meum Mosen?* At causa quam agimus major est atque sublimior; non de persona Mosis, sed de Lege Mosis contendimus, Lege sancta, Lege æterna, fulguris tonitruúmque signis prædicta, tubâ judicii extremi præmonita, angelorum comitatu promulgata, digito Dei conscripta, Filii Dei incarnati testimonio comprobata, Spiritûs Sancti in Apostolis flatu purissimo stabilita. Numquid igitur

in Præscript.

Ambros. in Luc. 10.

igitur de defensionis necessitate dubitandum est, si reperiantur qui hanc sanctissimam Legem, alteram Religionis nostræ basin & fundamentum, demoliuntur? Imò clamandum magis cum Apostolo, O altitudo patientiæ Dei, qui filios Core viventes misit in infernum, quòd contra Mosen servum surrexerint; & contra Legem suam allatrantes diutiùs vos perfert! Ipsius Lege cautum est, Nè matrem ovis incubantem cum pullis suis quis auderet accipere, Deut. 22. 7. atque nunc miseri audent ipsam Justitiæ matricem cum præceptis suis, arborem cum fructu, & Legem & Legis obedientiam, exscindere & exstirpare; nec solas Tabulas Legis, sed ipsa Testamenta, hoc est, & Legem & Prophetas, ad unam spongiam reducere. O nostra tempora, eò pejora, quò judicio propiora! non quia tempora, sed quia nostra; sed mala tamen singula, etiam quæ ante nostra exstiterunt. À Christi Ascensione nullum erat seculum in quo hæc malorum lerna non succreverit; nullum in quo non sunt aut novæ exortæ hæreses, aut veteres restitutæ. Astutiâ id Diaboli factum, qui cùm aperto Marte lanienis exhaurire Ecclesiam non potuisset, clàm cuniculis hæreticorum eam evertere conatus est. Sed hoc solatii accessit, quòd sicut quovis seculo exstiterunt qui fidem Christianam oppugnarunt, ità quovis etiam exstiterunt qui defenderent. Contra Julianum Cyrillus, contra Donatistas Optatus, contra Pelagianos Augustinus, contra Luciferianos Hieronymus, contra Arianos Athanasius, contra Novatianos Cyprianus, contra Marcionistas Tertullianus, contra Celsum Origenes, contra Valentinum cæterósque Irenæus, contra Tryphonem Justinus, contra Cerinthum & Ebionem Joannes Apostolus, contra Hymenæum & Philetum S. Paulus, & linguam suam & stylum aceto cœlesti & Sanctuarii cultro acuminavit. Nobis item, juxta mensuram gratiæ quam largitus est Deus noster, idem faciendum est. Quia contra Deum & Legem ipsius homines perversa loquentes surrexerint, necessaria nobis est defensio *adversùs obstrepitacula diversæ partis*, ut Tertulliani verbo utar. Nec quenquam esse puto tam mentis pietatísque impotem, qui dixerit, Quid opus est Antidotis? cùm viderit serpentes venena sua sæpius conspuisse. Hæc Inquisitionis pars tertia est, adeóque postremum membrum eorum quæ prælibanda proposui in parte Introductoria. Pars Discursiva sequenti die producenda est.

l. 1. Contra Marcion.

LECTIO XX.

Laert. l. 4. c. 6.

DE Legibus & Vitiis apud Laertium Arcesilaus sententiam suam liberè profitetur, neque Aristotelis absimile est judicium apud Stobæum, *multorum vitiorum indices multas leges esse, sicut multorum morborum multos medicos :* non quòd ex medicina morbi, aut ex legibus vitia oriantur ; sed quòd ex morbis medici peritiam suam, & ex vitiis perfectionem suam leges attingant & adipiscantur. De rebus Fidei non video cur non mihi liceat hoc ipsum pronuntiare : nam quod in corpore morbi sunt, si cum medicina, & quod in republica vitia, si cum legibus ; hoc in Ecclesia Hæreses sunt, si cum Orthodoxa fide conferantur. Inter Hæresin & Fidem non minor distantia est quàm inter morbum & sanitatem, inter rectum & obliquum ; adversis enim frontibus pugnant, & summâ sibi contrarietate adversantur. Et tamen habet Fides hoc unum præ reliquis sibi peculiare privilegium, quòd medicina semper non valeat contra morbos, neque contra vitia leges ; at verò contra hæreses veritas pugnans semper palmam fert, seriùs aut citiús : & cùm ex fide hæresis vulnus suum accipiat, ex hæresi fidem profectum atque incrementum acquirere, nemo est vel mediocriter in historia Ecclesiastica versatus qui nesciat. Equidē piè & sobriè Tertullianum locutum esse agnosco, cùm persecutionis tempora hæreseos malo antepofuit : *quòd persecutio martyres faciat, hæresis apostatas.* Sed & illud etiam adjiciendum est, & Dei gloriam & Ecclesiæ commodum non minùs ex hæresibus pullulasse quàm ex persecutionibus, vel eodem Tertulliano teste, quia cùm hæresis invalescit, clarescit fides ; atque ad hoc ipsum invalescit aliquando, ut fides habendo tentationem, haberet etiam probationem. Hoc est quod S. Paulus, 1 Cor. 11. 19. ut cognitu inprimis necessarium præmonuit, *Oportet*, inquit, *hæreses esse, ut qui probati sunt manifesti fiant :* non quòd ex se hæreses Deo placeant, sed quòd per eas fideles exercitati, sicut Deo noti sunt, ità & hominibus innotescant ; hoc verò commodè fieri non potest, si non ad luctam & conflictus vocentur. Advocati peritia aut acumen unde apparebit, si causam nullam dicat? Gubernator unde laudabitur, si navis semper in portu & tranquillitate consistat? Absque adversario Probitas, modesta cùm sit, gaudet in occultatione sui, in angulo aut recessu delitescere. Et quamvìs Ecclesiæ non desint temporibus singulis docti & probati viri, at verò minùs refulgent, donec ab hæreticis è somno & quiete sua excitentur : atque tunc quidem si novitas ulla ebulliat, si error se interponat, tunc, inquam, prodeunt in publicum, tunc Sacras Paginas & Veterum monumenta volvunt atque revolvunt, tunc doctrinarum tractus singulos & minutias quasvis pensiculatiùs librant atque expendunt ; & tum demum cernitur quàm quisque fidelis sit ac tenax & fixus amator fidei Catholicæ ; tum palearum levitas gravitásque frumenti dignoscitur, & coruscâ luce plenísque radiis per omnia se Veritas diffundens splendescit. Hoc illud est quod Augustinus in Psal. 54. observavit, *Nunquam tractatum esse de fidei articulis perfectiùs, donec obsisterent hæretici ; non de Trinitatis mysteriis, donec oblatrarent Ariani ; non de Pœnitentia, donec Novatiani contradicerent ; non de Baptismo, donec Donatistæ assurgerent ;* non de Incarnationis magno Sacramento, donec Photinus & Manes & Eutyches & Nestorius deliria sua venditare cœperunt. Pariter & de præsenti quæstione non est quòd dubitemus, calumnias has omnes atq; blasphemias quæ contra Legis Divinæ custodiam ab

De Præscript.

ab hominibus circumforaneis perfidè congeruntur, si ad Scripturarum tribunalia sistantur, primo conspectu evanituras, atque in honorem Legis & Fidei profectum, atque obedientiæ Christianæ præsidium, cessuras.

Quod ut jam tandem fiat, pergamus porrò ad alteram instituti partem, quam in hunc usque diem distulimus. Quæ ad Quæstionis introitum spectabant, & in parte Introductoria erant prælibanda, superiùs accepistis; quibus Radicibus orti sunt erroris hujus exitiosi sectatores, qui Legem Divinam proscribendam esse clamitant; quibus præterea Stimulis concitati hanc sibi sententiam selegerint; & quæ denique sit Necessitas defensionis Doctrinæ nostræ.

Pars altera quæ sequitur est Discursiva, in qua & ipsorum Argumenta sunt ventilanda, & producenda nostra. Et quia Scripturarũ suffragio causam suam agunt, suis insectandi sunt vestigiis, ad hanc ipsam limam omniúmque certissimam lineam sunt revocandi. Locorum autem duas constituo Classes. Prima continet Scripturarum locos quibus in causam suam abutuntur; altera locos quibus ipsorum dogmata prosternuntur.

De prima Classe inprimis agendum est, de Locis quos contra usum Legis inter Christianos ad causam suam defensitandam miserè detorquent. Ex tribus autem gradibus Classis ista componitur; ex scriptis Propheticis, Evangelicis, Apostolicis; nam & Jeremiam & Christum & Paulum in arenam producunt. Nostrum est inquirere quo jure, & rationis vel certitudine, vel probabilitate, id faciant.

Primus scalæ gradus ex Veteri Testamento desumitur: atque unicum tantummodo locum reperio cui nituntur; habetur autem Jerem. 31. 31. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam cum domo Israel & cum domo Juda fœdus novum; non secundùm fœdus quòd pepigi cum patribus eorum: sed istud est fœdus quod feriam cum ipsis post dies illos, Dabo Legem meam in medio eorum, & in corde eorum describam eam.* Explicatur locus ex illo, Deut. 18. 18. *Prophetam suscitabo eis,* scilicet Christum, *de medio fratrum tuorum, similem tui, & ponam verba mea in ore ejus:* & præterea ab Apostolo, in Heb. 8. 8. ubi ex isto Jeremiæ loco concludit, versu 6. *quòd Christus est Mediator melioris fœderis;* & vers. 13. *quòd dum posterius novum dicitur, fœdus prius senescit & antiquatur.*

Per novum autem & posterius fœdus Gratiam Evangelii intelligit; per fœdus prius, Legem moralem tabulis lapideis infixam: quæ tabulæ permissu Divino summotæ sunt & è medio sublatæ ante adventum Christi, ut ipsam Legem in iis conscriptam abrogatam per adventum Christi omnes agnoscerent.

Secundus scalæ gradus ex Evangelio contexitur, nimirum ex verbis Salvatoris; & locus solummodo unus occurrit, Luc. 16.16. *Lex & Propheta usque ad Joannem, exinde regnum Dei annuntiatur:* & huic tamen similis alius adjungitur, ex Joh. 1. 17. *Lex per Mosen data est, veritas autem & gratia per Jesum Christum.* Ergò ad præsentiam Christi Lex evanuit, neque ultra aut prædicationem Baptistæ, aut, ad summum, mortem Christi, erat proroganda.

Tertius scalæ gradus ex S. Pauli Epistolarum locis non paucis componitur. Rom. 10. 4. *Finis Legis Christus.* 2 Cor. 5. 17. *Vetera præterierunt, nova facta sunt omnia.* Gal. 2. 19. *Ego per Legem Legi mortuus sum, ut Deo vivere m:* & vers. 24. *Lex pædagogus fuit ad Christum; at postquam venit fides, non ampliùs sub pædagogo sumus:* & Eph. 2. 15. *Legem mandatorum per carnem suam abolevit:* & Heb. 7. 18. *Mandatum præcedens abrogatur, propter infirmitatem ejus & inutilitatem:* & Heb. 8. ult. *Dum novum dicit, antiquavit*

quavit prius testamentum. 1 Tim. 1. 9. *Lex non est justo posita*; idque quia *Lex iram operatur*, Rom. 4. 15. quia est *ministerium mortis & condemnationis*, 2 Cor. 3. 7. quia est *robur peccati*, 1 Cor. 15. 56. Præterea, Rom. 3. 19. *Quacunque Lex loquitur, iis qui in Lege sunt loquitur: nos autem non sumus sub Lege, sed sub gratia*, Rom. 6. 14. *Liberi sumus à Lege ut serviamus in novitate spiritûs*, Rom. 7. 6. *Quòd si Spiritu ducimini, non estis sub Lege*, Gal. 5. 18. *Ubi Spiritus Domini ibi libertas*, 2 Cor. 3. 17. *In libertatem vocati sumus*, Gal. 5. 13. & eam quæ à servitutis jugo immunes facit, Gal. 5. 1. quia *charitas Dei diffusa est in cordibus per Spiritum Sanctum qui datus est nobis*, Rom. 5. 5. quia *Lex Spiritûs vitæ quæ est in nobis, liberavit nos à lege peccati & mortis*, Rom. 8. 2. quia *fructus Spiritûs est charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia*, Gal. 5. 22. *Neque necesse habemus ut quisquam doceat nos, sed sicut unctio*, i. e. spiritus ejus, *docet nos*, 1 Joh. 2. 27.

Hæc est farrago locorum, quæ quidem in se sanctissima sunt Dei oracula: erroris sunt tendiculæ, prout ab ipsis agglutinantur. Non mihi cum locis res est, sed cum hominibus qui urgent ista ad dogmatis pessimi patrocinium: at utrisque tamen, si fieri possit, satisfaciendum est. Contra ipsos homines Psalmistæ illud sufficiat, Psal. 50. 17. *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? tu verò odisti disciplinam, & legem meam projecisti post te.* Pariter & mihi liceat quæstionibus rem expedire. De Apostoli loco est prima Quæstio; Quid vobis cum Apostolo, qui Prophetas despicitis, ut audeatis in scriptis Prophetarum reprehendere quod in Apostolorum scriptis probatis? non enim minùs super Prophetarum quàm super Apostolorum doctrinam Religio nostra superstructa est, testante S. Paulo, Ephes. 2. 20. Si de sola Ecclesia Judaica loquutus esset, eámque superstructam super Prophetas dixisset; si de Christianis loquens, solos Apostolos recitasset, haberet fortasse stultitia tanta quod prætenderet: at Paulus utrisque, Prophetis & Apostolis, Christianitatem inniti asserit; & isti Apostolos in medium proferunt, ut Prophetas excludant. Sic spiritus nequam ipsum Dominum majestatis Scripturarum testimoniis appetivit, nec mirum est si nunc membris membra loquantur, sicut olim caput capiti locutum est. Sic lupinâ feritate frementes hæretici antiqui, solebant sese Divinæ Legis sententiis velut quibusdam velleribus obvolvere, ut cùm quis lanarum mollitiem præsenserit, nequaquam aculeos dentium pertimesceret. De Samosateni & Eunomii opusculis Vincentius observavit, *propè nullam esse paginam quæ non Scripturæ testimoniis fucata & colorata sit:* itidem & nostri faciunt quod Pharmacopolæ solent, qui super noxiorum succorum graminúmque pyxides medicaminum nomina scribunt, ut nemo, ubi suprascriptum legerit remedium, suspicetur venenum: sed eò magìs cavendi sunt, quò magìs sub Scripturarum umbraculis latitant; sciunt enim fœtores suos nulli citò esse placituros, si nudi & simplices exhalentur, idcirco eos cœlestis eloquii velut aromate quodam aspergunt, &, ut Prophetas explodant, Apostolos obtrudunt. Hæc Quæstio prima.

De Christi loco est Quæstio altera; Quid vobis cum Christo, qui Legem Christi pessundare non timetis? nam Lex Dei est lex Christi, at Lex moralis est lex Dei. *Qui* igitur *non sunt in lege Dei*, inquit Ambrosius, *non sunt in lege Christi; quia quod Christi est Dei est, & quod Dei Christi: dicit enim, Omnia mea tua sunt, & tua mea.* Et tamen hanc ipsam fuisse veterum hæreticorum praxin & consuetudinem, idem Ambrosius observavit, in 1 Cor. 3. *Aliter figmenta errorum commendare non solent, quàm interposito Salvatoris nomine, ut res absurdas nominis dignitas faciat acceptabiles.* Perspexit & Hierony-

in 1 Cor. 9.

Hieronymus in Amos. 3. *Non possunt decipere simplices, nisi nomen Christi proposuerint; ut dum putamus nos ad Christum venire, pergamus ad Antichristum.* Ante utrosq; Ignatius martyr animadvertit; *Solent*, inquit, *Christi nomen circumferre, velut mulso aconitum miscentes: loquuntur autem Christũ, non ut Christum annuntient, sed ut Christũ rejiciant*; ὀ Χριστιανοὶ, ἀλλὰ Χριστέμποροι. Itidem & nostri, quod hac ipsa in causa Augustinus, *Nomine Christi se tegunt contra Christum, ac si vellent sinistram ipsius dextrâ amputare.* Adeò sub vocabulo Evangelii superextolluntur contra Evangelium, quia contra Legem: cùm hæc duo mutuis se plicant amplexibus; Lex Evangeliũ annuntiat, & Evangelium Legem in testimonium vocat. Hæc Quæstio secunda. L. 2. Cont. Advers. Legis & Proph. c. 12.

De Jeremiæ loco postrema est Quæstio; Quid vobis cùm Propheta uno qui omnes pro nihilo ducitis? adeóne vestrî obliti estis, ut nullum esse usum Legis contendentes, omni pudore amisso, ex ipsa Lege Mosis ineptias vestras stabilire non dubitetis? *Prophetam suscitabo de medio fratrum tuorum:* & ex Propheta uno contra universos? *Ecce dies veniunt, & feriam cum domo Israel & cum domo Juda fœdus novum. Cur uno verbo* (sicut olim Vigilius ad Eutychianos) *cur uno verbo in illud inciditis, quod verbis multis detestamini?* aut quid sibi vult professionis vestræ varietas, ut quod unâ manu ædificatis, jam alterâ destruitis? interdum nihil vobis dicitis esse cum Lege, interdum quæ vultis ex Lege arripitis. Unde vobis hæc tam volatica fides? Certè ego non intelligo, nisi quia veritatem Religionis mendaciorum fuco eluditis, aliud ore, aliud corde gestantes. Nimirum hæc etiam erroris est natura, ut nunquam sibi similis alumnos suos etiam à seipsis divellat: nunc enim, quâ ventus impulerit, motu incitato ad litora feruntur; nunc in se reversi tanquam contrarii fluctus reliduntur: nunc temerariâ præsumptione dubia & incerta approbant; nunc irrationali metu etiam quæ certa sunt expavescunt: dubii quâ eant, quâ redeant, quid appetant, quid fugiant, quid pro Lege, quid contra Legem evomant, quid teneant, quid dimittant; & perire metuunt, & redire erubescunt, semineces, semivivi, quippe qui tantum veneni hauserunt, quod nec occîdat, nec digeratur, nec mori cogat, nec finat vivere. Enimvero hæc magna est ancipitis & malè penduli cordis afflictio. Quocirca fateantur saltem cum Apostatarum principe Juliano, qui cùm Gentiles philosophos ipsius philosophiæ regulis prosterni à Christianis cerneret, vocem illam emisit, τοῖς αὐτῶν πτεροῖς ἁλισκόμεθα, *Nostris ipsorum alis capimur.* Videant ipsi quo possint modo dicterium effugere; nam suis ipsorum laqueis implicantur, dum nullum Legis usum asserunt, & ad hunc usum educunt ut possit contra veritatem militare. Quòd si contra veritatem aliquid habeat ponderis, ut ipsi existimant, certè vel nobis arbitris multò magìs contra errores valebit. Ideóque inter alias erit hæc utilitas Legis maxima, ut ad ipsius præsentiam, velut coram arca fœderis Dagon, quicquid falsum est & erroneum planè corruat & dissipetur. Sed reprimo me: de Hominibus satis. Vigil. l. 1.

Ad ipsos nunc Scripturarum locos propero in quibus gloriantur. Discutienda illa sunt quæ isti de Novi Testamenti libris suffragari sibi arbitrantur adversus Propheticas literas, tanquam eas Christus & Apostoli suâ sententiâ aboleverint: & quia plurima sunt, atque omnes sigillatim ramos ferire nimis longum foret, idcirco ad capita quædam reducenda sunt, ut possim saltem radices amputatas dare, & ramos in radicibus. In duo autem capitula compingi omnia possunt. Unum est earum Scripturarum quæ de abrogatione ipsius Legis; alterum earum quæ de credentium Immunitate & solutione à Legis obedientia loquuntur. Tribus ego aut quatuor Propositionibus rem totam absolvam. De Abrogatione Legis duas statuo Propositiones, quæ sic se habent.

Quæ

Quæ de Legis abolitione generaliter Scriptura loquitur, ea ut plurimùm
ad Ceremonialia & Judicialia sunt referenda. Hæc prima.

Quoties in Specie de moralis abolitione loquitur, ea semper vel de Male-
dicto Legis, vel de Remotione Legis ex justificationis articulo, vel de
Consummatione ipsius per Christum, sunt intelligenda. Hæc secunda.

De Immunitate fidelium, sunt insuper duæ aliæ Propositiones, quas sic
instituo. Liberatio à Maledictione Legis non infert liberationem ab
Obedientia Legis. Hæc tertia.

Renovatio quæ est per legem Spiritûs, non solvit doctrinam quæ est in
spiritu Legis. Hæc quarta Propositio.

Ad has quatuor sive Regulas sive Propositiones videamus si supradicta
Scripturæ loca omnia possimus redigere.

Ordiamur autem à prima, quæ est ejusmodi; Quæ de Legis abolitione
Scriptura loquitur, ea sunt ad Ceremonialia & Judicialia ut plurimùm refe-
renda, & in hoc sensu (sic se Scripturâ explicante) accipienda. Ad hanc pro-
positionem loca illa spectant, Heb. 8. ult. *Dum novum dicit, antiquavit
prius testamentum.* Heb. 7. 18. *Mandatum præcedens abrogatur propter ejus
infirmitatem & inutilitatem.* Ephes. 2. 15. *Legem mandatorum per carnem
suam abolevit.* Gal. 3. 24. *Lex pædagogus fuit ad Christum; cùm venit au-
tem fides, non sumus sub pædagogo.* 2 Cor. 5. 17. *Vetera præterierunt, nova
facta sunt omnia.* Jer. 31. 31. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam
cum domo Israel & cum domo Juda fœdus novum; non secundum fœdus
quod pepigi cum patribus eorum: sed istud est fœdus quod feriam cum ipsis
post dies illos, Dabo Legem meam in medio eorum, & in corde eorum scribam
eam.* In istis singulis, præter interpretum consensum, vel ipse scopus &
genius loci & contextûs ratio apertissimè demonstrant Spiritum Sanctum
signanter locutum de Legalium abolitione. *Legem mandatorum quæ in ri-
tibus posita est, abrogans.* Verba sunt apertissima, τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν
δόγμασι, *Legem mandatorum quæ in ritibus* aut *decretis* consistit. Novi
Veteres omnes paulò aliter verba transferre, *Legem mandatorum decretis
suis evacuans*, & per *decreta* præcepta Evangelica intelligere. Sed phrasis
& locutio non sinunt; etenim ἐν δόγμασι non significat *Legem ex decretis*,
sed *Legem quæ est in decretis* evacuatam. Utcunq; in sensu est consensus mu-
tuus omnium: *Carnales observantias per decreta sua abrogavit*, sic Veteres;
Carnales observantias, quæ in decretis consistunt, abrogavit, sic nos: Ambo
eódem recidunt. Istud inprimis observandum, Apostolum non dicere do-
ctrinam, nec simpliciter Legem, sed *Legem mandatorum*; neque hoc con-
tentus, adjecit *in decretis*; quia voluit significare non esse abrogatam nisi eam
Legis partem quæ inimicitias conciliabat inter utrumque populum, & im-
pedimento erat nè ex duobus unus fieret in Christo populus. Hæc autem
erat ea potissimùm pars Legis, quâ ordo cultûs, & ceremoniæ, & ritus præ-
cipiebantur, ab iis enim Gentes erant admodum diversæ, & indè maximæ
oriebantur inimicitiæ. Adeò ut ex hoc ipso loco discamus quid per Chri-
stum abrogatum sit, & quid non abrogatum: id abrogatum quod impedie-
bat nè ex duobus populis fieret unus novus, i.e. Christianus. Quid autem
illud erat? *Lex mandatorum in ritibus*, hoc est, mandata illa omnia de Ce-
remoniis. At verò doctrinæ quæ habentur in Lege, de uno Deo vero co-
lendo, de Fide, Spe, Charitate, & timore Dei, tantum abest ut abrogentur,
aut impedire possint nè unus fieret populus Christianus, ut stabilitæ sint
magìs per sanguinem Christi; quia absque hac doctrina nemo potest esse
Christianus, nec Judæi & gentes unus populus.

De loco ad Corinthios 2. 5. est dubitatio quàm exigua; per *vetera* trans-
euntia

euntia Apostolum significasse, & inprimis ea quæ ad veterem hominem pertinent, infidelitatem, peccatum, mortem; & deinde ea etiam quæ ad veterem Legem pertinent, circumcisionem, sacrificia, ritus, καὶ τὰ Ἰουδαϊκὰ πάντα, ut Chrysost. loquitur. De loco Gal. 3. 24. est dubitatio nulla, *Legis pædagogiam* appellari, non modò rigorem Legis moralis, quæ transgressores morti adjudicat, quia ab hac pædagogia Fides nos eximit: sed umbras & figuras ceremoniarum, quæ Judæorum documenta erant; & ab hac etiam pædagogia Fides nos liberat. Ostenditur ex c. 4. v. 3. ubi quod priùs *Legis pædagogiam* appellasset, *elementa mundi* vocat, στοιχεῖα, h.e. ut Oecumenius loquitur, τὸ στοιχειῶδη καὶ εἰσαγωγικὸν νόμον, *elementarem & introductivam Legis partem.* Ostenditur ex totius scopo Epistolæ, cujus argumentum Legis antiquæ esse cessationem, quantum ad ipsius typos, imagines & onera attinet, præter recentiores interpretes, Chrysost. Ambrosius, Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, docent; unde & hoc scriptum *principalem adversus Judaismum epistolam* Tertull. vocat.

De loco ad Ephesios, & ad Hebræos, dubitatio adhuc minor: In 7 ad Hebræos, *infirmitatem dicit & imperfectionem præcedentis mandati, propter supervacanea Legis*, inquit Theodoretus: in Ephes. 2. 15. illud quod abrogatum est, *legem mandatorum* vocat: *Ipse est pax nostra, qui facit utraque unum, & intermedium parietem maceriæ solvit*, &c. De istis locis omnibus confessa res est, & extra omnem dubitationis formam.

Solus superest Jeremiæ locus, c. 31, v. 31. de fœdere antiquo & novo. Cui etiam suffragatur Apostolus, Heb. 8. 13. ubi asserit prius fœdus antiquatum, novum autem in locum ejus suffectum. Ut verò hujus loci sensum plenissimum expiscari valeamus, videndum est quod fœdus vetus, quod novum; in novo quid superadditum, in veteri quid abrogatum. Hoc unum pro concesso sumendum neque adversarii in hac causa subnegabunt. Primò, quòd pressiori loquendi usu, fœdus vetus est fœdus operum, sive lex operum, quâ salus promittitur sub conditione operum, *Si feceris:* fœdus novum est fœdus fidei, sive lex fidei, quâ salus gratuita promittitur sub conditione fidei, *Si credideris*. Deinde, quòd magis largâ significatione, fœdus antiquorum & nostrum idem sit, κατὰ τὴν οὐσίαν, ut Chrysost. loquitur, *quoad essentiam & substantiam*; differre autem κατὰ τὴν τῶν χρόνων ἐναλλαγὴν, quoad circumstantias certas, adjuncta, annexa, &, ut vulgus loquitur, accessoria. Hom. 5. tom. 24. Ità ut distinctio in Novum & Vetus, non sit partitio generis in species, verùm subjecti in accidentia, quia utrobique res eadem, qualitates discriminantur: utrumque fœdus & Legem & Evangelium in se continet; sed illud Evangelium in Lege, hoc Legem in Evangelii doctrina: utrumque eadem mysteria salutis & promissiones æternæ vitæ; sed illic obscuriores, figuris & signis ceremoniarum & sacrificiorum adumbratas, hîc magis claras & dilucidas: nec illis Evangelium deerat, quibus Lex data, nec nobis eædem obedientiæ leges, quibus Evangelium promulgatum est. Fides in utroque eadem, idem Mediator Jesus Christus, eadem gratia remissionis, æternæ vitæ spes eadem, eadem præcepta moralia; fide justificati, gratiâ salvati non minùs quàm nos: fide vixerunt, inquit Apostolus, de spirituali petra biberunt; quia Christus agnus occisus ab origine mundi, idem herì, & hodie, & in secula.

His ità positis, introspiciamus jam tandem in locum illum Prophetæ, alterumque Apostoli, si quid in utrolibet inveniatur quod doctrinæ Legis abrogandæ faveat aut adstipuletur. *In die illa feriam cum domo Israel fœdus novum; non secundùm fœdus quod pepigi cum parentibus eorum, quando educerem eos de terra Ægypti: sed istud est fœdus, Dabo Legem meam in medio*

eorum,

eorum, & in corde eorum describam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum, & peccati eorum non recordabor ampliùs. Quid est quod hîc vel subodorari possit turba nasutior, ut ad ipsum Legis aspectum nares comprimant, & exoletam clamitent? annon erat fœdus idem factum & repromissum? audiant igitur quod sequitur, *Ero eis in Deum, & erunt mihi in populum, & peccatorum non recordabor.* Annon ipse erat illis in Deum? annon ipsi Deo in populum? annon gratiam repromissionis habebant ante adventum Christi in carne? Ergò non in re ipsa, sed in modo promulgandi, fœderis discrimen Propheta constituit; nimirum in istis verbis, *Dabo Legem meam in medio eorum, in corde eorum scribam eam:* ut non in fœdere ipso, sed in dispensatione fœderis, modóque patefactionis, differentia statuatur. Si adhuc hæsitent, perpendant quid dicat in hujus interpretatione loci Apostolus Heb. 8. 8. Profert Jeremiæ verba, *Ecce dies veniunt*; & vers. 13. in unam omnia compingit conclusionem, *Dum novum dicit, antiquavit prius: quod autem antiquatur & senescit, propè est ut evanescat.* Hæc sunt illa verba quibus adhærent mordicus, quia distinguit Apostolus inter fœdus prius & posterius, inter vetus & novum, & antiquatum illud, hoc confirmatum pronuntiat. Sed respondeant tamen, De eodem fœdere loquitur Apostolus, an de diverso? significatione strictâ, an largâ? Si strictè sumant, ità ut diversum sit fœdus, vetus & novum, nihil erit difficultatis, quia nemo negat fœdus operum in Christo & sublatum esse & completum, fœdúsque fidei in ejus locum subrogatum: quia salus ex Lege & salus ex Fide duæ res sunt quæ in negotio justificationis componi non possunt; nam *qui sunt sub Lege non sunt sub gratia*, Rom. 6. 14. *justificamur fide absque operibus legis*, Gal. 2.16. Si largiùs accipiant, ità ut unum sit fœdus, à se tantùm promulgationis modo & tempore discrepans, sensus est adhuc apertior: quod in fœdere ceremoniale erat, & ritibus aspectabile, mutatum est; quod substantiale & fundamentale, Fides nimirum & Obedientia, perpetuò duraturum est: interiit quod Mosaicum erat, quod Morale est mansit: radix & corpus fœderis viget, Ceremoniarum folia & Sacerdotii cortex sublata sunt.

Hinc Theodoretus in Gal. 2. distinguit inter *Legis necessaria*, & *Legis propria:* & in 1 Tim. inter *Legis necessaria*, & *Legis superflua. Quæ sunt Legis necessaria*, inquit, *natura ipsa docuit, Non adulteraberis, Non occides, Non furaberis*, &c. *quæ autem constituta erant de circumcisione, de sacrificiis, de aspersionibus, ea erant Legis propria & supervacanea. Legis necessaria, de non furando, de non occidendo*, &c. *consonant cum Evangelio*; *Legis propria & supervacanea, de diebus, sacrificiis, & ejusmodi, solvuntur.* Neque alia est Propositio principalis quatuor capitũ Epistolæ ad Hebræos, septimi, octavi, noni & decimi, quàm hæc quam tractamus, Ceremonias veteris Legis esse abrogatas; quia *translato sacerdotio, necesse est Legis translationem fieri*, & *ablata sunt signa promittentia, quia exhibita est veritas*, ut scitè Ambrosius. *In Heb. 10.* Ex se satìs clara & Prophetæ & Apostoli verba esse opinor; sed ulteriùs tamen discutienda sunt, quòd duo supersint quæ solent istis Adversarii opponere.

Objectio prima sic se habet; Quomodo dicitur abrogatum quod manet, aut novum quod veterascit? nisi miscere volumus quæ Apostolus distinguit, priora posterioribus, & vetera novis.

Solutio facilis & multiplex est: nam primò, Synecdochicè loquendo dicitur aliquid simpliciter *aboleri*, quando tantummodo tollitur secundùm aliquam sui partem. Ezech. 11, 19. *auferam de illis cor lapideum:* neque tamen aut omne lapideum, aut ab omnibus ablatum est. Pari modo fœdus *aboleri* dicitur, cùm aliquid tantùm ipsius aboletur. Secundò, Metonymicè loquendo, aliquando

aliquando nomen ipsius rei rei appendicibus attribuitur: sic Isaacus *oblatus* dicitur, cùm aries tantùm in victima est: sic fœderis annexa & accessiones nomen habent *fœderis*, quia instrumenta erant illius administrandi: sic *Fœdus vetus* & *Testamentum vetus* dicitur solennis confirmandi fœderis ratio, sacrificiis & ceremoniis comprehensa, umbris involuta, quibus antiquatis, fœdus ipsum dicitur abrogari, ut Christo potioris Testamenti sponsori locus daretur. Tertiò, Respectivè loquendo, idem potest dici & *novum* & *vetus*: sic S. Apostolus, 1 Joh. 2. 7. idem mandatum vocat & *novum* & *vetus*, *vetus* quia primum, *novum* quia renovatum; *vetus* quia Patribus datum, *novum* quia in novo statu collocatis est impositum; *vetus* quoad substantiam, idem quod in tabulis lapideis scriptum, καινὸν δὲ, ὅτι καινὸν ἐστι τὸ εἶδος τῆς ἐντολῆς ταύτης, ut Ammonius loquitur, *quoniam nova est forma mandati*, & novus modus quo in nobis inscribitur per Spiritum Sanctum. Ità se res habet his ipsis in locis Jeremiæ & Pauli. *Fœdus novum* & *vetus* dicitur idem fœdus: quoad materiam enim & substantiam est vetus fœdus & idem; quoad formam & modum revelationis & mensuram perfectionis, est novum & diversum. Patres astipulantur. Olympiodorus in locum, *Fœdus novum Evangelicum vocat*, εἰς ἀπόδειξιν τοῦ ἐκβεβλῆσθαι τὴν νομικὴν λατρείαν, *ut Legalem cultum jam rejectum ostenderet.* Cyrillus in Isaiam, vetus antiquatum dicit, quia idem fœdus est & tamen diversum: τῆς σκιᾶς καὶ τύπου διάκονος ὁ Μωσῆς, ὁ δὲ Χριστὸς διαθήκης βεβαιωτής, *Moses minister figuræ*, *Christus conditor ipsius essentiæ fœderis.* Eusebius in Demonstr. Revera utriusque Testamenti εἷς σκοπὸς καὶ μία ὑπόθεσις, *scopus unus*, *unúmque propositum*, unius sc. Dei cognitio & cultus: διάφορος δὲ ὁ τῆς θρησκείας τρόπος, *cultûs modus diversus*; unde Propheta addit, *non secundùm pactum quod pepigi cum Patribus*, ut Legalem cultum deletum ostenderet. Justin. qu. 101. ad Orthod. *Non differunt Lex & Evangelium*, ὡς πρὸς τὴν μάθησιν, *quantum ad doctrinam*, πρὸς δὲ τὴν ἐπαγγελίαν καὶ ἀπόδοσιν διέστηκε, *quantum ad promissionem & publicationem differunt*; quia in Lege gratia tenuior, in Evangelio majorem habet amplitudinem: atque hanc majorem amplitudinem & abundantiam Spiritûs Propheta pollicetur, dicendo, *Scribam legem in cordibus eorum.* Atque in hoc sensu apud Evangelistam veritati Lex opponitur, Jo. 1. 17. *Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Jesum Christum*: loquitur enim de Lege ut erat circumstantiis suis pædagogicis vestita. Eodem sensu quo S. Paulus, Heb. 10. 1. Legem dicit *umbram habuisse futurorum bonorum*, de ceremoniali parte fœderis loquens, quæ conjunctam habebat adumbrationem quandam spiritualium & solidorum beneficiorum exhibendorum in Christo; Pascha adumbrationem immolationis Christi; Pentecoste, missionis Spiritûs Sancti; Scenopegiæ festum, peregrinationis ad cœlestem patriam; Sabbatum, gaudii spiritualis & requietis per Christum; Neomeniæ, illuminationis Ecclesiæ per Solem justitiæ. Ergò quantum ad hanc adumbrationem spectat, Lex est abrogata, τοῦτ᾽ ἔστιν ἡ σωματικὴ τοῦ νόμου τήρησις, id est, *corporalis vel umbratica Legis observatio*, ut Basilius loquitur: quæ verò ad substantiam pertinent, non modò non abrogata, sed redintegrata. Hæc de Objectione prima.

In Catena Patrum in Jer.

lib. de Spiritu Sancto, c. 21.

Objectio secunda sic se habet; Idem est author Legis ceremonialis & moralis, Deus ipse; eadem solennitas, idem tempus institutionis utriusque; etenim eodem tempore tota Lex cum omnibus suis partibus lata est & promulgata: Ergò, inquiunt, aut tota est retinenda, aut tota cum singulis suis partibus eodem modo abolenda. Non enim hominibus concedenda est

hæc licentia, ut sicut Decemviri Romani inter Leges Solonis delectum habuerunt, ità & nos ex Legibus Divinis, ab eodem Deo, eodem tempore promulgatis, eodémque verbo postea abrogatis, partem quam volumus retineamus, sc. Decalogum, cùm ceremonialia & judicialia omittamus, tanquam nihil ad nos pertinentia. Sic illi. At non ipsorum hæc querela sola est, sed Judæorum adversus Christianos vetus erat postulatio; atque eruditè quidem à Paulo de S. Maria, Episcopo Burgensi, responsum est in suo Scrutinio. Sed concedendum est & nostris ut contra fratres suos vel ipsa à Judæorum pharetra spicula mutuentur; nisi quòd hoc intersit, quòd pro Lege Judæi, isti contra Legem Judæorum telis utantur. Sed oppugnari veritas potest, non potest concuti. Contra Judæos Burgensis probat, Deum in ipsa promulgatione Legis ostendisse, se non eodem loco habere Leges Ceremoniales & Forenses cum Decalogo: & contra istos nos similiter probamus, non eodem modo Christum solvisse hæc atque illa.

De Promulgatione, quis nescit multis privilegiis Decalogum à Deo ornatum esse? Nam primò, præcepta Decalogi data erant primo & loco & tempore, & solenniori modo, Ex. 20. Secundò, Decalogum Deus ipse dedit toti populo, & immediatè suâ voce recitavit, & tam altâ voce, ut à sexcentis hominum millibus per aliquot milliaria exaudiri posset: nam is erat virorum numerus præter parvulos, Ex. 12. 37. *Hæc verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem*, Deut. 5. 22. De reliquis legibus dicit Deus ad Mosen, vers. 31. *Tu hic sta mecum, & loquar tibi omnia mandata & ceremonias & judicia quæ docebis eos.* Tertiò, Præcepta Decalogi sunt ipsius Dei digito scripta, leges reliquæ à Mose, Ex. 24. 4. *Scripsit Moses universos sermones Domini:* & Deut. 31. 9. *Scripsit Moses Legem hanc.* Postremò, tabulæ Decalogi positæ fuerunt in arca fœderis, 3 Reg. 8. 9. Heb. 9. 4. *in latere arcæ*, inquit Cyrillus, *non in medio*, (hic locus reservatus Evangelio) sed in arca tamen: Deuteronomium verò, complectens reliquas leges à Mose scriptas, commendatum est custodiæ Sacerdotis & Regis, Deut. 17. 19. & 31. 9. Quòd autem Adversarii addunt, unà cum tabernaculo Legis tabulas deletas atque deperditas fuisse, & ex eo Legis ipsius abolitionem significari, puerile est atque levissimum: cùm Lex moralis & ante tabulas exstiterit, in ipso innocentiæ statu, & post amissas tabulas inter ipsos Judæos vigebat. Alioquin sequeretur, Legem moralem non morte Christi, ut ipsi contendunt, sed aliquot centenariis ante mortem Christi explosam fuisse: quia in secundo Templo neque arca neque tabulæ repertæ sunt, sed inter ruinas reliquas direptæ, in expeditione vel, sub Jechonia, prima, vel, sub Zedechia, secunda. Videtis quòd in Promulgatione Legis magna dignitatis atque discriminis spatia inter moralia & ceremonialia intercesserunt.

l. 5. Glaphyr.

Et in Abrogatione similiter discrimina non minùs facilia sunt observatu. Abolitionem enim Ceremonialium & Christus & Apostoli docuerunt: Moralem vigorem æternum habere & indissolubilem. Hinc est quòd de ceremonialibus loquens Spiritus Sanctus, vocabulis utitur expungentibus, λύειν, καταργεῖν, μετατίθεσθαι, παλαιοῦσθαι, γηράσκειν, ἀφανίζειν, ἀθετεῖν, *solvere, abrogare, transferre, abdicare, antiquare, evanescere, senescere:* at in Morali tractando, mollioribus multò, & quæ non doctrinam Legis, sed maledictionem respiciunt. De Ceremoniali, Eph. 2. 4. *Solvit medium parietem maceriæ:* & vers. 15. *Legem mandatorum abrogavit.* Heb. 7. 12. *Legis translatio facta est:* ver. 18. *Mandatum irritum factum est.* Heb. 8. ult. *Mandatum prius antiquatur, senescit, evanescit.*

evanescit. At de Morali contrà non usurpantur ista enecantia verba, sed quæ molliùs sonant; *Liberavit me à Lege peccati & mortis*, Rom. 8. 2. *Redemit nos à maledictione Legis*, Gal. 3. 13. *Non sumus sub Lege*, Rom. 6. 14. *Justo non est Lex posita*, 1 Tim. 1. 9. *Liberi sumus à Lege*, Rom. 7. 6. Quæ omnia magis ad personas spectant quàm Legem ipsam. Quorsum igitur utitur Spiritus Sanctus tot differentiarum characteribus, nisi *ut ostendat*, sicut Hieronymus pulchre distinguit, lib. 2. Con. Pelagianos, *quæ in Lege ad vitam & mores pertinent observanda esse; quæ ad ritus & ceremonias relinquenda?* Quocirca, ut jam tandem huic disputationis parti modum aliquem & finem faciam; de Judicialibus & Ceremonialibus controversia non instituitur, sed de potentissima Legis parte Morali. At Adversarii perfidè, quæ de Ceremonialibus alicubi ab Apostolo dicuntur, ad Moralem detorquent: & à remotione mobilis ad remotionem immutabilis procedunt. Judicialia & Ceremonialia abrogata esse, cum illis profitemur; non quòd mala & vitiosa, sed quòd superflua: non quoad lectionem, nam *quæcunque scripta, ad nostram doctrinam scripta*, Rom. 4. 14. sed quoad usum & observationem. Quia enim habebant Ceremoniæ annexam quandam protestationem de Messia venturo & passuro, non sine falsæ fidei protestatione renovari possunt, Christo jam incarnato & passo. Cùm figurativæ essent Christi, Christo jam triumphante observari non possunt sine præjudicio Christianitatis. At Legem Moralem, contra istos, constanter permanere dicimus, neque ullâ occasione aut facto posse contingere ut refringatur, aut reflectatur illius authoritas; neque posse ei quenquam aut cum ratione obloqui, aut sine piaculo adversari.

Hæc de Objectione secunda, adeóque de prima Propositione; Scripturæ sententias quæ generaliter de Legis abolitione loquuntur ad Ceremonialem Legem ut plurimùm esse referendas. De tribus reliquis Propositionibus, & Scripturarum locis quæ ad ipsas pertinent, præsentiæ nostræ dies proxima monstrabit quid sit dicendum.

LECTIO XXI.

VEtus verbum est, sed non minùs utile quàm usitatum, *Tutiùs quædam ignorari quàm sciri.* De Mysteriis inprimis dictum esse opinor quæ captum nostrum superant: deinde verò de obsoletis prioris seculi hæresibus, & vix nominandis blasphemiis, quæ sæpenumero discuntur dum cognoscuntur; adeóque satius est multò ut cineribus suis sepultæ in perpetuum jaceant, quàm ut tractatu aliquo aut cognitione posthumâ reviviscant: nè dum spectatores habeant, sectatores adipiscantur. De hodierno quod insequimur, quódque contra Legem Divinam militat, dogmate, idem existimandum esset, nisi reliquias ipsius refricuissent nuper homines malè feriati, flammámque extinctam novo flabello & integratis fomentis excitassent. Quibus ità se habentibus, maximopere necessarium est recrudescenti malo quantâ possumus festinatione celeriter occurrere; eóque magìs, quia, ut Hieronymus loquitur, *Errores alios prodidisse, est superâsse: Ipsos cognoscere, est debellasse*, inquit Vincentius, *& prævidisse, fugasse.* At verò hanc Antinomorum sacrilegam sententiam, tametsi fronte primâ exsecranda videatur atque intestabilis, cùm tamen Scripturarum præsidiis se muniat, non præmonstrasse satìs esse duco aut digito indicasse; sed ungues resecandi, labiáque consuenda, atque iisdem Scripturis quas jactitat os ipsi est obstruendum. Hoc ut penitiùs agatur & expeditiùs, Scripturarum locos ad duas, si meministis, Classes revocavi. Classis prima locos in se continet quibus in causam suam abutuntur: secunda locos quibus veritatis causa firmatur. Loci quos contra usum Legis ad causam suam propugnandam detorquent, ad quatuor Capita rediguntur; Ea quæ de Ceremoniali parte Legis, ea quæ de Morali, ea quæ de Libertate Christiana, & ea quæ de Renovatione Spiritûs loquuntur. Istis autem quatuor sunt quæ respondent Propositiones.

Propositio prima sic se habet; Quæ de Legis abolitione generaliter Scriptura loquitur, ea sunt ad Ceremonialia & Judicialia ut plurimùm referenda. Ad hanc Propositionem loca illa spectant quæ ex Jer. 31. ex 2 Cor. 5. ex Gal. 3. ex Eph. 2. & ex Heb. cap. 7, & 8. producuntur. *Ecce dies veniunt, & feriam cum domo Israel fœdus novum. Dum Novum dicit, antiquavit prius Testamentum. Mandatum præcedens abrogatur propter ejus infirmitatem & inutilitatem. Legem mandatorum per carnem suam abolevit. Lex pædagogus fuit ad Christum; cùm autem venit Fides, non sumus sub pædagogo. Vetera præterierunt, nova facta sunt omnia.* Non opus est ut ampliùs repetam, quia superiùs expensa sunt, & justis ponderibus examinata.

Accedo ad Propositionem secundam, quæ sic instituitur; Quæcunque de Moralis Legis abolitione Scriptura Sacra loquitur, ea semper vel de Maledictione Legis, vel de Remotione ipsius ex Justificationis Articulo, vel de Consummatione ipsius per Christum sunt intelligenda. Ad hanc Propositionem loca illa spectant, Rom. 4. 15. *Lex iram operatur.* 2 Cor. 3. 7. *Est ministerium mortis & condemnationis.* Rom. 6. 14. *Non sumus sub Lege, sed sub Gratia.* Rom. 7. 4. *Fratres, mortificati estis Legi in corpore Christi.* Gal. 2. 19. *Ego per Legem Legi mortuus sum, ut Deo vive-*

rem.

rem. Rom. 10. 4. *Finis Legis Christus.* Luc. 16. 16. *Lex & Prophetæ usque ad Joannem.* Ex locis istis tria priora ad primam Propositionis partem pertinent, quæ est de Maledictione Legis: duo sequentia ad secundam partem, quæ est de Exclusione Legis è causis Justificationis: duo postrema ad tertiam partem, quæ est de Consummatione Legis per Christum.

Pars prima Propositionis est de Vi damnatoria Legis: atque de ea Apostolus loquitur, Rom. 4. 15. *Lex iram operatur*; & 2 Cor. 3. 7. *Lex ministratio mortis.* De Liberatione autem à vi ista damnatoria, Rom. 8. 1. *Nulla est condemnatio his qui sunt in Christo*; Gal. 3. 13. *Christus nos redemit de maledictione Legis*; Gal. 4. 4. *Christus Legi subjectus est, ut eos qui sub Lege erant redimeret.* Ex quibus junctis facile est dignoscere quo sensu Apostolus loquutus sit, Rom. 6. 14. *Non sumus sub Lege, sed sub Gratia*; *non Legem destruens, sed ipsi fidem anteponens*; *non Legem malam faciens, sed melius Evangelium*, ut scitè Ambrosius in Rom. 1. Ecquid est amplius quod exinde possit deduci? Ecquid quod Legis abolitioni subserviat? Ecquid in istis quod colloquia prava lacessat, ut Legem cæco & furioso corde reprehendant? An verò Lex mala dicenda est, quia malis iram minatur? Aut sub Lege credentes non sunt, quia est ministerium mortis non credentibus? Quis verò tam cæcus qui reatum Legis à Legis regula nesciat dividere, ut quia non sunt sub Lege damnante fideles, non sint sub imperante; aut quia pœnale debitum cessat, Obedientiæ debitum non sit exigendum? At verò istas consequentias Apostolus rescidit, imò præoccupavit. Primam, Rom. 7. 10. *Mandatum institutum est ad vitam*; & vers. 12. *Lex ipsa sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum.* *Ecce Marcionis & Manichæi ora obstruit*, inquit Theophylactus, καὶ ἀπαλλάττει τὸν νόμον τῆς κατηγορίας ἁπάσης, ut Chrysost. loquitur, *Legem ab omni accusatione liberavit.* *Lex sancta est*: & nè quid vel minimæ suspicionis remaneret, addit, *& bona, & justa.* Quibus quid dici potest honorificentius? *Iram operatur*, sed est *Lex sancta*; est *ministerium mortis*, sed *institutum erat ad vitam*: ut intelligamus non iræ aut mortis Legem causam esse ex se, sed ex nobis; non culpâ suâ, sed nostrâ: in se ordinata est ad vitam, nobis per accidens cedit ad mortem; per accidens quidem, quia quæ custodita vitam tribuit, non custodita morti adjudicat: obedientibus proficit ad vitam, immorigeris solis ministratio iræ & mortis; cùm tamen in se contineat τὰ φύσει καλὰ καὶ εὐσεβῆ καὶ δίκαια, ut Justinus ad Tryphonem loquitur.

Quod ad alteram Consequentiæ fibram pertinet, & illam quoque falce Spiritûs amputavit, Rom. 8. 12. *Debitores sumus spiritui*; nimirum ut secundum Dei mandata & voluntatem vivamus: & *Charitatis debitum* S. Joannes appellat, 1 Jo. 4. 11. nè quis rem arbitrariam existimaret, aut officium ad placitum. Quid quòd iis ipsis in locis, quibus ab exsecratione Legis nos liberatos S. Paulus significavit, Obedientiæ Legis nos magis obstrictos pronuntiat? Rom. 6. 14. *Non sumus sub Lege*; at sequitur ver. 12. *Liberati à peccato servi facti estis justitiæ.* Rom. 7. 6. *Soluti sumus à Lege*; sed mox addit, *ut serviamus in novitate spiritûs.* In priori loco S. Augustinus in Psal. 4. observat, *dixisse Apostolum, Non sumus sub Lege*; *non dixisse, Non sumus in Lege.* In posteriori S. Chrysostomus animadvertit, *non dixisse Apostolum, Solutam esse Legem, sed, Nos à Lege solutos esse*; ut ostendat, vim Damnatoriam auferri, vim Directoriam adhuc manere; Debitum reatûs solutum, Debitum obedientiæ confirmatum. Hæc erat Propositionis pars prima.

Pars altera Propositionis est de Exclusione Legis à Justificationis Articulo: & de illa Apostolus loquitur, Rom. 7. 4. *Fratres, mortificati estis Legi in corpore Christi*; Gal. 2. 19. *Ego per Legem* (scil. fidei) *Legi mortuus sum, ut Deo viverem.* Ostendit nimirum, Justificationem Legi non esse accepto ferendam: tum quia Lex id præstare non potest; etenim Lex damnat & accusat, non absolvit aut justificat: tum quia fideles non quærunt à Lege Justificationem; nam Christo insiti, Legi mortui sunt. In utraque Epistola agit Apostolus causam Fidei: propterea quòd ipsius tempore Lex, metas suas egressa, honorem Christo Mediatori debitum sibi arrogavit. Igitur ardenter & constanter docet, Eatenus Legem abrogatam, ut non sit Justificatio petenda aut exspectanda ab ipsa. Hoc ipsum est quod urget Rom. 3. 20. *Ex operibus Legis nulla caro justificabitur.* Hoc Gal. 2. 21. *Si per Legem est justitia, igitur sine causa Christus mortuus est.* Hoc Gal. 3. 10. *Quotquot ex operibus Legis sunt, sub exsecratione sunt.* Hoc ipsum Gal. 3. 21. *Non data est Lex quæ posset ità justificare, ut ex Lege esset justitia.* Sed quid hæc omnia ad obedientiam Legis? Annon erit regula Justitiæ, quia non est causa Justificationis? Annon usurpanda est Lex legaliter, scil. ut norma vitæ, quia Apostolus eam prohibet usurpare Evangelicè, velut scalam salutis? An quia est jugum servitutis negativè, ex eo quòd non habet vim justificandi, erit etiam affirmativè, ut non habeat vim præcipiendi? Esto quòd Opera non sint Causæ regnandi; annon sunt Via regni? Concedatur quòd Lex Fidei non exigat bona Opera per modum formæ; an excludit ut fructus Justificationis & consequentias? Atque Isti sic ratiocinantur; Mortui sumus Legi quantum ad justificationem; Ergò quantùm ad sanctitatis regulam. ὦ τῆς τόλμης! ὦ τῆς ἀποπληξίας! *O audaciam! O vesaniam!* Ignat. Epist. ad Philippenses. Audiant igitur quàm pulchre Justinus Martyr hunc nodum solvit, Quæst. 105. *Gratia indulgentiæ*, inquit, οὐδ' ὅτι κατὰ τὸν νόμον, οὐδὲ κατὰ τοῦ νόμου, ἀλλ' ὑπὲρ τὸν νόμον, καὶ ὑπὲρ τοῦ νόμου, *neque secundum Legem, neque adversus Legem, sed super Legem, & pro Lege. Supra Legem, quia gratia est; pro Lege, quia per pœnitentiam ad indulgentiam ducit & beneficium Legis.* Imò audiant quàm multò pulchriùs S. Paulus, Rom. 3. rem totam explicat. Postquam sæpius dixisset Nos fide justificari, gratìs absque Lege; tandem vers. 31. annectit, *Legem igitur destruimus per fidem? Absit: Imò Legem stabilimus.* Quid clariùs? Fide Lex stabilitur, quia per Fidem finem suum attingit, quem in se attingere non potuit. *Nec quenquam tam impium esse opinor*, inquit Augustinus, *qui dicat, ideo se Moralia præcepta Legis non custodire, quia Christianus est, nec sub Lege, sed sub Gratia constitutus: Non enim vox justificati vox ea dicenda esset, sed potiùs prædamnati.* Hæc Propositionis pars secunda.

l. 3. Cont. duas Ep. Pelag. c. 4.

Pars tertia Propositionis est de Consummatione Legis per Christum: & de hac Apostolus loquitur Rom. 10. 4. *Finis Legis Christus*; & Salvator in Evangelio, Luc. 16. 16. *Lex & Prophetæ usque ad Joannem.* Eòdem recidunt & illud Discipuli dictum & hoc Magistri; atque ad partem Legis Ceremonialem utrumque referri potest. Usque ad Christum illa ducebat, & finis illius Christus erat, & finis Consummationis & Cessationis. At de hac opinor sermonem non institui, quia non simpliciter dicitur, *Lex ad Joannem*, sed *Lex & Prophetæ.* De Morali utrobique agitur, quamvìs sub Persona diversa. In loco Christi, Joannis persona; in loco Apostoli, persona Christi celebratur. Sic mutatis nominibus alter alterius vicem supplebit, & uterque utriusque. *Finis Legis Christus*, id est, Lex &

Prophetæ

Prophetæ usque ad Christum: & vice versâ, *Lex & Prophetæ usque ad Joannem*, id est, finis Legis suo modo Joannes, prout erat præcursor Christi. De seipso dixit Christus, sed nomen suum præ modestia tacuit; Joannis, honoris ergô interposuit, ut ministerium ipsius honestaret,& personam extolleret. Non inquit, *Lex & Prophetæ usque ad me*, vel *usque ad Christum*, sed *usque ad Joannem*: cùm revera tamen non finis Legis Joannes erat,sed Christus. Quòd si ministerium Joannis spectemus, & missionis modum, rationémque officii, *Limes erat*, inquit Tertull. *inter vetera & nova, ad quem desineret Judaismus, & à quo inciperet Christianismus.* Vel, ut Nazian. Or. 39. loquitur, παλαιᾶς καὶ νέας διαθήκης μεσίτης, finis Veteris Testamenti & principium Novi. Ex una parte, πάντων τῶν προφητῶν πλήρωμα, ut Macarius: ex altera, προοίμιον τοῦ εὐαγγελίου τῆς χάριτος, ut Justinus loquitur, Qu. 37. hoc est, & clausula Legis, & limen aditúsque Evangelii. Proinde vel hoc modo non sequitur, Legem & Prophetas prædicatione suâ sustulisse Joannem, sed magis confirmasse; quia ipse erat in confinio utriusque Politias, & Prophetæ & Apostoli locum habens, quia Christum & prænunciavit & vidit. Prophetam se ostendit istâ locutione, *Post me venturus est, qui ante me factus est*; Evangelistam, locutione illâ alterâ, *Ecce agnus Dei*, Joh. 1.27,29. adeóque Prophetas non solvit, sed eos Apostolis agglutinavit; cùm ipse fuerit & Ordinis Evangelici primus, & Prophetici novissimus. Quòd si personam Christi spectemus, verborum series adhuc clariùs emicat, interpretante Apostolo; idem enim sonant, *Lex & Prophetæ usque ad Christum*, &, *Finis Legis & Prophetarum Christus*: nisi quòd in verbis Pauli significatio amplior sit & sublimior: τέλος νόμου, inquit, hoc est, & Finis Cui, & finis Cujus, οὗ ἕνεκα, h.e. & Scopus Legis, & Finis Legis; & Finis in se, & Finis in nobis. Inprimis Finis Legis, id est, Scopus legis, quia Lex, dum nos peccatorum sensu percellit, ad Christum tanquam Scopum nos vocat atque deducit. Deinde Finis Legis, id est, Consummator Legis in se; ad hoc enim venit, ut Legem quam reliqui omnes transgressi sunt, Ipse adimpleret, sicut ipse testatur, Mat. 5.17. *Non veni Legem solvere, sed adimplere.* Et usquequaque adimplevit; Prophetas, quia ea quæ de ipso dixerant, operibus cuncta firmavit; Legem, quia peccatum non fecit, in nihilo transgressus est. Postremò, Finis Legis, id est, Consummatio Legis in nobis, & pro nobis: In nobis, quia ipsius Spiritu regenerati, incipimus ea facere quæ Legis sunt; Pro nobis, qui est sensus apertissimus Apostoli, quia in ipso uno gratìs per fidem nobis imputato finem Legis consequimur. Finis enim Legis est justificare eos qui eam observant: quem finem quando ex nobis assequi non poteramus, in Christo assequimur; ille factus est nobis Justitia, adeóque finis Legis, dum quæ Lex facere non potuit, hæc veniens Christus perfecit & complevit in eos qui crederent.

Adv. Gnost. cor.

Homil. 18.

Eant nunc retrò cum suis similibus sociis adversarii Legis, & dicant Christum Legem abrogasse quia implevit, ut suis quas producunt rationibus suffocentur. An quia *Finem Legis* Christum Apostolus vocet, ipsi mutato nomine Legem finitam esse affirmabunt? An quia *Prophetæ usque ad Joannem* de Christo prophetarunt, idcirco post Baptistæ tempora ipsorum Scripta eliminanda sunt? Attendant quid sit quod de hoc loco sensit Ambrosius, *Lex & Prophetæ usque ad Joannem, non quia Lex deficit, sed quia incipit Evangelii prædicatio; non terminum Prophetis statuit, sed ordinem notat:* ipsique quæ de ordine Christus dixit, ad Legis ruinam rapiunt & perditionem. οὐδὲν δὲ τούτου ἠλιθιώτερον, inquit contra Manichæos Epiphanius, *Nihil isto argumento ineptius*; Impletæ sunt omnes quas de

in Luc. 16.

Hæres. 66.

Christo tradiderunt prophetiæ; ergò quæ de pietate & moribus scripserunt sunt abrogata: Impletum est adventu Christi quod prædixerunt; ergò rejiciendum post adventum Christi quicquid prædicarunt. De Prophetarum prædictionibus, non negamus sub adventu Christi cessasse eas; non enim potuit ultrà venturus prophetari, quem jam venisse Joannes monstrabat. Sed neque hoc universaliter tenet: quamvis enim quæ de primo adventu Christi dixerunt impleta sunt; at quæ de adventu secundo dixerunt, & resurrectione ultima, Is. 26. 19. Dan. 7. 14, 22. & 12. 2. Hos. 6. 2. sunt adhuc implenda. Nisi in eorum numero censeri gestiunt Adversarii, qui neque Judicium ultimum metuunt, neque Resurrectionem exspectant, ut audeant non contra Legem modò, sed contra Prophetas mussitare. At verò hæc non est quæstio, de Prædictionibus Prophetarum, sed de Prædicatione & doctrina: hanc autem post Christum in summo splendore & vigore manere, enixè contendimus. Sic ipse Christus nos docuit, Luc. 16. postquam vers. 16. dixisset, *Lex & Prophetæ usque ad Joannem*, confestim versu subsequenti apposuit, *Facilius est cœlum & terram præterire, quàm Legis unum apicem cadere*; & versu 29. *Habent Mosen & Prophetas, audiant eos.* Atque *hoc prudens addidit, nè putaretur priùs*, inquit Beda, *Legis & Prophetarum destructionem prædicasse.* Pariter & S. Paulus, postquam *Finem Legis* Christum appellasset, statim annectit, *ad Justificationem cuivis credenti*: nè quis audaculus fortasse interponeret, Finis Legis Christus ad abolitionem Legis cuivis credenti; nequaquam, sed *ad Justificationem cuivis credenti. Ut finis dicatur*, inquit Primasius, *non à consumendo, sed à consummando.* Sicut aliud est dicere, Finitus est panis, aliud, Finita est tela; illud finitur ut non sit, istud ut perfectum sit: itidem in Christo Lex Justitiæ non consumitur, sed perficitur; &, ut Hilarii atque Augustini verbo utar, *Est finis Legis, non abolitionis, sed perfectionis; finis non interficiens, sed perficiens*: utpote qui Legem implevit, non abolevit; perfecit, non sustulit. Sustulit quod erat mortiferum, reliquit quod erat salutare: Fidei scalam erexit, at viam mandatorum & obedientiæ vestigia non delevit: segregavit eam à Justificationis merito, non à Religionis negotio aut Gratiæ consortio. Hæc sufficiat dixisse de Propositione secunda, & tribus ipsius partibus, & Scripturæ locis quæ ad partem quamlibet referenda sunt.

Hil. 11. de Trin. Aug. l. 2. Cont. Adverf. Leg.

Accedo ad Propositionem tertiam, cujus basis in Libertate Christiana statuitur, in hunc modum; Liberatio à maledictione Legis non introducit liberationem ab obedientia Legis. Ad hanc Propositionem loca illa spectant, Rom. 8. 2. *Lex spiritûs vitæ in Christo Jesu liberavit me à Lege peccati & mortis*: & Gal. 5. 13. *In libertatem vocati sumus: & in eam libertatem, quæ à servitutis jugo vos immunes facit*, Gal. 5. 1. 2 Cor. 3. 17. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Hæc omnia, indocti cùm sint & instabiles, ex Pauli Epistolis detorquent ad suum interitum, sicut S. Petrus loquitur, 2 Pet. 3. 16. Non verò heri aut nudiustertius confictum est argumentum, sed ab ipsis Ecclesiæ primordiis, viventibus & scribentibus Apostolis, ubi primùm mota sunt hæc certamina Antinomica, exinde agitata est hæc argumentatio; quam vix comminisci quenquam posse crederetis, nisi eandem nostra etiam ætas audivisset. E Simonis Schola originem habuit; salutem ille definivit Mago dignam, Liberationem sc. ab illa servitute quâ homines ex præscripto Legis ad certa opera obligantur, nec permittuntur agere quæ velint. *Jubebat*, inquit Theodoretus, l. 1. Hæretic. fabularum, *jubebat eos qui in ipsum credebant, Prophetas non attendere, nec Legis minas pertimescere, sed tanquam liberos facere quæ voluerint; non enim per bonas*

nas actiones, sed per gratiam, eos salutem esse consecuturos. De Valentinianis hoc ipsum testatur Irenæus, l.1.c.9. eos omnia liberè agere, quia propter redemptionem non sunt venturi ad judicium. Idem de Carpocratianis, l.1. c. 24. in tantum eos insaniâ effrænatos fuisse, ut omnia quæcunque sunt irreligiosa & impia potestatem se habere operandi jactarunt; cùm solâ opinione humanâ, non naturâ suâ, actiones bonas aut malas crediderunt. Non dissimile est quod de peculiari secta Anabaptistarum narrat Joh. Sleidanus, qui hinc *Libertini* dicti, quòd idem de liberatione Legis senserunt, sed alio prætextu: nam quia nos liberos per fidem ab exsecratione Legis Scriptura pronuntiat, hinc sibi licentiæ trophæa erigunt, credentes se non attendere debere ad Legem Divinam, nec curare quæ ibi vel mandata vel prohibita sunt, sed liberè agere quæcunque agunt. Hæc sunt illa Antinomias antiqua seminaria: hæc etiam recentiora vestigia; nam eâdem vertigine circumacti, in eadem voragine ineptiarum & nostri absorpti sunt. In hunc finem locis supradictis abutuntur; in hoc Pelagianis deteriores: nam illi in reliquiis Naturæ superesse Libertatis vires sine gratia ad bonum; hi verò ex ipsa Gratia accipere se libertatem vel ad malum pro arbitrio suo gloriantur. Ad cujus refutationem non opus est singula huc referre quæ de Libertate Christiana dici possunt, sed pauca tantùm annotare, in quibus ipsi cœlesti doctrinâ atque solatii plenissimâ in singulis ipsius partibus turpissimè abutuntur. Primus & summus Libertatis Christianæ Gradus hic est; Quòd fide gratìs per mortem Christi à peccato & Legis maledictione liberati sumus. Hanc partem ad pessimam suam sententiam detorquent, non distinguentes inter Doctrinam Legis & Maledictionem Legis. Secundus Gradus hic est; Quòd per Spiritum Christi, qui operatur in cordibus fidelium, à Legis jugo & onere liberamur, ut obedientiam præstemus alacrem & spontaneam, non quasi Legis stimulo cogendi, sed normâ dirigendi. Et hâc etiam parte abutuntur, quia inter vim Legis Coactivam & Directivam quid sit discriminis non observant. Tertius Gradus in iis consistit quæ *Supervacanea Legis* Theodoretus vocat; Quòd liberamur à Ceremoniis & Ritibus Legis, sub quibus Judæorum maxima servitus fuit, ut jam nulla sit in rebus adiaphoris sive indifferentibus Religio collocanda. Nam & hoc Chirographum Christus è medio sustulit, affigens illud cruci, Col.2.14. adeò ut jam nulli ritus Ceremoniales sint imponendi, sub opinione necessitatis, justitiæ, aut meriti: sed parcè & suaviter, ordinis & decoris gratiâ proponendi, præsertim teneris & timoratis conscientiis: quò discat & Christiana Modestia parêre Prælatis, ritus decoros Ordinis causâ præscribentibus; & Christiana Libertas homuncionibus, Traditiones suas sub ratione necessitatis aut cultûs obtrudentibus, refragari. Et in hac etiam parte claudicant Antinomi, quòd non distinguant Libertatem Christianam circa opera Moralia & circa Adiaphora.

Recognoscamus sigillatim loca quæ adducuntur: De Libertate circa Legales Observantias loquitur S. Paulus, Gal. 5. 1. *In libertate quâ Christus nos liberavit state, & nolite iterum implicari servitutis jugo.* Quòd de Ceremoniis loquatur, versus subsequens indicat, *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.* Hîc peccant contra tertium gradum Libertatis, quia quod dictum de Liberatione à Ritibus Legalibus, ad liberationem trahunt à Præceptis Moralibus, inter corpus & umbram non discernentes. De libertate circa servilem & meticulosam Obedientiam Rom. 7. 6. Paulus agit, *Liberi sumus à Lege, ut serviamus in novitate Spiritûs*; hoc est, ut ex Lege fidei, alacrem & voluntarium cultum præstemus, rationabile obsequium; ut ultrò & liberè exhibeamus

beamus obsequium, quod antè Lex ab invitis extorquebat; διὰ τὴν ἀρετὴν, οὐ διὰ τὸν φόβον τοῦ νόμου, ut Chrysost. explicat, Hom. 2. in 1 Tim. *non metu Legis, sed virtutis gratiâ:* hoc rationale est obsequium. Igitur hîc peccant contra secundum Gradum Libertatis, quia liberum & alacrem cultum in cultum Electitium vertunt, sive ἐθελοθρησκείαν, cùm tamen non alacris aut libera, sed cæca & temeraria & irrationalis obedientia sit quæ sine Legis Divinæ ductu suscipitur, neque in voluntaria Obedientia desinit, sed in nulla. De Libertate circa Maledictionem Legis, 2 Cor. 3. 17. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Rom. 8. 2. *Lex Spiritûs vitæ in Christo Jesu liberavit me à Lege peccati & mortis*; hoc est, Christus nos verè liberos fecit à servitute peccati, à Legalibus minis atque suppliciis, manumisit nos à miserrimo omnium captivitatis jugo, in libertatem filiorum Dei nos asseruit, ad pileum nos vocavit, imò magis ad coronam. Denique & hîc peccant contra primum Gradum, dum libertatem à timore Legis rapiunt ad libertatem audaciæ & intrepidationis, libertatem vertentes in libidinem, ut sepositâ Legis regulâ, non jam sit libertas à peccato, sed potiùs ad peccandum. Pulchre quidem à Hieron. Zanchio dictum est, *De libertate periculosum est liberiùs loqui, nè libertatis prætextu in effrenatam licentiam se homines proripiant:* sic enim carnis vitio contingere solet, ut ex dulcissimo Christianitatis lilio, quod in Libertate situm est, libidinis venenum mens araneosa depromat; & indè unus impius fit, unde alius pius exsistit; eodémque lumine obcæcatur alius, quo alius clarissimè illustratur. Etenim quod melius Conscientiæ fomentum quàm veræ Libertatis? Et quid Pietati magìs noxium quàm isthinc arrepta licentia? Si semel hæc fenestra pateat, quid obstat quò minùs vitiorum furiis agitata mens in omnium turpitudinum barathra inexhaustâ cupiditate rapiatur? Quidni jam pereant mores, jus, decus, pietas, fides & Religionis conscientia, atque succedant vicariâ operâ portísque liberis, dolus, crudelitas, barbaries, turpitudo, scelera omnia, si Legis semel Divinæ claustra amoveantur? Hoc S. Apostolus Paulus quia præviderat, quasi divinato & antè capto cogitatu, annisus est omni studio hunc Libertatis abusum prævenire. Rom. 6. 18. *Liberati à peccato, servi facti estis justitiæ*; & versu 20. *Liberati à peccato, servi estis facti Deo in sanctificationem.* Gal. 5. 13. *In libertatem vocati estis, tantùm nè libertatem in occasionem detis carni, sed per charitatem servite invicem.* Et nè quis à proprio spiritu Charitatis regulam ducendam esse assereret, certam regulam Charitatis subjungit à Lege petendam, *Omnis Lex in uno sermone completur, Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Pariter & S. Jacobus cum Regenerationis gratia Legem conjungit, cap. 2. ver. 12. ubi Legem Moralem *Legem Libertatis* appellat; & cap. 1. ver. 25. *Perfectam legem libertatis, in quam nisi quis introspiciat, in qua nisi permanserit, religio ipsius vana erit.* Postremò & S. Petrus, 1 Pet. 2. 16. *Ut liberi,* inquit, *ac non velut velamen habentes malitiæ libertatem, sed ut servi Dei.* Quibus verbis innuit, Liberum neminem esse posse, qui se vult vitiis emancipare; liberum neminem nisi qui Deo serviat; servus autem Dei non est qui Legi Dei obtemperare recusat. Νομομάχοι, θεομάχοι. Quis enim est verè liber? Oecumenius docet, in 1 Pet. 2. ὁ μηδενὶ τῶν ἀτόπων ὑπείκων, *qui nulli absurdæ rei obtemperat.* Quæ vera Libertas? Chrysostomus docet, Hom. 6. ad pop. τὸ διηνεκῶς ζῆν ἐν δικαιοσύνῃ, *in justitia continuè vivere.* Quæro igitur & obsecro ut me doceant, Ad quid Christus Legem implevit? Ut transgrediamur Legem, an magìs quia transgressi sumus? ut impios faceret, an ut justos? Dicant in quam libertatem vocati

cati sunt; Carnísne an Spiritûs? Certè Libertas Spiritûs ea maxima est, cùm obtemperamus mandatis Dei. Ergò restat ut sit Libertas carnis, quam M. Tullius, *potestatem* definiebat *vivendi ut quisque velit*. At hæc libertas non est, sed servitus: aut si libertas, maculis plena libertas, & squaloribus obligata, atque omni servitute & pejor & pessima. De hac S. Petrus monuit, nè libertati *velamen malitiæ* adhæreat; hoc est; nè quis libertatis specie impietatem tegat. Et Oppugnatoribus nomen aptissimè congruit, qui Velamen Mosis, imò Legem Mosis, rejiciunt, & Velamen licentiæ induunt. At caveant interea, nè dum Velamen Mosis deponunt, Velamen Evangelii succedat: ut qui nolunt audire quæ sunt præcepta Legis, non possint percipere quæ sunt solatia Gratiæ. Hæc de Propositione tertia. *in Paradox.*

Ad quartam & ultimam propero, quæ de Spiritûs renovatione disserit, & sic se habet; Renovatio quæ est per Legem Spiritûs non solvit doctrinam quæ est in spiritu Legis. Ad hanc Propositionem loca illa pertinent, Rom. 5. 5. *Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis*. Gal. 5. 18. *Quod si Spiritu ducimini, non estis sub Lege*. 1 Tim. 1. 9. *Justo non est Lex posita*. 1 Joh. 2. 27. *Non necesse habemus ut quisquam doceat nos, sed sicut unctio*, id est, *Spiritus*, *ejus docet nos*. Atque ex istis colligunt, Quòd justus non indigeat Lege, quæ eum doceat, admoneat, vel urgeat ut bene vivat; Quòd non est opus ut renatus vitam suam exigat ad normam Legis Divinæ, sed omnia faciat ex Spiritu, adeóque privato suo arbitrio & consilio vivat; Quòd ubi Spiritus Dei est, ibi nullâ doctrinâ & lege opus est, sed voluntariâ obedientiâ, quæ urgeri se aut admoneri non patitur; sicut stultus & insanus est, qui bonæ arbori vellet præscribere quales fructus debeat ferre, quíque Solem vellet admonere ut luceat, quia per se, suâ naturâ hoc faciunt: denique, Quòd in Novo Testamento non sunt præcepta urgentia, neque quicquam vult Christianus facere ad quod Lege urgetur. Verbi gratiâ, Cùm Deus dicit, *Diliges proximum*, liberum est renato facere vel non facere: & si faciat, non ideo facit quia præceptum, sed quia placitum. Hem, quantam sylvam quantillus ignis incendit! Quàm callidi sunt ut alios, ut seipsos decipiant! Scripturas prætendunt, & Spiritum Sanctum loquuntur: at neque Scripturæ vox est quam fingunt, nec agitatio Spiritûs de qua gloriantur. Idem faciunt quod aucupes solent, qui ante ortum Solis arborem fictam portant, cui adulterinos inserunt ramos; deinde alias aves clausas portant in cavea, alias visceratas ad imaginem viventium fallacibus ramis imponunt: aliæ igitur latent in caveis, aliæ quasi viventes videntur in ramis: sic una est geminatæ fraudis calliditas; aves quæ videntur in ramis, cùm mortuæ sint, non cantant, sed colla extendunt quasi cantarent; aves quæ non videntur, sed latent in fovea, cantant quidem, sed quasi gutture alieno: inter alterius imaginem & alterius vocem dolus unus operatur; captivæ liberas capiunt, & mortuæ viventes occîdunt. Haud absimiliter & isti, ut impunè possint despicere Legem, componunt se ad simulandam sanctitatem, arborem fictam portant Religionis, ramos adulterinos inserunt fucatæ Obedientiæ, Scripturis ramos fallaces onerant, & vocem Spiritûs Sancti intus loquentem ostentant: sed neque Scriptura est quæ loquitur, neque Spiritus Sanctus qui movet, sed intus spiritus nequam latent in fovea, qui veræ libertatis & vivi spiritûs prætextu aures auscultantium oblectant, & sic captivi liberos capiunt, & mortui vivos occîdunt. Quis enim est tam mediocriter Sacris imbutus literis, qui istas voces audiens, *Charitas diffusa est in cordibus*

bus per Spiritum; *Sancti secundum Spiritum incedunt*; *Qui Spiritu ducuntur non sunt sub Lege*; *Justo non est Lex posita*; *Non est necesse ut aliquis nos doceat, sed sicut unctio nos docet*; quis non statim putat se Dei ipsius in Scriptura loquentis vocem audire? Et tamen Scriptura nihil minus est quàm Scriptura, istis proloquentibus. Ex Scripturis discimus, quòd Lex est spiritualis, quòd Legis Divinæ author est Spiritus, & si habitet in cordibus Sanctorum, scribit in cordibus eorum; & quid tandem? Legem Dei, *Legem meam scribam in cordibus eorum*, Jer. 31. 31. & ipsis tamen secundum Legis præscriptum ambulare, est sec. carnem incedere. In Scripturis Deus ipse imperat, nè juxta arbitrium nostrum ambulemus, *Non facietis quod vobis rectum videtur, sed quod ego præcipio vobis*, Deut. 12. 8. at isti contrà, Faciemus quia nobis rectum, & non quia præcipit Deus. In Scripturis S. Paulus, Eph. 2. 10. de Renovatione mentis loquens, Sanctos vocat *Spiritûs Sancti facturam, conditos in Christo ad bona opera*: at isti, Renatis doctrinâ nullâ opus esse clamitant, quia Spiritu ducuntur. Quasi parùm jam esset Legem proscribere, nisi Evangelium ipsum exterminarent: cùm vel diligere proximum, quod Evangelium toties inculcat, non teneamur, ipsis dicentibus, quia præceptum, sed quia placitum. Revera si in renatis purus putus Spiritus habitaret, & nulla carnis particula superesset, superflua fortassis Lex esset, Admonitiones omnes & Exhortationes supervacaneæ: at Apostolus dicit *carnem concupiscere adversus spiritum*, Gal. 5. 17. ut vel maximè opus sit cohortatione Apostolicâ ad mortificanda membra nostra, adeóque Lege Divinâ etiam renatis, ut arguat & coerceat vetustatem carnis, quæ in ipsis contra spiritum militat. Postremò, ex Scripturis edocti sumus, posse simul cohabitare Legem Dei & Spiritum Dei. Apostolus docet, Rom. 7. 22. *Condelector Lege Dei quoad interiorem hominem*, & ver. 25. *Mente servio Legi Dei*; & Gal. 5. postquam ver. 18. dixisset, *Si Spiritu ducimini, non estis sub Lege*, id est, sub timore Legis, versu 22. Charitatem, Pacem, Mansuetudinem, & Temperantiam, ipsius Legis officia, ille *fructus Spiritus* appellat: nè quis alia præcepta Moralia Legis, alia Spiritûs Mandata somniaret. At isti contrà putant, nec cum Lege Spiritum, nec cum Spiritu Legem posse consistere. Quòd ad Timotheum scribens Paulus, 1 Tim. 1. 9. affirmat *Justo non esse Legem positam*, viderint ipsi, num causæ prosit vel noceat magìs; nam statim adjicit, *sed Legis contemptoribus, & iis qui subjici nesciunt*, ἀνόμοις, h. e. ἀντινόμοις, ut ipsi sciant se maximè Lege teneri, ipsísque eam inprimis positam, quia Legis sunt contemptores, & subjici nolunt. De sensu verò Apostolici Axiomatis si quærant, quacunque manu prehenderint, deceptos se intelligant; sive in passivo sensu *justum* accipiant, pro *justificato*, sive in activo, pro *justa faciente*. Illi Lex non est posita quæ condemnat, quia per Christum liberatur à Lege: huic Lex non est ponenda quæ cogat; quia si perfectè justus sit, & virtutis actibus ex se pollens, non indiget Lege quâ erudiatur. Ὁ μηδὲν ἀδικῶν, οὐδενὸς δεῖται νόμου, ut pulchre poeta Ethnicus Antiphon. *Adversus ejusmodi qui ad Legis normam mores suos sponte componit, Lex non est lata: non enim potest venire contra mores, si habeatur in moribus*, ut Salvianus, De Gub. Dei lib. 5. loquitur. Ratio est, quia Lex propter transgressiones addita fuit, id est, adversus eos constituta qui Legem transgrediuntur, non adversus eos qui Legem per omnia observant: utì expressè àb Apostolo, Gal. 5. 23. *Fructus Spiritûs est Charitas, gaudium, pax, mansuetudo, temperantia*, & ejusmodi: *adversus eos qui tales sunt non est Lex*. Sed quæro tamen ecquis reperitur οὐδὲν ἀδικῶν· ecquis tam perfectè justus, qui per omnia observat

observat Legem, qui normâ non egeat? ecquis tam ingratus ut se putet sine Lege, quia per Gratiam positus est in Christo supra Legem? Non mea est quæstio, sed adversus Manichæos Epiphanii, Ἐπεὶ ὁ νόμος δικαίῳ οὐ κεῖται, παράνομος ἄρα ἐστὶν ὁ δίκαιος; *An ex lex dicendus est justus, quia ei Lex non est posita?* Apostolus ipse solvat hunc nodum; *Scimus*, inquit præcedenti versiculo, *quia bona est Lex, si quis eâ legitimè utatur:* & *bonam* Legem dicit, & *utendam* dicit, & *utendam legitimè*. Quid est illud *Legitimè?* Chrysostomus doceat; *Tunc eâ quis legitimè utitur*, ὅταν παραπέμπῃ πρὸς τὸν Χριστόν, *cùm eum Lex transmittit ad Christum.* Ambrosius doceat; *Hic legitimè utitur Lege, qui potest discernere ea quæ ad tempus data sunt ab iis quæ perpetua sunt; hoc est, Legales observantias distinguere quæ transierunt à præceptis moralibus quæ permanent.* Atque rursus, Is legitimè utitur Lege, qui cognoscit Legem, & quâ causâ data sit: qui prædicato Christo deserit eam ex parte, quâ *Lex factorum* appellatur; circa dilectionem autem utitur eâ, *affirmans ea quæ à Salvatore dicta sunt in Lege & Prophetis.* Viden', infelicissime? Teipsum expostulo arbitrum; Ille *legitimè utitur*, qui Legaliter utitur, non Evangelicè, (νόμος νομίμως) h. e. ut regulâ vitæ, non ut efficaci salutis medio: qui utitur eâ ante Justificationem ut cymbâ, aut vehiculo, quâ ad Christum transmittatur; post Justificationem ut normâ, quâ in Christo persistat, & ad nominis ipsius gloriam vivat. Denique, ut verbo dicam, ille *legitimè utitur*, qui hoc novit, quòd ipsi in Christum credenti Lex non sit posita ad condemnationem, sed ad studium & exercitium: quod ipsi non faciunt qui disciplinam Legis despiciunt, qui præcepta conculcant; imò tam longissimè absunt ab hoc ut *legitimè utantur*, ut ne utantur quidem.

Ad extrema jam vergit disputatio; atq; hîc reverâ clausulam imponerem, nisi quòd locus alter superest, isque palmarius, in quo sibi supra modum adblandiuntur. Habetur autem ex 1 Joan. 2. 27. *Unctio quam accepistis manet in vobis, nec necesse habetis ut quisquam doceat vos, verùm sicut eadem unctio docet vos.* Cui simile est illud S. Pauli, in 1 Thess. 4. 9. *De fraterna charitate non necesse habetis ut scribam vobis; ipsi namque Divinitus docti estis ut diligatis invicem:* & illud, Isai. 54. 13. *Universi filii tui docti erunt à Deo.* Eja, ut periti sunt Sacrarum literarum ad imperitos in errorem suum seducendos! & tamen Scripturis derelictis, ad Enthusiasticos raptus se recipere coguntur; quasi alia esset disciplina Spiritûs in secretis, alia in obsignatis tabulis atque Testamentis, ut relictis Sacris Paginis, Fidei atque Obedientiæ regula certissima petenda esset ex Enthusiasmis. Ast verò habuisse etiam omni Ecclesiæ seculo Auditorium suum atque Scholam in fidelium cordibus Spiritum Sanctum, nemo est qui diffitebitur; licèt non tam publicam atque solennem sub Veteri ac sub Novo Testamento. At quamvis Spiritûs participes facti sunt Israelitæ, non ob id fidei morúmque regulam respuebant; docti erant à Deo, sed tamen Prophetis auscultarunt; unctionem Spiritûs habuerunt, sed insuper ad Legem eos Deus amandavit. Annon Sanctus David unctionem habuit? & quis illo Legem magìs dilexit? Annon Josias? & quis ad vocem Legis magìs tremuit? Sed respondebunt fortasse, Signanter Apostolum dixisse, Non necesse esse ut aliquis ipsos doceret postquam unctio docuisset. Ergò in illo vocabulo dubitationis cardo vertitur, οὐ χρείαν ἔχετε. Quod Apostolus adjecit, Propheta tacuit. *Non necesse habetis ut scribam*, inquit Paulus; *Non necesse est ut quisquam doceat*, Joannes. Ecquis tam insanus, ut ad simplicem & absolutam necessitatem rapiat, aut exclusivè accipiat? Attemperatè igitur sumendum est. *Non necesse*, hoc est, Non omnino necesse? Absit: quorsum enim hortaretur

 Paulus,

Paulus, quorsum Joannes hoc scriberet, si non esset aliquatenus necessarium? Quocirca, *non necesse*, hoc est, non præterea necesse. Res est adeò manifesta, ὡς μηδὲ διδασκαλίας δεῖσθαι, sicut Chrysost. *ut nè doctrinâ quidem egeat*; οὐδὲ συμβουλεύειν χρὴ, sicut Oecumenius explicat, *neque suadere opus est*, cùm vos abunde hoc sciatis. Ex circumstantiis utriusque loci res erit clarior. Verba Joannis sunt, *Non necesse habetis ut quisquam vos doceat, verùm sicut unctio docet:* non ait, *ut quisquam vos doceat* παρὰ τὸ χρίσμα, *præter unctionem*; sed, *ut quisquam doceat* ἀλλ' ὡς χρίσμα, *verùm sicut unctio docet*, h. e. præter ipsum quod unctio docet: at Lex id ipsum docet quod unctio docet, & Prophetæ id ipsum docent quod unctio docet.

Verba Pauli sunt, *Non necesse habetis ut scribam vobis.* Animadvertamus verborum seriem; *Non necesse habetis*, versu 9. dein ratio redditur, *quia à Deo didicistis ut vos invicem diligatis:* h. e. docti estis ab Evangelio Dei, ubi Christum sic præcipientem audivistis; docti etiam estis à Spiritu Sancto, qui mox ut cor hominis repleverit, Charitatis semina inserit. Tum demum alia ratio attexitur, versu 10. *Nam & vos hoc facitis erga cunctos fratres qui sunt in Macedonia:* tanquam hoc sit certissimum indicium quòd à Deo didicerint, cùm quod didicerint fecerint. Adeò, inquit, ipso effectu & operibus Charitatis ostenditis quòd hoc ipsum didicistis; quocirca *non est necessarium ut scribam vobis*. Et tamen addit, *Rogamus vos, fratres, ut abundetis magis:* ut quod priùs *non necessarium* dixerat, nunc vel maximè necessarium esse indicaret. Idcirco respondeant tandem, an ad hoc uncti & obsignati erant à Spiritu Sancto, ut Legis mandatis valedicerent? an ad hoc edocti à Deo erant, ut quæcunque alia documenta spernerent? an uspiam Deus hoc docuit, ut Legem ipsius despicerent? an possunt esse θεοδίδακτοι, qui sunt θεομάχοι; Videsis quàm sollicitè perdeliram hanc sententiam eodem capite S. Joannes contundat, dum Dei doctrinam cum præceptorum doctrina copulat, c. 2. vers. 3. *Per hoc scimus quòd cognovimus eum, si mandata ipsius observamus*; & vers. 4. *Qui dicit se nosse eum, & mandata ejus non servat, mendax est*; & vers. 7. *Non novam doctrinam scribo vobis, sed quam habuistis à principio*; & c. 3. vers. 24. *Qui servat præcepta ejus, in eo habitat, & ipse in eo; & per hoc novimus quòd habitat in nobis, nempe ex Spiritu quem nobis dedit.* Quid apertius? *Ex hoc novimus nos Spiritum accepisse, si præcepta ejus custodiamus.* Similiter & S. Petrus eadem inter se conjungit, Ep. 1. c. 1. vers. 2. *Petrus Apostolus Jesu Christi, dilectis secundum præscientiam Dei Patris, ad sanctificationem Spiritûs, per obedientiam*; hoc innuens, quòd ubicunque est Sanctificatio Spiritûs, ibi est erga mandatum Obedientia: nam *hoc mandatum habemus* à Spiritu Dei, quod & à Lege Dei, *ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum*, 1 Joan. 4. 21. Postremò & S. Paulus eadem inter se arctissimè connectit, Rom. 8. 6, 7. ubi Prudentiam Spiritûs Legi Dei subjectam esse contendit, Prudentiam Carnis nequaquam. Ad Eph. 4. 23. ubi hortatur Ephesios ad renovationem Spiritûs, *Renovamini spiritu mentis vestræ*; & tum sequitur, *Deponite mendacium; Irascimini, & nè peccetis; Qui furabatur, non furetur ampliùs.* Adhuc, 1 Thess. 5. 19. *Spiritum nolite extinguere, Prophetias nolite spernere*; ut ostenderet in contemptu Legis & Prophetarum apertissimam Spiritûs Sancti abdicationem consistere. Et post hæc omnia susurrones Legis murmurant, per Spiritûs Sancti regimen se Lege solutos; & quia Spiritus docet, à nemine docendos. Ain' verò, à nemine? Non si Propheta fuerit, non si Apostolus? A nemine? Non ipsâ Lege, non ipso Evangelio? Ut quid igitur pugnatis contra Legem solam? Quare non eâdem facilitate rejicitis & Evangelium? Si propter afflatum Spiritûs docentis, contra Doctorum & doctrinarum omnium

nium

nium voces aures obstruere oportet, quid opus est Evangelio, aut dispensatoribus ipsius, Ministris Dei? *Quid nos facimus, Fratres, quando populum instituimus? Si unctio ipsos doceat de omnibus, quare nos sine causa laboramus? Quid tantum clamamus? Dimittamus hos unctioni, ut ipsos unctio doceat. Non modò mihi quæstionem facio,* inquit Augustinus, *sed ipsi Apostolo; dignetur audire parvulum quærentem à se, Unctionem habebant quibus tu loquebaris, sanctissime Apostole. Ut quid igitur talem Epistolam fecisti? Quid illos tu docebas? Quid instruebas? Quid ædificabas?* In promptu est ratio, Non solùm per se unctio docet, sed instrumentis utitur, Lege & Evangelio, nec non & vasis fictilibus, atque humani laboris organo. *Cathedram in cælo habet qui corda docet*; at per documenta externa influere in animos non dedignatur. Docet digito, docet verbo; Verbum enim est ministerium Spiritûs: docet intrinsecùs in cordibus, docet forinsecùs ex Scripturis; & ex utraque libri pagina, ex Evangelio simul & ex Lege: adeóque unctioni repugnat, quòd tollat Legem, ut exponat, perficiat, & cordibus insculpat. Hæc de Propositione quarta. *Tract. 3. in 1 Ep. Joan.*

Nunc video calcem, ad quam cùm sit decursum, nihil præterea est adjiciendum: sed horæ calcem, non quæstionis. Nam temporis angustiæ non sinunt ut alteram pensi partem absolverem, in qua Argumenta nostra ad Thematis confirmationem producenda erant. Si in posterum me facturum dicerem, nimio plùs audax essem, qui fugacis curriculi promitterem mihi tam diuturna spatia. Non polliceor igitur, neque despero tamen; fortassis ità, fortassis aliter, prout Deus decreverit. Interea vel hucusque profectum me non pœnitet, quòd corium ipsorum argumentis detraxerim, atque enudaverim vobis velut carne spoliatos artus. Ut ex istis intelligere possitis, quàm sint Antinomi æquè Prophetarum ac Mosis, æquè Prophetarum ac Apostolorum adversarii, dum & Prophetarum sermones evertunt, nec minùs pervertunt dicta Apostolorum. Itaque *de illorum numero sunt*, dicente Augustino, *qui servos patrisfamiliàs lapidarunt, ídque non ictibus saxeis, sed, quod durius, maledictionibus.* Judæis in hoc pejores: illi vel ipsa sepulchra Prophetarum ornabant; isti linguâ maledicâ ipsorum scripta lacerant, quibus defunctis honorem etiam ipsi Judæi deferebant. Tantum est ut verbis sapientissimi Concionatoris vos moneam; *Fili mi, nè ambules in via cum eis, & prohibe pedem tuum à semitis ipsorum: sepi aures tuas spinis & tribulis, & noli andire linguam nequam,* Proverb. 1. 15. & Ecclesiast. 28. 24. *l. 2. cont. Adv. Legis & Prophet. c. 4.*

LECTIO XXII.

QUòd per *Nova* hæc & *Vetera*, Legis & Evangelii oracula denotentur, quódq; non minùs ad Legis quàm Evangelii studium eruditum Scribam hîc Christus relegaverit, & superiùs & sæpius à me demonstratum est. Neq; ausim ea altiùs aut à fonte repetere, nè videar actum agere, & supervacuis impendiis laborare. Veruntamen cùm istarum rerum recordatio ancipiti temporis custodiæ concredita sit, cúmque ad Memoriam se habeat temporis diuturnitas velut ad tabulam spongia, quæ detergere solet quicquid nobis in animo aut lectione fixum, aut meditatione signatum fuerit; idcirco necessarium fore video, ut (quod Canes venatici solent) ad pristina vestigia recurram, quò facilior pateat aditus ad ea quæ sequuntur enucleanda. Hoc ut consultiùs à me factum sentiatis, recognoscite mecum quid illud sit quod de Hispaniæ populo, qui *Vettones* vocabantur, Strabo Geographus refert; Eos adeò rerum civilium & politioris exercitii ignaros fuisse, ut cùm Romanorum Centuriones quosdam in Castris ante tentoria sua deambulantes cernerent, non alios quàm mente captos existimarent; prorsum enim retrorsúmque toties ac tam citò ire ac redire, certissimum aut stultitiæ aut dementiæ signum videbatur: cùm verò illud potiùs Prudentiæ indicium censendum erat, quia ad velocem cursum, & labores magnos exantlandos, sedato & molliori incessu corpus vegetatur. Quòd si inter vos Vettones aliquos latere suspicarer, aut temeritatis aut ignaviæ notam jure mihimetipsi metuerem, quem in castris Theologicis toties ante tentoria euntem, redeuntem, antrorsum, retrorsum spectatis. Sed non est quòd metuam, quia satis jamdiu mihi cognita est solertia vestra. Disputationis leges nemo est vobis qui meliùs callet; quòd ad præsentia per præterita præparandus est animus; neque fieri potest ut sequentia addiscantur, si præcognita effluant. Agamus igitur, decursi itineris semitas repetamus, exstructam priùs fabricam solvamus, quò sit uberior facultas reliqua quæ per hæc silentii spatia seposita sunt superstruendi. Superstruendi dixi, quòd architecturæ speciem præ se ferunt quæ ad hanc causam spectant, si junctim sumantur. Concordia Legis & Evangelii est Ædificium; *Nova* & *Vetera*, hujus ædificii Fundamentum; Columnæ ornatûs, consensus Interpretum; Columnæ firmitudinis, loca Scripturæ Analoga quæ interpretationem roborant; Epistylia, Theoremata quæ ex verbis sic intellectis assurgunt. Theoremata duo sunt; primum de Concordia Legis & Evangelii in iis quæ ad Disciplinam spectant, Quòd Ministrum Verbi decet, & Minarum Legalium & Evangelicarum Promissionum supellectilem de thesauro suo proferre, ut per hanc *Novorum* & *Veterum* copulam Auditores suos & à vitiis revocet, & ad virtutes accendat. Theorema secundum est de Concordia Legis & Evangelii in iis quæ ad Doctrinam spectant, Quòd Verbi Ministro incumbit etiam & Legis & Gratiæ doctrinam explicare, & in omnibus quæ ad plenam utriusque intelligentiam requiruntur Auditores suos erudire.

Theorema primum adversùs Peccatores militat: & ipsius Tria constituta sunt Capita; Rationes, Regulæ, Cautelæ.

Theorema secundum pugnat cum Hæreticis: cum Pontificiis, qui nos probris & contumeliis onerant, quasi hostes Legis & contemptores; cum Antinomis, qui Legis Moralis usu Christianis interdicunt, & Obedientiæ jugum

jugum excutiunt, ut se veros hostes Legis prodant, & tantùm non proditores. Cum Pontificiis pugna levior, quia causa nostra est, & aperta calumnia: intestina magìs cum Antinomis, quia causa Christi est, & occulta blasphemia. Quatuor autem erant quæ in hujus putidi dogmatis refutatione discutienda proposui.

Prima pars Inquisitionis de Origine & Prosapia tractabat, quibus Radicibus orti sunt Erroris hujus exitiosi sectatores, sive ab Aetianis, in quartò Seculo; sive à Manichæis, in fine tertii; sive à Tatianis & Valentinianis, in fine secundi; sive ab Apelle, qui ante Valentinum caput exseruit; sive à Marcione, magistro Apellis; sive à Cerdone, magistro Marcionis; sive à Simonianis, qui ipso Apostolorum ævo vixerunt; sive ab his, sive ab illis genus suum traxerint, non multùm refert: Natales habent splendidos, & sanctissima Stemmata in quibus glorientur.

Secunda pars Inquisitionis in Progressu & Incremento indagando versata est, quibus Alis evecti, quibus Stimulis concitati sententiam pessimam amplexi sunt, amplexámque promoverunt. Nimirum, & Alâ Superbiæ, quâ seipsos solos Sanctos prædicant, cæteros ut carnales & impuros refugiunt; & Alâ Pertinaciæ, quæ nihil mediocritatis novit, sed gaudet in extremis & præcipitiis versari: ut quia Pontificii in salutis negotio Legem simul ostentant & Christum, illi vitia in contraria currunt, & debitam Legi Morali obedientiam explodunt: & Alâ Licentiæ, quâ nihil dulciùs sonat effrænatis animis. Exstinctâ Lucernâ Legis, quid non sunt in tenebris commissuri? Dempto Fræno Legis, quæ coercitio erit cervicis indomitæ? Cessante Disciplinâ Legis, quidni vivat quisque prout sibi placuerit?

Tertia pars Inquisitionis in Scripturæ lôcis ventilandis occupata est quibus in causam suam abutuntur, ex scriptis Propheticis, Evangelicis, Apostolicis desumptis. Prorsus quasi gloriosum existimarent, Legem Patris ex ore Filii, & scripta Prophetarum Apostolorum testimonio enervare; cùm tamen una sit veritas omnium, cúmque summæ audaciæ sit Legem sanctissimam interposito Salvatoris nomine evertere, & extremæ denique impudentiæ in scriptis Prophetarum reprehendere quod in Apostolis coguntur vel inviti comprobare. Et huc quidem usque æstivæ nos vigiliæ perduxerunt.

Nunc Ordinis ratio postulat, ut post depulsa tela quæ ad causam suam defensitandam Adversarii Legis emiserunt, Argumenta nostra ad veritatis patrocinium proferantur. Nam hæc est Inquisitionis pars ultima, nullo modo prætereunda; nè sicut M. Cælium, meliùs objicientem crimina quàm defendentem, M. Cicero faceto scommate perstrinxit, *Bonam dextram habere Cælium, & malam sinistram*, quòd gladii usum magìs noverit quàm clypei: itidem & mihi quis adesse dicat bonam sinistram, & malam dextram, si solo clypeo ad nos defendendos, & ad hostem feriendum gladio non uteremur. Quanquam quid ego loquor de meipso? Non meâ hoc potest opus dextrâ confici, nec gladio infirmitatis meæ; sed dextrâ Domini, & gladio Spiritûs. Dextra Domini excelsa est, faciens fortitudinem; gladius Spiritûs potens est, ut falsum à vero sejungat. Aggredior igitur Divinis auspiciis Argumenta defensionis nostræ, dextrâ Dei ducente, digito Spiritûs indicante, & super omnia prævalente gladio Christi, qui est Verbum Dei. Et quia in unoquoque gladio tres potissimùm partes eminent, Acies Recta, Acies Transversa, & Cuspis, in qua Acies utræque conveniunt: idcirco & mihi in hac parte hæc Ordinis ratio est instituenda, ut ad tria Argumentorum Capita rem totam deducam. Caput primum à Testimonio Evangelii ducitur; hæc Gladii Acies Recta. Caput secundum à Natura Legis, re-

ſpectu Æternitatis, reſpectu Perfectionis; hæc Acies Tranſverſa. Tertium à Nexu & uſu communi utriuſque; hæc quaſi Cuſpis Gladii, in qua mutuis amplexibus & Lex & Evangelium conſpirant.

A primo Capite ordiendum eſt, ſive ab Acie Recta, à ſuffragio Evangelii. Æquum enim eſt, ut Legis Adverſarii ex principiis Evangelicis refellantur. Quoniam *quoquomodo Chriſtianos ſe videri cupiunt*, inquit Auguſtinus, *& ad Evangelium & ad Apoſtolos provocare non erubeſcunt:* etiam Scripturis ad Novum Teſtamentum pertinentibus refellendi ſunt, ut oſtendatur in reprehenſione Legis inconſideratiùs eos quàm verſutiùs inſanire.

l. 1. Contra Adverſar. Legis & Prophet.

Evangelii verò Suffragium duo in ſe continet; Teſtimonium Chriſti, & Teſtimonium Apoſtolorum. Quæ ſi cum prioribus jungantur, non minùs quàm ſex Defenſionis noſtræ Gradus præbent, quibus ad ſummitatem aſcendendum eſt; Teſtimonium Chriſti, Teſtimonium Apoſtolorum, Æternitas Legis, Legis Perfectio, Uſus Legis, & Nexus mutuus utriuſque.

Primus & præcipuus Gradus eſt à Teſtimonio Chriſti; éſtque Argumentum invictum. Quod Chriſtus ſuâ authoritate ſtabilivit, & per omnia Chriſtianitatis ſecula continuandum eſſe docuit, illud abſque controverſia pro authorato habendum eſt, ſempérque manſuro: Sed Præcepta Decalogi & Obedientiam Legi Morali debitam Chriſtus ſæpiuſculè docuit, & ſuo ſuffragio confirmavit. Confirmavit multifariàm, Facto, Signo, Verbo; Verbo Negativo, Verbo Affirmativo; hoc eſt, non uno modo, ſed omnibus.

Primus Modus ab Exemplo Chriſti trahitur. Legem confirmavit Facto, quia ipſi præſtitit obedientiam; Phil. 2. 8. *Humiliavit ſe, factus obediens uſque ad mortem.* Exinde quid ſequitur? Satìs ſi hoc unum, quòd ſubjecerit ſe ſupplicio Legis. Concedimus; ſed numquid mandato Legis? Imò verò mandato multò magís: nimirum quòd Activæ quàm Paſſivæ Obedientiæ vinculum ſtrictius erat & obligatio ſanctior. Activa primas tenet, Paſſiva in ſecundis conſiſtit, & ſequitur ex defectu primæ; Activa incumbit homini, Paſſiva peccatori: Obedientiam Activam neceſſariò debuit, quia homo erat; Paſſivam quanquam voluntariè præſtitit, at non neceſſariò debuit, quia peccator non erat. Quocirca Apoſtolus ait eum *factum ſub Lege*, Gal. 4. 4. *Emiſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub Lege*; i.e. Legi ſubjectum & obnoxium: ità, legi Ceremoniali? imò Morali. Joh. 8. 29. *Ego quæ placita ſunt Patri facio ſemper.* Matth. 3. 15. *Decet nos adimplere omnem juſtitiam.* Matth. 5. 17. *Non veni ſolvere Legem, ſed adimplere.* Quid iſtâ verborum varietate nervoſius? Implevit placita Patris, placita Legis, placita Juſtitiæ. Et quorſum hæc omnia? Ut per ſuam Obedientiam nos juſtos faceret, Rom. 5. 19. hæc una Ratio. Ut per ſuam Obedientiam nos Obedientiam doceret; hæc Ratio altera. πᾶσα γὰρ πρᾶξις αὐτοῦ κανών ἐστιν εὐσεβείας, ut Baſilius loquitur, Conſtit. Monaſt. & Apoſtolus adſtipulatur, 1 Pet. 2. 21. *Reliquit nobis exemplum, ut ſequamur veſtigia ipſius.* Quæ verò veſtigia? Veſtigia paſſionis? Imò veſtigia Obedientiæ; ſic enim ſequitur verſ. 22. *Ut ſequamur veſtigia ipſius, quia peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ipſius; cùm malediceretur non maledicebat.* Ergò ab Exemplo Chriſti firmiſſima ſequitur argumentatio, non ſimpliciter, ſed reduplicativè; non quidem per ſimplicem conſequentiam, quaſi nos ad omnem Obedientiam Legis quam Chriſtus præſtitit aſtringeremur: ſi ſic argumentemur, nil impedit quò minùs apud Chriſtianos Lex Ceremonialis vigorem & firmitatem habeat; non enim deeſt exemplum Chriſti, qui legi Circumciſionis & Paſchatis & Primogenituræ obedientiſſimus erat: non igitur per ſimplicem conſequentiam, ſed per reduplica-

duplicationem antecedentis optima fit argumentatio, hoc modo. Si Christus Legi Obedientiam præstitit, & nos insuper ad ipsius hac in re imitationem excitavit, tum nos tenemur: Sed Christus utrumque fecit. Pro Ceremoniali parte Legis non fecit utrumque; obedientiam præstitit, sed exemplum non reliquit; Personalis erat Obedientia, non Exemplaris: At pro Morali parte utrumque fecit; & in persona propria Legi paruit, & præterea ad suæ Obedientiæ Exemplar nos passim revocavit. Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum*; proponit Exemplum suæ Mansuetudinis. Joh. 13. *Exemplum præbui vobis, ut prout ego feci, ità & vos faciatis*; Exemplum Humilitatis. Phil. 2. *Is affectus sit in vobis, qui fuit & in Christo Jesu*; Exemplum Sympathias. 1 Pet. 1. *Sicut is qui vocavit vos est sanctus, estote & vos sancti in omni conversatione*; Exemplum Sanctitatis. Eph. 5. *Ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos*; Exemplum Charitatis, quæ Summa est Legis. Adeò usquequaque omnes Obedientiæ partes nobis commendatas reliquit in suo Exemplo. Hic primus Modus; Confirmavit legem Facto.

Secundus Modus à miraculosa ipsius Transfiguratione trahitur, Legem confirmavit Signo. Matth. 17. 1. *Assumpsit Jesus Petrum & Jacobum & Joannem, & subduxit eos in montem excelsum, & transfiguratus est ante eos. Et ecce apparuerunt illis Moses & Elias, cum eo loquentes.* De Causis Transfigurationis non quæro quænam fuerint, neque de numero Discipulorum quos secum assumpserit, nedum de Immutationis modo, aut aliis Circumstantiis. Hæc minùs ad propositum spectant: at Assessorum qui astiterunt consideratio paulò est cum causa conjunctior; Cur ex omnibus Sanctis qui præcesserant, ad hæc solennia Comitia Mosen solùm & Eliam Christus vocaverit. Erant alii non pauci quos Gloriæ suæ Assessores effecisse poterat. Poterat Abrahamum & Enochum, quorum alter *Pater fidelium* audit, alter non indignus habebatur Dei ipsius consortio. Poterat Davidem & Isaiam, quorum ille præ omnibus clarissimam Messiæ promissionem accepit, hic præ omnibus clarissimam posteris transmisit. Poterat Abrahamum & Mosen, poterat Davidem & Eliam sibi ad honorificum hoc famulitium advocasse: & tamen præteritis omnibus, Mosen & Eliam accersivit. An quia Moses & Elias miraculis insigniores erant? Non quadrat; nam Eliæ Spiritus in Elizæum duplici mensurâ descendit. An quia alii putabant Christum Eliam, alii unum ex antiquis Prophetis, Mosen putà antiquissimum? Neque hoc sufficit; etenim alii Joannem Baptistam resurrexisse dicebant. An denique ut se Dominum ostenderet vitæ & mortis, vivósque simul & mortuos vocaturum ad Judicium, idcirco adhuc viventem Eliam, & Mosen mortuum testes excitavit? Et hæc ratio mutila; quia Enoch assumptus est & immortalitatis Candidatus factus non minùs quàm Elias. Igitur ex utriusque Officio ratio petenda est, ex Lege nimirum & Prophetis. Erat Moses legislator insignis, Elias eximius Prophetarum. Non Abrahamum & Enochum sibi jungit; erant ambo ante Legem: non Davidem & Isaiam; erant ambo post Mosen: non Abrahamum & Mosen, nè Legi deesset Prophetia: non Eliam & Davidem, nè Lex deesset Prophetiæ: sed Mosen & Eliam; vel ut testimonium haberet ab utroque, & Lege & Prophetis, quia Christum Legis & Prophetarum scripta prædixerunt; vel ut se supra utrosque ostenderet, quia finis erat utriusque, non interficiens, sed perficiens; vel imprimis, ut testimonium daret utrisque, & suâ præsentiâ confirmaret; quia eadem doctrina Legis & Prophetarum quæ Christi, idcirco unà simul colloquuntur Christus & Moses, in eodem monte conveniunt Prophetæ & Apostoli. Nolo vobis, Auditores, temere obtrudere de monte illo Sancti Ephræm sententiam, qui montem Sina huic miraculo

destinatum existimat; ut quemadmodum Mosi in monte isto apparuit Dominus, Exod. 2. ità Apostolis etiam daret se aut eodem aut simili monte conspiciendum. Et huc quoque respexit Tertullianus, instátque & Legem & Evangelium audiri de monte, convenire in monte, sub eodem ambitu nubis: Et *oportebat*, inquit, *in eo suggestu consignari Novum Testamentum in quo conscriptum erat Vetus*. Hoc, inquam, non urgeo, non inculco. At illud non est prætereundum, in quo Patres omnes consentiunt, Præsentiâ suâ & Colloquio cum Mose & Elia, Legis & Prophetarum doctrinam Christum cumulatè & de industria confirmasse. Ex hoc loco Tertullianus probat contra Marcionem, non Legem magìs quàm Prophetas abrogatam. *Atque hoc vel maximè erubescere debuisti*, inquit Tertull. *quòd Christum cum Mose & Elia in secessu montis conspici pateris, quorum destructor advenerat.* Ex hoc loco Hieronymus in Eph. 4. & in Matth. 17. non confirmationem modò Legis colligit, sed renovationem in melius; *Moses*, inquit, *& Elias, i.e. Lex & Prophetæ, videntur cum Christo antequam ascendit Christus in montem; Lex in sordibus, Prophetæ in squalore versantur: cùm ille ad superiora conscenderit, tunc Mosi & Eliæ facies & vestimenta mutantur. Tu verò, Petre, erras, & nescis quid dicis, qui tria tabernacula quæris, cùm unum sit tabernaculum Evangelii, in quo Lex & Prophetæ recapitulanda sunt.* Ex hoc loco S. Ambrosius non modò impletionem Legis per Christum infert, sed mutuam Legis, Evangelii, & Prophetarum concordiam. *Moses & Elias cum Christo, hoc est, Lex & Propheta cum Verbo. Ergò & nos quotidie videmus Mosen & Eliam cum Christo: videmus enim Legem in Evangelio, cùm legimus, Diliges Dominum Deum tuum; videmus Eliam cum Verbo, cùm legimus, Ecce Virgo in utero concipiet: etiam & te docent de excessu ejus mysteria. Et hodie Moses docet, & hodie Elias loquitur, & hodie in majore gloria Mosen videre possumus.* Ex hoc loco Origenes, Hom. 6. in Levitic. Catechumenos ad probitatem vitæ hortatur. Et habentur eadem apud Cyrillum, in Levit. 8. *Meditari*, inquit, *debes Legem Dei, ut si fortè actus tui intemperati sint, & mores inconditi, Lex Dei te emendet & corrigat. Vis videre quia Moses semper cum Jesu est, hoc est, Lex cum Evangeliis? Docet te Evangelium, quia cùm transformatus esset in gloriam Jesus, etiam Moses & Elias simul cum ipso apparuerunt in gloria; ut scias quia Lex & Prophetæ & Evangelia in unum semper conveniunt, & in una gloria permanent. Denique & Petrus cùm vellet eis tria tabernacula facere, de imperitia notatur, quia nescivit quid diceret; Legi enim & Prophetis & Evangelio, non tria, sed unum est tabernaculum, scil. Ecclesia Domini.* Denique ex hoc loco Eusebius Emissenus (in Sabb. post primam Dominicam) ad studium Legis & Prophetarum nos excitat: *Vident Apostoli Mosen & Eliam cum Christo loquentes; i. e. vident Legem & Prophetas ei testimonium dantes. Nam in medio Mosis & Eliæ, i.e. in Lege & Prophetis, Christus cognoscitur & videtur. Lege libros Mosis, lege Prophetarum libros, ibi Christum invenies, ibi eum cognosces; ibi enim transfiguratur, ibi suis fidelibus majestatis ejus gloria revelatur.* Cur plura attexam in re tam perspicua? Quòd si tantorum virorum sententiæ ratio nulla habenda sit, res ipsa loquitur. Apparet Moses in monte, venitque cum Christo in collocutionem, & ore ad os loquitur, sicut priùs in promulganda Lege locutus est: sed vicibus diversis: etenim in promulgatione Legis, Deus erat qui descendit de cœlo, & à terra in montem ascendit Moses; in Transfiguratione descendit de cœlo Moses, & è terra in montem ascendit Christus. Ibi apparuit coram Deo Moses, & re confectâ disparuit Deus: hìc verò apparuit in gloria Christus, & post visionem jam factam disparuit Moses: apparuit ut Apostolis monstraret gloriam triumphantium;

Tert. l. 4. Advers. Marcion.

ibid.

phantium; disparuit, quia non reducendus erat ad dolores militantium: apparuit, ut testimonium suum Christo daret; disparuit, nè testimonium Patris, *Hic est filius meus dilectus*, quisquam ad Mosen pertinere putaret. Postremò, si magis hæc placeat ad Legem referre, Disparuit Moses, ut intelligamus Mosaica transiisse; Mosaica idem sunt atque Legalia: sicut priùs apparuit, ut intelligamus ipsam Legem Christo famulari, & à Christo stabiliri. Non enim Lex Moralis numeranda est inter Mosaica, si strictè loquamur. Quæ digito Mosis scripta sunt, purè sunt Mosaica. Lex Moralis digito Dei exarata erat, & Moralis sola, quia sola duratura. At ad hoc demonstrandum, Moses non solus, sed cum Elia, in societatem gloriæ Christi est assumptus. Tantum abest ut ex Lege Morali laxari aliquid velit, ut etiam transfiguratus, Mose & Elia assumptis asseclis, Legem coram Apostolis firmavit; *ut monstraretur*, inquit Theophylactus in Marc. 9. & Luc. 9. ὅτι οὐκ ἔστιν ἐναντίος τῷ νόμῳ καὶ τοῖς προφήταις· neque enim Moses & Elias se ipsi associassent, si Legem & Prophetas solvisset; sed *habemus*, inquit Damascenus, *Mosen & Eliam adstantes, ut hæreticorum ora obstruerentur, útque doceamur*, ὅτι καὶ παλαιᾶς τε καὶ καινῆς διαθήκης κύριός ἐστι. Eodem modo recentiores Commentatores, tam nostri quàm Pontificii, si non omnes, at plerique tamen, ad hoc potissimùm fidei Orthodoxæ Consectarium præsentiam Mosis & Eliæ cum Christo referunt: Quòd quia Moses erat Doctor Legis, & Elias Coryphæus Prophetarum, & Christus perfectio utriusque; exinde calumniatores veritatis intelligerent, pulcherrimum esse consensum Legis & Prophetarum cum Evangelio. Quia adstabat Moses, nolebat abolere Legem; quia aderat Elias, Prophetarum oracula approbabat. Sic confirmabat Legem hoc cœlesti Signo. Atque hic secundus Modus est confirmandi; cui tamen liceat mihi illud Augustini coronidis loco adjicere, quod habetur Orat. de 5 Hæresibus, c. 7. *Qui fuerunt Moses & Elias, nisi Lex & Propheta? Loquebantur cum illo, quia locuti erant de illo; ostendebant quæ prædixerant, manifestabant quem prophetaverant. Loquebantur: quid putas loquebantur? Ut Judæi convincerentur, Pagani converterentur, Manichæi confunderentur, Hæretici comprimerentur, Catholici confirmarentur.* Hæc de secundo Modo sufficiant: quod genus Argumenti si non inter Necessaria numerandum, at est supra illa quæ vocantur Probabilia.

Tertium, quod sequitur, est inter summè Necessaria. Tertius autem Modus à Verbis Christi deducitur, quibus nihil clarius exsistit, si modò ea in fasciculum colligamus quæ sparsim in Historia Evangelica habemus. Non enim semel aut bis id factum est, sed quasi assiduo sermonis curriculo. Confirmavit Verbo Negativo, Matth. 5. 17. *Nè existimetis quòd venerim solvere Legem & Prophetas; non veni solvere, sed adimplere.* Confirmavit Verbo Affirmativo, verbo Mandatorio, Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Dicit ei, Quæ? Jesus autem dixit, Non occides, Non mœchaberis, Non furaberis*, &c. Verbo Minatorio, Mat. 5. 19. *Quicunque solverit unum de mandatis istis minimis, & sic homines docuerit, minimus vocabitur in regno cælorum.* Verbo Promissorio, Jo. 14. 15. *Si diligitis me, mandata mea servate; ego autem rogabo Patrem*, &c. Jo. 15. 10. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in charitate mea; sicut ego Patris mei mandata servavi, & maneo in charitate ejus.* Ordinatim hæc vobis propono, quia locus loco suffragatur. In primo de seipso testatur, Mat. 5. 17. *Non veni solvere:* nè quis autem arbitretur licere aliis quod Christus sibi profitetur non licuisse, sequitur vers. 19. *Quicunque solverit unum de mandatis istis minimis; minimus vocabitur in regno*; hoc est, ἐν τῇ ἀναστάσει ἔσχατος, inquit Theophylactus, ultimus in regno, non nominandus in regno, i. e. nullus, quia temerariè

rariè solvit quod Christus sancivit. Revolvamus denuo loca singula; nam singula singulis subserviunt & suppetias ferunt. Primus locus est Matth. 5. *Non veni*, inquit Christus, *solvere Legem, sed adimplere*; *Nè existimetis quòd venerim:* quasi dixisset, Cavete nè talis subeat animos vestros cogitatio; est enim non inepta modò, sed impia, *Nè existimetis:* quòd si adhuc quis persistat, dico vobis iterum, *Non veni solvere, sed adimplere.* Agnoscimus, Domine, non venisti solvere transgrediendo, sed venisti solvere evacuando: venisti enim *adimplere*, h. e. finem ipsi imponere. Verùm *tu quis es qui adversùm responsas Deo*, ut audeas contra sententiam Christi explicare verba Christi; nimirum *adimplere* est *finem imponere?* Nova est hæc nomenclaturæ ratio, ut *implere* sit *destruere*; *implere*, *evacuare*, *tollere.* Igitur *adimplere* idem est ac *solvere:* at Christus contradistinguit, *veni adimplere, non veni solvere.* Quid τὸ πληρῶσαι significet, docet nos Matth. 3. *Sic decet nos implere omnem justitiam.* Obsecro, num *implere justitiam* est abdicare? An adimpletur abolendo? At verò quod ibi dicitur *impletio justitiæ*, hîc vocatur *impletio Legis.* Quid sit τὸ καταλῦσαι ipse etiam docet, Joan. 7. 23. *Si Circumcisionem accipit homo in Sabbato, ut non solvatur Lex Mosis.* Quid est, *ut non solvatur*, nisi ut custodiatur, ut impleatur? Sunt enim hæc duo verba pugnantia, *solvere* & *implere. Solvit*, qui vetat facere: *Implet*, qui & ipse facit, & ut fiat imperat. Et *observandum est*, inquit Chrysostomus, *quòd non contentus dixisse, Non solvo, quod vel solum certè sufficeret, addit, Impleo, & utrosque impleo, Legem & Prophetas:* Prophetas quidem uno modo, quia quæ de ipso verbis dixerant, ille operibus firmavit; Legem verò non uno tantùm, sed altero & tertio implevit modo. Uno quidem, quia nihil ex legitimis ipse transgressus est; *implevit*, ὅτι ἐποίησε, inquit Theophylactus, i. e. *implevit faciendo.* Sic ipse verbum interpretatur, versu sequenti, *Donec transeat cœlum ac terra, nequaquam unus apex præteribit, donec omnia facta fuerint.* Alio modo implevit Legem, quia explicavit & clariorem reddidit. Quæcunque enim illa adumbravit, Christus perfectè depinxit. Tertio modo implevit Legem, quia per nos quoque id ipsum facit; quod ipse fecit, idem illud nos quoque facere & jussit, & donavit. Quid ultrà exposcimus? *Solum hoc verbum*, inquit Chrysostomus, οὐκ Ἰουδαίων μόνον ἀλλὰ καὶ τῶν αἱρετικῶν ἀποῤῥάπτει τὰ στόματα, *non Judæorum solùm, sed Hæreticorum valet ora frænare.*

Sed urgebunt fortasse adhuc; Agnoscimus quòd Legem non solvit, sed adimplevit: verùm eo modo quo adimplevit, eodem non solvit: adimplevit nobis; ergò & non solvit, non sibi, sed nobis: nam obedientiam Legi præstitit, ut nos ab obedientia liberos & solutos exhiberet. Ain' verò? Num ipse justitia nostra factus est, ut nos justitiæ opera rejiciamus, an magis ut studeamus? *Non vocavit nos*, inquit Apostolus, *ad impuritatem, sed ad sanctificationem*, 1 Thess. 4. 7. Audiamus igitur quomodo ex secundo loco responsum habeatur, Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Vide sis*, inquit Theophyl. ἐπὶ τὸν νόμον παραπέμπει, *ad Legis mandata adolescentem mittit, nè Judæi dicant quòd Legem contemneret.* Similiter & Jurisperitum, Luc. 10. 26. *In Lege quid scriptum est? Quomodo legis?* ἐπὶ τὸν νόμον αὐτὸν ἀπάγει, Theoph. iterum, *Ad Legem statim suâ quasi manu ducit.* Similiter & in Parabola divitem Epulonem huc relegat, Luc. 16. 29. *Habent Mosen & Prophetas, audiant illos. Ex hoc loco evidentissimè declarat Dominus*, inquit Ambrosius, *Vetus Testamentum esse fidei firmitatem, retundens perfidiam Judæorum, & excludens nequitias hæreticorum.* An verò hæc omnia responsa, quæ tam constanter quærentibus reddidit Christus, solventis Legem verba putanda sunt? Imò curantis ut maneat & custodiatur. *Serva mandata*,

mandata, Ito ad Legem, Habent Mosen & Prophetas. Esto; sed hæc ad Judæos singula sunt dicta, & ad Legisperitos, quos, quia sub Lege erant, ex Lege Christus refutare vellet. Siccine? Attendant Chrysostomo, l. 3. Advers. vituperatores vitæ Monasticæ, to. 4. *Habent Mosen & Prophetas, etiam & nos habemus*; τὰ γὰρ πρὸς ἐκείνους εἰρημένα ἐκ πάλαι καὶ πρὸς ἡμᾶς εἴρηται, *quæ ad illius temporis viros dicta sunt, ad nos quoque similiter dici manifestum.* Audiamus igitur quomodo ex tertio loco eliciatur responsio. Joan. 14. 15. *Si diligitis me, mandata mea servate*; & c. 15. 10. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in charitate mea: sicut ego Patris mei mandata servavi, & maneo in charitate ipsius.* An & hæc dicturi sunt ad Judæos solos pertinere? Imò ad Discipulos, ergò ad Christianos; *Si vos diligitis me, Si vos præcepta mea servatis*: & vers. 14. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Eccere, quod suprà dixit, *si servaveritis*, hic, *si feceritis*: quid enim est *servare*, nisi studere & conari ut ea facias? *Is servat*, inquit August. in Joan. tract. 75. *qui habet in memoria, & servat in vita; qui habet in sermonibus, & servat in moribus*; qui habet audiendo, & servat faciendo; aut qui habet faciendo, & servat perseverando. Ipse est amicus meus, ipse est Discipulus meus, ipse est qui diligit me. Ecce quod signum, qui character hominis Christiani; mandata Christi servare. Ἴδιον ἐστι Χριστιανοῦ, inquit Basil. Hex. 10. Est proprium quarto modo Christiani; proprium indicium, proprium argumentum; proprium indicium sequentis, quia proprium indicium diligentis. ἡ τήρησις ἀπόδειξις τοῦ ἀγαπᾶν· τὸ μὴ τηρεῖν, ἔλεγχος τοῦ μὴ ἀγαπᾶν, *Custodia mandatorum est argumentum diligentis; non custodire, est demonstratio non diligentis Christum*, inquit rursus Basil. *Dicit enim Christus, Si diligitis me, mandata mea servate. Potuitne succinctius quinam Ipsum diligunt & non diligunt definire? Non potuit*, inquit Cyrill. in Joan. lib. 10. c. 5. Nam si servare mandata sit diligere, non servare est odisse; si custodire ea est signum diligendi, signum non diligendi est contemnere; si in servantibus Ipse cum Patre habitat, à non servantibus avolat: sequitur enim ut si servare ea virtus est, non servare improbitas est. Basil. Mor. reg. 3. c. 2.

Verum est, inquiunt, mandata Christi servare tenemur, & est argumentum diligentis, sed non similiter mandata Legis. Rogo igitur, an alia sunt mandata Legis Moralis, alia mandata Christi? Christus ipse nos doceat. Quæ Legis mandata sunt docet Matth. 22. 36. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; hoc primum est & magnum præceptum. Secundum autem est simile huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Quæ sunt Christi mandata & ipse etiam docet, Joan. 13. 34. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*: Joan. 15. 12. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Quàm bene conveniunt? *Diligite Deum & proximum*, dicit Lex. *Diligite invicem*, dicit Christus. Dilectionis Dei nulla mentio, sed ad dilectionem proximi præsupponitur: nam cùm duo sint præcepta Charitatis, Scriptura plerumq; pro utroque unum ponit; quia *ex eadem Charitate & Deus & Proximus diligitur*, ut Augustinus optimè, l. 8. De Trin. c. 8. Jungamus igitur ista. Diligere Deum & proximum est mandatum Legis; diligere Deum & proximum est mandatum Christi: Quod discrimen? Ab istis duobus tota Lex & Prophetæ pendent; ab istis totum Evangelium pendet: Quod discrimen? Et audet quis dicere, Ad mandata Christi tenemur, ad mandata Decalogi non tenemur?

Audiant igitur postremò, quæ responsio ex quarto loco sequatur, Matth. 5. 19. *Quicunque solverit unum de mandatis istis minimis, & sic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Perpendamus singula verba: *Qui solverit*, inquit; non simpliciter, *Qui transgressus fuerit*, sed *qui solverit*,

rit. *Solvere Legem*, usitatâ Græcis phrasi, non tantùm privatam Legis violationem significat, sed præcipuè publicam abrogationem, quâ obligatio tollitur. Dein, *qui solverit Unum*, non modò universa; non *qui omnia*, sed *qui unum* ex omnibus; quia & omnia & singula eodem erant Divino digito conscripta. Adhuc, *unum ex mandatis Hisce*; non, sicut isti detorquent, *unum ex Meis*, sed *unum ex istis*; nam ista mea sunt. *Unum ex istis*, sive secundum, quod Pontificii faciunt; sive quartum, quod homines sacrilegi expungunt. Præterea, *unum ex istis minimis*; non unum maximum tantùm, sed vel *minimum* quidem, sive sit, *Non furaberis*, sive, *Non concupisces.* Postremò adjicitur, *& ità docuerit homines*; i. e. qui & ipse solverit, & sententiam suam malesanam de solvendo posteritati propagaverit, *is erit minimus in regno*; i. e. non inter amicos meos, non inter discipulos, non inter me diligentes recensebitur. Videant nunc Adversarii Legis ad quos Triarios rem suam adduxerint. Expendant ista, & si quis color supersit, respondeant. Dicant si non hæc ipsis aptissimè quadrant. Non enim solvunt modò Legem Moralem, & præcepta Decalogi, sed solvendam docent; neque unum aliquod è minimis mandatis, sed maxima & omnia spongiæ subducunt: & post hæc se audeant Christi discipulos, & dilectissimos, & in regno maximos, gloriari. Liceat igitur mihi ad eos verbis Tertulliani atque Ambrosii, huic parti maximè congruis, compellare. Tertullianus, in Præscriptione, cum fidei adversariis hoc modo contendit; *Antichristiani sunt qui potestatem minuunt Christianarum literarum; vos verò qui estis? quando & unde venistis? Quid in meo agitis, non mei? Quo jure sylvam meam cæditis? Quâ potestate limites meos commovetis?* S. verò Ambrosius, Ser. 13. in Psal. 119. non quærendo, ut Tertullianus, sed definiendo, eos ex verbis Christi brevi Epiphonemate perstringit; *Si quis Deum diligit, Legem ejus diligit; sicut Maria diligens filium, omnia verba ejus in corde suo materno conferebat affectu. Et S. David non solùm Dominum, sed mandata ejus se diligere denuntiat; Quomodo dilexi mandata tua, Domine? Non potest Marcionita dicere, Quomodo dilexi mandata tua? qui Legem non suscipit.* Addo, non possunt Antinomi dicere, *Quomodo dileximus Legem tuam?* Imò ne hoc quidem, *Quomodo dilexi te, Domine?* quia dilectionis modum Christus à custodia Legis petendum docet, & isti rejiciunt. Christus se Legem non solvere protestatus est: isti destruunt. Christus ad Cynosuram Legis revocat: isti abominantur. Ergò non possunt dicere se diligere Christum, cùm sit iis color per omnia Christo contrarius. Explodunt enim & destruunt & eliminandam Legem Moralem clamitant, cùm Christus eam dignatus est Concione primâ & cœlitus explicare, & insuper ampliare, non quantum ad substantiam, sed quantum ad intelligentiam. Hic primus Argumentorum Gradus, à Christi omnium maximo Testimonio, qui Legem undiquaque confirmavit, Facto, Signo, Verbo; Verbo Negativo, Affirmativo, Hortatorio, Promissorio.

Secundus Gradus à Testimonio Apostolorum erigendus est. Sed religio est ultra Christum primo die iter conficere.

LECTIO XXIII.

QUàm ſit apertum & efficax Teſtimonium Chriſti ad extorquendum & uſum & vigorem & excellentiam Legis Moralis è manibus Antinomorum, die præſentiæ noſtræ eodem & primo & noviſſimo quâ fieri potuit brevitate accepiſtis. Atque conveniſtis denuo, Apoſtolorum in hac re Teſtimonium accepturi. Erit autem à Chriſto ad Apoſtolos non ſolum recta, ſed facilis & immediata progrediendi ratio. Quid enim Soli proximius in Cœlo quàm Stellæ, aut Fundamento in Ædificiis quàm Columnæ, aut Judici ſupremo in Tribunalibus quàm Aſſeſſores? Atque hæc ſingula dignitatis diſcrimina Chriſto & Apoſtolis convenire paſſim Scripturæ demonſtrant. Quòd Chriſtus ſit Sol Juſtitiæ, Stellæ Apoſtoli, ex Apoc. 12. patet; *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta Sole, & in capite ejus Corona duodecim ſtellarum*; hoc eſt, inquit Primaſius, *Eccleſia induta Chriſto, & duodenario Apoſtolorum numero decorata.* Quòd Chriſtus ſit Judex ſummus, Aſſeſſores Apoſtoli, ex Mat. 19. non minùs eſt manifeſtum; *Cùm ſederit Filius hominis in throno gloriæ ſuæ, ſedebitis & vos ſuper thronos duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael. Hinc diſcimus,* inquit Auguſtinus, *cum ſuis diſcipulis judicaturum Jeſum.* Denique, Quòd Chriſtus ſit Fundamentum, Apoſtoli Columnæ, ex 1 Cor. 3. 11. & Gal. 2. 9. non elicitur ſolùm, ſed aſſeritur; *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter Jeſum Chriſtum*; Chriſtus eſt Fundamentum: &, *Quum cognoviſſent Jacobus, Cephas & Joannes, qui videbantur eſſe Columnæ*; Apoſtoli ſunt Columnæ. Non enim dicit *videbantur*, quaſi non eſſent; *& erant & videbantur*, καὶ ὄντες καὶ δοκοῦντες, inquit Oecumenius. Quocirca cùm Apoſtolorum ad Chriſtum tanta ſit cognationis propinquitas, quid magìs Ordinis legibus congruit, quàm ut poſt Magiſtri ſuffragium maximum, ad Diſcipulorum jam tandem ſuffragia properemus, qui ejuſdem Spiritûs menſurâ imbuti ſunt, cujus ipſe per omnia habuit plenitudinem? Equidem ante ſententiam Chriſti cognitam fieri id non oportebat; nè in ſcrutinio veritatis præcederent, qui in prædicatione veritatis vocati ſunt ut ſequerentur: at verò poſt Chriſtum inprimis oportet, nè quis Soli Stellas, Fundamento Columnas, Judici Aſſeſſores ſuos deeſſe exiſtimet. Quòd ſi in perſonis ſuis ſecuti ſunt Dominum in terris, velut Diſcipuli, videamus quomodo ſequuntur ipſum eundem Majeſtatis Dominum in ſcriptis ſuis, velut Apoſtoli; ut ſic utrinq; Legis Divinæ vis validitáſque eluceſcat, & Solis plenioribus radiis, & Stellarum ſcintillis illuſtrata. Æquiſſimum enim eſt, ut quos in univerſali Judicio, cùm Salutis cauſa agenda eſt, Chriſtus ſibi aſſociare dignetur; eos nos miſelli multò magìs ad hoc particulare Judicium, ubi Veritatis cauſa agitur, ultro citróque advocemus.

Ad hanc igitur defenſionis partem nos accingamus. Et quia Legem Moralem, ut mulierem Apocalypticam, Sole, id eſt Chriſto, ſuperiùs amictam conſpexiſtis: eandem nunc Stellarum, id eſt Apoſtolorum, Coronâ exornatam faciam ut intueamini. Duodecim Stellarum ordines non poſſum promittere; neq; enim tot reperiuntur qui ſcriptis ſuis Eccleſiæ hunc quem cernimus orbem illuminarunt: at auſim vobis quatuor polliceri, eóſq; primæ magnitudinis, S. Petrum, S. Paulum, S. Jacobum, S. Joannem. Súntque iſti univerſi qui, præter Evangeliſtas, ſolo ſancto Juda excepto, myſteria fidei calamis exararunt.

Prima Testimoniorum Classis ex Epistola S. Jacobi desumitur. Jacobus erat in cujus sententiam generalis facta est discessio, quando primum omnium Concilium Hierosolomytanum habebatur. Ergò & in hoc Senatu chorum ducat; neque enim sunt parvi æstimanda, quæ tam fusè S. Jacobus de Lege disputat, tum de observanda, tum de non observanda: quæ quia se mutuò suffulciunt, catenatim proponam.

Primus occurrit locus, c.4. vers. 11. ubi de statu eorum agitur qui à Lege Morali deflectunt; *Nè alii adversùs alios loquamini: Qui loquitur contra fratrem, quíque damnat fratrem suum, loquitur contra Legem, & damnat Legem. Quòd si damnas Legem, non es observator Legis, sed judex.* Si expendamus singulorum verborum apices, summa exhortationis huc redit; ut à detractionis malo cavere velint, ídque tribus de Causis: non modò quia fit Injuria proximo, & Injuria Legislatori Christo; sed quia fit Injuria ipsi Legi. *Qui loquitur contra fratrem, & damnat fratrem, loquitur contra Legem, & damnat Legem.* Quid hoc est, *damnat Legem?* Oecumenius docet, κρίνει ἀντὶ τοῦ καταχρίνει καὶ καταφρονεῖ, *damnat, hoc est, condemnat & despicit.* Quam autem Legem condemnat doceat nos denuo Oecumenius. *Primùm quidem*, inquit, *Legem condemnat Evangelicam, eam sc. quæ præcipit, Nè judicetis, ut non judicemini. Præterea Legem condemnat Propheticam, eam sc. quæ in Psalmis est, Detrahentem clàm proximo suo, hunc succidam*, Psal. 101. 5. *Denique & Legem condemnat Moralem, scilicet eam quæ est in libris Mosaicis*, inquit Aquinas, *Non eris criminator neque susurro in populis*, Lev. 19. Et quid exinde sequitur? Quid aliud, nisi ut qui damnat Legem, ipse damnetur? c.2. vers. 9. *Quòd si peccatum operamini, redarguimini à Lege velut transgressores.* Nè quis leve crimen existimet, Legem aut violare aut damnare, aut contra Legem obloqui, quod Antinomorum turba buccis inflatis faucibúsque impurissimis faciunt, ad Legis Tribunal sistit eos Apostolus: non enim dicit, *Qui contra fratrem loquitur, loquitur contra Evangelium, & damnat Evangelium*; sed *damnat Legem, & loquitur contra Legem, & contra Legem peccat.* Neque capite secundo sic argumentatur, *Si peccatum operamini, redarguimini ab Evangelio*; sed *redarguimini à Lege.* Ad quid hæc omnia? An fieri potest ut qui hæc dicit Legem Moralem abrogatam putaret? Imò verò non video quid suprà ad eam stabiliendam adducere poterat. Nam & Legis præceptum urget, & Legis honorem vindicat, & Legis judicium minatur; ostendítque vel ea præcipuè de causa peccatum esse vitandum, quòd Legis sit transgressio. Sed habent fortasse quod respondeant, Quòd licèt Legis transgressio in Evangelio prohibeatur, at impletio ejus non præcipitur. Síccine?

Consulamus igitur locum secundum. Habetur c.1. v.22. *Estote factores verbi*, inquit Jacobus, *non auditores tantùm.* Itá quidem, non abnuimus; *factores verbi*, sed non dicit *factores Legis.* O inexspectatum responsum! Ecquis alius est qui novit tam subtiliter inter *factores verbi* & *factores Legis* distinguere? Quasi non idem sonarent *Lex Domini* & *Verbum Domini.* At verò quos S. Jacobus *factores verbi* & *auditores verbi* appellat, eos S. Paulus *factores Legis* vocat & *auditores Legis*, Rom. 2.13. *Non auditores Legis justi sunt apud Deum, sed factores Legis justificabuntur.* Atque si Paulus tacuisset, sic se ipse Jacobus explicat verbis sequentibus.

Consulamus igitur locum tertium. Habetur c. 1. v.25. *Qui introspexerit in perfectam illam Legem libertatis, & permanserit in ea, is quum non sit auditor obliviosus, sed factor operis, beatus erit in opere suo.* In hoc Apostoli loco quatuor sunt animadversione nostrâ dignissima.

Observatio

Obſervatio prima eſt, Quòd Legem Apoſtolus honorificis exornat Epithetis. Etenim & *Legem Libertatis* appellat, & *Legem perfectam. Legem Libertatis*, tum quòd liberum hominem deceat, tum quòd liberum hominem reddat. *In cuſtodiendis illis merces multa*, Pſal. 19. *Legem Perfectam*, quia viam ad perfectionem indicat, & ſcientibus ut proficiant, & neſcientibus ut ſciant; *εἴ τι μαθεῖν, εἴ τι ἀγνοῆσαι χρὴ*, inquit Chryſoſt. *ſive quid diſcere oportet, ſive ignorare.*

Obſervatio ſecunda, Quòd Lex hæc perfecta eſt introſpicienda, quia eſt, inquit Apoſtolus, *ὥσπερ ἔσοπτρον, velut ſpeculum*, ver. 23. Speculum abſque dubio puriſſimum, in quo imagines animarum apparent: hoc eſt, *ἔσοπτρον νοητὸν*, ut Oecumenius; *κάτοπτρον πνευματικὸν*, ut Peluſiota: *Speculum intelligibile & ſpirituale*, in quo virtutis & exempla & regulæ continentur; in quo Deus ipſe, in quo Animæ facies, in quo ſubtilis color & oculo corporeo impervia lineamenta pietatis proponuntur conſpicienda. Oportet igitur introſpicere, atque ſtudio ipſius invigilare. Ut quemadmodum Demoſthenes oratorios geſtus ex ſpeculo didicit; & quemadmodum fœminæ ornare ſe ſolent, habitúmque componere, ſpeculis ancillantibus: ſi quid deſit, quærunt ad ſpeculum; ſi quid ſuperfluat, deponunt ad ſpeculum; ſi quid incomptum ſit, corrigunt ad ſpeculum: ità Chriſtianum hominum decet & ora, & oculos, & manus, & affectus, & animam, & totum hominem ad Legis Divinæ ſpeculum formare ac inſtituere. Hoc enim eſt *Introſpicere.* *Pel.l.2.Ep.135.*

Obſervatio tertia eſt, Quòd non modò introſpicienda Lex eſt, ſed cuſtodienda: *Qui introſpexerit, & permanſerit in ea*, inquit Apoſtolus. Non enim huic tantùm muneri ſubſervit, ut ſciamus quid Judæi fecerint, aut quid nos facere debeamus: ſed ut revera faciamus; ut animæ vultum vitæque habitum juxta rectiſſimos radios mandatorum Dei ordinemus. *Qui introſpexerit*, inquit, *& permanſerit in ea.*

Obſervatio quarta eſt, Quòd quem priùs *auditorem & factorem Verbi* Jacobus dixit, ver. 22. nunc *auditorem & factorem Legis* nominat, verſ. 25. nè ſub *Legis* & *Verbi* diſtinctione vafrities hæretica inveniret latibulum. *Beatus*, inquit, *erit in opere ſuo, qui non eſt auditor, ſed factor.* Cujus? Verbi Divini? Imò, *Legis perfectæ Libertatis.*

Ità quidem, facilè aſſentimur quòd ad *Legis libertatis* obedientiam tenemur: at verò Lex Moralis non eſt hæc *Lex libertatis. Lex libertatis* eſt Lex Chriſti, *Lex libertatis* eſt Lex Spiritûs, de qua Apoſtolus, Rom. 8. 2. *Lex Spiritûs vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me à lege peccati & mortis:* at Lex Moralis non eſt lex Spiritûs vitæ, ſed miniſterium mortis; non *Lex libertatis*, ſed jugum ſervitutis. Sic Patres interpretantur, & S. Auguſtinus, Epiſt. ad Hieronymum, qui *Legem Charitatis Legem libertatis* eſſe dicit; & S. Ambroſius, qui *Legem ſpiritûs Legem fidei* vocat; & Marci Eremita, lib. de Bap. *αἱ ἐντολαὶ τοῦ Χριστοῦ μετὰ τὸ βάπτισμα διδόμεναι νόμος ἐλευθερίας ἐστί, mandata Chriſti poſt Baptiſmum data Legem conſtituunt libertatis.* Agnoſco ea eſſe verba Ambroſii, & Auguſtini, & M. Eremitæ: ſed non ſic eluditur locus Apoſtoli. Nam primò, Si Lex Chriſti ſit *Lex libertatis*, Lex Moralis non excluditur, quia eam Chriſtus ſuo confirmavit Teſtimonio. Deinde, ſi *Lex Charitatis ſit Lex libertatis*, Lex Moralis non removetur, quia Charitas eſt abbreviatio Legis & Prophetarum. Poſtremò, quòd S. Ambroſius *Legem fidei Legem Spiritûs* appellat, non minùs Legi Obedientiæ, & Pœnitentiæ, & Manſuetudinis quadrabit; quia hæc omnia dona operatur unus idémque Spiritus. Revera, ſi ipſam Legem Moralem extra fidem, & extra Chriſtum, oculo purè Legali intueamur,

mur, peccatores cùm simus, servitutis & mortis & maledictionis vestigia in ea videmus. At verò si oculus Evangelicus (ut oportet) nos ducat, facilè apparebit Legem Moralem simul cum Evangelii præceptis, quæ eadem sunt, unam & eandem constituere *Legem perfectam libertatis.* Hoc modo nos S. Jacobus hortatur, ut in eam introspiciamus, nimirum Evangelico oculo; & tum quidem si Evangelico oculo introspecta fuerit, ostendit nobis & libertatis & beatitudinis non modò vestigia, sed præmia. Quicunque est *auditor & factor* ipsius, inquit Apostolus, fidem demonstrans charitatis operibus, *beatus erit in opere suo.* Non mea est, sed ipsius Apostoli, interpretatio capite sequenti.

Consulamus igitur locum quartum, qui occurrit cap. 2. vers. 8. *Si Legem Regiam præstatis secundùm Scripturam, Diliges proximum tuum sicut teipsum; bene facitis.* Si hoc sit paulò generalius, additur versu 11. *Qui dixit, Non mœchaberis, dixit etiam, Non occides.* Denique, et nè hoc non sufficeret, versu 12. *Ità loquamini, & ità faciatis, ut per legem libertatis judicandi.*

Tria igitur sunt Corollaria quæ hic verborum ambitus in se complectitur. Corollarium primum, Una eadémque Lex utrobique intelligitur, & cap. 2. cùm vocatur *Lex Regia,* & cap. 1. cùm dicitur *Lex perfecta libertatis.* Quemadmodum eadem Via & *regia* dicitur, quia Edicto Principis communis & publica facta est, patens universis; & *perfecta,* quia plana est sine præcipitiis; & *libera,* quia recta & spatiosa, sine obliquis diverticulis & anfractibus: sic eadem Lex Dei & Christi sui singulis istis titulis est honoranda. Inprimis dicitur *Regia,* tum ab Authore, quia à Rege regum lata est; tum ab Effectu, quia Reges facit, viam regni Dei monstrando; tum ab Excellentia, quia inter leges omnes eminet, & omnes pariter ligat, nemine excepto. Deinde dicitur *Perfecta,* quia Perfectionis iter perspicuè atque efficaciter ostendit; *Ex ea & docetur ignorans, & arguitur insolens,* ut Primasius optimé. Et qui errat corripitur, & qui modum servare non novit, in justitia eruditur. Postremò, dicitur *Libera*; & in se, quia servile nihil præscribit, sed omnia Divina & eximia, omnia in quibus præstantia hominis posita est; & respectivè ad nos, quia conjuncta cum Lege fidei, non servitutem aut terrorem generat, sed fiduciam præstat, & plenam libertatis latitudinem; ut quò magìs quisquam ei se devoveat, eò liberior alacriórque redditur in fruitione Dei sui, cui soli servire est regnare. Hoc Corollarium primum.

Corollarium secundum, Lex Moralis Evangelico oculo introspecta revera est hæc *Lex regia, perfecta* & *libera.* Hoc S. Apostolus notavit utroque digito, & primo & medio. Primò, dum *Legem Regiam* vocat *secundùm Scripturam:* secundùm quam Scripturam Oecumenius docet, *κατὰ τὴν γραφὴν, τοῦτ' ἐστι κατὰ τὸ Δευτερονόμιον, juxta Scripturam, id est juxta Deuteronomium,* ubi Legis mandata conspiciuntur. Juxta eam Scripturam quæ dicit, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Adhuc & medio digito, dum quod capite præcedenti *Legem libertatis* vocavit, sequenti *legem Regiam* appellat, adjiciens, *Diliges proximum,* ut doceat eundem Decalogum & legem regalem esse & legem liberam. Hoc sanctus David vidit utroque oculo, & sub istis titulis universis eam posteris commendatam reliquit, ut legem *perfectam, regiam, liberam*; quia in eam oculo Evangelico introspexit. Dicite, annon oculo Evangelico introspexit, quando dixit, Psal. 19. *Lex Domini perfecta est, convertens animam?* quod enim opus magìs perfectum quàm ad salutis æternæ viam animas errabundas reducere?

reducere? Annon Evangelico oculo intuitus est, cùm Psal. 119. Mandata Dei *dulcia* pronuntiavit *supra mel & favos mellis, & desiderabilia super aurum aurique talenta millia, super lapides pretiosos, omnésque divitias, & universa Principum spolia*; cùm *Consiliarios suos* vocat Testimonia Dei, de quibus loquebatur coram Regibus, nè confunderetur? Quid enim magìs Regium, quàm & aurum & lapides pretiosos & Consiliarios habere, & de Regibus triumphos agere? Denique, annon Evangelico oculo intuitus est, cùm *Gaudium & solatium animi sui*, & *Preceptum latum nimìs* profitetur; cúmque tam fidenter loquitur Psalmo supradicto, *Ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisivi: Viam mandatorum tuorum curram, cùm dilataveris cor meum?* Quid verò est magìs liberum quàm quod latum est & expansum & dilatatum? Annon est lex *libera*, quæ ipsa præcordia gaudio & lætitiâ & dilatare valet & implere? Sive igitur in Apostoli, sive in Davidis testimonio acquiescimus, hæc lex *perfecta*, & *regia*, & *libera*, est Lex Moralis Evangelico oculo introspecta. Hoc Corollarium secundum.

Corollarium tertium, Ut tota Lex Moralis est lex *regia*, & *perfecta*, & *libera*; sic quodlibet præceptum est præceptum regium, & perfectum, & liberum; sive illud, *Non occides*, sive istud, *Non mœchaberis*. Hoc istis verbis ostendit Apostolus; *Qui dixit, Non mœchaberis, dixit etiam, Non occides. Ergò ità loquimini, & ità facite, ut per legem Libertatis judicandi.* Amplius istis quid possumus aut optare aut sperare, si etiam secundæ Tabulæ præcepta singula ad legem regiam pertinent & legem perfectam libertatis? Quocirca, ut contra Pontificios disputamus, ex 2 Tim. 3. *Tota Scriptura est divinitus inspirata*, &c. *ut perfectus sit homo Dei*; dum sophisticè contendunt adversarii, Bellarminus & Stapletonus, quòd πᾶσα γραφὴ non *totam* significat Scripturam, sed *omnem*; Nostri acutè strenuéque retorquent, eò fortius futurum argumentum, si non modò *tota*, sed *omnis*, non integra solùm Scriptura, sed partes singulæ hanc habent in suo gradu sufficientiam: pariter & Antinomi laqueo non absimili sunt suffocandi; Si quodlibet Præceptum per se sumptum sit lex regia & libera, Ergò multò magìs totus Decalogus & integra series Veteris Testamenti. At S. Jacobus de sexto & septimo præcepto apertè pronuntiat, viz. quia oculo Evangelico introspexit: & similiter Christus in Evangelio, Matth. 5. percurrit penè mandata singula, & à corruptelis Pharisaicis ad Evangelicum intuitum nos revocat. *Dictum est antiquis, Non occides: Ego autem dico, Non irascêris fratri tuo temere. Dictum est antiquis, Non mœchaberis: Ego autem dico, Non aspicies mulierem ad concupiscendum eam. Dictum est antiquis, Non pejurabis: Ego autem dico, Non jurabis omnino.* Tam longè aberat à solvendo Legem in genere, ut eam etiam in specie confirmavit, & (quantum ad sanam intelligentiam) singularum partium fines prudenter ampliavit. Sic Patres antiqui juxtà nobiscum omnes attestantur. Sic Clemens Constit. lib. 7. cap. 23. (sive ipsius liber, sive cujusvis alterius, non multùm hac in re refert) Τὸν νόμον φυσικὸν, inquit, οὐκ ἀνεῖλεν, ἀλλ' ἐβεβαίωσεν, *Non sustulit Christus, sed stabilivit Legem Moralem:* nam qui in Lege dixerat, *Dominus Deus tuus Dominus unus est*, idem in Evangelio ait, *Ut cognoscat te solum verum Deum.* Qui tunc, *Diliges proximum*, nunc idem, *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Qui tunc Adulterium, nunc pravam Cupiditatem interdixit. Qui tunc Ultionem prohibuit, nunc Tolerantiam sanxit. Qui tunc prohibuit Furtum, nunc beatum prædicat eum qui largitur egentibus: & ità deinceps. Sic Chrysost. Comment. in Psal. 110.

Illud, Non occides, οὐ κατελύθη, ἀλλ' ἐπετάθη, *non est abrogatum, sed amplificatum; & illud, Non mœchaberis,* οὐκ ἠφανίσθη, ἀλλὰ μεῖζον γέγονε, *non est sublatum, sed majus effectum:* & rationem addit, ἔχει γὰρ ὁ νόμος τὸ ἀθάνατον καὶ τὸ διηνεκὲς, *immortalitatem suam & æternitatem* in Ecclesia *habet* lex Domini. Hæc Chrysostomus.

Sic Tertullianus, lib. de Monogamia; *Quanquam Lex decessit quantum ad Onera ejus spectat; quæ verò ad Justitiam ejus pertinent, non tantùm reservata permanent, verùm & ampliata,* ut scil. redundare possit justitia nostra super Judæorum.

Sic Irenæus, l. 4. c. 27. *Dictum est antiquis, &, Ego dico; Dictum antiquis, &, Ego dico: Hæc omnia non contrarietatem & dissolutionem præteritorum continent, sed plenitudinem & extensionem: & ipse ea docebat, non ut contraria Legi, sed adimplens eam; neque putanda sunt solventis Legem verba, sed dilatantis.*

Sic Hilarius in Matth. can. 4. *Pulcherrimo ingressu opus Legis cœpit excedere, ut non dissolveret eam, sed profectu potiori præcelleret; aditum Apostolis in cœlum; nisi justitiam Pharisæorum æquitate anteissent, denuntians non futurum. Propositis igitur his quæ in Lege præscripta sunt, profectu ea, non abolitione, transgreditur.*

Postremò, nè numero vos obruerem, sic Theodoretus, in Epitome Divinorum Decretorum, l. 5. *Ut sciamus,* inquit, *eundem authorem esse & Veteris & Novi Testamenti, apertè per hæc quæ priùs dicta sunt docuit: ut cognoscant omnes legislatorem leges veteres non subvertere, sed astringere. Subvertentis esset dicere, Dictum est antiquis, Non adulteraberis; Ego autem dico vobis, Adulterare: Dictum antiquis, Non occîdes; Ego verò dico, Occîde. Dominus autem ista non rescindit, sed perficit.* Satin' jam salva res est? Satísne Legis Moralis vigor & validitas vindicata? Ad præceptorum minutias Christus se confert, & ostendit, non modò totum, sed omnem & unamquamque partem integram & inviolabilem permanere; eodem planè modo quo S. Jacobus à tota Lege ad partes procedit: nè quis nesciret, quòd ut tota Lex est lex regia atque perfectæ libertatis, sic præcepta singula naturam totius redolent; & illud mandatum, *Non mœchaberis,* est mandatum regium & immutabile; & illud, *Non occîdes,* est mandatum regium & usquequaque fixum. De S. Jacobi Testimonio ista sufficiant. Hæc prima Testimoniorum Classis.

Secunda Classis à S. Joannis Testimonio deducitur; nimirum ab ipsius scriptis Epistolicis, in quibus hæc ipsa causa tam claris argumentis signísque lucet, ut vel absque Glossemate aut Commentario loca protulisse erit superasse. Hunc verò sanctissimum Apostolum idcirco à Jacobo proximum datâ operâ collocavi, quia frater ipse erat Jacobi; non quidem hujus qui primus erat Episcopus Hierosolymitanus, authórque Epistolæ Catholicæ, sed alterius, qui primus Apostolorum martyrii laureâ coronatus, Evangelii partem nullam atramento scriptam reliquit, sed totum sanguine. Illius frater Joannes erat, non hujus quem modò testem citavi. Utcunque ordinis ratio justa est, ut qui fuit alterius Jacobi frater lege Naturæ, sit hujus jam frater in natura Legis enucleanda, & in Testimonio veritatis: præsertim cùm mandatorum Dei causa agitur, quorum Summa est Dilectio; erátque hic Dilectionis Discipulus, qui è Christi sinu, ubi recubuit, eam Dilectionis mensuram & mandatorum notitiam hausit, ut vix ulla sit linea per totam Epistolam quæ non utriusque typum nobis aliquem exhibeat. Ex Ep. 1. c. 2. hæc occurrunt, ver. 3, & 4. *Per hoc scimus quòd cognovimus*

eum,

eum, si mandata ipsius observamus. Qui dicit, Novi eum, & mandata ejus non servat, mendax est: qui autem servat sermonem ejus, verè in hoc charitas Dei expletur; per hoc enim scimus quòd in ipso sumus. Ex cap.3. ista; vers.3. *Omnis qui facit peccatum, Legem transgreditur; quia peccatum est Legis transgressio.* Vers.22,23. *Quicquid petierimus, accipiemus, quoniam præcepta ejus custodimus: Et hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus, & diligamus alterutrum, sicut mandavit nobis:* & adhuc, *Qui servat mandata ejus manet in eo.* Ex c.4. ista; *Per hoc cognoscimus eum in nobis habitare; per hoc expleta est charitas: Hoc mandatum ab eo habemus, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Ex cap.5.vers.2,& 3. ista; *Per hoc cognoscimus quòd diligamus filios Dei, quum Deum diligimus, & mandata ejus servamus; hæc enim est charitas Dei, ut mandata ejus servemus, & mandata ejus non sunt gravia.* Postremò, ex Ep.2. ver.5,& 6. *Nunc rogo te, Domina, non ut mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus à principio, ut diligamus alii alios. Hæc autem est charitas, ut ambulemus secundùm mandatum ejus; & hoc est mandatum ejus, ut sicut audistis jam indè à principio, in eo ambuletis.* Hæc illa est ipsius qui *Theologus* cognominatus est Theologia; hæc ipsius de Lege Morali sententia, qui *Prophetarum novissimus* audit, sicut Moses *primus*; prorsus ut videatur Moses Atticissans, vel magis Evangelizans. Hæc ipsius sparsim sunt spicilegia; videamus, si possint in manipulos colligari. Duo autem sunt Manipuli Rationis tribulâ triturandi. Manipulus primus continet in se *κριτήρια* sive *γνωρίσματα* Christianitatis: Secundus *γνωρίσματα* quibus mandata Dei dignoscuntur.

Manipuli primi hæc Summa est; Quòd custodia mandatorum Dei proprium & nativum est Christianismi *κριτήριον*, quod ad omnes & singulas ipsius partes spectat. Inprimis *κριτήριον* est Inhabitationis Divinæ, c.3. vers.24. *Qui servat præcepta ejus, in eo habitat, & ipse in eo; & per hoc novimus quòd habitat in nobis.* Secundò, *κριτήριον* Cognitionis salvificæ, c.2.vers.3. *Per hoc scimus quòd cognovimus eum, si mandata ipsius observemus. Qui dicit, Novi eum, & mandata ejus non servat, mendax est, & veritas in eo non est.* Tertiò, est *κριτήριον* Orationis salvificæ & efficacis, c.3. ver.22. *Quicquid petierimus, accipimus ab eo, quoniam præcepta ejus custodimus.* Quare hoc? Quia, inquit Oecumenius, *obedientia eorum qui petunt maximi est momenti ad impetrandum quod petitur.* Quartò, est *κριτήριον* Charitatis salvificæ, quacunque ex parte eam consideremus. Si in Genere, indicium est Amoris simpliciter, Ep.2.v.6. *Hæc charitas est, ut ambulemus secundùm mandata ejus. Probatio enim dilectionis est exhibitio operis,* ut scitè Gregorius. Si in Specie, indicium est Amoris erga Deum, c.2.ver.5. *Qui servat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei expleta est.* Aliter non potest expleri, quia si mandata rejiciantur, nulla est dilectio. *Quis enim,* inquit Augustinus, *potest dicere, Diligo imperatorem, sed odi leges suas?* Indicium est Amoris erga proximum, c.5. v.2. *Per hoc cognoscimus quòd diligamus filios Dei, si mandata ejus servamus.* Est igitur hic locorum Manipulus primus.

Manipulus secundus *γνωρίσματα* describit quibus hæc mandata discernuntur. Nè dicat quis de præceptis Christi, Agnosco hæc omnia verissima esse, sed non similiter ad mandata Legis Moralis detorquenda sunt. Igitur hujus posterioris Manipuli hæc Summa est, Quòd per *mandata Christi*, mandata Dei, & ipsissima Decalogi mandata Apostolus intelligit, sicut apertè patebit, si vestigia ipsius sequamur. Sunt autem quatuor Scalæ Gradus

dus quibus ad hujus inquisitionis culmen ascendit Apostolus. Gradus primus, Mandatum de quo loquitur est Mandatum Fidei & Charitatis, c. 3. vers. 23. *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus, & diligamus alii alios.* Gradus secundus, Mandatum de quo loquitur est Mandatum Dilectionis Dei & proximi, c. 4. v. 21. *Hoc mandatum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Attende autem, quòd si Fidei & Charitatis copula prior non arrideat, adjungit Dilectionis Dei & proximi copulam: & super istis duobus tota Lex & Prophetæ pendent; sunt enim capita duarum Tabularum, ut unusquisque & Deum propter se diligat, & Fratrem propter Deum; *amicum in Deo, inimicum propter Deum*, ut Gregorius loquitur. Gradus tertius, Mandatum de quo loquitur est Æternum mandatum, sive Negativè sumas, sive Affirmativè. Si Affirmativè, habetur c. 3. v. 11. *Hoc est mandatum quod audistis à principio.* Quæris quodnam sit Mandatum traditum à principio? Docet verbis sequentibus, *Mandatum quod accepistis à principio est, ut diligatis alii alios.* ἐντολὴ γὰρ νόμος ἐστὶ καὶ φυσικὸς καὶ διδακτὸς, inquit Oecumenius, *& lex insita, & lex à Deo tradita.* Si Negativè sumamus, habetur Ep. 2. ver. 5. est Mandatum non novum; *Rogo te, Domina, non ut mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus à principio, ut diligamus alii alios.* Idem est quod superiùs dixerat, c. 2. ver. 7. *Mandatum novum scribo.* Est enim & *novum* & *non novum*: *non novum*, quia ab origine traditum; *novum*, quia à Christo renovatum: *non novum*, quia primum & antiquissimum; *novum*, quia mandatum Christi ultimum, & per hoc non modò novum, sed novissimum. Gradus quartus, Mandatum de quo loquitur est Mandatum Legale, ἐντολὴ νομικὴ, inquit Oecumenius. *Mandatum Legale*, quia mandatum Dilectionis; Dilectio est centrum Legis. Si hoc non sufficit, signanter Apostolus seipsum explicat, c. 3. ver. 4. *Omnis qui facit peccatum, Legem transgreditur, quia peccatum est transgressio Legis.* Quæro, cujus Legis? Cujus autem potest esse, nisi Legis Dei? Generaliter, Legis Divinæ; particulariter, Legis Moralis; specialiter, Legis Charitatis. Sequitur autem, ut si omne peccatum sit transgressio Legis Moralis; Ergò omnis actus Justitiæ est custodia Legis Moralis: [& si reatus adhæreat transgressioni ipsius, obligatio necessariò incumbit nobis de custodia ipsius. Denique, si transgredi Legem sit peccare, certè observatio Legis necessaria erit omnibus qui cupiunt non peccare. Adeóque hâc brevi additiunculâ Manipulus secundus consummatur; nè haberet humana pertinacia quod post hæc prætenderet. Nè quis mandatum Christi ad Fidem solam restringeret, dicit Apostolus, *Hoc est mandatum ipsius, ut diligatis invicem.* Nè quis novum aliquod Dilectionis mandatum putaret Prophetis & Patriarchis incognitum, dicit iterum Apostolus, *Non novum est mandatum, idem est quod accepistis à principio.* Postremò, nè quis principium intelligeret Christianitatis, non temporis, aut principium Legis, ter idem inculcat Apostolus, c. 2. vers. 7. *Mandatum à principio*, c. 3. 11. *Nuntium à principio*, Ep. 2. v. 5. *Præceptum à principio*: hoc est, & idem mandatum Legis Evangelicæ in principio Ecclesiæ Christianæ traditum, & idem mandatum Legis Moralis in principio Ecclesiæ Judaicæ traditum, & idem mandatum Legis Naturalis in principio Naturæ constitutæ impressum. Verbo, nè ullus supersit dubitationi locus, & hoc attexit Apostolus; Mandatum est istius Legis cujus transgressio est peccatum. Sic tandem in unum coeunt hodierni laboris uterque terminus, Testimonium primum è S. Jacobi Epistola, & hoc ultimum S. Joannis. *Qui loquitur contra fratrem, loquitur contra Legem, & damnat Legem,* inquit

Hom. 38. in Evang.

inquit Jacobus; *Qui non diligit fratrem, peccat contra Legem,* inquit Joannes. Sic fratres ambo sunt, si non naturâ, at in unitate Fidei, & in consensu Veritatis, & in patrocinio Legis Moralis. Atque hæc de prima & secunda Classe Testimoniorum Apostolicorum dixisse sufficiat. Duæ reliquæ in posterum sunt producendæ.

LECTIO XXIV.

Solebant Pythagorici, qui in Linearum scientia & Numerorum Mysteriis plurimùm versabantur, Cubicis rationibus præcepta sua comprehendere, existimantes se eo modo immotam facere memoriæ stabilitatem; est enim Cubus ex omni latere quadratus: in Quaternario autem putabant & omnem progressionem perfici, & primam solidam demonstrationem reperiri, & universarum rerum ordines numerari. Exinde ortum est, quòd sapientiam in quadrato statuebant, ut firmam & inconcussam indicarent: exinde, quòd quaternarium numerum *Apotelesmaticon* dicebant, nimirum & *perfectum* & *perfectivum*; tum minoris mundi, quia Quaternario constat Anima, Quaternario componitur Corpus; tum majoris, quia quatuor Solis equis irradiari cœlum, & quatuor fluminibus irrigari terram universam sibimetipsis persuadebant. Atque ego, Auditores, si in Pythagoræ subselliis collocatum me putarem, ex ipsius fortasse Quaternario Exordia dicendi hodiernâ die mutuari non refugerem; quia per quatuor Apostolorum scripta via mihi aperienda est ad Legis Moralis immotum indubitatúmque patrocinium. Sed quia in Ecclesia Dei Scholísque Prophetarum me positum sentio, non ausim aliquam ex istis Numerorum somniis, potiùs quàm Mysteriis, exordiendi ansam arripere, nè nugas mihi cordi esse, non veritatem, sentiatis. Veruntamen cùm ità se res habeat, ut ad ipsum Evangelium literis consignandum hunc ex omnibus numerum Christus consecraverit, & ex universo Apostolorum choro quatuor duntaxat Divini Spiritûs viros Scribas selegerit, ut essent veluti quatuor Paradisi flumina ad fœcundandum Ecclesiæ hortum, vel saltem velut quatuor Solis Justitiæ equi, qui Arcam Novi Testamenti, qui Currum Evangelicæ lucis per omnes Orbis terrarum partes & omnia tempora deferrent: non video cur non & mihi in hac causa liceat de ejusdem numeri non contemnendis auspiciis Legi Divinæ gratulari, quòd in tuto jam tandem & quasi in quadrato constituta sit, quia quatuor Apostolorum Testimoniis stabilita, à quibus & demonstratio causæ solida, & disputationis progressus Apotelesmaticus, & ad Antinomorum stragem argumenta plusquam cubica deducuntur. Erit autem, ut spero, opus gratum & perjucundum, vobis inprimis, qui de Evangelistarum quadriga sæpius audivistis, si fecero ut altera hæc non minùs gloriosa quadriga Apostolica usque ad aures animósque vestros perveniat. Sed confici hoc non potuit unius dieculæ angustiis: ergò in binarios necessariò hic Quaternarius erat distribuendus. Neque vos latet, quàm sit in vehiculis instruendis usitata hæc partium dispositio; ut si quatuor equi fuerint, non nisi paria jungantur; & quamvis quatuor rotæ, non nisi per paria copulantur. Quid quòd & mundi

Opifex

Opifex summus, in prima constitutione rerum, hunc sibi ordinem proposuit, ut faceret omnia duplicia, observante Augustino: in Qualitatibus, lucem & tenebras; in Substantiis animatis, marem & fœminam; in Inanimatis, cœlum & terram, quasi marem & fœminam Universi? Denique & Instaurator omnium Christus, utcunque ad duodecim Discipulorum numerum ampliaverit, iisque septuaginta alios adjunxerit, at utrosque misit
Marc. 6.7. binos & binos in omnem urbem & locum quò erat ipse venturus: tum
Luc. 10.1. quia binos famulari Dei verbo antiquum erat, inquit Origenes, ut in Mose & Aarone, in Josue & Caleb, videre est; tum etiam quia optimum erat & tutissimum binos & binos emittere, ut possint esse alter alteri in adversis consolationi, fratre fratrem adjuvante. Quapropter & mihi quoque hæc progrediendi libertas largienda est; ut qui currûs Apostolici rotas singulas (quatuor enim erant) super unius horulæ axim circumvertere non poteram, alterius horæ usuram postularem, quò possim hæc quatuor Apostolorum Testimonia, quasi per paria, bina & bina vobis ante oculos ponere & ordinare. Erat autem par primum nobile & sacrum, è Sancti Jacobi & S. Joannis scriptis conglutinatum, quos fratres dixi non naturâ, sed consensu Veritatis. Nunc adest vobis par alterum, non minùs insigne, & usquequaque simile, è S. Petri & S. Pauli Epistolis natum; quod tertiam & quartam Testimoniorum Classem subministrat. Hoc ordinis ratio exigit, ut cùm S. Joannes Classem secundam fecerit, jam tertiam S. Petrus constituat. Eóque magìs, quia inter hos duos Apostolos magna intercessit familiaritas dum adhuc in condiscipulorum statu manserunt. Joanni Petrus innuebat, ut percontaretur Christum quisnam eum proderet; Joannem socium Petrus assumpsit, ut die Resurrectionis unà curreret ad sepulchrum; in Joannem Petrus retrospexit, cùm Christum de morte & martyrio Petri loquentem sequeretur, Joh. 21. Quid igitur impedit quò minùs Joannem prospiciat præeuntem, qui retro olim aspexit insequentem. Imò verò currant unà ad testimonium, qui simul properabant ad sepulchrum: ut sicut Petrum habemus in Evangelio innuentem Joanni inter cœnandum, ut ipse disceret quæ nesciebat; ità & nunc annuentem eidem habeamus inter disputandum, ut nos ea meliùs cognoscamus quæ scimus.

Tertia igitur Testimoniorum Classis è S. Petri scriptis petenda est. Nihil verò est ipsius testimonio clarius, sive ad primam, sive ad secundam ipsius Epistolam oculos convertimus. Quod ad primam Epistolam spectat, nil aliud videtur esse quàm Legis Moralis Evangelicus Commentarius; adeò per totam ipsius seriem præcepta Legis Moralis nobis commendantur, atque tum sigillatim tum summatim recensentur. Inprimis, si quis secundæ Tabulæ Summam quærit, ab Apostolo redditur, cap. 1. ver. 22. & cap. 4. ver. 8. *Diligite alii alios impensè*; *Ante omnia charitatem mutuam habete.* Monet *ante omnia*, quia est mandatum *ante omnia*, & omnibus æquipollet mandatis. *In hoc verbo solo*, inquit ex Evangelio Ambrosius, *omne mandatum & instauratur, & impletur.* Deinde, si quis Summam totius Legis exposcit, habetur cap. 2. vers. 17. *Deum timete, fraternitatem diligite.* Quid dici potest brevius, aut cum Decalogo conjunctius? Sunt hæc Tabularum Legis ipsissima Capita, Deo sic distribuente: sunt hæc totius Capita Veteris Testamenti, sic dividente Christo: denique & hæc totius Capita Christianismi, asserente Petro, *Deum timete, fratres diligite.* Sic *Legis illa multiplicia præcepta non tam exclusa sunt per Evangelii gratiam, quàm uno Charitatis sermone breviata*, ut Hieron. loquitur. Postremò, si quis sigillatim mandata singula cupit intueri, & hæc quoque ordinatim redduntur ab Apostolo. Officia mandati quinti,

cap.

cap. 2, & 3. *Subjecti estote cuivis humanæ ordinationi*; Populus Principibus, c.2. v.13. Servi Dominis, vers. 18. Uxores Maritis, cap.3. ver.1. Officia sexti, cap. 3. ver. 8. *Estote concordes, compatientes, misericordes, modesti, non reddentes malum pro malo, aut convitium pro convitio.* Officia septimi, cap. 5. ver. 8. *Sobrii estote, & vigilate:* & cap. 4. ver. 3. *Sufficit anteacto vitæ tempore ambulasse in luxuriis, cupiditatibus, vinolentiis, comessationibus, compotationibus.* Officia octavi, cap.4. ver. 15. *Nemo vestrûm patiatur ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienarum rerum inspector: imò hospitales estote alii erga alios,* vers. 9. Officia noni, cap. 2. ver. 1. *Deponite omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & invidentias, & detractiones.* Officia decimi præcepti, cap. 2. ver. 11. *Abstinete à carnalibus cupiditatibus, quæ militant adversus animam.* Postremò, Officia undecimi — Sed quid ego undecimum memoro, cùm decimum sit postremum, & ultra postremum nihil est? Quòd si undecimum aliquod superfuisset, neque hoc S.Petrus tacuisset. Hæc igitur primæ ipsius Epistolæ facies, Legi Morali per omnia similis, Apostolicus, ut dixi, Legis Commentarius.

Ad secundam Epistolam si placeat vobis oculos convertere, quàm constanter in sententia hac perseveraverit Apostolus eâdem facilitate videbitis. Sunt autem duo potissimùm loci quibus animi sui sensum explicavit. Primus habetur, cap. 1. ver. 19. *Habemus firmiorem sermonem propheticum, cui rectè facitis quòd attendatis, velut lucernæ lucenti in obscuro loco.* Alter, cap. 3. vers. 2. *Memores estote verborum quæ prædicta sunt à sanctis Prophetis, & doctrinæ nostræ qui sumus Apostoli Domini.* Utrobique Judæos conversos accendit ad studium veritatis, ídque Propheticorum mentione librorum. Quasi hoc dicere voluisset, Habuistis semel, fratres, vocem Divinam de cœlo tonantem, & huic necessariò credendum est: sed non huic soli, habetis enim quod ad vos pertinet firmiorem sermonem propheticum, accepistis sæpius verba exhortationis nostræ, qui sumus Apostoli Christi: sed neque in hac sola acquiescendum est, sed iis etiam auscultandum est qui ante nos eadem docuerunt, ut unà cum doctrina nostra memores sitis verborum quæ dicta sunt à sanctis Prophetis; sunt enim lucerna pedibus vestris non minùs quàm nostra. Utrisque igitur si attendatis, & illis & nobis, ad perfectissimam Sacrorum Mysteriorum intelligentiam nihil vobis est defuturum: si ex utraque fenestra prospicientibus hoc tandem aliquando innotescat, quàm arctissimè in omnibus & nos cum illis, & illi nobiscum consentiant.

Post hæc quid ultrà opus est testibus? Nam quid potuit ad honorem & authoritatem Prophetarum à S. Petro aut dici aut excogitari illustrius? Quòd si post lucis Evangelicæ ortum Prophetarum jam nulla authoritas exstaret, quorsum huc alumnos suos transmittit Apostolus? Quorsum firmiorem appellat vocem quàm ea erat quæ de cœlo audita est? non enim certior in se erat, sed solummodo ipsis: quia voci noviter de cœlo delatæ, eò quòd facta erat in secreto, contradicere poterant; voci Propheticæ multis retro seculis declaratæ atque receptæ non poterant. Quorsum cum doctrina Apostolorum verba Prophetica conjungit? Nam si, quod ipsi jactitant, unà cum Lege Prophetæ etiam transierunt, satìs esset dixisse, *Memores estote verborum nostrorum qui sumus Apostoli Domini:* at non contentus dicere, *Nostrorum*, quod solum certè sufficeret, Prophetarum priùs mentionem facit, ut hoc demonstraret, quòd mutuis auxiliis, & Prophetarum oracula Evangelio confirmentur, & Evangelium vim desumat ex Prophetarum testimonio. Atque huc respexit S. Paulus, Eph. 2. 20. cùm Ecclesiam

clesiam *superstructam* asserit, non super Apostolos solos, sed *super Apostolos & Prophetas*; *Superædificata est*, inquit, *super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Quare autem hoc? Quia amborum radix una est. Quod idem est cum hac S. Petri cohortatione, *Memores estote doctrinæ Prophetarum & nostræ.* Et quare hoc? Quia amborum vox una est, neque ovum ovo similius quàm loco locus: nisi quòd S. Petrus Prophetas priùs posuerit, ordinem Temporis sequutus; S. Paulus Apostolos, Dignitatis & claritatis prærogativam respiciens. Verùm utriusque loci vis eadem: *Superstructi super ambobus*, inquit Paulus; *Memores estote amborum*, inquit Petrus. *Memores estote amborum*; nam si Prophetæ effluant, Apostoli minùs prodesse possunt: *superstructos* vos putate *ambobus*; nam si Prophetæ vacillent, Apostoli vix erunt sustentando; fundamenti alterâ parte nutante, totum corruit.

Finis hîc imponendus erat huic tertiæ Testimoniorum Classi, nisi duo Adversariorum κρησφύγετα persentiscerem. Prima latebra ubi delitescere se posse putant hæc est, Quòd in locis supradictis, non ad Legem Judæos conversos S. Petrus remittat, sed ad solos Prophetas. Altera, Quòd de Prophetis loquens, ad Propheticas de Christo prædictiones eos solummodo relegat, non ad formulas practicas vitæ instituendæ; adeóque non de Agendis, sed de Credendis solis verba esse intelligenda, hoc modo: Habemus firmiorem sermonem Prophetarum, quia illi Messiæ adventum prænuntiarunt; & Memores estote verborum quæ prædicta sunt à Prophetis, quia pulchre nobiscum in Messiæ testimonio conspirant. Verùm excusare se error potest, purgare non potest; etenim vel hoc supposito, non sic effugiunt. Nam primùm, non ipsi pugnant contra Legem solam, sed & tela sua vibrant contra Prophetas. Deinde, cessante Lege Morali, Prophetæ evanescant necesse est; quia adeò sunt inter se conglutinata, ut qui alterum tollat, evertit utrumque. Atque hoc Christus docuit, dum usitatè de ambobus loquebatur, ut de eadem pietatis regula; *Non veni solvere Legem & Prophetas*; *Ex istis pendent Lex & Prophetæ*; *Habent Mosen & Prophetas*: & S. Petrus, prorsus quasi è Salvatoris ore hæc verba rapuisset, *Habemus*, inquit, *sermonem propheticum*; uno verbo constringens quod Christus duobus complexus est. Si hoc non sufficiat, attendant iis quæ dicuntur c. 2. ver. 21. ubi non Prophetarum, sed ipsius Legis expressam habemus commemorationem; *Satius est*, inquit, *non cognovisse viam justitiæ, quàm eâ semel cognitâ, regredi à mandato sancto.* Quodnam est *mandatum sanctum? Quid aliud*, inquit Aquinas, *quàm mandatum Charitatis?* Quid aliud *mandatum sanctum*, nisi quod Paulo, Rom. 7. 12. *Lex sancta? Lex*, inquit, *sancta, & mandatum sanctum.* Per hæc verba Paulus ἀπαλλάττει τὸν νόμον τῆς κατηγορίας ἁπάσης, inquit Theophyl. *Legem ab omni accusatione liberavit*; pérque idem vocabulum Petrus Adversariorum ora obstruit. Cùm primo capite dixisset, *Habemus sermonem propheticum*, nè quis objiceret quòd Legem tacuisset, in secundo capite suppletur, *Habemus mandatum sanctum.* Sic prima eorum latebra detegitur.

Neque in secunda diu se occultare queunt, nam secunda seipsam prodit; Quòd cùm ad Prophetarum scrutiniũ Apostolos cohortatur, ad prædictiones pertinet, non ad vitæ regulam; & de Credendis, non de Faciendis est intelligendum. Prorsus quasi visionibus solis & vaticiniis referti essent libri Prophetici, pietatis specimen nullum exhiberent. Et quod magìs absurdum, idem est ac si dicerent, In V. T. fidei adjumenta haberi, non regulâ vitæ ac morum. At verò quis nescit, quòd prædictiones Christi venturi pauciores reperiantur in Prophetarũ scriptis, quàm præcepta pietatis? Ut si quis nunc post prædictiones Messiæ adimpletas, demat de ipsorum libris Moralia, vix quicquam erit residui

residui, sed vacua charta relinquetur. Quòd si mihi fidem habere nolint, ipsi revolvant libros utriusque seculi, apponant paginam paginæ, Testamentum Testamento, & dicant seriò, an non sit in utroque utriusque, & Fidei & Vitæ, & Credendorum & Agendorum, regula una, eáque certissima, constituta; sed cum hoc discrimine, quòd in Credendis Novum, in Agendis Vetus emineat: & posthæc regerere audeant, ad Prophetas nobis pro fidei adjumento, non pro probitatis norma, esse recurrendum? Quid igitur est quod alteri Apostolo responsuri sunt, cùm super Prophetas & Apostolos Ecclesiam fundatam asserit? An de Credendis loquitur, de Agendis non item? Quid responsuri sunt Christo, cùm ex duobus Dilectionis mandatis pendere Legem & Prophetas pronuntiat? Annon necessariò & præcipuè rerum agendarum summam describit? Imò adest nobis suiipsius fidissimus interpres, Matth. 7. 12. *Quæcunque vultis ut faciant vobis alii, ità & vos facite illis: ista enim est Lex & Prophetæ.* Ecce igitur, etiam de faciendis consulendi sunt Prophetæ, dicente Christo. Quocirca si Christus, si Paulus ad Prophetas nos revocat, eo potissimùm nomine, ut piè vivendi regulam addiscamus; eandem Petri fuisse sententiam non est quòd dubitemus. Atq; hæc ea sunt quæ ad tertiam Classem spectant.

Quarta succedit, ab aureis vasis electi, S. Pauli, supra omnium labores celebrandis Epistolis desumenda. Quòd postremus omnium S. Paulus fuerit in vocatione ad Apostolatum, omnes norunt: Sit igitur & ultimus in hac testium advocatione pro vindiciis Veritatis. Ipsius curæ fideíque concreditum erat Evangelium præputii, ut Gentibus Evangelium annuntiaret, sicut Judæis Petrus. Quòd si possibile fuisset ut Petrus, quia Judæorum erat Apostolus, *Apostolus circumcisionis*, ut Scriptura loquitur, si fuisset, inquam, possibile ut Petrus ad Legem stabiliendam plùs æquo inclinaret, ad Judæorum gratiam aucupandam; at verò ut S. Paulus hoc faceret, qui se ἀκροβυςίας *Apostolum* profitetur, res est extra omnem cogitationis aleam, imò dementis esset vel suspicari. Plurimùm igitur refert cognoscere quid S. Paulus hac in re senserit; quid Paulus, qui magister Gentium; quid Paulus, qui in causa non absimili ipsi non pepercit Petro, sed ei in faciem restitit propalam & in conspectu omnium, quia Judæorum consuetudines Gentibus volebat imponere. Videamus igitur quàm unanimiter S. Paulus, qui pro Legis Ceremonialis abolitione Petro restitit, in Moralis patrocinio cum eodem per omnia consentiat. Sunt autem quatuor insignioris notæ loca, quæ sponte se nobis offerunt rationis trutinâ perpendenda. Ex Rom. 13. v. 8, 9. *Reddite omnibus quod debetis, &c. Nemini autem quicquam debeatis nisi ut invicem diligatis: nam qui diligit alterum, Legem implevit. Siquidem illud, Non mœchaberis, Non occides, Non furaberis, & si quod aliud est mandatum, in hoc verbo summatim comprehenditur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximo malum non operatur, plenitudo ergò Legis est dilectio.* Pariter ex Rom. 3. 31. *Legem ergò destruimus per fidem? Absit: imò Legem stabilimus.* Item ex 1 Cor. 9. 8. *Numquid secundùm hominem hæc dico? Nonne etiam Lex dicit eadem? Scriptum est enim in Lege Mosis, Non alligabis os bovi trituranti.* Denique ex Ephes. 6. 1. *Filii, obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim est justum: Honora patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum cum promissione, ut bene sit tibi, & sis longævus super terram.* Ex istis quatuor locis tres Conclusiones eliciuntur, quæ ipsius causæ jugulum petunt, & Legem Dei ex Antinomorum manibus vel ipsis invitis extorquent. Etenim cùm Evangelium nihil aliud sit quàm annuntiatio Christi, & Fides doctrina Evangelii, & Apostolus Paulus præco Fidei: sequitur ut si Decalogi præcepta non aboleantur, sed stabiliantur ab

Apostolo Paulo, ergò & à Fide, ergò & ab Evangelio, ergò & à Christo; quia quæ vox est Apostoli, eadem est vox Fidei, & vox Fidei vox Evangelii, & vox Evangelii vox Christi. Sicut ex tribus hisce Conclusionibus cum pravo Antinomorum dogmate ex adverso pugnantibus apertiùs patebit.

Conclusio prima est, Evangelium non excludit Legem Moralem è finibus suis, sed eam in se complectitur & comprehendit. Ex primo Apostoli loco in Rom. 13. Conclusio deducitur: *Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis; nam qui diligit proximum, Legem implevit. Siquidem illud, Non occides, Non mœchaberis,* &c. *in hoc verbo comprehenditur.* Ex his verbis sic instituitur argumentatio; Si Legem in se Evangelium includat & comprehendat, Ergò non submovet & excludit: nam includere & excludere, comprehendere & eliminare, actus sunt ex diametro contrarii, neq; ab eodem fonte dimanare possunt. Axiomate hoc nihil certius, Quod comprehenditur, non excluditur: at verò, dicente Apostolo, Legem Moralem Evangelium in se comprehendit; ídque non uno modo, sed utroque, & explicitè & implicitè, & verbatim & summatim.

Quod ad primum spectat, Quòd Legem Moralem explicitè in se Evangelium comprehendat, inductione evincitur, quia sigillatim in se continet omnia Decalogi mandata; *Non mœchaberis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces:* & non hæc solummodo, verùm inquit, εἴ τις ἑτέρα ἐστὶν ἐντολὴ, *si quod aliud sit mandatum.* Ex abundanti hoc addidit Apostolus, nè quis fortasse primæ mandata Tabulæ imprudenter ab ipso prætermissa existimaret, & procaciter quæreret, Et quare, obsecro, dilectionis Dei nulla mentio? *Non habebis deos alienos, Non facies tibi sculptile, Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, Recordare diei Sabbati.* Hæc singula cùm sint in Decalogo, in Catalogo quare non recensentur? Attende igitur Apostolo; *Si quod aliud est mandatum,* si quod aliud in istis, si quod aliud præter ista. Quod de secundæ Tabulæ mandatis exprimitur, id de primæ multò magis subintelligendum putate. Quod de Dilectione proximi dicitur, id de Dilectione Dei non dici non potest: quia ad dilectionem proximi dilectio Dei supponitur, ut radix totius; & ex dilectione Dei dilectio proximi sequitur, ut surculus radicis. *Pro utroque unum ponitur,* inquit Augustinus, *quia alterum sine altero non potest præstari;* nec proximus sine Deo, nec Deus sine proximo diligi potest. Qui diligit Deum, non potest contemnere eum quem Deus præcipit diligi: & qui diligit proximum, quid in eo diligit nisi Deum? Quid igitur obloquimini? Quid reclamatis? Dicit hæc omnia mandata S. Paulus in Evangelio contineri; & si quod est præterea aliud mandatum, verbatim & explicitè in eo comprehendi. Neque hoc totum est: sed ut Explicitè singula, ità

Implicitè universa summatim contineri, in hoc uno verbo, *Diliges proximum.* A partibus enim ad totum S. Paulus sic argumentatur; Quod in se continet omnia Dilectionis officia, illud in se continet omnia Decalogi mandata. Sed officia Dilectionis singula Evangelium in se continet, quia ipsam Dilectionem in se comprehendit; ídque tribus modis, ut Debitum Legis, ut Complementum Legis, ut Compendium Legis. Videamus ordine singula.

Primò, comprehendit in se Dilectionem ut Debitum; ut Debitum Deo, Proximo, Legi solvendum. De Debito reatûs & supplicii non loquor; ab hoc debito fides in Christum nos eximit: sed de debito Obedientiæ. Hoc debitum fides & exigit, & è dilectionis marsupio solvit. χρέος γάρ ἐστιν ὀφείλημα, ut Chrysostomus loquitur, ὃ ἀεὶ ἐκτιννύμενον, καὶ ἀεὶ ὀφειλόμενον. *Debitum,*

Ep. 22.

bitum, inquit Augustinus, *quod semper redditur, & semper debetur*; nec cum redditione amittitur, sed potiùs reddendo multiplicatur. Dum redditur, crescit; & tantò majus acquiritur Dilectionis debitum, quantò pluribus redditur. Propterea Apostolus etiam atque etiam urget sub notione Debiti: *Reddite omnibus quod debetis*; *Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis*: ostendens quòd & ipsum Evangelium comprehendit in se Charitatis mandata, ut Legis debita.

Secundò, comprehendit in se Dilectionem ut Complementum Legis. Hoc quoque Apostolus asserit; & quasi semel dixisse non sufficeret, bis idem inculcat: *Qui diligit alterum, Legem implevit*; & rursus, *Plenitudo Legis est dilectio.* In utroque observandum est, quòd non dicit, *Dilectio est impletio Evangelii*, sed *Impletio Legis*; neque vicissim, *Qui diligit alterum Evangelium implevit*, sed *Implevit Legem.* Nimirum quia dum quis implet mandata Legis, mandata Evangelii impleat necesse est, quæ planè eadem sunt. Sic se Apostolus explicat, Gal. 6. 2. *Alii aliorum onera portate, & sic implete Legem Christi.* Quod suprà *impletionem Legis Moralis*, hîc *impletionem Legis Christi* appellat; atque reciprocè statuit, tum Decalogi, tum Christi & impletionem eandem, & Legem eandem. Quæ enim est Lex Christi? Pelusiota hoc dicat, ὁ νόμος τοῦ Χριστοῦ νόμος ἀγάπης ἐστὶ, *Lex Charitatis est lex Christi*; & *nominatim*, inquit Gregorius, *Lex misericordiæ, quâ* in Psal. pœnit. *fratribus compatimur, & eorum onera portamus, sicut nostra Christus onera in se suscepit.* Et nonne est hæc ipsa lex Decalogi? Imò in ipsis Decalogi verbis S. Paulus insistit, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*; & hæc dilectio proximi, inquit, est impletio Legis. Ratio à Chrysostomo redditur, ὅτι καὶ ἀρχὴ καὶ τέλος τῆς ἀρετῆς ἡ ἀγάπη· ταύτην ἔχει ῥίζαν, ταύτην ὑπόθεσιν, ταύτην κορυφήν· *hanc radicem virtus habet, hoc subjectum, hunc verticem*; hoc principium, hoc medium, hunc terminum. Si ascendamus ad illud quod summum est, in Dilectione Dei summum Virtus invenit: si ad illud quod infimum est dilabamur, in Dilectione proximi suum habet Virtus complementum: sive ad malorum fugam, sive ad bonorum operationem nos convertamus, ἑκατέρας ἔχει ἀρετὰς ἡ ἀγάπη, ut scitè Chrysostomus, τήν τε τῶν κακῶν ἀποχὴν, καὶ τὴν τῶν ἀγαθῶν ἐργασίαν, *Utramque virtutem in se complectitur Charitas, & mandati negativi, malum non operatur; & affirmativi, aliorum onera portat.* Hæc vox Christi, & hæc eadem vox Legis, & hæc impletio utriusque, quòd sicut Lex, sic Evangelium charitatem in se comprehendit ut totius Complementum.

Postremò, Charitatem in se Evangelium comprehendit ut Legis breviarium & Compendium. *In hoc verbo*, inquit Apostolus, i. e. in hoc mandato Legis, *Diliges proximum tuum, omne mandatum* ἀνακεφαλαιοῦται. Quid hoc est ἀνακεφαλαιοῦται, Chrysost. docet, τοῦτ' ἔστι συντόμως καὶ ἐν βραχεῖ τὸ πᾶν ἀπαρτίζεται τῶν ἐντολῶν τὸ ἔργον. Hoc est quod aliâ linguâ Cyprianus, *In Amore omnium Scripturarum volumina coarctantur*; in hoc habet consummationem omnis Religio: & illud, *Non mæchaberis*; & illud, *Non occîdes*; &, *si quod sit præterea mandatum aliud.* Prorsus quasi dixisset Apostolus, Si modò è vobis quis sit qui adhuc dubitat, utrùm in Dilectione sola singula Legis mandata contineantur; signanter vobis dico, quòd omnia & singula mandata in hoc uno velut in centro coeunt; & illud, *Non mæchaberis*, in Dilectionis mandato continetur, & illud, *Non occîdes*, in Dilectionis mandato continetur, & *quodcunque aliud mandatum.* Et Ratio adstipulatur: nam primò, si proximum tuum diligis, non mœchaberis; quis enim corrumpit uxorem ejus quem diligit? Non occîdes; quis enim de vita tollit eum quem diligit? Non furaberis; quis enim illi vult suppilare bona quem

diligit? Aut quis contemnit, aut detrahit ei quem diligit? Deinde, si sicut teipsum proximum diligis, nihil istorum facies; Non occîdes, quia non vis occîdi; non diripies quæ sunt ipsius, quia non vis diripi; non obtrectabis, quia nomini tuo vis parci; non pollues uxorem ejus, quia tuam ab illo comprimi non vis. Adeò unicum hoc mandatum quasi matrix est omnium: τοῦτο τῶν ἀρετῶν τὸ κεφάλαιον, τοῦτο πασῶν τῶν ἐντολῶν ὁ θεμέλιος, ut Chrysost. loquitur. Sicque redit in seipsam Conclusio Apostoli, ut quia amor in Evangelio, ut Debitum & Complementum & Compendium Legis, comprehenditur, atque omnia præcepta Decalogi in amore; ergò firmissimè sequitur, quòd omnia præcepta Decalogi comprehenduntur in Evangelio. Hæc prima Conclusio, Evangelium non explodit Legem, sed eam in se complectitur.

Hom. 55. in Gen.

Conclusio secunda est, Ut Evangelium Legem non excludit, sed comprehendit; sic Fides etiam, quæ est doctrina Evangelii, Legem Moralem non destruit aut enervat, sed roborat & confirmatiorem reddit. Ex secundo loco Apostoli, Rom. 3. hæc Conclusio trahitur; *Legem igitur destruimus per fidem? Absit: imò Legem stabilimus.* Sunt verba capitis novissima, in quibus demonstratâ jam principali Propositione de Justitia Fidei, quòd solâ fide justificamur, prævenire vult Apostolus & refellere quæcunque à malevolis afferri potuerunt ad hanc Justitiæ Fidei assertionem labefactandam. Estque hæc prima & principalis præoccupatio; Quòd si per fidem, & non per Legis opera est Justitia, ergò Lex est abrogata & exinanita. Respondet Apostolus, ac primùm quidem hanc aversatur cogitationem, tanquam nefandam & impiam, *Legem destruimus per fidem?* quia dicimus per solam Fidem justificari hominem, an propter hoc Legem evertimus? Absit. Deinde per correctionem impiæ sententiæ ostendit hâc Fidei doctrinâ etiam Legem stabiliri. Tam longè à nobis hoc figmentum abest, quòd Legem Fide destruimus, ut eam magìs celebremus & stabiliamus.

Duo igitur sunt Consectaria quæ hîc contexit Apostolus.

Consectarium primum, Abominandum & exsecrandum est dicere, Fide Legem Moralem, quantum ad obedientiam ejus spectat, deleri aut abrogari. Est enim hæc formula, μὴ γένοιτο, *Absit*, detestantis particula, vel funestum aliquid averruncantis. Igitur hoc vocabulo à Legis abolitione, velut à re portentosa, abhorrere se Apostolus testatur; καὶ ὡς περὶ τῶν ἀτόπων ἀπεύξατο, inquit Chrysostomus. Num Fide Lex tollitur? Absit. Num Fides facit ut non sit Christianis vitæ regula? Absit. Num Fide ab obedientia ipsius liberamur? Absit. Hoc procul absit ab ore, auribus, oculis & cogitationibus vestris. Ecce improbum, & scelestum, & intestabile, & exsecrandum dogma pronuntio. Hoc Consectarium primum.

In Gal. 14.

Consectarium secundum sic sese habet, Tam repugnans est naturæ Fidei abolere Legem, ut eam ipsam stabiliat. *Legem*, inquit, *per Fidem non destruimus, sed stabilimus.* Ex his verbis sic Argumentum conficitur: Quod Fides ut ratum & fixum & stabile æstimat, illud Fides ut vanum & irritum non habet, & ad nihilum redigere non potest; sunt enim ἀσύστατα, ratum & irritum, evacuare & stabilire: At per Fidem Lex Moralis firma & fixa, & immutabilis stabilisque redditur; Fides enim confirmat Legem. Confirmat multis modis.

Primò, confirmat Præconio suo. Quid enim Fides loquitur? S. Paulus docet, Rom. 7. 12. *Lex ipsa sancta, & mandatum sanctum, & justum ac bonum.* Hæc Fidei vox prima. Pariter vers. 16. *Consentio Legi quòd bona sit.* Hæc fidei vox secunda. Nec non & vers. 22. *Condelector Legi Dei secundùm interiorem hominem.* Hæc fidei vox tertia. Confirmat Legem Præconio suo.

Secundò,

Secundò, confirmat Scrutinio suo; quia quod à Lege & Prophetis prædictum atq; promissum, Fides, sedulâ investigatione adhibitâ, declarat factum & præstitum. Sic S. Ambrosius interpretatur; *Firmatur*, inquit, *per Fidem status Legis, quando quod futurum Lex dixit, Fides istud advenisse testatur.* Confirmat igitur Scrutinio suo.

Tertiò, confirmat Conatu suo; quia Gratia Fidei quæ est in Christo Jesu vires robúrque aliquod in gradu suo suppeditat, & habiles nos alacrésque reddit ad Legis obedientiam, & ad omne opus bonum in Legis circulo comprehensum. Hæc est Primasii interpretatio; *Non solùm*, inquit, *non destruit Legem, sed confirmat, dum hoc efficit Fides quod Lex jubet.* Confirmat Conatu suo.

Quartò, confirmat Amplexu suo; & quantum ad Credenda, quia quæ à nobis qui sub Lege eramus implenda erant, & non impleta, ea Fides in Christo, qui supra Legem erat, videt impleta, quamvìs non implenda; & quantum ad Moralia, quia Moralia præcepta Legis integra & perfecta in Evangelio conservantur. Si quæ noxia, eadem in utroque prohibentur; si quæ salutaria, eadem in utroque præcipiuntur. Hæc est S. Chrysostomi expositio; *Hoc illud est*, inquit, quod Apostolus dicit, ὅτι ἡ πίστις οὐ μόνον οὐκ ἔστιν ἐναντία, ἀλλὰ σύμμαχός τε καὶ συνεργὸς, *non solùm non est contraria Fides Legis doctrinæ, sed consona, & per omnia consentiens:* quia Evangelium, etsi non habeat opera veterum Sacramentorum, Circumcisionis scil. & cæterorum, habet tamen opera Dilectionis & Misericordiæ in Moralibus præceptis. Confirmat igitur Amplexu suo. Hæc omnia S. Paulus istis verbis demonstrat; οὐ καταργοῦμεν, ἀλλ' ἱστῶμεν. ἱστῶμεν & καταργοῦμεν non minùs pugnant quàm *plenum* & *vacuum:* ἱστῶμεν est *firmam & efficacem statuere*, καταργοῦμεν est *otiosam & inutilem & supervacaneam efficere.* Utroque autem vocabulo utitur Apostolus; ut & Negativo, dogma exitiosum de Lege Morali tollenda damnaret, & Affirmativo, sententiam Catholicam de ea retinenda probaret. *Non*, inquit, *destruimus, sed stabilimus*, ut stet & obtineat suum vigorem & authoritatem. Eja, quàm simile est membrum capiti, Discipulus Magistro, Apostolus Salvatori? Christus utroque modo statuit, & negativè & affirmativè, *Non veni solvere, veni adimplere:* Paulus utroque modo, quasi vestigia ipsius secutus, *Fide destruimus Legem? Absit: imò stabilimus.* Estque hæc secunda Conclusio, Fides non evacuat Legem, sed eam roborat & confirmatiorem reddit.

Conclusio tertia & ultima est, Ut Fides Legem Moralem non enervat, sed roborat; sic Apostolus, qui Fidei præco fidelissimus erat, non abolendam prædicat, sed eam in testimonium vocat. Ex tertio & quarto loco hæc Conclusio assurgit.

Tertius habetur 1 Cor. 9. 8. *Num secundùm hominem hac dico? Nonne etiam Lex hæc dicit? Nam in Mosis Lege scriptum est, Non alligabis os bovi trituranti.*

Quartus est, Eph. 6. 1. *Filii, obedite parentibus in Domino; hoc enim est justum. Honora patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum cum promissione.* Ex quibus locis hoc Argumentum formatur; Quod S. Paulus ad confirmationem suæ sententiæ adducit, & ipsius testimonio innititur ad officia practica stabilienda, illud non est ab Apostolo pro invalido & demutando præsumptum: etenim hæc duo se mutuò tollunt, irritum pronuntiare, & ad officia pietatis comprobanda attestari. Sed S. Paulus ad Legis Testimonium provocat, & ei innititur ut pietatis officia exinde magìs promoveat. Idque non semel, sed alternis vicibus, & in illa ad Corinthios, & in illa ad Ephesios Epistola. Ex 1 Cor. 9. locus prior adstat, ubi ut evinceret,

evinceret, Ministris Ecclesiæ etiam jure Divino pro personarum dignitate victum deberi, adducit locum ex ipsa Lege, Deut. 25. *Non alligabis os bovi triturranti.* Atque præfationem honoris præponit, *Num secundùm hominem hæc dico?* h. e. Numquid humanam sententiam sequor, aut humana placita? Hóccine loquor secundùm humanum intellectum, aut humanas rationes, aut ex proprio sensu? Imò verò secundum Divina oracula. *Nonne Lex eadem dicit?* eáque in Deuteronomio exarata? Duæ sunt Interrogationes, quæ duabus Negationibus æquipollent; *Dico hæc secundùm hominem?* id est, secundùm hominem hæc non dico, non ego à meipso, nec ego solus. *Nonne Lex eadem dicit?* i. e. revera Lex dicit eadem; meo pronuntiato Lex astipulatur, ut in agendis non minùs quàm credendis eandem vocem Legis & Evangelii agnoscamus, Mosis item & Christi, Prophetarum & Apostolorum. Evangelium dicit, *Non occides*; nonne Lex dicit eadem? Evangelii vox est, *Non mœchaberis*; nonne Legis est vox eadem? Nonne Christus dicit idem? Annon Apostoli idem loquuntur? Imò verò annon dicit Lex idem? Quid S. Paulo usitatius, quàm paginas suas Legis & Prophetarum testimoniis deaurare, ad Legem provocare, Legis authoritate se munire, Legem Evangelio conjungere? ut ad officia pietatis utroque nos stimulo excitaret. Res est adeò lippientibus notissima, ut illustratione non egeat. Ex Ephes. 6. locus alter præstò est; ubi ut evinceret honorem & obedientiam parentibus nostris deberi, inprimis verbis Evangelicis proponit, *Filii, obedite parentibus vestris in Domino*; hæc est formula mandati Evangelica: sed quasi hoc minus esset, apponit Legalem formulam, *Honora patrem tuum & matrem tuam*; hæc est formula Legalis. Imò & non satìs existimans hoc adjecisse, utrobiq; ratione validâ mandatum confirmat. In priore, *obedite, quia justum est*, i. e. rectum & æquum & bonum. Sicut non occìdere justum est, & non furari, non mentiri, non concupiscere, justum; ità & parentibus auscultare usquequaque est justum, & humanæ & Divinæ rationis rectitudini consonum. In posteriore, *Honorate, quia primum est mandatum cum promissione.* Sicut non occìdere est secundum, & sine promissione; & non mœchari, tertium, sed absque promissione: sic honorare parentes duplici privilegio exornatur; est *primum mandatum*, & *cum promissione*. In re tam perspicua tantâ quid opus erat varietate, ut post Evangelicam formulam Legalem adjiceret, nisi quia in animo erat ostendere, quanta vis & efficacia adhuc viget in Decalogi præceptis? Et ad hoc apertiùs ostendendum, utramque nobis formulam commendatam reliquit: sed ità, ut si inter se utramque formulam conferamus, facilè apparebit quàm sit Legalis verborùm ordo huic Evangelico loquendi modo non æqualis modò, sed multò plenior atque perfectior.

Primò, quod ad Actum spectat, perfectior est: Ibi est, *obedite*, vel *Auscultate*, ὑπακούετε· hìc verò, *Honorate*, & *timete*, i. e. Præstate eximiam obedientiam; est enim honor quasi obedientiæ medulla, & πιστευσία, obedientia in Idea.

Secundò, quod ad Objectum pertinet, plenior est: Ibi enim sub uno vocabulo uterque sexus comprehenditur, *Obedite Parentibus*; hìc sigillatim utrique honor debitus designatur, *Honora patrem & matrem:* quod ibi in mole & massa, hìc in membris & partibus explicitè traditur.

Tertiò, quod ad Motivum spectat, est etiam secunda formula perfectior & Pondere & Numero. Quod ad Pondus attinet, Motivum est efficacius: Ibi ratio est Naturalis, *Obedite, quia hoc est justum & rectum*; hìc verò ratio Cœlestis, *Honorate, quia hoc est mandatum.* Obligatio præcepti major est quàm obligatio rectitudinis: quia si præceptum fuerit, sive rectum

&

& justum videatur; sive aliter, imò verò quamvìs durum videatur, & tantùm non injustum, parendum est. Quis disputabit? Deus præcipit. Deinde quod ad Numerum spectat, est Motivum multiplicius. Prioris formulæ basis tantummodo unica est, *obedite, quia justum est*; posterioris, quatuor, *Honorate*, quia *mandatum*, & *mandatum primum*, & *primum cum promissione*, & cum hac promissione, *ut sis longævus super terram.* Doceas me, obsecro, S. Paule, unde hoc tibi in mentem venerit, ut *primum mandatum* diceres, cùm sit ordine quintum. An quia de secunda Tabula loquutus es, non simpliciter, sed in genere suo primum indicare voluisti? Equidem sic se res habet, quod in Decalogo quintum est, in Tabularum distinctione revera primum. Et meritissimó. Sic Ordo Doctrinæ postulat, ut primum censeatur à quo secunda Tabula sua ducit exordia: sic Ordo Naturæ, ut primum sit quod de honorandis parentibus tractat, quibus sub Deo & lucis usuram, & vitæ debemus primitias: sic Ordo Temporis, ut primum sit quod infantiæ, ætatis primæ, curam gerit; ut unà cum maternis uberibus hoc suum mandatum cognoscant, velut primam literam puerilis nomenclaturæ, & ipsum Alpha Legalis Catechismi: sic denique Ordo Dignitatis, ut primum sit quod primam promissionem habeat; nam & in hoc quoque sensu primum est, inquit Chrysostomus, οὐ τῇ τάξει πρώτη, ἀλλὰ τῇ ἐπαγγελίᾳ, *non primum omnium ordine, sed primum omnium etiam utriusque Tabulæ cum promissione.* Quamvis enim secundum mandatum promissionem aliquam habeat, *Ego Dominus faciens misericordiam millibus diligentibus me:* at est promissio tantùm generalis misericordiæ; hæc verò est specialis promissio vitæ diuturnæ. Esto igitur, promissionem hanc cùm audio, agnosco primum: sed est adhuc in quo mihi satisfactum cupio, ut doceas me denuo, Sancte Paule, inter tot beatitudinum millia quæ in Divinæ benignitatis thesauro reperiuntur, cur in hoc, & in hoc solo mandato Vitæ diuturnæ commemoratio habeatur. An quia de pueris tractat, qui vitâ brevissimâ fruuntur, idcirco eis spem facit prolixioris adipiscendæ? *Et sic* quoque *se res habet*, inquit Chrysostomus, *quia pueris loquitur:* ἃ μάλιστα ψυχὴ νηπιώδης ἀκοῦσαι ποθεῖ, ταῦτά φησιν, *quia pueris*, inquam, *loquitur, ea dicit quæ maximè cupit audire puerilis animus, Ut sis longævus super terram: nam pueris in vita recentibus* οὐδὲν ἥδυτερον τῆς μακροχρονίας, inquit Oecumenius, *Pueris nil dulciùs sonat quàm longinquitas vitæ.* Sufficit, agnosco satisfactum. Sed & adhuc jam tertiò doceas me, Apostolorum laboriosissime, unde illud, ut periturum præceptum tot privilegiis honorúmque titulis exornares, & tot cumulatis undique rationibus urgeres. An quia est mandatum Legis Moralis, & promissionem præ se fert Legis Moralis? Sic factum puta: nam hæc omnia ad hoc ipsum fidelissimè è Decalogo transcripsit Apostolus, ut eandem utriusque, & Mosis & Pauli, vocem agnosceremus. Urget verba Legis, urget præcepta Legis, urget rationem Legis, urget prærogativam Legis, urget promissionem Legis. *Honora patrem & matrem*, quia *mandatum* est, & *mandatum primum*, & *primum cum promissione*, & hæc est promissio, *ut sis longævus super terram.* Quorsum hæc omnia, si Lex evanida & mortua, si nullam obligationem in se contineat? Quare hæc in apricum profert? Cur chartis Evangelicis intermiscet? Si modò Lex Moralis sepulta sit, cur è sepulchro revocat ad hæc rediviva honoris lineamenta? Imò vidit Apostolus venturos in novissimis temporibus Circumcelliones protervos, qui Legi Morali detraherent, & conculcarent. Ergò hoc potissimum agit, ut nos redderet contra venenatæ linguæ blasphemias cœlesti hâc panopliâ præarmatos, cùm & Evangelii & Fidei & Apostoli testimonium audiamus: quòd Evangelium Legem non excludat, sed comprehendat; quòd

Fides Legem non destruit, sed confirmat; quòd Apostolus Legi non renuntiat, sed eam in testimonium vocat, &, ut Ambrosius loquitur, *Per Legis verba ad sensum Evangelicum nos ducit*, prorsus ut Legi Evangelium societ, ostendatque utrobique mandatum unius esse sensum authoris. Hæc Conclusio tertia & ultima: & hæc ipsius est, ut videtis, Theologia, qui raptus est ad tertium cœlum; hæc ipsius sententia, qui in Paradisum assumptus, audivit illa arcana verba & ineffabilia. Hujus jam superioribus tribus addito Testimonio, veritas in tuto, Lex Moralis in quadrato consistit; hâc Apostolicâ quadrigâ triumphos agit. Hæcque gladii defensionis nostræ Acies prima, è Testimonio Evangelii limata. Acies secunda à Natura Legis robur suum mutuatur. Sed huic labori donec Lunæ proximæ Sol novus affulserit, necessariò est supersedendum.

LECTIO XXV.

IN Moralis Legis defensione faciendum mihi est quod è Polonia oriundos Nobiliores Christianos facere solitos ad Symboli Apostolici recitationem Historiæ tradunt, surrexisse eos districtis gladiis cùm verba sanctissima secundi Articuli audivissent, *Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum:* hoc ipso gestu indicantes, defensuros se gladio civili fidem illam quæ ipsos in congressibus spiritualibus defenderat. Similiter & mihi, Legis Divinæ causam agenti, stringendus est gladius, at non ferri, sed Verbi; neque è vagina propria, sed ipsius Legis: quæ defensionis ratio est celeberrima, si ab iisdem principiis unde causa prodiit etiam & arma petantur. Atque hæc mihi mecum meditanti, nè fortasse facultas deesset progrediendi, Apostolorum, si ità loqui liceat, sanctissimus Paulus satìs supérque amplam subministrat, dum Verbum Dei μάχαιραν δίστομον appellat, Heb. 4.12. hoc est, *gladium ancipitem*, vel potiùs, interprete Primasio, *gladium ex utraque parte acutum*, & ex parte Legali, & ex parte Evangelica: ut utrinque se armatos intelligant discipuli milites que veritatis; tum in Tentationum præliis, cùm adversus Satanam; tum in incruentis hisce Disputationum altercationibus, cùm adversus Hæreticos pugnandum est. Non est quòd animos despondeant, si militiæ suæ gladius hic spiritualis adfuerit. Est enim *bis acutus*, quo possint & in Tentationibus bonum à malo, & verum à falso discernere in Disceptationibus hisce Theologicis. Quocirca si quis alius in hac parte aut in his subsidiis sibi congratulari possit, ut omnes possunt; Ego, vestra cum venia, inprimis. Erat enim hæc ipsa, si meministis, certissima ordinis ratio quam nuper statuebam, cùm primùm ad Argumenta Defensionis me receperim: ut quia id gladio Spiritûs peragendum erat, & in unoquoque gladio tres potissimùm partes emineant, Acies recta, & Acies transversa, & Cuspis sive mucro, in quo acies utraque conveniunt: idcirco ad tria Argumentorum Capita rem totam deduxi; à Testimonio Evangelii Caput primum ortum habuit, hæc gladii Acies recta; à Natura Legis Caput secundum, hæc Acies transversa; à Nexu & communi usu

usu utriusque tertium, hic Mucro communis, in quo Acies utraque & Legis & Evangelii conspirant. In prima Acie limanda hactenus versatus sum, eámque non minùs ipsius Christi quàm Apostolorum quatuor Suffragiis exornatam dedi.

Nunc demum Acies Transversa vibranda est, ut & hanc quoq; sentientes Adversarii, gladium ancipitem & utrinque acutum Verbum Dei fore vel inviti fateantur. Evangelii Acies prior fuit; hæc altera est ipsius Legis, éstque Argumentorum Caput secundum, à Natura Legis desumptum. Naturam Legis cùm dico, proprietates essentiales sive individuantes intelligo, quæ huic speculationi inserviunt. Sunt autem tres; Perfectio, Æternitas, & Utilitas, sive *Usus-fructus*, ut Jurisconsulti loquuntur. In istis tribus enucleandis necessariò ponenda est pars aliqua operis curæq; nostræ, quia contra istas Antinomi acerrimè disputant; & exinde concludunt, cùm Abrogationem Legis Moralis, ut regulæ claudicantis & imperfectæ, tum Cessationem ejus, ut rei fragilis & temporariæ, tum etiam Exclusionem omnimodam è Republica Christiana, ut rei contemptæ & infructuosæ. Quæ omnia si eâ facilitate probari poterant quâ affirmari & dici, periret funditus, unà cum vigore Legis Moralis, Defensio nostra: si modò sit Regula vitæ, sed imperfecta, suísque numeris vix absoluta; aut si perfecta, sed non æterna, per omnium seculorum memoriam perpetuanda; aut si æterna, sed infrugifera, & nullius usûs atque utilitatis. Per hæc igitur vestigia insectandi sunt; erítque trium dierum iter, nisi me animus fallit, ut possim ordine singula demonstrare. Inprimis, Quòd sit Regula pietatis & perfecta, & perfectissima, adeò ut mutari non poterit; deinde, Regula æterna, omnibúsque seculis duratura, adeò ut cessare non poterit; postremò, Regula salutaris, Sanctísque præsentis Ecclesiæ non minùs proficua quàm superioris, adeò ut abrogari nec potuerit nec debuerit. Hæc Fundamenta & Capita sunt eorum quæ ad Quæstionis confirmationem à Natura ipsius Legis sese offerunt fusiùs discutienda, è tribus ipsius proprietatibus dimanantia.

Proprietas prima est Perfectio Legis Moralis. Atque hæc necessariò præponenda est reliquis; nam in hoc cardine disputationis pars maxima versatur. Si sit usquequaque adeò perfecta vitæ morúmque norma, ut melior perfectiórque nec dari nec excogitari potuerit, non aliam opus erit Antinomorum impurissimis faucibus spongiam inserere, nè vocis contra stabilitatem Decalogi emittendæ in posterum habeant aut facultatem aut frontem. Interea unum illud (ut omnis litigandi occasio tollatur) præmittendum est, De Perfectione Operativa & Virtuali in salutis negotio disputationem non institui. Hanc perfectionem habuisse Legem nemo est qui contendit; reclamante Apostolo, Heb. 7. 19. *Nihil ad perfectum Lex adduxit*; & Gal. 3. 21. *Non data est Lex qua vivificare posset, aut ad salutem æternam perducere.* Illa de qua nos loquimur est Perfectio Regulativa Legis Moralis in iis quæ ad morum probitatem spectant. Atque hæc rursus in suas partes est secanda. Est enim alia Intrinseca & Formalis, quæ est de essentia Regulæ: alia Extrinseca & Adventitia, quæ ad pleniorem Regulæ sensum & intelligentiam conducit. Et de duplici hoc genere Perfectionis duas constituo Propositiones.

De Extrinseca & Accidentali Perfectione, Propositio prima sic se habet: Lex Moralis, quantum ad ipsius intelligentiam spectat, perfectionis susceptiva fuit, atque revera gradus & augmenta perfectionis suscepit, diversis temporibus consona. Quia clarior ipsius erat intelligentia Prophetarum temporibus quàm Mosis, & Christi quàm Prophetarum: quòd illic Propheticis, hic Evangelicis Scholiis illustrata jam esset. De hac Legis Perfectione, juxta

juxta pleniorem ipsius intelligentiam, Patres antiquos loquutos esse non dubito, cùm in suis super Matth. 5. Commentariis, Christum primâ suâ Concione perfecisse Legem asserunt. De hac, inquam, quicquid Pontificii garriunt, Extrinseca Perfectione loquutos non dubito, sive Græcos consulamus, sive Latinos. Quod ad Græcos pertinet, communis est omnium interpretatio. Clem. l. 6. Stromat. *Illa formula*, inquit, *Ego dico vobis*, ἢ ἐπίτασίς ἐστι τῆς κατὰ τὸν νόμον δικαιοσύνης, *est quoddam Justitiæ Legis additamentum.* Iren. l. 4. c. 27. *Non dissolvit Legem, sed extendit & dilatavit*; & denuo, *Naturalia omnia præcepta communia sunt nobis & illis: in illis initium & ortum habuerunt, in nobis augmentum & adimpletionem.* Epiph. Hær. 33. *Decem mandata, etsi pura sint*, μὴ ἔχοντες δὲ τὸ πλεῖον, ἐδέοντο τῆς παρὰ τοῦ Σωτῆρος πληρώσεως, *quia tamen nondum perfecta erant, impleri à Salvatore debuerant.* Basilius in Psal. 14. *Lex dicit, Non occides; Dominus autem, Non irascêris*, τὰ πλειότερα νομοθετῶν. Theophylactus in Luc. 16. in illa verba, LEGIS UNUS APEX NON CADET; *Minus*, inquit, *est quicquid per Legem dicitur, quàm hoc quod per Dominum jubetur: mandata Legis quæ tunc data, congruenter data; quæ nunc*, τὸ ὑψηλότερον καὶ τελειότερον ἔχουσι. Chrysostomus, quem priùs nominasse oportuit, hoc ipsum sæpius inculcat. Hom. 16. in Matth. de nostro tempore loquens, μειζόνων ἐστὶν ἐντολῶν καιρός· & de Lege Veteri, ἀτελεστέρα ἐστὶ τῆς καινῆς. Et Sermone de Anathemate, τὰ τοῦ Χριστοῦ τελειότερα τῆς νομικῆς διατάξεως, *Christi mandata perfectiora sunt Legalibus, & majorem à nobis charitatem exposcunt.* Denique & Isidorus Pelusiota, ut ex iis penè nullum prætercam, l. 1. Ep. 79. περιουσία τῆς τοῦ νόμου δικαιοσύνης ἡ τοῦ εὐαγγελίου ἐστὶν ὑψηλότης, *Sublimitas Evangelii est quædam exsuperantia Legis: nam cùm illa actionem puniat, hæc cogitationem.* Et l. 4. Ep. 204. μείζονα τῶν παλαιῶν ἡμῖν προσετέθη καὶ ἆθλα καὶ ἔπαθλα, μακρότερα ἐποίησε τὰ στάδια, *majora nobis quàm priscis proposuit & certamina & præmia, & ampliora fecit stadia: quia non solùm à cæde puros nos esse vult, sed etiam ab ira; nec ab adulterio, sed à concupiscentia; nec à perjurio, sed à juramento.*

Hæc fuit Græcorum Patrum de Legis Moralis Perfectione Extrinseca unanimis sententia. Atque Latinorum lingua diversa, vox eadem. *Prohibitâ irâ, plus Lex quàm amisit invenit*, Tertull. l. de Patientia. *Pulcherrimo ingressu opus Legis cœpit excedere, & profectu potiori præcellere*, Hilar. can. 4. in Matth. *Præcepta Christi subtiliora sunt præceptis Legis*, Greg. hom. 40. in Evang. *Perfectiora præcepta Evangelio reservata sunt: nam Ego dico vobis, h. e. super omne præceptum dico: quia sicut sunt Sancta Sanctorum, ità præceptum præceptorum*, Ambr. Ser. 5. & Ser. 16. in Psal. 118. Plura non opus est congerere, est enim res prompta atque perspicua. Lex Christi Legis Moralis ἐπίτασις, πλήρωσις, περιουσία· præcepta Christi præceptis Legis τελειότερα, ὑψηλότερα, μακρότερα, μείζονα, *subtiliora, latiora, excellentiora, majora, perfectiora.* Sed numquid perfectiora simpliciter & in se? Absit. Quæ eadem sunt, perfectiora non sunt: nam & homicidium cordis, & adulterium oculorum, sicut Christus, ità Lex prohibuit; & dilectionem inimicorum, sicut Christus, ità Lex imperavit. De inimicorum complexu Lex loquitur, Prov. 25. 21. *Si esurierit inimicus, ciba illum; si sitiverit, da ei aquam bibere.* De homicidio cordis, Lev. 19. 17, 18. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo; non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* De adulterio oculorum, Prov. 23. 26. 33. *Præbe, fili mi, cor tuum mihi, & oculi tui vias meas custodiant; Nè oculi tui videant extraneas, & cor tuum loquatur perversa.* Ergò si eadem sint utrobique mandata, necessariò sequitur quòd Christus ea non reddiderit perfectiora, nisi solummodo

modo quoad modum intelligendi; nec latiora, nisi per additamenta explicationis; nec sublimiora, nisi significationis perspicuitate. Et hoc quidem modo non diffitemur, sed agnoscimus, quòd & latiorem reddidit, quia illustriorem reddidit; & sublimiorem, quia ad sensum nativum revocavit; & perfectiorem, quia à corruptelis Scribarum & Pharisaicis glossematis repurgavit. Et hoc est quod Patres volunt, si Hieronymum & Chromatium audiamus pro cæteris loquentes. *Quod minus erat addidit Christus*, inquit Chromatius, *quia præcepta Legis in melius reformavit.* Atque eo ipsissimo capite Hieronymus, *Pharisæos*, inquit, *sugillavit, qui contemptis mandatis Dei, proprias statuebant traditiones.* Atque hoc illud est quod ipse Christus suo ipsius digito demonstravit; *Nisi abundaverit Justitia vestra plùs quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Propterea *Ego dico vobis*, non verba Legis corrigens, sed glossas Rabbinorum; non novam Legem tradens, sed veterem ad sanam intelligentiam reducens; non nova sive Consilia sive Præcepta constituens, sed novum interpretandi modum; Pharisæis quidem novum, Prophetis autem probè cognitũ. Exemplis res erit clarior; & sponte se nobis offerunt. In Evangelio secundùm Marcum, c.1. v.27. cùm è dæmoniaco spiritum immundum Christus expulisset, *expaverunt omnes*, inquit Evangelista, *quærentes inter se mutuò, quæ illa doctrina nova esset; nam spiritibus*, inquiunt, *imperat, & obediunt ei*: cùm tamen in se novum non erat dæmones ejicere, quod Prophetæ fecerunt, dicente Chrysostomo, sed novum ipsis videbatur. Pariter & Act.17.19. cùm contra idolorũ cultum impetuosiùs paulò Apostolus ferebatur, apprehensum eum philosophi in Areopagũ abduxerunt, & quænam illa nova doctrina esset percontati sunt: cùm tamen Dei solius cultum prædicare in se novum non erat, sed *ipsi sic existimabant*, ὅπερ οὐδέποτε ἤκουον, inquit Theophylactus, *quod nunquam audiverant.* Similiter & in ea quæ prima Christi fuit Concione celeberrima, quando Legis Moralis expositionem adeò disertam ante oculos posuit, interpretationem novam si quis placeat appellare, esto, per me licet, non contendo; at non Legem novam, atqui interpretationem novam, personarum respectu, non rerum. Istius seculi populo novum erat, atque ipsorum Doctoribus Pharisæis, non Mosi & Prophetis. Quòd si istis non contenti, Pontificios in hac parte sequuti Antinomi adhuc urgeant, Salvatorem nostrum in prima illa Concione Legem Moralem in se, quoad substantiam, aut correxisse, aut ampliasse, aut innovasse, aut perfectiorem reddidisse; intelligant aliquando quòd contra animam suam hæc temere effutiant: nam si perfectiorem exhibuit, ergò non evacuavit, quod est ipsius contra hæreticos argumentum Chrysostomi. *Interrogemus*, inquit, *eos qui Veterem Legem explodunt, annon irasci contrarium sit illi præcepto quo prohibemur occidere? annon potiùs est suppletorium? Proculdubio suppletorium*: οὐκ ἀναίρεσίς ἐστι τῶν προτέρων, ἀλλ' ἐπίτασις καὶ πλήρωσις, *non interitus est priorum, sed augmentum & complementum*; nec ad Legis destructionem dictum est, sed ad majorem custodiam. Igitur utrinque observent se hoc illaqueatos dilemmate. Aut Christus Legem Moralem perfectiorem reddidit, aut non reddidit. Si reddiderit, ergò non abrogavit; si non reddiderit, sed eam in statu primitivo reliquerit, ergò eam confirmavit: Quæ sanè verissima est sententia, Confirmasse Legem Christum, non mutasse: perfecisse eam, non in Fundamentalibus, sed in Accessoriis; non quoad terminos essendi, sed quoad modum intelligendi, quæ est Perfectionis ratio non Formalis, sed Adventitia. Hæc prima erat Propositio, Lex Moralis, quantum ad pleniorem ipsius intelligentiam, graduum susceptiva fuit, & revera augmenta Perfectionis suscepit.

in Matth. 5.

Hom. 16. in Matth.

Secunda

Secunda ſequitur, de Perfectione Intrinſeca & Formali, & ſic inſtituitur; Lex Moralis, quantum ad ipſius Eſſentiam pertinet, in mandatis ſive generalibus ſive ſpecialibus neque gradus ſuſcepit, neque perfectionis ſuſceptiva erat, quia Perfectionis gradus numeróſque omnes à principio conſtitutionis ſuæ in ſe complexa eſt, & pro ſola, eâque integerrima & perfectiſſima, pietatis Regula populo Dei eſt concredita. Duplicibus Columnis Propoſitio ſuſtentatur, unâ Logicâ, alterâ Theologicâ; Teſtimonio ſcil. & Demonſtratione.

Columna prima à Teſtimonio ducitur; atque adſtant teſtes locupletiores: ſed ſufficit ſi ex ore duorum ſtabiliatur, Prophetæ nimirum & Apoſtoli. Nam S. Jacobus, c. 1. verſ. 25. νόμον τέλειον appellat, *Legem perfectam libertatis.* Nè quis verò Legem aliam quàm Moralem ſubindicaſſe S. Jacobum exiſtimaret, c. 2. verſ. 8. ad Legem Moralem nos manuducit; ubi quàm primùm νόμον τέλειον nominaverat, *Legem perfectam*, νόμον βασιλικὸν, *Legem regiam*, à ſupremo Rege latam, poſtmodum vocat, & *Legem regiam juxta Scripturam*, i. e. *juxta eam Scripturam quæ eſt in Levitico*, c. 19. 18. ut Petrus Lombardus; vel *juxta eam Scripturam quæ eſt in Deuteron.* 5. τοῦτ᾽ ἔστι, κατὰ τὸ Δευτερονόμιον, ut ſcitè Oecumenius; h. e. Legem perfectam & regiam juxta eam Scripturam quæ dicit, *Non mœchaberis*, *Non occides*, &, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Ante S. Jacobum idipſum dulciſſimus Pſaltes teſtatus eſt, Pſal. 19. 8. *Lex Dei perfecta eſt, convertens animas.* Septuaginta legunt, ὁ νόμος ἄμωμος· nec non Hieronymus & Euthymius, *Lex Dei immaculata:* atque ad hoc effugium è Pontificiis aliqui ſe recipiunt, nè Scripturæ perfectionem agnoſcere vel inviti cogantur. Veruntamen Chaldæus Paraphraſtes & Pagninus *Perfectam* reddiderunt; & *Perfectam* magìs propriè quàm *Immaculatam* vertendam, Genebrardus annotavit. Lorinus Jeſuita agnoſcit Hebræam vocem, *Themimah*, ſignificare *integram, perfectam, abſolutam, cui nihil deſit:* atque Cajetanus præterea ſic legit, *Doctrina Domini perfecta*; *hoc eſt*, inquit, *tanta perfectionis, ut poſſit vivificare animam, & actus interiores & exteriores regulans:* nec non Iſidorus Clarius, *Lex Domini ſincera, perfecta & abſoluta, nihil mutationis admittens.* Fit quidem aliquando ut eam integritatem vox deſignet quæ eſt virtus Moralis, & per *immaculatum* reddi poteſt, in quo nihil eſt vitii; ſed ea ſignificatio eſt ſecundaria: at primario ſenſu perfectionem notat phyſicam, & eam integritatem quæ conſtat ex omnibus partibus; quia verbum à quo deducitur ſignificat *conſummare, abſolvere, perficere:* quod egregius vir, & de literis Theologicis optimè meritus, Arias Montanus, obſervavit: *In eo loco*, inquit, *legem ſolidam, integram, ſeriam, omníque ex parte cunctiſque nominibus abſolutam, Pſalmographus pronuntiat*; eámque authoritate, copiâ, integritate, & abſolutâ perfectione, atque etiam efficacitate & uſu excellere & præſtare teſtatur. Verùm iſtis non eſt immorandum; locus eſt ſatìs clarus, adeóque Columna prima, in baſi Apoſtolicæ Propheticæque ſententiæ fundata, non minùs clara & ſolida, Quòd Lex Moralis, quantum ad formalem intrinſecámque rationem, eſt Regula perfecta.

In Rom. 13.

Columna altera eſt Demonſtrativa. Erit autem Demonſtratio circularis, à toto ad partes, & à partibus viciſſim ad totum circumducta. Enimvero cùm Præcepta Moralia ſub notione triplici Scriptura intueatur, ut Unum, ut Duo, ut Decem; & ſummatim, ſub ratione Monadis, in compendio Dilectionis; & diſtributivè, ſub ratione Dualitatis, juxta duas Legis Tabulas; & extenſivè, ſub ratione Decadis, juxta partes integrantes, quæ ſunt Decem mandata: idcirco ego eam juxta has rationes ſingulas ad amuſſim vocabo, ut videamus quàm ſit unaquaque ex parte Regula perfectiſſima. Ut quem-

quemadmodum in Logicis, & ad unum, & ad duo, & ad decem genera, rerum Ordines reducuntur; nimirum, Ens, Substantiam & Accidens, & decem Prædicamenta: & velut in Mathematicis tres Circuli partes constituuntur, Centrum, quod est in medio, & unum est; Circumferentia, quæ velut numerus denarius Centrum ambit, rotátque in unitatem à qua sumpsit exordium; & Diameter, h. e. linea quæ transiens per centrum, & à summo ad imum tendens, Circumferentiam in duas æquales partes sive semicirculos secat: Eodem modo & mihi, ad Legis Moralis perfectionem demonstrandam, est progrediendum. Nam ad has mensuræ rationes singulas officia hominis Christiani Sacræ Literæ revocant, ad Unum, Duo, Decem. Nimirum ad Charitatem, quæ est Centrum circuli, & velut Ens Logicum, omnia reliqua officia transcendens: ad Dilectionem Dei & Proximi, quæ sunt duo membra dividentia, in duos semicirculos totum Legis ambitum secantia: & ad decem Verba quæ totum Decalogum constituunt, súntque velut decem summa genera, sive Circumferentia circuli, reliquas officiorum lineas in se comprehendentia. Istis ordine pensitatis, nullus erit dubitandi locus relictus, quò minùs sit Regula vitæ Lex Moralis quocunque respectu perfectissima.

Prima autem ipsius Consideratio est sub ratione Unitatis. Ut enim unitas est principium & radix omnium numerorum, ipsorum semina in se continens: sic Charitas mandatorum & Principium & Compendium perfectissimum, eorum lineas omnes numerósque absolvens.

Quòd sit Compendium Apostolus ostendit, 1 Tim. 1. 5. *Finis Legis est Charitas*; *Finis*, inquit, *Legis*, quia ad Charitatem refertur omne præceptum: & Rom. 13. 9. Mandatorum ἀνακεφαλαίωσις Charitas; *omne*, inquit, *mandatum in hoc unico verbo ἀνακεφαλαιοῦται.* Quid autem est ἀνακεφαλαίωσις, nisi, ut Cyprianus vertit, *omnis Religionis consummatio, coarctatio omnium Scripturarum*; vel, ut Hieronymo magis placet, *consummatus & abbreviatus sermo quem Dominus fecit super terram?* Quâ ductus ratione Greg. Nazian. Or. 40. Charitatem vocat νέαν δεκάλογον, σύντομον σωτηρίαν, *novum Decalogum & contractam regulam salutis*. Et alter Gregorius, Nyssenus, Hom. 15. in Cant. συντετμημένον τοῦ εὐαγγελίου λόγον, *concisum Evangelii sermonem, contractum* εἰς εὐαρίθμητον τελειότητα, *ad facilem numeratu perfectionem*. Et tertius Gregorius, cognomine Magnus, *concisum vocabulum, quod est & unum & omnia præcepta; omnia in diversitate operis, unum in radice Dilectionis.* Hom. 17. in Ev. A beatissimo Cypriano ratio redditur, Ser. de Orat. Dominica; *quia cùm Dei Sermo, Dominus noster Jesus Christus, omnibus venerit, & colligens doctos pariter & indoctos, omni sexui & ætati præcepta salutis ediderit; idcirco nè in disciplina cælesti discentium memoria laboraret, sed quod esset simplici fidei necessarium velociter disceret, hoc præceptorum suorum fecit grande compendium.* Satis igitur patet quòd sit Compendium. Deinde

Quòd sit Compendium perfectum Apostolus docet, Rom. 13. 10. ἐστι νόμου πλήρωμα, *Plenitudo Legis Charitas*; & Col. 3. 14. σύνδεσμός ἐστι τῆς τελειότητος, *Est vinculum perfectionis*; & Rom. 13. *Qui diligit, implevit Legem*, imò implevit totam Legem; Gal. 5. 14. ὁ πᾶς νόμος ἐν ἑνὶ λόγῳ πληροῦται, *Tota Lex impletur in uno verbo Dilectionis.* Et nè quis impletionem omnium in uno concederet, transgressionem omnium in uno negaret; & hoc quoque S. Jacobus docet, *Quisquis totam Legem servaverit, offenderit autem in uno, factus est omnium reus.* His positis, quid præterea desideratur quod pertinet ad naturam perfectissimi Compendii? cùm dilectio sit usquequaque omnia, omnia Nega-

tiva, omnia Affirmativa mandata; omnia per Remotionem, omnia per Comprehensionem; hoc est, omnimodè omnia. Quòd sit omnia per Remotionem, S.Paulus indicat, 1 Cor. 13. 1. *Si linguis loquar hominum & angelorum, si habuero prophetiam, & noverim omnia mysteria; si omnem fidem habuero, omnémque scientiam; si omnes egenis alendis distribuero facultates, si tradidero corpus meum ut comburar; Charitatem autem non habuero, nihil sum, nihil prodest.* Tam plenariè Charitas est omnia, ut sine Charitate omnia sint nihil. Post Paulum, etiam S. Jacobus loco supradicto, *Qui in uno offendit, est omnium reus*, inquit Apostolus: ratio redditur à Gregorio, *Quia in hoc uno Dilectionis præcepto virtutes omnes solidantur*, & in eo, velut in Pyramidis Cono, conveniunt. Ergò qui hoc mandatum non servat, nullum servat; sed qui vel in uno peccaverit, quamvìs non totum Legis transgrediatur, tamen totam Legem transgreditur: tota enim Lex est Charitas. *Et meritò*, inquit Augustinus, Epist. ad Hieronymum, *meritò fit reus omnium, quia contra illam facit in qua pendent omnia; nam contra Charitatem facit, unde tota Lex pendet.*

Quòd sit omnia per Comprehensionem suprà est demonstratum, quia in hoc uno & continetur Lex & adimpletur: adeóque *sicut ubi Charitas non est, nihil potest prodesse; ità ubi Charitas est, nil potest deesse*, ut scitè Augustinus.

Quòd sit omnia præcepta Negativa, vicissim Paulus docet, 1 Cor. 13. 5. *Non æmulatur, non est insolens, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate.*

Postremò, quòd sit omnia præcepta Affirmativa, & hoc ab eodem sanctissimo Paulo statuitur, 1 Cor. 13. 4, 7. *Charitas patiens est & benigna, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*; adeóque est & omnia, & nihil. Si de malis loquamur, istorum nihil: si de bonis, istorum omnia.

Super hunc cardinem celebre illud Augustini dictum vertitur, *Habe Charitatem, & fac quicquid vis: quod dictum est*, inquit, *non ad licentiam quidvis perpetrandi, sed quia Summa mandati Charitas.* Super eundem notissima illa Joannis Apostoli sententia, referente Hieronymo in Catalogo; qui cùm præ senectute longos sermones ad Fratres facere non posset, illud unum identidem inculcabat, *Filioli, diligite, Filioli, diligite.* Interrogatus autem cur hoc solum in conventu loqueretur, responsum dedit Apostolo dignum, *Quia si hoc solum fiat, sufficit:* quod non est aliud, quàm cætera omnia præcepta in uno contineri. Jungamus igitur hæc singula, ut videamus quò tendant; & hæc quatuor Corollaria exoriuntur.

Primum, In Evangelio omnium agendorum perfectum Compendium reperitur: reperitur & in Lege.

Secundum, In Evangelio Compendium hoc ad unicum verbum reducitur: reducitur & ad unicum in Lege.

Tertium, In Evangelio hoc unicum verbum est Dilectio: idem pariter in Lege.

Quartum, In Evangelio nihil est aut extra, aut præter, aut si per hanc Dilectionem: nihil itidem in Lege. Ergò si utrobique sit verbum unicum, & hoc verbum unicum Dilectio, & hæc Dilectio perfectissimum rerum agendarum Compendium, supra & extra quod nihil est: sequitur, quòd Lex Moralis sit Regula formaliter perfectissima in suo Compendio, ratione Unitatis. Hæc prima Consideratio Legis Moralis, sub ratione Monadis.

Secunda

Secunda ipsius Consideratio est sub Dualitatis ratione, quatenus ad duas Tabulas, quasi ad duo membra dividentia, eáque perfectissima, Dilectionem scilicet Dei & Proximi, refertur. Quòd hæc duo sint totius quasi membra dividentia, Christus docet in Evangelio secundùm Matthæum, c. 22. ver. 40. *Ab illis duobus Lex & Prophetæ pendent*. Quid hoc est, *pendent?* Quid aliud quàm in istis duobus continentur & fundantur? *haud aliter*, inquit Greg. Magnus, *quàm in duobus lignis*, superiore sc. & inferiore, *vectis texitur*, pendétque haud aliter quàm super columnas tectum. *Sunt enim*, inquit Nyssenus, *duæ Columnæ domûs Sapientiæ, quas Paulus Timotheo suo commendat sub nomine Fidei & bonæ Conscientiæ*, 1 Tim. 1. 19. per *fidem* intelligens Dilectionem erga Deum, de toto corde perfectam; per *bonam conscientiam*, τὴν ἀγαπητικὴν εἰς τὸν πλησίον διάθεσιν, *Charitativum affectum erga proximum*. Deinde quòd hæc duo sint perfectissima membra, ad quæ cætera omnia sunt referenda, Salvator noster ibidem ostendit; *ab istis duobus*, ὅλος ὁ νόμος, *tota Lex pendet*; & non modò Lex, sed *Prophetæ: adde & Evangelium, adde & Apostolos*, inquit Augustinus. Quid est hoc, ὅλος νόμος; Nyssenus respondeat; *Quid aliud nisi* ὅλον τὸ σῶμα τῆς ἀληθείας; quia super istis totum veritatis corpus innititur, velut quibusdam cruribus. Totum corpus dixi, imò & tota Legis anima; sunt enim quasi corpus & anima pietatis. Hoc ipsum Salvator noster verbis apertissimis demonstrat, Matth. 22. 38. dum Dilectionem Dei *primum & magnum mandatum* vocat; Dilectionem proximi *secundum mandatum*, & *simile primo*: ex utraque parte proportionis spatia observans, illinc inter *primum* & *secundum*, hinc inter *magnum* & *simile magno*. Quæro igitur, Quid illud est quod intelligi voluit per *mandatum magnum*, & *simile magno*, nisi quòd utrumque sit maximum, quo dari non potest majus? Nam quod ad Dei Dilectionem spectat, quòd non possit dari mandatum majus, illa verba evincunt, *Diliges eum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente tua*. Hæc vox prima Legis, quâ sanctius quicquam aut perfectius excogitare non potuit Evangelium. Quod ad Dilectionem Proximi pertinet, quòd non possit dari majus aliquod mandatum, illa verba concludunt, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Hæc vox secunda Legis, quâ consummatius quicquam tradi non potuit ab ipsis Apostolis Christi. Nam hoc, ὡς σεαυτὸν, ἴσον ἐστὶ τῷ ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου, *sicut teipsum, perinde est atque ex toto corde tuo*, quia se quisque diligit toto corde suo. Adeò est necessarium ut utrumque sit magnum, quia primum est magnum, & secundum per omnia simile primo. Quæro secundò, Quid illud quod appellat *primum* & *secundum*, nisi hoc ipsum, primum & ultimum? quia utrumque universa, & ambo omnia: ut illud sit velut Principium mandatorum, hoc velut Finis; illud velut caput, hoc velut consummatio; καὶ τὸ κεφάλαιον, καὶ ἡ κορυφὴ, ut rursus Chrysostomus, h. e. & prima litera, & ultima, & α & ω pietatis: intra quæ officia omnia quæ vel dici, vel fieri, vel cogitari possunt, ità continentur, ut & ab his duobus mandatis dependeant, & ex his æstimentur, & ex his eliciantur, & ad horum observationem referantur. Jungamus igitur & hæc singula, ut videamus in Dualitatis ratione Legis perfectionem tribus Corollariis designatam. Primum est, Ad duo Capita pietatis officia Evangelium revocat, & Lex similiter ad duo. Secundum, Dilectio Dei & Proximi sunt duo illa Capita quæ Evangelium numerat, & ipsissima illa duo quæ Lex recenset. Tertium, Hoc duplex Dilectionis mandatum pro binario perfectissimo Evangelium agnoscit, & itidem Lex pronunciat. Ergò si utrobique sint duo rerum agendarũ Capita, & hæc Capita utrobique eadem, Dilectio Dei & Proximi,

Mor. l. 6. c. 22.

Hom. 15. in Cãt.

Enchir. c. penul.

Hom. 15. in Cãt.

Chrys. hom. 32. in 1 Cor. 13.

& hæc eadem juxta enumerationis legitimæ leges exquisitissima & perfectissima; sequitur, quòd Lex Moralis sit Regula perfectissima, non modò formaliter, in Dilectionis compendio; sed & objectivè, in hoc quod Deum & Proximū respicit Dilectionis bivio. Hæc secunda Consideratio, sub ratione Dualitatis.

Tertia ipsius Consideratio est sub Decadis ratione; h. e. ipsius Decalogi, in decem se mandatis uberiùs diffundentis. Hanc circuli Circumferentiam in numero denario comprehensam dixi, numero non tam Arithmeticè quàm Theologicè perfectissimo. Quòd decem sint Legis Moralis mandata, nemo est uspiam inventus qui negaverit, nè illorum quidem qui sibi in Imaginum cultu adblandientes, ex duobus primis unum, ex uno, eóque ultimo, duo fecerint, S. Augustini distributionem secuti, non doctrinam. In hoc omnes consentiunt, quòd Decem sunt mandata, sive sint illi qui singulis Tabulis quinque præcepta inscribunt, ut post Philonem & Josephum Clemens Alexandrinus & Origenes; sive illi qui tria tantùm in prima Tabula collocant, septem in secunda, ut Pontificii; sive nostri, qui & Antiquitatis & Veritatis ordinem secuti, prioris Tabulæ quatuor præcepta statuimus, posterioris sex. Omnes, inquam, unanimi consensu decem, nec plura nec pauciora, mandata recipiunt; Divini Spiritûs ductu moti, qui *decem verba* tribus in locis appellat, Exod. 34.28. Deut. 4.13. & 10.4.

Deinde verò quòd hæc decem sint Ordine Numeróque perfectissima, extra omnem quærendi necessitatem ponitur, quia extra omnem aleam dubitandi. Si de Ordine quæritur, Quid illâ Ordinis ratione præclarius, quæ primò nos ad Deum ordinat, deinde ad Proximum? Hæc via Justitiæ, hæc via Fidei. Quid Ordinis legibus congruentius, quàm inprimis de cultu Dei immediato tractare, & cultûs modo, tum privato tum publico; deinde mediato, in officiis Dilectionis erga proximum, tum externis tum internis, tum specialibus tum generalibus, ad honorem, vitam, convictum, possessiones, famam pertinentibus. Si de Numero, nihil ego numericis mysteriorum somniis attribuo; at loquantur alii tamen. In Denario Hieronymus & Gregorius perfectionem Legis Moralis indicari asserere non verentur: & Augustinus in illa Psalmographi verba, *PSALLITE DOMINO IN PSALTERIO DECEM CHORDARUM*, de Decalogo non dubitat interpretari; *In decem*, inquit, *præceptis Legis habes psalterium; perfecta res est, Decalogus decachordium.* Denique & ex Augustino Petrus Lombardus, hac ipsâ ratione ductus, Christianum Citharœdum facit, Charitatem Citharam, peccatum bestiam pietatis harmoniâ domandam. Adeò ut qui decem Charitatis præcepta custodit, omnes citharæ chordas tangere censeatur. *Tangit*, inquit, *primam chordam, & cecidit bestia Superstitionis*; secundam, (quanquam hoc est ab eo prætermissum) *secundam* tamen, *& cecidit bestia Idololatriæ; tertiam, & cecidit bestia Erroris; quartam, cecidit bestia Impietatis; quintam, cecidit bestia Contemptûs; sextam, cecidit bestia Crudelitatis; septimam, cecidit bestia Libidinis; octavam, cecidit bestia Rapacitatis; nonam, cecidit bestia Falsitatis; decimam, cecidit bestia Concupiscentiæ.* Hæc ille: at ego hæc non urgeo, ipsi authores viderint. At illud tamen non est temere prætereundum, quòd in his decem omnia probitatis officia contineantur. Sunt enim Decem præcepta quasi decem Theologica Prædicamenta: quia ut nihil inveniri potest in rerum natura quod ad decem Categorias non pertineat; ità nulla est virtus, nullum vitium, nihil honestum aut turpe, quod ad aliquod Decem præceptorum non possit referri. Hîc verborum, operum, & cogitationum norma describitur. Hîc actus omnes iniqui, & externi & interni, omnis prava consuetudo,

in Psal. 32.

ſuetudo, omnes corrupti habitus, omnes obliqui affectus, omnes mali motus, ſive voluntarii ſive involuntarii, damnantur; & vice verſâ, omnes motus, & affectus, & actus, & habitus, & conſuetudines ſanctæ, in hiſce, brevibus quidem ſed rectiſſimis, lineis, à Prophetis, Chriſto & Apoſtolis explicatis, ordinantur & præcipiuntur. Quocirca ut colligamus jam tandem & has minutias duobus Corollariis concatenatas. Corollarium primum, In decem præceptorum ambitum Lex Moralis omnia pietatis opera compingit: etiam & Evangelium. Secundum, In his decem verbis perfectam morum vitæque regulam Lex Moralis ſtatuit: etiam & Evangelium. Ex ore Chriſti, Matth. 19. 18. ex ore S. Pauli, Rom. 13. 9. ex ore S. Jacobi, cap. 2. 11. Ergò ſi & Veteris & Novi Fœderis teſtimonio adeò perfecta ſit Lex Moralis regula, quâ perfectior reddi non poteſt, non eſt quidem ullo modo ſine piaculo pro abrogata ſtatuenda: imò verò abſque inſigni pietatis jactura & injuria Majeſtatis Divinæ non potuit abrogari; quia aut alia inſtituenda erat regula, aut eadem. Si eadem, (quod quidem eſt factum) res ſalva & integra manet. Si alia, aut imperfectior, aut perfectior. Imperfectior non debuit, quia ad ſublimius perfectionis culmen nos quàm illos Chriſtus vocavit: Perfectior non potuit, ſimpliciter & ſecundùm eſſentiam, quia hæc erat ex ore Dei promulgata, & digito Spiritûs exarata, & ſuffragio Chriſti & Apoſtolorum declarata jam perfectiſſima: ſive eam ſummatim ſpectemus ſub ratione Monadis, in Charitate omnia conveniunt, ut in Circuli Centro; ſive bipartitim ſub Dualitatis ratione, in Dilectione Dei & proximi omnia conglutinantur, ut in circuli Diametro; ſive modo diffuſiſſimo ſub ratione Decadis, in Decalogo omnia comprehenduntur, velut ipſo Circulo. Sícque in morem Circuli redit in ſe Diſputatio, Quòd Lex Moralis, quocunque oculo aſpicias, ſit uſquequaque, & Formaliter, & Objectivè, & Extenſivè, ut Unum, ut Duo, ut Decem, Regula perfectiſſima. De Perfectione Legis Moralis hæc dicenda erant. Æternitati ejus, quæ eſt Proprietas ſecunda, in poſterum eſt proſpiciendum.

& hæc eadem juxta enumerationis legitimæ leges exquisitissima & perfectissima; sequitur, quòd Lex Moralis sit Regula perfectissima, non modò formaliter, in Dilectionis compendio; sed & objectivè, in hoc quod Deum & Proximū respicit Dilectionis bivio. Hæc secunda Consideratio, sub ratione Dualitatis.

Tertia ipsius Consideratio est sub Decadis ratione; h. e. ipsius Decalogi, in decem se mandatis uberiùs diffundentis. Hanc circuli Circumferentiam in numero denario comprehensam dixi, numero non tam Arithmeticè quàm Theologicè perfectissimo. Quòd decem sint Legis Moralis mandata, nemo est uspiam inventus qui negaverit, nè illorum quidem qui sibi in Imaginum cultu adblandientes, ex duobus primis unum, ex uno, eóque ultimo, duo fecerint, S. Augustini distributionem secuti, non doctrinam. In hoc omnes consentiunt, quòd Decem sunt mandata, sive sint illi qui singulis Tabulis quinque præcepta inscribunt, ut post Philonem & Josephum Clemens Alexandrinus & Origenes; sive illi qui tria tantùm in prima Tabula collocant, septem in secunda, ut Pontificii; sive nostri, qui & Antiquitatis & Veritatis ordinem secuti, prioris Tabulæ quatuor præcepta statuimus, posterioris sex. Omnes, inquam, unanimi consensu decem, nec plura nec pauciora, mandata recipiunt; Divini Spiritûs ductu moti, qui *decem verba* tribus in locis appellat, Exod. 34.28. Deut. 4.13. & 10.4.

Deinde verò quòd hæc decem sint Ordine Numeróque perfectissima, extra omnem quærendi necessitatem ponitur, quia extra omnem aleam dubitandi. Si de Ordine quæritur, Quid illâ Ordinis ratione præclarius, quæ primò nos ad Deum ordinat, deinde ad Proximum? Hæc via Justitiæ, hæc via Fidei. Quid Ordinis legibus congruentius, quàm inprimis de cultu Dei immediato tractare, & cultûs modo, tum privato tum publico; deinde mediato, in officiis Dilectionis erga proximum, tum externis tum internis, tum specialibus tum generalibus, ad honorem, vitam, convictum, possessiones, famam pertinentibus. Si de Numero, nihil ego numericis mysteriorum somniis attribuo; at loquantur alii tamen. In Denario Hieronymus & Gregorius perfectionem Legis Moralis indicari asserere non verentur: & Augustinus in illa Psalmographi verba, *PSALLITE DOMINO IN PSALTERIO DECEM CHORDARUM*, de Decalogo non dubitat interpretari; *In decem*, inquit, *præceptis Legis habes psalterium; perfecta res est, Decalogus decachordium.* Denique & ex Augustino Petrus Lombardus, hac ipsâ ratione ductus, Christianum Citharœdum facit, Charitatem Citharam, peccatum bestiam pietatis harmoniâ domandam. Adeò ut qui decem Charitatis præcepta custodit, omnes citharæ chordas tangere censeatur. *Tangit*, inquit, *primam chordam, & cecidit bestia Superstitionis*; secundam, (quanquam hoc est ab eo prætermissum) *secundam* tamen, *& cecidit bestia Idololatriæ; tertiam, & cecidit bestia Erroris; quartam, cecidit bestia Impietatis; quintam, cecidit bestia Contemptûs; sextam, cecidit bestia Crudelitatis; septimam, cecidit bestia Libidinis; octavam, cecidit bestia Rapacitatis; nonam, cecidit bestia Falsitatis; decimam, cecidit bestia Concupiscentiæ.* Hæc ille: at ego hæc non urgeo, ipsi authores viderint. At illud tamen non est temere prætereundum, quòd in his decem omnia probitatis officia contineantur. Sunt enim Decem præcepta quasi decem Theologica Prædicamenta; quia ut nihil inveniri potest in rerum natura quod ad decem Categorias non pertineat; itá nulla est virtus, nullum vitium, nihil honestum aut turpe, quod ad aliquod Decem præceptorum non possit referri. Hîc verborum, operum, & cogitationum norma describitur. Hîc actus omnes iniqui, & externi & interni, omnis prava consuetudo,

in Psal.32.

ſuetudo, omnes corrupti habitus, omnes obliqui affectus, omnes mali motus, ſive voluntarii ſive involuntarii, damnantur; & vice verſâ, omnes motus, & affectus, & actus, & habitus, & conſuetudines ſanctæ, in hiſce, brevibus quidem ſed rectiſſimis, lineis, à Prophetis, Chriſto & Apoſtolis explicatis, ordinantur & præcipiuntur. Quocirca ut colligamus jam tandem & has minutias duobus Corollariis concatenatas. Corollarium primum, In decem præceptorum ambitum Lex Moralis omnia pietatis opera compingit: etiam & Evangelium. Secundum, In his decem verbis perfectam morum vitæque regulam Lex Moralis ſtatuit: etiam & Evangelium. Ex ore Chriſti, Matth. 19. 18. ex ore S. Pauli, Rom. 13. 9. ex ore S. Jacobi, cap. 2. 11. Ergò ſi & Veteris & Novi Fœderis teſtimonio adeò perfecta ſit Lex Moralis regula, quâ perfectior reddi non poteſt, non eſt quidem ullo modo ſine piaculo pro abrogata ſtatuenda: imò verò abſque inſigni pietatis jactura & injuria Majeſtatis Divinæ non potuit abrogari; quia aut alia inſtituenda erat regula, aut eadem. Si eadem, (quod quidem eſt factum) res ſalva & integra manet. Si alia, aut imperfectior, aut perfectior. Imperfectior non debuit, quia ad ſublimius perfectionis culmen nos quàm illos Chriſtus vocavit: Perfectior non potuit, ſimpliciter & ſecundùm eſſentiam, quia hæc erat ex ore Dei promulgata, & digito Spiritûs exarata, & ſuffragio Chriſti & Apoſtolorum declarata jam perfectiſſima: ſive eam ſummatim ſpectemus ſub ratione Monadis, in Charitate omnia conveniunt, ut in Circuli Centro; ſive bipartitim ſub Dualitatis ratione, in Dilectione Dei & proximi omnia conglutinantur, ut in circuli Diametro; ſive modo diffuſiſſimo ſub ratione Decadis, in Decalogo omnia comprehenduntur, velut ipſo Circulo. Sicque in morem Circuli redit in ſe Diſputatio, Quòd Lex Moralis, quocunque oculo aſpicias, ſit uſquequaque, & Formaliter, & Objectivè, & Extenſivè, ut Unum, ut Duo, ut Decem, Regula perfectiſſima. De Perfectione Legis Moralis hæc dicenda erant. Æternitati ejus, quæ eſt Proprietas ſecunda, in poſterum eſt proſpiciendum.

LECTIO XXVI.

INter alios libros quos egregius ille, & in artium ἐγκυκλοπαιδείᾳ vir supra plurimos meritus, Carolus Bovillus, in seculi post-futuri gratiam composuit, insignioris notæ Tractatus celebratur, quem De Mathematicis Rosis ad suum Clichthovium conscripsit, non minùs subtilitate, quàm novitate etiam argumenti clarissimum. In illo libro, quæ sit Rosæ Geometricæ natura; quæ proprietates, quæ discrimina, non acutè modò, sed perspicuè demonstrat. Quòd sit unius medii Circuli, inter plures alios æquales Circulos medium regulariter intersecantes, proportionalis circumscriptio; ità ut singulorum Centra sint in mutuis Circumferentiis, singulíque eâdem semidiametro communicent. Atque ista propter, *Rosam Geometricam* appellat, quòd ad instar Rosæ, ut folium folio, sic Circulus Circulo intertexatur, donec Circulus unus ex multis fiat, modò pluribus, modò paucioribus. Si quinque Circuli fuerint, fit Rosa Pentagona; si septem, Heptagona: sed ità, ut earum omnium Rosa Hexagona sit præstantissima, quia nihil aut redundans recipit, aut vacuum relinquit. Quàm artificiosè & eleganter vir incomparabilis hanc Spartam ornaverit, non meum est discernere, sed in istis artibus exercitatis relinquendum est; quàm verò laudabiliter, inter alia, rei novitas testatur: fuit enim inventum novum, ipso solo authore parentéque prognatum, nec quenquam præeuntem habuit quem sequeretur. Pariter & Ego, Auditores, si mihi eâdem libertate abuti liceret in rebus Sacris, quâ usus est vir doctissimus in Mathematicis, & me quoque posse in hac Moralis Legis defensione Rosam vobis exhibere non dubitarem, quamvìs non Geometricam, at Theologicam tamen, quæ sit & visu pulchrior, & olfactu suavior, & propter has disputationum spinas tactu tenerior, multóque dignior quæ dehinc vestris, non manibus, at auribus animísque, & legatur & deferatur. Ex horto, vel Paradiso magìs, Scripturarum Theologica hæc, de qua loquor, Rosa decerpitur, isti Geometricæ non absimilis: etenim ex Circulis constat, & qui se mutuò proportionaliter secant, & amplexu dulcissimo complicantur in Circumferentiis, eâdémq; Legis Moralis semidiametro communicant. Denique, si figuram advertimus, est Hexagona, in sex Circulos velut defensionis nostræ folia se diffundens; quorum singula sic se invicem tangunt, ut tamen omnia Legem Divinam contra Adversariorum injurias ad instar sepimenti circumcingant: & rursus omnia sic sibi invicem cedunt, ut unumquodque per se diem novum ac integrum ad intuitum exposcat.

Primus Circulus Legem ambiens est Testimonium Christi. Verba Christi sunt revera Circulus, cujus Centrum est *Ità*, Circumferentia *Etiam*. Hoc ipsius nomen est, Rev. 3. 14. *Amen, testis fidelis & verax*, id est, *Ità & Etiam*, ut S. Paulus loquitur.

Secundus est Testimonium Apostolorum. Et hoc quoque est Circulus, cujus Centrum est Unitas, Circumferentia Quatuor; quòd in unum quatuor Apostoli sententiam conspirent, Jacobus, Joannes, Petrus, Paulus, nè fortè deesset huic Circulo nostro Quadratura.

Tertius est Legis Perfectio. Perfectio est Circulus, cujus Centrum est Omnia, Circumferentia Nihil. Itidem & Dilectio, quæ summa Legis, malorum

lorum nihil, bonorum omnia, mandata quæcunque & Affirmativa & Negativa in se comprehendens.

Quartus est Æternitas Legis. Æternitas est Circulus, cujus Centrum est Semper, Circumferentia Nunquam. Itidem & Lex Moralis ad hoc ipsum à Deo Dominóque nostro & lata est & stabilita, ut universis seculorum successionibus pro vitæ morúmque regula esset, semper duratura, nunquámq; solvenda.

Quintus est Utilitas Legis. Et hæc quoque Circulus potest appellari, cujus centrum est Homo, Circumferentia Deus; vel Centrum Terra, Circumferentia Cœlum: quia huic inter cæteros usui inservit, ut per rectissimas lineas ab officiis quæ Deum ad ea quæ hominem respiciunt officia nos ducat, & ab Obedientia quæ in terris præstatur ad præmium quod in cœlo reponitur.

Sextus & ultimus est Nexus communis, tum Legis tum Evangelii, quantum ad officia Practica. Et hic quoque est Circulus, cujus Centrum est Idem, Circumferentia Simile: quia utriusque est vox similis & eadem; Præcepta similia & eadem; Fundamentum plusquam simile, idem & unicum, Prophetarum & Apostolorum, ut S. Paulus loquitur. Istis jam singulis pensitatis, nemo, opinor, est qui Rosæ Theologicæ nomen huic aut invidebit, aut detrahet Defensiunculæ nostræ. Sunt enim sex Capita, sex Circuli, unicum Legis Circulum ambientes. Quorum quidem etsi adhuc duntaxat tria priora Capita expedivimus; attamen tribus quæ supersunt posterioribus pondus suum & efficacia ad Causæ confirmationem non deest. Atque ecce jam prostant ordine suo depromenda.

De Perfectione Legis Moralis, supremo qui jam effluxit præsentiæ nostræ die disseruimus; eámque ut duabus columnis suffultam, Logicâ & Theologicâ, contemplati sumus, nimirum & Testimonio Scripturarum, & Demonstratione circulari, à toto ad partes, à partibus vicissim ad totum recurrente: quòd sit Regula pietatis perfectissima, & Formaliter, & Objectivè, & Extensivè, ut Unum, ut Duo, ut Decem; sive summatim eam spectes in suo compendio, quæ est Charitas; sive distributivè in membris dividentibus, quæ sunt Dilectio Dei & Proximi; sive modo diffusissimo in decem Decalogi præceptis. Hæc omnia jam satis sunt explicata.

Nunc restat, ut à Perfectione ipsius ad Æternitatem descendam, quæ secunda est Proprietas huic subserviens speculationi; quæ nisi statuatur, Argumentum à Perfectione ipsius deductum minùs valebit. Est enim laus Legis præcipua, Perpetuitas, sine qua Perfectio evanescit; quia potest quid esse perfectum, & non æternum, sicut Lex Ceremonialis in suo genere perfecta erat, sed transitoria: quòd si & Morali idem contingat, ut sit regula vitæ morúmque perfecta, sed temporaria, cui durationis terminus post adventum Christi ortúmque Evangelii constitutus sit, h.e. si non sit æterna, & per omnium seculorum memoriam perpetuanda, quid impedit quò minùs impunè Antinomi glorientur cessasse eam prorsus atque evanuisse? In ipsius igitur Æternitatem labor hodiernus impenditur, hoc uno præmisso, quòd sub duplici notione Æternitas consideratur. Est enim Æternum sic dictum simpliciter & primò; & est Æternum per participationem entis primi. Æternum simpliciter & propriè, est spatium principio & fine carens, unum perpetuum Nunc, quod nec habet præteritum nec futurum. Τὸ χρόνου παντὸς ϰ̀ αἰῶνος πρεσβύτερον, ut Bas. lib. 2. con. Eunom. hoc est, definiente Aquinate, *Duratio immutabilis & indeficiens,*

 carens

carens successione, tota simul exsistens. Hoc modo considerata Æternitas, χαρακτηριστικὸν ἐστι τῆς θείας φύσεως, ut Pelusiota loquitur, l. 3. Ep. 18. *Proprietas est individualis, & quasi character Divinæ naturæ,* & quarto Proprii modo Deo competit; nimirum & Soli, quia nulli creaturæ; & Omni, (si de simplicissima illa Unitate ità loqui liceat) Omni, inquam, quia unicuique Personarum sacræ Triados; & Semper, quia æternè, h. e. plùs quàm semper, Deus est æternus, videlicet, modo supra artis Logicæ regulas proprissimo. Οὐδὲν γὰρ τῆς θείας οὐσίας οὕτως ἴδιον ὡς ἀΐδιον, ut eleganter idem Pelusiota, lib. 4. Ep. 63. *Nulla Deo magìs propria proprietas quàm Æternitas.* Secundum hanc verbi significationem de Æternitate non agitur. Quamvìs enim in Deo Lex sit simpliciter æterna, sicut Dei omnia; at extra Deum considerata, quemadmodum nos de illa disputamus, non est æterna hoc priore loquendi modo, quia extra Deum produci aliquod ens æternum est impossibile. Quod enim est extra Deum, est aliud à Deo; & quod à Deo aliud est, creatura est; & quod creatura est, æternum esse non potest, sed est aut æviternum, aut temporaneum, aut instantaneum.

Accedamus igitur ad modum secundum. Æternum per participationem & similitudinem, in sensu castigato, est nihil aliud quàm spatium rei creatæ non demutandæ, sive duratio ejus indeficiens. Sic ea quæ sunt vetustissima, & ad finem usque mundi duratura, *æterna* dicuntur, quamvìs finem habitura sint: ut *montes æterni*, Hab. 3.6. *tempora æterna*, πρὸ χρόνων αἰωνίων, 2 Tim. 1.9. Tit. 1.2. Sic ea quæ sunt perpetua, ut angelus & anima, & quæcunque finem non habent, quamvìs ortum habuerint, *æterna* dicuntur. Quòd si præcisè & strictè loquamur, *æviternitas* hæc potiùs dicenda est quàm *æternitas*; est enim quasi dimidiata æternitas, à parte pòst, non à parte antè. Et verba quibus ad hanc exprimendam Theologi utuntur, ἀθάνατον καὶ ἄφθαρτον, inferioris notæ sunt quàm quæ possunt per *æternitatis* vocabulum reddi aut transferri: at secundariò tamen, & populari loquendi modo, quod tantùm est æviternum aut sempiternum, *æternum* dicitur, scil. quòd à principio constitutionis suæ per omnia secula & temporum revolutiones in perpetuum remanet. Non igitur de Æternitate nunc loquimur secundum exquisitissimas ipsius rationes, sed sensu remisso & circumciso. Atque ad hanc loquendi normam, dum eam proprietatem Legis Moralis statuimus, revocamus; ut sensus sit, quòd Lex Moralis sit regula pietatis immutabilis, à Deo constituta usque ad finem mundi duratura. Quo posito, dementis est dicere, Prædicatione Evangelii eam abrogatam fore. Sit igitur hæc Conclusio; Præcepta Decalogi sunt norma bene vivendi, ut perfectissima, ità sempiterna & immortalis, in hunc finem à Deo primitus instituta, & postmodum à Prophetis agnita, & postremò paginis Evangelicis confirmata, ut suum servaret per omnes ætates, Ecclesiæ etiam Christianæ, honorem, vigorem & perennitatem, nec unquam emori aut intercidere posset, donec vox illa impleatur, *Tempus non erit ampliùs*, & nè sic quidem prorsus interitura.

Ad hanc penitiùs enucleandam progrediendi ansam ipsa mihi Conclusio suppeditat, ex eo quòd dixi Æternitatem Legis Moralis non minùs Evangelicis quàm Legalibus paginis confirmatam: & ex eo etiam, quòd per omnes ætates utriusque Ecclesiæ eam dixi perpetuandam. Non enim potest aliis mediis rei alicujus perpetuitas demonstrari, quàm si ostendatur & de Facto, quòd ità sit, & de Jure, quòd ità esse debeat: atque ex utroque hoc medio Propositionis certitudinem stabilitam dabo. Juri authoritas Divina suffragatur; Facto, temporum historiæ.

Qua-

Quapropter illustrationis media hæc duo statuantur; Authoritas Scripturæ Sacræ, & Inductio à seculorum Ecclesiæ omnium instantiis deprompta.

Primum Medium ex Scripturarum Authoritate desumitur; atque sponte sese offert plenus Testimoniorum & numerosus Catalogus, non minùs Moralis Legis quàm ipsius Evangelii perennitatem pronuntians. De æterno Evangelio legimus, Apoc. 14.6. *Vidi alterum angelum per medium cœlum volantem, habentem* εὐαγγέλιον αἰώνιον, *Evangelium æternum:* ubi *æternum* dici interpretes advertunt, non modò *quòd salutem æternam promittat*, ut Primasius, Ausbertus, Anselmus, & Haymo: sed quòd ab æterno à Deo præfinitum sit, ut Andreas Cæsariensis, διὰ τὸ ἐξ αἰῶνος προωρίσθαι· & adhuc, ut omnium optimè Rupertus, *quia non erat periturum & antiquandum; quia*, inquit, *virtus & veritas Dei est, quæ transire aut veterascere non potest.* Quòd si de Legis mandatis hoc dictum foret, aperta res esset, testésque alii superfluerent. Sed de Evangelio dicitur, non de Lege. Imò verò de Lege & Prophetis unà cum Evangelio dictum Rupertus contendit. *Evangelium æternum*, inquit, *est Evangelium Christi cum testimonio Legis & Prophetarum.* Et paulò pòst, *Evangelium cum Lege & Prophetis sibi sociatis.* Sed solius hæc est hominis assertio; mittamus igitur, & audiamus ipsum Spiritum Sanctum. Habetur locus Deut. 29.29. *Abscondita Jehovæ Dei nostri sunt; & revelata nostra sunt, & filiorum nostrorum, usque ad sempiternum, ut faciamus omnia verba Legis hujus.* Quid ad hoc? Satin' est manifestum? quod suprà *Evangelium* αἰώνιον, hîc νόμος αἰώνιος. Sed hoc fortassis Moses semel, & de seipso, ad suæ Legis honorem, pronuntiavit. Auden' sceleste, virum θεόπνευστον & Prophetam proprio spiritu locutum affirmare? Atqui Moses solus hoc non dixit, sed Psalmographus, & sæpius, & penè passim. Habetur locus Psal. 19.10. *Timor Domini mundus, permanens in seculum.* In eo loco S. David variis titulis Legem celebrat: nam & *Legem* vocat, quòd rectè vivendi rationem proponat; & *Testimonium*, quia de voluntate Dei nobis testatur; & *Mandata*, quòd contineat quæ nobis Deus observare præscribit mandátque; & *Præceptum*, quòd in se habeat quæ à nobis exigit Deus, & quæ vetat; & *Judicia*, quòd recto judicio omnia agere instituat; & *Timorem Dei*, Metonymicè, quòd veram Religionem ingerat, doceátque quomodo timere Deum oporteat: & hunc *Timorem*, hanc *Legem*, hæc *Judicia*, hæc *Testimonia*, hæc *Præcepta*, hæc *Mandata*, *vera*, *recta*, *certa*, *fidelia*, *pura*, *perfecta*, *æterna* pronuntiat. Quid igitur? Num spiritu privato & proprio etiam Psalmographus locutus est? Num semel, & non sæpissime? Quid igitur illud est quod occurrit Psal. 119.152. *Initio cognovi de Testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea*; & vers. 160. *Principium verbi tui veritas, & in æternum omnia judicia Justitiæ tuæ?* Quid illud Psalmi 111.8. *Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in perpetuum & in seculum?* Quid hæc sibi volunt omnia, *in æternum fundata*, *in æternum mansura*, *in æternum confirmata*, nisi firma & fixa & immutabilia, nullo Ecclesiæ seculo peritura, nunquam amolienda, nunquam abroganda? Equidem in se satis hæc videntibus perspicua sunt, imò lippientibus; sed renitentibus & in errore suo obfirmatis non item. Etenim, quantum conjecturâ auguror, hoc est quod responsuri sunt; Neque de solis Præceptis Moralibus pronuntiata hæc Psalmographi esse intelligenda, sed de Legalibus singulis, sive Moralia fuerint, sive Judicialia, sive Ceremonialia: & deinde etiam, *æternum* accipi pro *diuturno*, sicut sæpe in Scripturis. De Lege Expiationis dicitur, Lev. 16.29. *Erit vobis in statutum perpetuum.* De Lege Convo-

Convocationis populi per tubarum sonitum, Num. 10. 8. *Erit vobis in statutum sempiternum generationibus vestris.* De Sacrificiis, Lev. 6. 18, 22. *Statutum perpetuum est Jehovæ.* Et de aliis non paucis, usque ad Christi manifestationem duraturis, & tum demum sepositis. Propterea sequitur, Moralia non magìs esse perpetua quàm Ceremonialia, quia Ceremonialia non minùs *æterna* dicuntur quàm Moralia. Ut igitur istis fiat satisfactum, tres statuo Propositiones.

Prima, *Æternum* in locis supradictis non unius notat Seculi durationem, sed omnium. Astipulantur Interpretes: *Æterna dicuntur, & quia ducunt in æternitatem, & quia valent in æternitatem*, Remigius. (*in Psal. 119. 152.*) *Æterna dicuntur, quia sunt indemutandæ veritatis Constitutiones*, Hilarius. (*in Psal. 119.*) *Æterna dicuntur, quia non aliquando mutabuntur, nec labefactabuntur, quemadmodum statuta hominum*, Jansenius. (*Jansen. ibid.*) *Æterna dicuntur, quia non ad tempus, sed semper & in indeficientia temporis firmantur*, Cajetanus. (*in Psal. 119. 152, 160.*) Postremò, *Æterna dicuntur, quia sunt mandata sine dubitatione perpetua, ab ipso profecta cujus sententiam nec tempus aliquod mutabit, nec res ulla subvertet*; quæ Glossa est eruditissimi Episcopi Herbipolensis. (*Brunonis in Ps. 118. 160.*)

Secunda est, *Mandata* in locis supradictis, non Ceremonialia aut Judicialia intelliguntur, sed sola Moralia. Est & hæc quoque conjuncta sententia Interpretum, Judæorum, Christianorum; Veterum, Recentium; Pontificiorum, Protestantium. Pro Rabbinis Aben Ezra loquatur, citante Bucero; *Intelligenda sunt,* inquit, *de Lege & præceptis quæ sunt omnium cordibus inscripta, quibus nihil est æquè verum & firmæ rectitudinis.* Pro Patribus, Bruno Herbipolensis loquatur; *Per timorem Domini Psalmographus intelligit mandata Dei quæ in Veteri & Novo Testamento conscripta sunt, quæ in semetipsis permanent, quia status eorum nullâ varietate mutatur.* (*in Psal. 110.*) Vel, si placet, loquatur author non contemnendus Pampolitanus; *Præcepta æterna dicit, quia sunt mansura usque ad finem mundi: & non sunt transitoria, sicut fuerunt mandata Legalia.* Imò loquatur potiùs vir utroque antiquior doctiórque, Joan. Chrysostomus; (*in Psal. 110.*) *Fidelia mandata vocat, id est, firma & manentia*; ἔχει γὰρ ὁ νόμος τοῦτο μάλιστα ἐξαίρετον, τὸ ἀθάνατον καὶ τὸ διηνεκὲς, *habet enim Lex hoc inprimis eximium, immortalitatem & perpetuitatem.* Et quæ Lex? Et lex Creationis, & lex Naturæ, & lex Philosophiæ, & Lex Novi Testamenti. Pro Pontificiis loquatur Cajetanus; *Propheta ad literam tractat de præceptis Decalogi tantùm, ità quòd appellatione Omnium præceptorum comprehenduntur omnia Divina præcepta Moralia, quæ sola spectant ad Decalogum, excludendo Ceremonialia.* Postremò, de nostris eligant quemcunque. Obsignatæ sunt tabulæ, res est in confesso, quòd de solis Moralibus æternitas illa sive perpetuitas enuntiatur. Sit igitur

Tertia Propositio, Legis Moralis æternitati etiam literæ Evangelicæ attestantur, phrasi verbísque Davidicis retentis; tum iis quæ ad Exordia ejus spectant, tum iis quæ ad ejus Perpetuitatem. Videamus primò de Exordiis.

De Exordiis Sanctus David loquens, mandata Divina asserit & à principio vera, & à principio eadem. Similiter & S. Joannes ter idem inculcat. 1 Ep. cap. 2. ver. 7. *Mandatum vetus scribo quod habuistis à principio*; & cap. 3. ver. 11. *Hæc est annuntiatio quam habuistis à principio, ut diligatis invicem*; & Ep. 2. ver. 5. *Hoc est mandatum ejus quod habuimus à principio, ut diligamus alii alios.* Consultò Apostolus tribus loquendi vicibus mandatum idem appellat cum eo quod traditum est à principio;

nè

nè quis principium intelligeret Christianitatis, non principium Temporis, aut Naturæ, aut ipsius Legis promulgatæ. Et unoquoque istorum respectu idem ostendit esse mandatum à principio; Idem mandatum Legis Evangelicæ, in principio Ecclesiæ Christianæ renovatum; idem Legis Moralis, in principio Ecclesiæ Judaicæ Divino digito exaratum; & idem Legis Naturalis, in principio Naturæ constitutæ humano pectori impressum. Videtis quòd verbis ad Exordia Legis pertinentibus Psalmographus & Apostolus consentiunt.

Pariter & in iis ipsissimis verbis quæ Legis Perpetuitatem describunt. *Verbum Domini permanet in æternum,* est vox Davidis: & vox eadem S. Petri, Ep. 1. cap. 1. ver. 25. *Verbum Domini manet in æternum, εἰς τὸν αἰῶνα.* Esto, non diffitemur: sed S. Petrus de verbo Evangelico loquitur, sive de verbo Promissionis; sequitur enim, *Verbum Domini manet in æternum: hoc autem est Verbum quod evangelizatum est vobis.* Locum igitur integrum consulamus, locique originem, ut ex ipsius progenie sensum expiscari valeamus. Habetur ver. 24. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tanquam flos fœni; exaruit fœnum, & flos ejus decidit: at Verbum Domini manet in æternum: Hoc autem est Verbum quod evangelizatum est vobis.* Desumpsit Apostolus ex Isaia propheta, cap. 40. ver. 6. *Vox dicentis, Clama. Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & gloria ejus quasi flos agri: exsiccatum est fœnum, cecidit flos: Verbum autem Dei nostri manet in æternum.* Ex Psalmo Davidico Isaias transcripsit, nempe ex Psal. 103. 15. *Recordatus est quòd homo pulvis, sicut fœnum dies ejus, sicut flos agri sic efflorebit: Misericordia autem Domini ab æterno in æternum.* Hæc, inquam, loci progenies, tribus distincta gradibus: etenim à Spiritu Sancto ad Davidem, à Davide ad Isaiam, ab Isaia ad S. Petrum descendit. Propterea non potest de solo verbo Promissionis, aut solis mandatis Evangelicis intelligi; quòd ante S. Petrum Isaias idem dixerit, & ante Isaiam David, idque non modò de verbo Promissionis, sed de Lege Morali: adeóque fortius est pro Legis æternitate argumentum istius clausulæ supplemento, *Hoc autem est Verbum quod evangelizatum est vobis*; cùm idem Verbum quod à Petro est evangelizatum, ab Isaia priùs erat prædicatum, & prædictum priùs à Davide. Ergò sequitur necessariò, quòd quo sensu David loquutus est, eodem & Isaias; & quo Isaias, eodem & Petrus. Adeóque non Mosis solius testimonio, sed Davidis etiam, & Joannis, & Petri, Legis Æternitas stabilitur. Atque de primo probationis Medio, ab Authoritate desumpto, hæc sufficiat prælibasse.

Secundum Medium ab Inductione trahitur: Inductio autem ab Instantiis sumenda est; ut videamus quæ Legis Moralis facies ante tempora, post tempora, & in decursu vel spatiis temporum, quæ sunt velut intervalla quædam ad hanc sempiternitatem tendentia. Intervalla hæc inter principium & finem Universi circumvertenda sunt. Sunt autem sex numero, velut Ætates totidem Legis Divinæ. Ætas prima in statu Naturæ integræ; secunda, in statu Naturæ mox corruptæ; tertia, sub Mose; quarta, sub Prophetis; quinta, sub Christo; sexta, sub Apostolis. Fuit enim & Adamo insita, & Patriarchis variis patefactionis modis renovata, & Mosi in Tabulis tradita, & à Prophetis illustrata, & à Christo stabilita, & ab Apostolis, quod ad puram ipsius intelligentiam pertinet, perfecta jam reddita. Brevitatis studio ad tria Capita sex ista sunt revocanda; Ad tempus Primitivum Legis insitæ; ad tempus Succedaneum Legis scriptæ, sub Mose & Prophetis; ad *tempus Restitutionis*, sub Christo & Apostolis. Atq; singulis istis

istis juxta se positis, quinque sunt Specula in quibus Legis Moralis naturam intueri possumus.

Speculum Mentis Divinæ, ante facta tempora.

Speculum Mentis humanæ, in principio temporis.

Speculum Duarum Tabularum, in profectu temporis.

Speculum Evangelii, in restitutione temporis.

Speculum Gloriæ, post effluxa tempora. De singulis dicendum est aliquid, quamvìs perexiguum. Exordior à primo.

Speculum primum est Mentis Divinæ: hoc primùm, quia ipsi Deo coæternum; est enim ipsius Essentia, in qua rerum omnium rationes continentur, sive factibilium, sive scibilium, secundùm formas intellectuales & esse repræsentativum, adeóque eminenter, ut Anselmus dixerit, *Res veriùs esse in Deo quàm in semetipsis:* & Augustinus lib. 5. super Gen. cap. 15. asserere non dubitaverit, sic *Singula propriis creata & disposita esse rationibus, ut in notitia facientis essent priusquam fierent; & ibi veriora, quia æterna & incommutabilia.* Quod quidem non ad exsistendi differentias rapiendum est, quasi uno modo in seipsis exsisterent, alio in Divini Consilii exemplari: sed nobiliori modo in suo Archetypo contineri, *non ratione ejus quod sunt, sed in quo sunt*, ut Bonaventura loquitur. *Est* enim *Deus*, ut Aquinas loquitur, *& principium factivum, & principium cognoscitivum rerum omnium:* ergò rationem sui operis apud se necesse est ut habeat. Unde fit, ut quæcunque potest, in ipsius dicantur esse Potentia; & quæcunque cognoscit, in ipsius Scientia; & quæcunque præscribit, in ipsius Beneplacito. Quod eleganter Boethius explicavit De Consol. lib. 3. — *tu cuncta superno Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse Mundum mente gerens.* Quocirca cùm singula in mente Creatoris ab æterno secundùm Exemplar præexsistant, atque ab Exemplaris participatione suos exsistendi modos postmodum habeant: idcirco necessarium est ut concedatur, Legem Moralem in Idea mentis Divinæ ab æterno exstitisse, atque ex profundissimo isto Sapientiæ pelago depromptam, quò possit hominibus esse regula vivendi perfectissima & optima. Hoc illud est quod de libro Præscientiæ Divinæ toties Scriptura inculcat, Psal. 56. 8. *Nonne in libro tuo omnia scripta sunt?* & Psal. 139. 15. *Non est occultatum corpus meum à te, quando factus fui in occulto, quando variis membris decoratus fui in inferioribus terræ: imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo universa scripta sunt.* Ex quibus utrisque hoc inprimis elicitur, Non solùm à Deo præcognosci omnia, sed prædisponi. Et proptereà hæc exquisitissima Exemplaria *libros* dici, in quibus omnia prout præordinata fuerint clarissimè emicant. Et Norma Salutis humanæ, velut eam Deus in Christo secundùm beneplacitum suum ordinavit; & Norma Creationis Universi, sicut eam Deus in principio & dierum & creaturarum distinctione disposuit; & Norma Justitiæ practicæ, velut eam postea in Scripturis Sacris declaravit. Atque hoc illud est quod Salomon, Proverb. 8. eleganter depinxit & pulchre, miróque Spiritûs artificio; *Sapientia clamat, & Prudentia dat vocem suam. Ad vos, O viri, clamito, & vox mea ad filios hominum. Audite, intelligite, animadvertite; quia justa & recta sunt eloquia oris mei. Timor Domini est odio habere malum. Per me Reges regnant,* & quæ sequuntur. Deinde ver. 22. *Dominus possedit me in principio viæ suæ, antequam quicquam faceret à principio; ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, nec fontes aquarum eruperant: ante montes, ante colles*

Aug. etiam in l. 83. Q. q. 46.
In Sent. l. 1. D. 36.
p. 1. q. 15. Art. 3.

colles formata sum, ante terram & flumina, & cardines Orbis: & tum sequitur, *Sapientia ædificavit domum suam, exscidit columnas septem. Principium Sapientiæ timor Domini. Nunc igitur, filii, obtemperate mihi: beati qui custodiunt vias meas: qui peccat contra me, spernit animam suam,* & ità deinceps. Quàm signanter hanc quæ præ manibus est disputationis partem Divini Spiritûs Concionator delineat, totius capitis tractus ostendit! Agnosco non deesse Interpretes, Veteres inprimis, qui omnia quæ hîc Sapientiæ tribuuntur, de Christo intelligenda existimant, etiam secundùm sensum historicum & literalem: sed Neotericorum plurimi, ut Cajetanus, Jansenius, Munsterus, loqui Salomonem (meâ quidem sententiâ rectiùs) arbitrantur de Sapientia in genere, ut & Deo competit, & ex Dei dono hominibus revelatur; adeóque nomine Sapientiæ cognitionem Divinæ Voluntatis accipiendam; quæ & in Idea mentis Divinæ fulgentissimè lucet, & nobis in Verbo plenissimè manifestatur. Ex duabus istis partibus Descriptio Salomonis contexitur.

Pars una Sapientiam increatam, juxta æternitatis rationem, depingit, in Archetypo Divinæ mentis radiantem, vers. 22. *Dominus possidebat me in initio viarum suarum, ante opera sua,* ante ullum tempus, hoc est, priusquam aliquid operatus fuisset quod ab hominibus vel videri vel cognosci potest; *ante seculum,* i. e. ante omne temporis momentum; *ante primordia terræ,* h. e. antequam moles illa quæ terram simul & aquam continebat, rebus omnibus fuit instar materiæ; etiam & ante omnem cœli ornatum, cùm adhuc cœlum & terra simul involvebantur, & quasi fermentabantur aquâ, cùm firmamentum nullum erat quod terram cingeret, suóque circulo velut Cingulo constringeret. Hæc omnia apertissimè demonstrant, de Sapientia increata sermonem haberi, quæ quatenus est in Deo & apud Deum, est ipse Deus. Et hæc Descriptionis pars prima.

Pars altera Sapientiam quidem eandem, sed propter modum manifestationis *creatam* appellandam, describit; prout domum sibi Deus ædificaverit septem columnis, i. e. multis validis affabréque factis columnis suffultam. Sive Domum Universi intelligamus, innumeris creaturarum ordinibus instructam: sive Ecclesiam, cœlestem illam Regiam, Prophetarum & Apostolorum doctrinâ ornatam: sive Animæ humanæ, donis variis & charismatibus expolitam. Hæc secunda est consideratio Divinæ Sapientiæ, quatenus hominibus revelata est, ut Medium beatitudinis, ut cognitionis Speculum, ut Regula pietatis. Ad hujus igitur studium omnes invitat & vocat; Pueros, quia Sapientiam præstat parvulis; Viros, quia Principes & Senatores, omnésque quotquot uspiam sunt homines, hinc habent quò & se & familias suas, & Respublicas & Regna feliciter administrent. Propter hoc ipsum hanc revelatam Sapientiam summis encomiis exornat, iisdem quibus S. David Legem Dei; quòd sit norma justa, certa, indubitata, recta, nihil aut obliquum aut tortuosum in se continens, auro purgatissimò argentóque lectissimo pretiosior, plurísque æstimanda.

Breviter, ut omnia hæc ad Causæ confirmationem revocentur, ad tria Corolloria rem totam deducam.

Primum est, In Idea mentis Divinæ Sapientiæ practicæ exemplar ab æterno exstitit, hominibus aliquando revelandæ. Ex istis verbis colligitur, vers. 23. *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret: quando præparabat cœlos, illic eram,* &c.

Secundum, Ex hoc ipsissimo exemplari, Justitiæ practicæ regula hominibus aliquando patefacienda simpliciter & integre est tandem patefacta. Ex istis verbis deducitur, *Sapientia ædificavit domum suam, exscidit columnas septem, apparavit mensam suam,* & quæ sequuntur.

Tertium, Hæc ipsissima Justitiæ practicæ regula, sic hominibus patefacta, & à perfectissimo Exemplari quasi transcripta, est Lex Moralis, digito Dei exarata, & Prophetarum Apostolorúmque scriptis illustrata. Ex priore parte capitis desumitur, vers. 1. *Sapientia clamat, & Intelligentia dat vocem suam*; hoc est, Sapientia prædicat, sive per Præconem enuntiat; hoc enim est κηρύσσω, quo verbo LXX utuntur: & vers. 2. *in summis excelsísque verticibus clamat*, quasi ipsa Suggesta indicans in quibus Prophetæ & Apostoli perorabant; vel Montem sanctum, ex quo Legem & Deus primitus tradidit, & Christus postmodum stabilivit. Denique & vers. 8, 13, 20. *In Justitia sunt omnia eloquia oris mei. Per semitas Justitiæ deduco. Timor Jehovæ est odio habere malum*, & quæ sequuntur. Ex istis tribus una Conclusio contexitur, Legem Moralem, cùm sit ipsissima illa Justitiæ practicæ regula, in Idea mentis Divinæ ab æterno exsistens, & postea ab hoc Exemplari perfectissimo excerpta & transfusa, nec debere, nec posse Evangelii interventu abrogari.

Ad hæc quid sunt Antinomi responsuri? An illud est, In mente Divina Legem Moralem non exstare, nec exstitisse? At hoc non possunt, quia huic dicto & Scripturæ authoritas, & Doctorum cujusvis Seculi consensus, & Rationis dictamen, & purioris etiam Philosophiæ regula refragatur. An illud est, Detergi & abradi posse è mente Divina Legem Moralem, quò minùs sit in posterum morum vitæque norma, quamvìs ità fuerit ab origine constituta? At hoc non audent: quia deleri quicquam posse de libro Divini Consilii impossibile est; &, nisi æs triplex circa pectus frontémque fuerit, nemo vel affirmabit, vel cogitabit. Fortasse illud est, In speculo mentis Divinæ Legem Ceremonialem ab æterno fuisse non minùs quàm Moralem: at evanuisse illam aliquando; posse igitur & hanc similiter. Esto, habere in se aliquid virium hæc postrema responsio videtur: sed effluit tamen si ad Veritatis examen revocetur. Nam revera, eminere in Idea mentis Divinæ quarumcunque rerum Exemplaria, sive in ordine Contingentium fuerint, sive Necessariorum, sive res transitoriæ, sive permanentes, certissimum est: sed & hoc adjiciendum, eminere illic omnia æterno modo ac fulgentissimo; sed tamen singula juxta proprias rationes, Contingentia quà contingentia, Necessaria quà necessaria, Temporaria ut temporaria, & Sempiterna ut sempiterna. Habuit igitur ab æterno & Lex Ceremonialis in mente Divina Exemplar suum, & Judicialis suum, & Moralis suum: sed non eodem modo singulæ, verùm juxta rationes proprias: Lex Ceremonialis & Judicialis, velut regulæ ad tempus aliquod; Moralis, ut regula ad finem usque mundi duratura. Hoc quomodo patebit? Facillimè, si inter se conferantur. Erat istarum unaquæque in genere suo regula perfectissima, unaquæque etiam in mente Divina: Ceremonialis, ut regula Justitiæ typicæ perfectissima, quæ ad Christum duceret, & in Christo cessaret; Judicialis, ut regula Justitiæ forensis vel civilis perfectissima, quæ Politiæ Judaicæ conveniret, & Politiâ solutâ non ligaret; Moralis, ut regula Justitiæ practicæ perfectissima, universo humano generi successivè & ordinatim dirigenda. Erant igitur singulæ ab æterno in Idea mentis Divinæ: sed non singulæ ad perpetuitatem eodem modo dispositæ; sed stationibus suis singulæ præsignatæ. Est enim Axioma firmissimum Scholasticorum, Quòd in Ideis Ideata non aliter quàm juxta formas proprias repræsentantur. Quæris igitur, in istis tribus quæ fuit cujusque forma aut ratio propria? Sublimia hæc sunt, & enodatu difficilia; sed dicam brevì, si potero. Legis Ceremonialis forma Typica erat, quæ soli Christo; Legis Judicialis forma Politica, quæ soli Sceptro Judaico; Legis Moralis forma Practica, quæ toti humano generi

neri inserviret. Ergò necesse erat ut adveniente Christo, Ceremonialis, & sublato Sceptro Judaico, Judicialis cessaret: Moralis autem non nisi sublato toto genere humano, quod revera est nunquam.

Hæ sunt illæ rationes formæque propriæ, secundum quas in æterna illa & sacrosancta mentis Divinæ Idea exstiterunt; atque secundum alias quàm proprias elucere illic nullatenus potuerunt; adeóque Conclusio certissima manet, Quòd Lex Moralis est ea sola pietatis norma quæ ab æterno fuit in Deo, & in mente Divina ab æterno latebat, & à Deo in tempore profecta est, pérque præcepta sanctissima in nos effusa, juxta illam ipsissimam rationem quâ in Exemplari suo fulgebat, ut esset ex æterno Autographo Chirographum perpetuum, morúmque humanorum regula sempiterna. Hæc ea sunt quæ de Legis Speculo primo dicenda habui, viz. de Speculo mentis Divinæ: quod primum erat ex quinque suprà numeratis. De quibus singulis promisi me quàm exiguum dicturum: sed nescio quî fit ut ad hanc molem Disputatio excresceret. Quocirca quatuor quæ supersunt Legis Specula ad novum intuitum sunt reservanda.

LECTIO XXVII.

Quòd ad quinque specula, pro clariori pleniorísque Moralis Legis intuitu, oculos animósque vestros haud ità pridem revocaverim, vix quenquam vestrûm esse existimo qui nesciat; atq; ausim dicere ea vobis adhuc non excidisse. Enimvero utcunq; de vitreis Speculis verissimum sit, quàm citissimè avolare atq; effluere quæcunq; in illis repræsentantur, dicente S. Jacobo, c.1. v.24. Inspicimus, recedimus, obliviscimur: at in his tamen Legis Divinæ speculis, quæ radios suos ad mentem usque trajiciunt, longè aliter se res habet; manet altâ mente repôstum quicquid nervosiùs dictum fuerit, útque est impressio fortior, ità & memoria tenacior. In promptu ratio est, quia in illis alteris figuræ tantùm rerum recipiuntur, ídque per species imaginarias umbrásque fugaces; in his Legis speculis res ipsa sese ingerit animo per species veras, æternas, mentíque gratissimas: in istis transversa sunt omnia quæ reflectuntur, sinistra dextra fiunt, dextra sinistra; ex his hauriuntur universa iisdem rectissimis lineis quibus traduntur, nisi aliquando fortasse quæ sinistrè dicta, ea dextra candor faciat, at quæ dextrè, sinistra nunquam: illa, quia vitrum est suâ naturâ pervium, neque ex se retinere potest quæ imprimuntur, imaginem nullam ostendunt nisi stanno illineantur; hæc cerebri humani stannum non sustinent, sed quantò puriùs integriúsque è Sacris fontibus hauriuntur, eò magis refulgent: illa denique objecti cujuscunque extimam tantummodo superficiem & ipsius solas anteriores partes conspiciendas exhibent, quæ intus aut retro sunt oculis non retribuunt; hæc Legis naturam & intrinsecam & extrinsecam, eámque omni ex parte, antrorsum & retrorsum, subjiciunt intuentibus; quemadmodum in tempore patefacta est, & ante tempora prædisposita, & post tempora mansura. Quocirca ad hæc nos alacriter Specula convertamus: & quoniam in singula aspectu primo introspicere temporis angustiæ non permiserunt, proferamus quæ supersunt reliqua; est enim singulorum color diversus, facies eadem.

A speculo in speculum est ordinis ratio promptissima, ut si quid in uno desideretur, in altero suppleatur. A Chalcidio, in Platonis Timæo, hoc olim didici, Quòd quamvis nos totos in uno eodémque speculo perlustrare non

non valeamus; at si duo sumantur, & alterum ante vultum, alterum à tergo ponatur, ità obliquatum ut à corpore non impediatur visûs, ità collocatum ut radius visualis in anteriori speculo facto angulo recurrat in posterius, tunc quidem in ambobus nos totos, πρόσω καὶ ὀπίσω, facillimè conspicimus. Idem & mihi faciendū est, nè æternitatis Legis pars aliqua non visa prætereat: ut quia æternitatem ejus in anteriori tantùm parte hactenus in primo speculo contemplati sumus, prout exstiterit ante tempora; idcirco nunc alterum speculum, & deinde alterum, & adhuc alterum, usque ad quintum, in manus arripiendum est, quò eandem per omnia temporum secula, ad eam quæ post tempora in cœlis habetur perennitatem deferamus.

Speculum primum est Idea mentis Divinæ, de qua copiosiùs accepistis, Quòd in Archetypo Divinæ mentis justitiæ Practicæ regula ab æterno latebat, hominibus aliquando revelanda; Quòd Lex Moralis est ea ipsissima justitiæ Practicæ regula, à Divino Exemplari quasi transcripta, & hominibus revelata; Quòd jam revelata, pro perpetua & non abroganda pietatis regula habenda est in Chirographo, quia juxta hanc ipsam, non aliam, rationem aut formam fulgebat æternitas in Prototypo. Supersunt quatuor reliqua Specula: & illud Humanæ mentis Speculum, in principio temporis; & alterum Duarum Tabularum, in profectu temporis; & quartum Evangelii, in restitutione temporis; & quintum Gloriæ, in quo splendescet Lex eadem post effluxa tempora. De singulis seorsim & distinctè agendum est: non quicquid dici potest, sed quòd magìs causæ convenit; ut Disputantis partes præstare possim, non Tractatoris; singula non tam in Locos communes, quàm topicos redigendo. Quapropter de quatuor istis Speculis quatuor constituo Propositiones.

Prima est de Speculo Humanæ mentis, in principio temporis, & sic se habet; Ea ipsa justitiæ Practicæ regula quæ ab æterno præexsistebat in Idea mentis Divinæ, pro receptivitatis modulo postmodum incisa est atque insculpta in tabella pectoris humani, ubi jam permanebat in Statu Innocentiæ perfectè; atque secundum reliquias aliquas etiam adhuc manet in statu lapsûs confusè & imperfectè. Propositionis duæ sunt partes sigillatim inspiciendæ: Quòd Lex Moralis perfectè insculpta est in Statu integro; Quòd mansit manétque secundum imperfecta vestigia in Statu corrupto. De Statu integro inprimis videndum est: éstque Doctorum omnium sententia receptissima, Accepisse Adamum in principio creationis suæ omnium rerum Naturalium scientiam, quâ omnium animantium naturas perspectas habuit; item omnem scientiam Moralem, quâ cognosceret quid deberet superiori, quid æquali, quid inferiori, & omnino quid agendum, quídve fugiendum erat; deniq; & scientiam Supernaturalem eximiam, quâ & finem supernaturalē cognovit, & media etiam quæ ad istum finem consequendū sunt ordinata. Ratio redditur à Th. Aquin. p.1. Qu.94. Art.3. *Quia factus est primus homo, non modò ut principium, sed ut princeps & magister cæterorum hominum: principium per generationem, magister per gubernationem & disciplinam.* Oportuit igitur, ut quemadmodum creatus est in statu perfecto quoad corpus, quò posset statim generare: ità etiam crearetur in statu perfecto quoad animam, quò posset statim alios instituere & gubernare. Ergò habuit omnem scientiam, in quibus vel ipse vel alii essent instituendi: nimirum & Dei & voluntatis ejus perfectissimam cognitionem; & rerum omnium, tum Divinarum tum humanarum, quæ tam ad præsentem vitam bene beatéque vivendam, quàm ad alteram consequendam, & ad Deum rectè colendum, pertinuerunt. Quòd si quis de receptionis Modo quærat, aut de notionum receptarum Ordine Numeróque, an signanter & in specie hoc sciverit, quòd

decem

decem ſunt juſtitiæ Practicæ Capita, ad quæ reliqua omnia officia revocantur, eóque ordine reſpicienda quo in Decalogo continentur; non meum eſt iſta perſcrutari, quæ & exploratu neceſſaria non ſunt, & vix aut nè vix inventu poſſibilia. De receptionis Modo Scholaſtici diſputant, atque prudenter definiunt, ſupradictam ſcientiam accepiſſe quidem Adamum, ſed non per Species acquiſitas; hujuſmodi enim notitiam Experientia generat, quam homo in inſtanti Creationis habere non potuit: neque per Species connaturales; quia modus ille cognoſcendi proprius eſt Angelicæ naturæ, cùm è diverſo anima humana (quæ in primo homine ejuſdem erat naturæ cum noſtra) per ſe ſit velut *tabula raſa*, aut nuda, ut Philoſophus loquitur. Ergò per Species à Deo inditas & infuſas in ipſa ejus creatione; h.e. per Species magìs innatas & ingenitas, quàm connatas & congenitas. Vel, ſi poſterior loquendi formula magìs placeat, connatæ quidem dici poſſunt, non connaturales, ſed infuſæ & inſeminatæ: non poſt ipſum opus creationis, ut Alenſis, Bonaventura, Scotus, Marſilius, Altiſiodorenſis; ſed in ipſo creationis articulo. Ut verbo dicam, hic erat abſque omni controverſia receptionis Modus. Sic de Modo conſtat. Pariter & de Ordine non eſt quæſtio explicatu difficilis: nam & hoc neceſſariò præſupponendum eſt, Satis Adamo perſpectum fuiſſe, quòd officiis quæ ad Deum pertinent primus & præcipuus locus tribuendus erat; ſecundus iis quæ ad proximum: hæc enim eſt via juſtitiæ, ordiníſque ratio perfectiſſima, ex lumine naturali cuilibet ſine magiſtro manifeſta, ut noſtris uſibus cultus Divinus præferatur, & primas teneat tam naturæ quàm artis, & in Theoria & in Praxi. At verò de Numero Scholaſtici, quamvìs ſolent ut plurimùm rimas omnes exquirere, tacent prorſus, & intentatum, imò innominatum, relinquunt. Neque hoc inconſultè aut temere. Etenim quid prodeſt ſcire an ipſius Decalogi expreſſa notio ſub decem Verborum ratione Adami fuerit menti impreſſa? nam ante Legem ſcriptam de decem Verbis nihil audimus; & Decalogi nomen nuperum eſt, cùm Clem. Alexandr. primus, quod ſciam, compoſito nomine vocaverit τὸ δεκάλογον, l.3. *Pædagog.* utitur enim genere fœmineo, τὴν δεκάλογον, paſſim in ſcriptis ſuis; ſicut & 6. Stromatum, mundi creationem τὴν φυσικὴν δεκάλογον vocat: & ſimiliter Greg. Nazian. qui Or.40. Dilectionem τὴν νέαν δεκάλογον vocat. De novo nuperque compoſito vocabulo, de Numero non ante Legem ſcriptam cognito, cur ſumus anxii? Quòd ſi quis ultrà exquirere placeat, hâc disjunctione ſatisfieri poſſe puto. Aut decem illa Capita præcisè cognovit Adamus, aut plura, aut pauciora: at horum neutrum. Non plura; quia caput agendorum undecimum non poteſt dari: Non pauciora; quia ſequeretur cognitionem voluntatis Divinæ imperfectam habuiſſe, ſi aliquod iſtorum, vel ſecundum, vel quartum, vel etiam decimum, neſciviſſet. Ergò ipſa illa decem Capita præcisè novit, nec plura, nec pauciora. Utcunque non ſumus nos adeò curioſi in hac prima Republica, cùm vel hoc unum huic ſpeculationi ſufficiat, Cognoviſſe Adamum, in Charitate omnia præcepta ſummatim comprehendi; & ex duobus Dilectionis mandatis pendere officia reliqua univerſa. Sufficit, quòd omnia generalia omniáque particularia officia noverit, ſive ſub incerto numero, vel etiam certo. Sufficit, quòd ad ſtatum ſuum perfectiſſimum perfectiſſimâ cognitione ornatus fuerit, quam ad tria Capita ex Magiſtro Scholaſtici, & Magiſter ex Hugone reducit, l. 1. de Sacram. par. 6. c. 12. *Triplici*, inquit, *cognitione primus homo eruditus fuit: Cognitione creatoris ſui, à quo factus erat; & Cognitione rerum viſibilium, quæ ſecum facta erant; & Cognitione ſui, ad quid factus erat, & quid ſibi faciendum erat.* Cognovit igitur & debitum Obedientiæ ſuæ erga ſuperiorem, & debitum

Providentiæ ſuæ erga ſeipſum, & debitum Dilectionis erga inferiorem; h. e. & debitum ſupra ſe, & in ſe, & ſub ſe; & qualiter incedere deberet, & quid agere, & quid cavere. Hæc ipſius erat cognitio, hæc illa fax ſacra Sapientiæ, tum Speculativæ tum Practicæ, quâ illius mentem Deus accendit, ut poſſit & Deum, & Voluntatem Dei, & Opera Dei rectiſſimè cognoſcere. Atque huic aſſertioni Scriptura ipſa aſtipulatur, idque tribus locis. Locus primus eſt Poſitivus atque aſſertorius, Eccleſ. 7.29. *Solummodo hoc inveni, quòd fecerit Deus hominem rectum*, i. e. *bonum, & nullo modo depravatum*, ut l. 1. con. Jovinianum Hieronymus interpretatur. Atque eodem modo Auguſtinus, quantumvis l. 14. Civ. c. 11. ad voluntatem ſolam hanc Rectitudinem videatur referre, ut *rectum* idem ſit quod *juſtum, bonum, mundum*: at verò, l. de Correp. & Gratia c. 10, & 11. ad totum hominis hanc Rectitudinem extendit. *Certè*, inquit, *ſine ullo vitio factus eſt homo rectus*; i. e. totus rectus, rectus corpore, animâ, ſpiritu, quæ eſt hominis partitio juxta S. Paulum. Cùm neque corpus reſiſtebat animæ, nec anima ſpiritui, nec ſpiritus Deo: ſed ſpiritus, i.e. ſuperior pars animæ, ſubdebatur Deo; & anima, i.e. pars ſenſitiva, ſpiritui; & corpus ejúſque omnia animæ. Sic ubique Rectitudo fulgebat, in menſura corporis, in harmonia affectuum, in obſequio voluntatis, in illuſtratione intellectûs: adeóque ex ſe mutuò hæc ſingula dependent, & in primam Propoſitionis partem recurrunt; Ex eo quòd rectus eſt factus, fuiſſe ei & Legis cognitionem rectam, & judicium rectum, & voluntatem rectam, & affectus rectos: quoniam nemo rectus eſt dicendus, niſi qui habeat affectus rectitudinis practicæ in omnibus ſequaces; affectus autem non poſſunt rectè ſequi, niſi voluntas rectè obſequatur; & voluntas non poteſt rectè obſequi, niſi ratio rectè præſcribat; & ratio non poteſt rectè præſcribere, niſi intellectus cognitione voluntatis Divinæ rectè & plenè illuſtratus ſit; & cognitio recta plenáque Divinæ voluntatis non poteſt haberi, niſi Legis Moralis recta & diſtincta ſcientia habeatur. At *Deus*, inquit Salomon, *fecit hominem rectum*, i. e. per omnia rectum; nam rectum non eſt quod vel in tantillo claudicat, aut in obliquum vergit. Hic locus primus.

Locus ſecundus eſt Conſequentialis ſive illativus, implicatior quidem, ſed ſatìs apertus. Habetur Eph. 4.24. *Induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in Juſtitia & Sanctitate.* De ſecunda Creatione in Chriſto Apoſtolus loquitur; veruntamen ego vix quenquam vidi Interpretem qui diffiteatur verbum hoc, *Qui creatus eſt in Juſtitia & Sanctitate*, ad primam etiam Creationem, velut ex præconceſſo, referri. Nam fundamentum ſimilitudinis à prima Creatione deſumitur, quia *expoſuit Apoſtolus*, inquit Primaſius, *quid ſit hominem ad imaginem Dei eſſe creatum, ut ſit ſcil. juſtus & ſanctus ſicut Deus.* Ergò apertè alludit ad primam hominis creationem, cujus puritas in Adamo amiſſa, reſtituta eſt in Chriſto, qui juſtos nos & ſanctos per Spiritum ſuum exhibet, ſicut Adamus primitus verè juſtus & ſanctus eſt factus. Utrumque iſtorum ex Apoſtoli verbis elicitur, & ad Juſtiſtitiam & Sanctitatem nos Chriſtum reſtituiſſe, & in Juſtitia atque Sanctitate Adamum creatum fuiſſe. Ad hoc autem explicandum duobus utitur vocabulis, *Juſtitiæ & Sanctitatis*: prorſus quaſi plenam Legis Moralis cognitionem Adamum habuiſſe indicare vellet Apoſtolus. Nam vox ὁσιότης ad primam Tabulam refertur ab Interpretibus, vox δικαιοσύνης ad ſecundam: in prima enim mandata præſcribuntur Sanctitatis & Pietatis erga Deum; in ſecunda, præcepta Juſtitiæ erga proximum. Ut exinde hæc duo addiſcamus: Primò, Utriuſque ornamenti characterem Protoplaſtum corde ſuo circumgeſtaſſe; quia & in Sanctitate creatus, quâ Deum piè colere; & in

in Justitia, quâ se rectè erga proximum gerere posset. Deinde, hoc posito, quòd Sanctitatem & Justitiam pectore circumgestaverit, necessariò sequitur, quòd utrasque Legis Tabulas animo gesserit; quarum primæ effigies compendiúmq; Sanctitas, Justitia secundæ. Hæc de loco Scripturæ secundo.

Locus tertius est in se quidem literalis, sed quod ad præsens negotium spectat Mysticus & Sacramentalis, Gen. 2. 16. *Præcepitque Deus homini dicendo, Ex omni ligno Paradisi comedes; de ligno autem Scientiæ boni & mali non comedes: in quocunque enim die comederis ex eo, moriendo morieris.* Hæc verba fronte primâ particularis præcepti rationem præ se ferre videntur, de ligno Scientiæ boni & mali non comedendo; verum typicè & Sacramentaliter totius Decalogi figuram fuisse ex Patribus non pauci docent. Inprimis Tertull. con. Judæos, c. 2. *In hac,* inquit, *lege Adæ data, omnia præcepta condita recognoscimus, quæ postea pullulaverunt, data per Mosen; i. e. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum sicut teipsum, &, Non occides, &, Non mæchaberis, & reliqua. Primordialis enim est hæc Lex, & quasi matrix omnium præceptorum Dei. Imò adhuc in ipsius,* inquit, *transgressione erat transgressio omnium; & furtum erat rei vetitæ; & fides adhibita mentienti Diabolo; & in se atque posteros homicidium commissum; & parentis summi qui eum de limo terræ, quasi de utero matris, figuraverat, contemptus; & fructûs non sui concupiscentia; adeóque nec dilectio Dei, nec etiam proximi. Hæc omnia, quia in hac generali & primordiali Dei Lege, quam in arboris fructu observari Deus sanxerat, omnia præcepta Legis posterioris specialiter indita fuisse cognoscimus, quæ suis temporibus edita germinaverunt.* Hæc Tertullianus. Post Tertullianum Cyrillus Alexandr. l. 3. con. Julianum, non quidem *vehiculum totius Legis Moralis*, ut Tertullianus, sed *Sacramentum* tamen *totius* hanc Legem fuisse affirmat. *Dispensatio,* inquit, *erat prudentissima & solertissima Dei facientis nè sui oblivisci possent. Oportebat enim lignum illud videntes ad recordationem Legis semper vocari, & videre præcipientis excellentiam, & non ignorare ejus Legislatorem ac Dominum.* Hæc Cyrillus. Postremò & post Cyrillum Rupertus, l. 2. de Trin. c. 31. non modò omnium mandatorum Legis Obedientiam exegisse Deum, iis verbis, à primo homine asserit, sed Fidem etiam, & Spem, & Charitatem, quarum virtutum cultu & exercitatione Summa totius humanæ perfectionis continetur. *Tria,* inquit, *imperavit Majestas Divina; Ex omni ligno comede; De hoc non comedes; Quandocunque comederis morieris: His tribus Propositionibus tres ab homine virtutes exigens, Charitatem, Spem, Fidem; quas nunc reciprocato ordine à nobis exigit, Fidem, Spem, Charitatem. Nam quòd hominem gratìs fecit, & in illo voluptatis loco posuit, & ex omni ligno comedere permisit, planè debitorem magnæ Charitatis effecit. Item dicendo, De Ligno hoc nè comedes, Spem insignem habendam ostendit, quòd is qui gratìs hæc contulerat, custodienti præceptum meliorem Paradisum aliquando conferre vellet. Denique, in comminatione illa, Si comederis, morieris, Fidem habendam Deo ostendit, quòd non invidendo homini hoc interdixisset, sed pœnam prævaricationis prænuntiasset.* Hæc Rupertus.

Ad hæc quid nobis dicendum est? Revera non ausim eò usque progredi ut dicam, vel cum Ruperto, *trium Theologicarum virtutum*, aut cum Tertulliano, *omnium Legis præceptorum Summam* in unico illo præcepto fuisse comprehensam: at *Sacramentum fuisse*, cum Cyrillo, *totius Legis*, in pectore proto-parentis jam scriptæ, observandæ. Hoc ausim dicere, quia res ipsa loquitur, & argumentis plùs quàm Dialecticis evincitur, nè dicam Herculeis. Argumenta duo sunt, à Materia objectiva & Fine ipsius præcepti trahenda.

Primum à Materia objectiva præcepti ducitur, sive à nomine Arboris non comedendæ. Nomen erat, *Arbor Scientiæ boni & mali.* Quæro, Quæ ratio nominis? Annon hæc erat, ut esset totius Legis custodiendæ typus & symbolum: cùm hoc sit Legis proprium, bona docere, & mala indicare? Non sum nescius quòd à S. Augustino ratio diversa adducitur; *Arborem Scientiæ boni & mali dictam esse à futuro eventu, quia comedendo sciebant, bonum iis fuisse si obtemperassent Deo; hoc malum, quòd non obtemperaverint.* Estque ratio vera quidem, sed non prima aut præcipua; quia hoc nomine Arbor gaudebat, & hoc nomine dignoscenda erat, antequam ex ea ederetur, imò antequam Lex fieret; dixit enim Adamo Deus, tanquam de re cognita, *De Arbore Scientiæ boni & mali non comedes:* ergò non ab Eventu solo Arbor dicta est, sed à Munere & Officio, quia ad hoc munus Arbor est destinata, ut esset velut regula docendi quid bonum, quid malum coram Deo; non quidem per se, sed quatenus vetitus erat ipsius esus. Quapropter à Notatione nominis ratio sequitur, ut si boni & mali typus indexque Arbor fuerit, fuisse etiam totius Legis in ipsius pectore exaratæ typum symbolúmque: quia mali fuga boníque prosecutio est Summa Legis.

Secundum argumentum à Fine Interdicti desumitur. Finis autem erat, ut Adamus intelligeret, se non ejusmodi principem ac dominum in terris fore, qui non haberet simpliciter supra se Dominum cui esset obtemperandum: nam supra se Creatorem suum esse, cujus voluntas est regula Justitiæ, cui conformanda essent sua omnia consilia, cogitationes, dicta, facta; in quem solum intuendum, credendum, sperandum, quia ipse solus timendus, amandus, glorificandus. Hic, inquam, Finis præcepti, ut Adamus disceret, in Dei voluntatem, quæ in arbore relucebat, intuendum ipsi esse, & ex voluntate Dei totam vitam esse instituendam, déque rebus omnibus judicandum. Ergò duplex fuit istius præcepti ad Legem Moralem respectus. Respectus primus est Analogicus, quia erat totius Legis mensura, utpote prima Dei Lex, unde omnes reliquæ pendent, adeóque vera regula cognoscendi quid bonum, quid malum coram Deo. Non quasi Arbor ipsa per se sola hoc faceret, sed cum præcepto Dei conjuncta. Quid enim bonum est? Quod Deo placet; Quid malum? Quod Deo displicet: Justum quid? Quod Deus vult; Injustum? Quod Deus vetat. Hæc Legis anima, hæc Definitio boni & mali. Hoc autem nullibi cognosci meliùs poterat quàm ex illa Arbore, de qua & edere malum, & non edere bonum, quia Deus interdixit. Adeóque uterque Dei cultus, & Externus & Internus, hîc mihi primùm institutus fuisse videtur. Externus erat abstinentia ab esu ipsius Arboris, debitáque erga illam tanquam indicem Divinæ voluntatis reverentia atque religio. Internus erat obedientia, honor, reverentia, amor, fiducia, quibus ab homine Deus affici voluit in illa Arbore. Secundus Respectus erat Symbolicus, quia signum erat, aut pignus, aut symbolum voluntatis Divinæ. Propter hoc ipsum Greg. Naz. Or. 38. quæ est in Christi Nativitatem, τὸ φυτὸν τῆς θεωρίας appellat, *Contemplationis arborem:* & Orat. 40. quæ est in Sanctum Baptisma, *præceptum arboris vetitæ,* τὸ φῶς πρωτόγονον, *primigenium Lumen ipsius naturæ:* & Or. 42. quæ est in Pascha, τὴν ἐντολὴν ἡμῖν ὁμόχρονον, *mandatum nobis connaturale.* Propter hoc ipsum posita est in medio Paradisi, ut esset quasi Doctor mutus, aut visibilis regula, quæ suâ specie & formâ, tanquam Hieroglyphicum quoddam, moneret Adamum, ut & Dei & suiipsius meminisse posset; Dei tanquam Creatoris, suiipsius tanquam alumni Dei, cui totum quod habebat ferebat acceptum. At verò in istis duobus, Cognitione Dei & Hominis, totam consistere Theologiam quis nescit?

Quòd si quis adhuc dubitaverit, respondeat paucis; Arbor illa suítne arbor

arbor Sacramentalis, an non? Fuit certè, Deo sic instituente. Si fuerit, dic, Cujus rei Sacramentum? Cujus, nisi istius quod nominis impositio loquebatur, boni peragendi malíque vitandi? Quòd si boni peragendi malíque vitandi Sacramentum fuerit, fuit igitur & Legis Moralis custodiendæ Sacramentum: quia in istos boni malíque cardines tota Lex vertitur. Denique, si Legis Moralis Sacramentum fuerit, dic, Ubi Lex ista residebat? In chartis aliquibus aut membranis? Nullæ erant: In Tabulis? Fortasse nondum sunt excisæ: In libro aut volumine aliquo? Liber nullus exstabat. Ergò aut in Adami pectore scripta Lex residebat, aut nullibi. Tabulas alias non novit, neque librum alium, neque membranam aliam, nisi & pectoris illam, ubi graphicè, & Arboris hanc, ubi typicè residebat. Sic ex supradictis sequitur, Quòd si utraque species cultûs, interna & externa, & utrumque cognitionis caput, Dei & Hominis, & utrumque objectum Justitiæ Practicæ, de malo fugiendo & bono eligendo, in hoc unico & primo interdicto emicuerit; utrinque, inquam, sequitur, non modò Legem Moralem in Adami mente primitus insculptam fuisse, sed & insuper ut custodiendam declaratam; idque expresso hoc Dei præcepto, in quo summatim & symbolicè tota ejus voluntas comprehendebatur. Et de prima Propositionis parte hæc dixisse sufficiat, Quòd ea ipsa Justitiæ Practicæ regula quæ ab æterno in Idea mentis Divinæ fulgebat, homini patefacienda, in principio creationis impressa est in brevissima humani pectoris tabella, ibíque mansit integra in statu integro.

Equidem satis esset in re tam perspicua, unanimi consensu authorum suffragante, id digito indicasse: at nos hoc tribus insuper Scripturæ locis, nê quod satis est non sufficeret, confirmatum dedimus, Prophetico, Apostolico, Historico; Salomonis, Pauli, Mosis: quorum ille creatum Adamum *rectum*, hic *justum & sanctum* affirmat, idque potissimùm propter Legem *justam, sanctam, rectam*, ipsius pectori infixam; tertius in ligno Scientiæ boni & mali Legis infixæ *μνημονικὸν* habuisse demonstrat, nè deesset oculo quod infixum est animo. Atque hæc omnia quò tendant in posterum videbimus. Nunc progrediendum est à Statu integro ad Statum corruptum: hæc enim est pars Propositionis altera; Quòd secundùm vestigia & reliquias aliquas, etiam in Statu lapsûs, Lex eadem adhuc manet, in eadem cordis tabella, quamvis confusè & imperfectè.

Sed prudentis non est, tam exiguæ temporis portiunculæ quæ jam superest, si quæ omnino sit, tam obscuræ perplexæque speculationis definitionem committere; præsertim cùm calamo lingua non respondeat: charta enim adhuc protenditur, vox deficit; præ raucedine hac insolita, & vobis parùm grata, & mihi longè molestissima, & ad disputandum paratiori quàm ad loquendum. Quocirca quamvis apparatus sit in procinctu, & ad manum promptissima omnia quæ de Legis Naturalis & Moralis amplexu dicenda sunt; at mallem tamen tempori deesse quàm causæ; nê linealis & interminabilis Legis processus, qui per omnium ætatum intervalla ducendus est, festinatione nimiâ, luce vix conspectâ abortiat.

LECTIO XXVIII.

De Legis Moralis in Adami pectore sculptura prima, superiori, si meministis, die disputavimus, ad reliqua quæ de ejus Perennitate dicenda sunt aditum novum hodie facturi: sed vereor nè in ipso limine, quod Cleombroto contigisse dicitur, id me facturum aliquis suspicetur. Ille, ut Cicero refert, cùm Platonis de Immortalitate librum legeret, mortem sibi acceleravit, mortalitatis exitum sentiens ab immortalitatis studio profluentem. Similiter & nos, non nemo est vestrûm qui dicat, in Legis mortalitatem & abolitionem imprudenter dilapsos, temeréque impegisse, dum æternitatem ejus ab Adami exemplo probare instituimus: cùm eodem die, juxta nonnullorum Patrum veríque simillimam sententiam, eodem, inquam, die, quo plasmatoris manu Lex est Adami pectori insculpta, etiam & peccati proprii spongiâ deleta sit, ut in ea vix quisquam posset Aristotelis ἐφήμερον, aut Diogenis ἡμερόβιον, nedum immortalitatis aut æternitatis vestigia discernere. De Carthagine T. Livius dixit, *Unam solummodo noctem interfuisse inter aliquam civitatem & nullam.* Hîc vero nè tantillum quidem: non dies una, non nox una intervenit inter sanctissimam Legem & nullam. Sed quod postea lapideis Tabulis accidit, quæ fractæ priùs quàm lectæ; idem in tabella pectoris omine quodam præcursorio antecessit: disparuit Lex menti insita penè priusquam apparuisset; expunctæ sunt lineæ, characteres obliterati, in cæcitatem summam summa Legis scientia conversa est. Post hæc, quis audet Legem immutabilem asserere? Per omnium ætatum decursus quis potest eam ad non finiendam perennitatem perducere? Verùm ista me non movent, neque exinde quicquam video evenire cur Legis patrocinio diffiderem. Occurrit enim mihi in mentem, quod nugigerulis quibusdam, Legem quòd fœminei generis esset vellicantibus, S. Augustinus respondit, *Nolite*, inquit, *attendere*, *quia Lex in Latina lingua fœminei generis est*, *in Græca masculini: sed sive sit masculini in loquendo*, *sive fœminini*, *non præscribit veritati locutio*; *Lex enim verè masculinam vim habet*, *quia regit*, *non regitur:* idem mihi liceat in me responsum recipere, vósque obtestari enixè, nè hoc vos colore eludi patiamini, quòd eodem die quo Lex Adami pectori infixa est, eodem evanuerit. Nam sive uno, sive octo, sive quadraginta diebus Innocentiæ statu fruebatur, ut multiplex est Doctorum conjectura, non Legis præscribunt Perpetuitati temporum intervalla, quia Lex interitum non novit; sed quæ à perfectione sua cecidit primitiva per lapsum, eadem in vestigiis aliquibus etiam post lapsum servata est. Atque hæc est Propositionis pars secunda, quæ nuperrimæ vestræ attentioni est concredita, Quòd in statu lapsûs, secundum reliquias aliquas, Lex Naturalis, adeóque & Moralis, adhuc manet, sempérque mansit, in humani pectoris scrinio perpetuanda. Quòd in Archetypo Divinæ mentis ab æterno fulgebat hæc Practicæ Justitiæ regula, uberrimè est demonstratum, neque opus est ea altiùs repetere. Nam præter Scripturas & Argumentorum momenta, etiam Proportionis ratio hoc suadet, Quòd sicut in quolibet Artifice, ratio eorum præexsistit quæ arte sunt peragenda; & in Rectore quovis aut gubernatore oportet quòd præexsistat ratio ordinis eorum quæ ab iis qui Ditioni ejus subjacent præstanda sunt; & ratio rerum artefactarum *Exemplar*, ratio regiminis aut politias *Lex* appellatur: pariter & in Deo, quia rerum universarum conditor est & gubernator, sequitur, ut &

in Psal. 59.

forma

forma Divinæ Sapientiæ per quam cuncta sunt condita, habeat rationem Ideæ vel Exemplaris, & forma ejusdem Sapientiæ per quam cuncta gubernantur, obtineat rationem Legis; quam Legem æternam cùm nemo mortalium in Deo cognoscere possit, aut in fulgentissimo suo Exemplari evolvere, placuit indulgentissimo Patri, in Adami pectoris codicillo eam calamo plusquam cœlesti perfectè, pro receptivitatis modulo, inscribere; ut quæ in se inscrutabilis esset, in irradiatione sua cognosceretur. Hæc omnia fusiùs à nobis excogitata sunt: præterea & de præceptorum Numero nonnihil diximus, Quòd omnia Moralia præcepta Lex Primordialis in se continebat; nec non de Præceptorum Ordine, Decalogo ipsi quàm maximè congruo; denique de Modo, & quo in Adami pectore graphicè est impressa, & quo in Arbore Scientiæ boni & mali typicè est promulgata: quòd illic reapse posita, non per Species acquisitas, nec per Species connaturales, sed per Species infusas, eam ut Adamus cognosceret; hîc non reapse posita, at Symbolicè quasi depicta, ut esset doctor mutus, & visibile mnemonicon, quo eam custodiendam Adamus meminisse posset. Sic se res habuit ante Lapsum. At ex lapsu misera conditio tabellæ secuta est, codex interlitus, paginæ laceratæ, derasæ literæ; spoliatus est Adamus gratuitis, vulneratus in naturalibus; detracta sunt gratuita, corrupta naturalia; *agendorum ignorantia invaluit, & noxiorum concupiscentia*, ut August. loquitur. Verbo, quatuor magnis Vulneribus totus homo perfossus: in Capite, h.e. in Intellectu, vulnus est conspicuum Ignorantiæ, tum privativæ tum positivæ; in Corde, h. e. in Voluntate, vulnus Malitiæ; in Pede dextro, sive Appetitu Concupiscibili, vulnus inordinatæ Concupiscentiæ ad expetendum; in Pede sinistro, sive Irascibili, vulnus Infirmitatis, sive impotentiæ ad agendum. Heu quanta conversio rerum! quàm repentina mutatio! Intellectus destitutus suo ordine ad verum, per vulnus Ignorantiæ; Voluntas suo ordine ad bonum, per vulnus Malitiæ; Appetitus Concupiscibilis suo ordine ad desiderabile, per vulnus Concupiscentiæ; Appetitus Irascibilis suo ordine ad arduum, per vulnus Impotentiæ. Et post hæc tot tantáque vulnera, quis nunc crederet vel tantillum Legis pectori insitæ superfuisse?

Propterea huic nunc negotio est prospiciendum, & ostendendum (nam hæc fuit Propositionis pars secunda) Quòd in Adamo ejúsque posteris, post magnum hoc Rationis deliquium, mansit, manétque eadem Lex Moralis secundum aliqua ejus non contemnenda vestigia: confusa quidem illa & imperfecta, ut hominem ad rectæ vitæ normam non possint sufficienter, nè dicam mediocriter, instituere; sed eò usque cognitu facilia, ut omnes fateri cogantur, Legem penitus non excidisse, sed juxta hæc semina quæ Legis Naturalis reliquiæ vocantur, & ante & post Legem scriptam, & olim & semper permanere. Ad cujus Demonstrationem Tria sunt nobis discutienda.

Quid sit hæc Lex Naturalis quæ secundum vestigia servatur.

Quæ sunt ipsius Vestigia aut reliquiæ quas nunc superesse affirmamus.

Quomodo hæc Vestigia quæ supersunt ad Perpetuitatem Legis Moralis statuendam conducunt. De his ordine est dicendum.

Disquisitionis pars prima hæc est, Quæ sit illa Lex Naturæ quæ secundum vestigia servatur; Quæ nominis ratio; Quæ significationis proprietas. Et satis hæc sunt manifesta, atque unanimiter à Doctoribus tradita: nisi quòd inter Theologos & Jurisperitos aliqua reperiatur sententiarum distantia. Nam Jurisperiti respiciunt naturam omnibus animalibus communem; ut Jus Naturale sit, Quod Natura omnia animalia docuit, non minùs quàm homines; velut Seipsum adversus vim atque injuriam tueri, Suum genus provehere procreatione prolis: hoc enim est commune omnibus animan-

animantibus, illud omnibus rebus, etiam arboribus & plantis. Theologi & Canonistæ contrà, naturam respiciunt non omnibus animalibus communem, sed omnibus hominibus propriam; adeóque consultiùs multò ad naturam humanam restringunt; ut Jus Naturale sit naturale nostræ Rationis judicium, seu dictamen, quo per lumen nobis ab æterna Lege, etiam post peccatum, impressum & inditum, evidenter cognoscimus nonnulla esse facienda, quæ naturæ sunt consentanea; & nonnulla vitanda, quæ turpia & naturæ repugnantia. Cujusmodi sunt hæc Rationis dictamina; Deum esse, & Esse colendum; Bonum faciendum esse, Malum fugiendum; &, Quod quis vult ab aliis fieri, illud & ipsum debere aliis facere; unà cum Conclusionibus quæ ex istis primis Principiis deducuntur. Hæc Legis Naturalis exquisita & propria est consideratio. Illa Jurisperitorum incautior multò & laxior quàm quæ huic speculationi respondeat. Atque mirari satis non possum quid iis in mentem venerit quòd sic definirent. Nam primò, Definitio illa ea tantùm complectitur quæ nobis cum pecudibus sunt communia; ut est Sobolis procreatio, Violentiæ per vim repulsio: alia autem quæ maximè sunt Juris Naturalis non complectitur; ut, Deum esse, & Colendum esse, & Parentibus obtemperandum esse, quæ natura cætera animantia non docuit, illi tamen definiunt, *quod natura omnia animantia docuit*. Secundò, Definitio illa non ducit ad custodiam, sed magìs ad transgressionem Legis Moralis. Et principium illud, De sobole procreanda, prout est in brutis, non ad castitatem ducit, sed adulteria: & principium alterum, De vi repellenda, prout est in brutis, non ad vitam proximi universaliter tuendam ducit, sed magìs ad homicidium: & illi tamen definiunt, *Lex Naturalis est quam natura omnia animalia communiter docuit*. Tertiò, Definitio illa non modò non directè, sed nec obliquè ad Legem Moralem respicit, nullum omnino respectum habet ad bonum & malum, æquum & iniquum, virtutem & vitium, quorum omnium sola creatura rationalis capax est, cætera animalia non item. Agnosco quòd, fusiore loquendi modo, Lex Naturalis extendit se ad omnia animalia, etiam ad omnes res creatas: sed non potest dici *lex*, nisi per similitudinem: & si *Lex Cynosura mundi*, ut Lactantius loquitur, dicenda est Lex potiùs Universi, quàm Naturæ lex, cujus eminentiæ & splendidissimi radii in homine solo fulgent: & si Lex Naturalis dicenda est, vocabuli supplemento amplianda est, & *Lex Naturalis Animalis* dicenda; cùm tamen hæc de qua nos loquimur, sit Lex Naturalis Humana, sive Moralis. Agnosco rursum, quòd Eadem principia communia quæ sunt in aliis animalibus sunt etiam in homine: sed non, vice versâ, Eadem principia quæ sunt in homine sunt etiam in aliis animalibus. Quæ enim homini & rebus aliis sunt communia, sunt merè Naturalia: quæ homini propria, Naturalia moraliter; at in brutis Naturàle Morale non reperitur, quia Morale quodlibet fundatur in Ratione. Proinde authores Classici omnes, tam Veteres quàm Neoterici, tam Ethnici quàm Christiani, tam Pontificii quàm nostri, Legem Naturalem semper & uno ore habito ad Moralia respectu definiunt. Adducam pauculos in apricum.

Ex Ethnicis duos, Aristotelem & Ciceronem. Arist. l. 1. Rhetor. c. 10. Legem Naturalem definit, *Legem non scriptam*, ὁ παρὰ πᾶσιν ὁμολογεῖσθαι δοκεῖ, *quæ apud omnes homines constare videtur*; & l. 3. De republica, c. 16. *Lex Naturalis est* ἄνευ ὀρέξεως νοῦς, *Lex mentis appetitione vacua*; additque paulò pòst, οἱ κατὰ τὰ ἔθη νόμοι κυριώτεροι εἰσι τῶν νόμων κατὰ γράμματα, *Leges in moribus aut natura positæ majoris authoritatis sunt quàm leges scriptæ*. Eodem sensu sc. quo Xenocratem loquentem Plutarchus inducit, *Bonos ea facere* ἑκουσίως, διὰ τὸν λόγον, *ultro, rationis monitu, quæ alii faciunt* ἄκοντες διὰ

τὸν

τὸν νόμον, *metu legum inviti.* Hæc singula ad hominem sive creaturam rationalem referuntur. Pariter & M. Tullius locis quamplurimis: de Legibus primo, *Lex Naturæ est ratio summa insita à Natura, quæ jubet ea quæ facienda sunt, prohibétque contraria*; & Philippicâ undecimâ, *Nil aliud est nisi recta & à numine deorum tracta Ratio, imperans honesta, & prohibens contraria*; & Orat. pro Milone, de sui cujusque defensione loquens, *Est quidem hæc*, inquit, *non scripta, sed nata lex*; *quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex Natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.* Denique, & citante Lactantio, lib. 6. cap. 8. *Est vera lex recta Ratio Naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando à fraude deterreat.* Istos habemus astipulantes inter Ethnicos.

E Patribus antiquis tres tantùm produco, Chrysost. Ambrosium, Augustinum. S. Chrysost. in Psal. 49. sic describit; *Est ratio agendorum, & non agendorum, à Natura nobis insita*: & in Psal. 47. τὸν ἐν ἑκάστῳ τοῦ συνειδότος ψῆφον τί καλὸν, τί δὲ οὐ τοιοῦτον, ἐνηχοῦντα, *Judicium*, vel *calculum conscientiæ cujusque personantem quid sit bonum, quid malum*: & lib. 1. Ad eos qui scandalizati sunt, τὸν ἔμφυτον νόμον, αὐτοδίδακτον, *Legem insitam, & à natura edoctam*; τὴν γνῶσιν τῶν καλῶν, καὶ οὐ τοιούτων, *continens in se cognitionem bonorum & malorum.* Hom. 12. ad Antioch. Similiter S. Ambrosius, lib. de Fuga Seculi, cap. 3. *Primam boni operis & naturalem magistram*: & Ep. 71. quæ est ad Irenæum, *Legem quæ non scribitur, sed innascitur; quæ non percipitur lectione, sed profluo quodam Naturæ fonte in singulis exprimitur, & humanis ingeniis hauritur.* Postremò, S. Augustinus, Tract. 49. in Joan. *Lex Naturæ est quam habent omnes in corde fixam*: & in Qu. Veteris & Novi Testamenti, *Lex Naturæ est, quæ in Natura ipsa quodammodo inserta, ut Creatoris notitia, ex traduce, non latens*: & Ep. 89. ad Hilarium, Legem Naturæ *Legem Rationis* vocat, & quòd sit *Regula universalis omnium hominum.* Istos habemus Duces è Patribus.

E Pontificiis duo adsunt, Albertus & Thomas. Albert. Eth. 5. Tract. 3. cap. 5. *Jus naturale est, quòd unicuique dictat Ratio, ex solis Rationis principiis informata, & non ex his quæ vel inquisitione vel discussione inventa sunt.* Aquinas, 1ª 2æ, quæst. 91. artic. 2. *Impressio Divini luminis, aut participatio legis æternæ in rationali creatura, secundum quam bonum & malum homines discernunt.* Istos habemus consentientes pro cæteris è Pontificiis.

E Nostris duos attestor pro reliquis, Calvinum & Philippum. Calv. Instit. l. 2. c. 2. s. 22. breviter, & ὡς ἐν τύπῳ, *Est agnitio Conscientiæ inter justum & injustum sufficienter discernentis.* Philippus accuratiùs, in Rom. 1. *Est notitia Principiorum Practicorum, & Conclusionum quæ exinde necessariâ consequentiâ exstruuntur, à Deo hominum mentibus insita, & cum æterna mentis Divinæ norma congruens.* Ex hac nube testium satìs perspectum est,

Primò, Quòd non ad omnia animalia Legis Naturalis consideratio extendi debeat, sed ad ea quæ hominis sunt.

Secundò, Quòd principia ejus circa bonum & malum, æquum & iniquum, honestum & turpe, versentur.

Tertiò, Quòd Moralia præcipuè in se complectatur rerum discrimina, Rationis judicio vel probanda vel rejicienda, adeóque quòd nihil aliud sit quàm participatio Legis æternæ in Rationali creatura, aut lumen Ratio-

nis quo inter bonum malúmque discernimus: quod & S. Paulus apertissimè ostendit, Rom.2.14. *Quum Gentes*, inquit, *quæ Legem non habent, naturâ quæ Legis sunt faciunt, isti Legem non habentes, sibiipsis sunt lex; ut qui ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis, unà testimonium reddente ipsorum conscientiâ, & cogitationibus se mutuò accusantibus aut excusantibus.* Ex quibus verbis satis est manifestum, habuisse Gentes Legem, & non habuisse; scriptam non habuisse, non scriptam habuisse; in tabulis scriptam non habuisse, in cordibus scriptam habuisse: non quidem Legis omnia, sed ἔργον τοῦ νόμου, *opus Legis*; id est, *generalia illa*, inquit Primasius, *quòd laudent bonos, & judicent malos; quódque sibi nolunt fieri, aliis non faciendum agnoscant: & insuper particularia quædam, de Non mœchando, Non occidendo.* Quocirca, de prima Disquisitionis parte, Quæ sit Lex illa Naturæ quæ secundùm hæc vestigia servatur; Quòd ad homines solos sit referenda, & ad ea hominis quæ rationem Practicam sive Moralem spectant, hæc tradidisse abunde sit.

Pergamus nunc porrò ad alteram Disquisitionis partem, ut videamus quæ sunt illa Vestigia & reliquiæ in nobis post peccatum, sive superstites, sive Divinâ bonitate redivivæ factæ; ut ex istis adhuc manifestiùs cognoscamus, nihil esse aut fuisse in Lege Morali renovatum, nisi quod & est, & semper fuit à fonte Legis æternæ in Legis Naturalis concham aliqualiter transfusum. Vestigia autem sunt duplicis ordinis, Generalia & Particularia.

Quod ad primum attinet, Vestigia Generalia sunt principia illa Practica quibus omnes consentiunt: & hæc ipsa sunt fundamenta Legis scriptæ non minùs quàm illius quæ est pectori infixa; sicut facillimè patebit, si paucis liceat omnia illa prima Principia recensere.

Principium primum quod Natura pronunciat hoc est, Deum esse; & hoc Dictamen primum, Deum cognoscito. Et ex hoc primo Principio multa de Dei cognitione & cultu tradiderunt Gentiles, ut in eorum Libris videre est; nec non in eorum praxi: unde Cicero, primo de Legibus, nullam Gentem dicit tam immansuetam, tam feram esse, quæ non, etsi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat. Et ex hoc Principio illæ Conclusiones pullularunt; Numen esse colendum, Non esse falsò jurandum. Et nonne hoc Principium est summa primæ Tabulæ Legis scriptæ? Apostolus docet, Heb.11.6. *Oportet accedentem ad Deum credere quia est, & quòd remunerator sit inquirentibus se.*

Principium secundum quod Natura pronuntiat hoc est, Quòd tibi fieri non vis, alteri nè feceris; & hoc Dictamen secundum, Societatem & amicitiam inter homines servato. Et super hoc secundum Principium omnia Gentilium fœdera & negotiorum contractus constituebantur: quia injuriis solvuntur, officiis conciliantur amicitiæ & societates. Et ex hoc Principio Conclusiones illæ dimanant; Honestè vivito, Alterum nè lædito, Suum cuique tribuito, Fidem servato. Et annon hoc Principium est summa secundæ Tabulæ? Christus docet, Matth.7.12. *Quæcunque vultis ut vobis faciant homines, ità & vos facite illis: hæc est enim Lex & Prophetæ.* In quæ verba sic se explicat Augustinus, *Iniquo cuivis facile est loqui Justitiam; nam quis de Justitia interrogatus non facilè respondet quid sit Justum? Quandoquidem manu Servatoris nostri in ipsis cordibus nostris Veritas scripsit, Quod tibi fieri non vis, alteri nè feceris. Hoc & antequam Lex daretur nemo ignorare permissus est*, Aug. in Psal. 57. & Chrys. Hom. 13. ad pop. Antioch. *Non opus est multis sermonibus aut prolixis legibus; Voluntas tua sit Lex. Vis beneficia capere? Confer alteri. Vis mise-*

misericordiam consequi? Miserere proximi. Vis laudari? Lauda. Vis amari? Ama. Quod odisti, alii nè facias. Odisti contumeliam pati? Nè alium afficias contumeliâ. Odisti invidiam pati? Neque tu alteri invideas. Σὺ γενοῦ δικαστὴς, σὺ γενοῦ νομοθέτης τῆς ἑαυτοῦ ζωῆς. Retine hæc duo verba, & aliâ disciplinâ non indiges.

Principium tertium quod Natura pronuntiat hoc est, Bonum sectandum, Malum fugiendum; & hoc Dictamen tertium, Nil turpe facias, nihil honestum prætermittas: quia quicquid turpe, Naturæ est contrarium, congruum quicquid pulchrum est. Et ex hoc Principio Conclusiones illæ ortæ sunt; Anima est subjicienda Deo; Corpus est subjiciendum animæ; Non est faciendum quod non est patiendum. Et nonne hoc quoque Principium est vox Legis scriptæ? Psalmographus ostendit, Psal.34.15. *Declina à malo, & fac bonum.* Cujus tres ipsissimæ sunt Conclusiones deducibiles, Tit. 2. 12. *Sobriè, justè, piè vivendum est in hoc seculo:* respectu Dei, *Piè*; respectu Nostri, *Sobriè*; respectu Proximi, *Justé*. Et ex tribus istis Adverbiis, tria vivendi Axiomata statuuntur. Ex primo, εὐσεβῶς, *piè*, Axioma illud, Subde Deo quod habes commune cum angelis. Ex altero, σωφρόνως, *sobriè*, Axioma illud, Subde Rationi quod habes commune cum brutis. Ex tertio, δικαίως, *justè*, Axioma illud, Fac quod vis pati. Juxta tria hæc, tres fuere Delphici templi Inscriptiones. In suprema parte ostii duæ literæ, οὐ, EI, quarum utraque, quinta & decima, universalis nota, ut significarent, Quicquid Deus sive Apollo diceret, idem mox faciendum. Et quid hoc sibi vult nisi quod Axioma primum loquitur, Subde Deo quod habes commune cum angelis; *Vivendum pié?* In valvis dextris ostii scribebatur οὐ, Γνῶθι σεαυτὸν, ut significarent, Debere de se quenquam nosse, præstantiorem se brutis fore, & corpore animam meliorem. Et quid hoc est aliud nisi quod Axioma secundum loquitur, Subde Rationi quod habes commune cum brutis; *Vivendum sobrié?* In valvis sinistris scribebatur οὐ, Μηδὲν ἄγαν, ut hoc inter alia significarent, Unicuique nihil faciendum Lege talionis, nisi idem quod sperandum; h.e. Fac quod vis pati; *Vivendum justé.* Videtis quòd Generalia præcepta utriusque consentiunt.

Videamus secundo in loco de Particularibus; certissimum enim est quòd non modò in Lege Naturæ Principia hæc Universalia exstiterunt, sed & Vestigia quædam omnium Decem mandatorum Legis Moralis, idque & ante & post Legem scriptam.

De tempore ante Legem scriptam testes habemus Hieronymum & Chrysostomum. Testatur Hieronymus in illa ad Demetriadem de Virginitate Epistola, si modò ipsius sit, To.9. *Hâc lege,* inquit, *usi sunt omnes quos inter Adam & Mosen sanctè vixisse Scriptura commemorat; viros ante Evangelium Evangelicos, & Apostolicos ante Apostolica præcepta.* Idem & Chrysostomus copiosè, lib.1. Ad eos qui scandalizati sunt. Et verissima est utriusque sententia, si modò hoc attexatur, Non illâ solâ Lege institutos Patriarchas: nam ad Sanctitatis opera non sufficit Lex Naturæ; *Cognitionem mandati præbet Natura, non custodiam,* inquit Chrysost. Hom.13.ad pop. Antioch. & cognitionem mutilam, non sanum rectúmque judicium. Est enim & cæca & prava ab adolescentia mens humana, Gen.8.21. nec ab adolescentia modò, sed *à pueritia,* ut Pagninus vertit; imò *ab infantia,* ut Chaldaicus Paraphrastes; imò *ab utero,* Isai. 48.8. imò non solùm *ab utero,* sed *in utero,* Psal. 51. 5. *Formatus,* inquit David, *& conceptus fui in peccato:* adeò est nobis ea cæcitas connaturalis, ἀνακέκραται πως πρὸς τὴν φύσιν, inquit Nyss. Orat.6. de Beatitudine: *ante*

l. 1. con. Jul. c. 2. *usuram lucis, antequam nascimur*, inquit Augustinus, *originis excipimus injuriam*, ut animalis homo non percipiat ea quæ sunt Dei. Ergò non illâ solâ Lege instituti Patriarchæ, sed per alias vias rationésque docendi Deus se suámque voluntatem ipsis manifestavit, per Visa, per Somnia, per Colloquia. Sed ad causam hoc satìs, quòd Legis Moralis principia habuerunt ante Legem scriptam. Patet ex libro Geneseos. De primo Præcepto, Gen. 35. 2. *Dixit Jacob familiæ suæ, Auferte deos alienos, qui sunt in medio vestri.* De secundo, Gen. 35. 4. *Abscondit idola Jacob sub quercu quæ est propè Shechemum.* De tertio, Gen. 24. 3, 9. *Posuit servus manum suam sub femore Abrahami, & juravit ei per Dominum Deum cœli & terræ.* De quarto, Gen. 2. 2. *Benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit illum.* De quinto, Gen. 27. 38. *Benedic mihi, pater mi, & ego filius tuus, pater mi*; est vox Esau ad Isaacum: & vers. 41. *Appropinquabunt dies luctûs patris mei, tum occidam Jacob fratrem meum*; timuit nimirum hoc facere patre superstite. De sexto, Gen. 9. 6. *Qui effuderit hominis sanguinem, & illius sanguis fundetur.* De septimo, Gen. 38. 24. Tulit Judah sententiam contra Thamar fornicariam, *Producite eam ut comburatur.* De octavo, Gen. 44. 9. Fratres Josephi de scypho argenteo, quem clepsisse eos dispensator dixerat, sic loquuntur, *Apud quemcunque invenietur, moriatur, & nos etiam erimus servi domino tuo.* De nono, Gen. 38. 20. Promisit Judah adulteræ hœdum pretium sceleris, & juxta promissum solvit. De decimo, Gen. 20. 3. Deus de uxore Abrahami ad Abimelechum loquitur, *Morieris propter mulierem quam tulisti: Abimelech autem non appropinquaverat illi.* De temporibus ante Legem satìs patet.

De Gentibus autem post Legem idem demonstrabo; etiam & Ethnicis, doctioribus potissimùm, cujusque Præcepti Decalogi radios non obscuros ex ipso Naturæ dictamine illuxisse. Quòd si Sanctorum Patrum testimonia quid ponderis habeant, præstò sunt Chrysostomi & Hieronymi; Chrysost. Ser. 13. ad pop. Antioch. *Virtutis*, inquit, *cognitionem Deus indidit animæ, ut vix ullo præceptore indigeamus ad hæc communia discenda. Ut sciamus quòd bonum est Temperantia, non opus est verbis; nam in Natura hanc cognitionem habemus: Ut Adulterium malum esse putemus, ὀ δεῖ ἡμῖν μαθήσεως, αὐτοδίδακτοι ἐσμεν· omnes consentiunt:* & in multis aliis. Et Hieronymus ad Demetriadem, si non sit scriptum spurium, To. 9. *Naturæ bonum ità generaliter cunctis institutum est, ut in Gentilibus quoque hominibus, qui sine cultu Dei sunt, se nonnunquam ostendat & proferat. Instruimur enim omnes domestico magisterio animi, ut mentis bona ab ipsa mente discamus.* Hæc Hieronymus. Sed ego istis non contentus, speciatim de præceptis singulis hoc manifestum dabo, si potero, ídque ex Gentilium ipsorum scriptis.

Quod ad primum Præceptum attinet, quamvìs ex iis plurimi & sæpius plurali numero de Deo loquuntur,

—— θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται, Hom. Il. ί.

Πάντα γὰρ δυνατὰ θεοῖς, Eurip. in Oreste;

Εἰ θεοί τι δρῶσι φαῦλον, οὐκ εἰσὶ θεοί, Æschyl. vel Eurip. apud Plutarchum De audiend. Poetis: At sæpenumero tamen hoc singulariter enunciant;

Ῥάδια πάντα θεῷ, Linus apud Stobæum, Orat. 3.

—— ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα, Hom.

—— ὁ γὰρ θεὸς οἶδε δικάζειν, Theocritus: & Diagoras hoc vidit, qui ob id ἄθεος cognominatus, non quòd nullum esse diceret, sed quòd multos esse deos negaret; non quòd Deum, sed quòd deos. Et hæc vox

vox Sophoclis erat apud Eusebium, εἷς ἐστι θεός, & Orphei apud Clementem, Strom. 5.

Εἷς ἐστ' αὐτογενής, ——

& Pythagoræ etiam, *Si quis se Deum dixerit, præter unum qui omnia fecerit, novum faciat mundum:* ut interea de Plutarcho & Macrobio nihil dicam. Hæc de primo Præcepto.

Quod ad secundum Præceptum, Socrates in Platonis Alcibiade, & Repub. etiam Deum esse adorandum dicit τῷ μάλλον ἀρέσκοντι τρόπῳ, *quo ipsi maximè placeat modo.* Quod est ipsum secundi mandati fundamentum, quo ἐθελοθρησκεία omnis interdicitur. Simile est illud quod de Numa Eusebius ex Clemente recenset, lib. Præparat. 9. c. 6. *Numam Romanos à Dei simulacris avertisse, & per ducentos penè annos nullam imaginem habuisse,* οὔτε πλαστὸν, οὔτε γραπτὸν ἄγαλμα, *imaginem neque fictam, neque pictam.* Simile est illud quod de Varrone Augustinus testatur; Romanos antiquos, authore Varrone, plusquam centum & septuaginta annos sine simulacro deos coluisse; & *si adhuc*, inquit Varro, *mos mansisset, castiùs dii observarentur.* Quid quod & ob hoc Judæos Varro laudat, quòd simulacra nulla haberent? concludítque, *Eos qui primùm simulacra Deo posuerunt, civitatibus suis & metum dempsisse, & errorem posuisse.* Hæc Varro apud August. Civ. lib. 4. cap. 31. Hæc de præcepto secundo.

Quod ad tertium, Hesiodi est in Theogonia,

Ὅρκος, ὃς δὴ πλεῖστον ἐπιχθονίους ἀνθρώπους
Πημαίνει, &c.
Jusjurandum plurimùm terrestres homines lædit,
Si quis ipsorum sponte pejeraverit:

& Chœrili vox est apud Stobæum, Serm. 27.

Ὅρκον δ' οὔτ' ἄδικον χρεὼν ἔμμεναι, οὔτε δίκαιον,
Jusjurandum nec justum, nec injustum usurpandum est.

Quid quòd mortem Perjurii pœnam fuisse Diodorus Siculus narrat? Hæc de tertio.

Quod ad quartum, tenuiora sunt Vestigia, sed aliqua tamen: habuerunt enim Gentes suos dies festos, cultui deorum & Sacrificiis dedicatos; & septenarium Quietis numerum vocabant, Deóque gratissimum. Hinc erat quòd Apollini & Saturno dies septimus est consecratus; hinc etiam mos exortus, quòd corpora defunctorum septimo post mortem die cremarentur, ut refert Alexander ab Alexandro; & mos etiam alius, quòd cum Imperatores suos in Divos referebant, ut die septimo Apotheosis fieret, Burgus De Numeris. Hæc de quarto.

Quod ad quintum, occurrunt multa apud Menandrum.

Ἰσχυρῶς βιώσῃ γηροβόσκων τοὺς γονεῖς,
Si parentes senes alas, vives diu:

prorsus quasi Mosen legisset. Et rursus,

Δεῖ γονεῖς πρὸ παντὸς ἐν τιμαῖς ἔχειν,
Parentes tibi primo honorandi sunt loco.

Tale & illud Pythagoræ,

Τοὺς τε γονεῖς τίμα, ——
Honora parentes tuos:

& Menelai ad Orestem, apud Euripidem in Oreste,

Ὅστις δὲ τιμᾷ μητέρ' οὗτος εὐδαίμων ἐστί,
Qui honorat matrem, hic felix est.

Atque postremò, lex celebris erat Atheniensium, apud Plat. lib. 9. de

Leg. Αἰδείσθω πᾶς τὸν ἑαυτοῦ πρεσβύτερον ἔργῳ τε καὶ ἔπει· & Charondæ lex altera, μέγιστον ἀδίκημα τῶν γερόντων ὀλιγωρία. Hæc de quinto.

Quod ad ſextum, Numæ Pompilii lex erat, *Si quis hominem liberum dolo ſciens morti duit, parricida eſt.* Etiam & omnium gentium, *Homicida quod fecit, exſpectet.*

Quod ad ſeptimum, ut Adultero oculi eruerentur Zaleucus legem tulit. Solon adulterum interficere deprehendenti permiſit.

Quod ad octavum, non Draco ſolùm, ſed Decemviri in manifeſtarios fures, h. e. ἐπ' αὐτοφώρῳ ἢ ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenſos, mortis ſupplicium irrogabant.

Quod ad nonum, lex erat duodecim Tabularum, Tabula ſeptima, *Si falſum teſtimonium dicaſſit, ſaxo deicitor:* hoc eſt, Si falſum teſtimonium dixiſſe convictus fuerit, è ſaxo Tarpeio dejiciendus erat.

Quod ad decimum, Timonis illud apud Athenæum, lib. 8. πάντων μὲν πρώτιστον κακῶν ἐπιθυμία ἐστί· & illud omnium ore jactatum, τὸ μὴ ἐπιθυμεῖν τὸ τέλος δικαιοσύνης· etiam & Juvenalis, in 13. Sat.

Scelus intra ſe tacitum qui cogitat ullum
Facti crimen habet——

Iſtis juxtà poſitis, ex hac partium comparatione liquet, habuiſſe Gentes ex naturali lumine Moralium aliqua non principia ſolùm, ſed præcepta, ipſi Decalogo in aliquibus reſpondentia. Unde habuerint, non refert, nec refert magìs quàm imperfectè. Si quis dicat, à Moſis libris decerpſiſſe eos aliqua; Eſto: Sed num omnia? Num ipſa Axiomata univerſalia & prima Principia, quæ ſine præceptore ipſa Natura docet? At S. Paulus de Gentibus loquens, Rom. 1. 19. Deum aſſerit hæc ipſis manifeſtaſſe, id eſt, Deum lumine naturali has προλήψεις καὶ κοινὰς ἐννοίας inſeruiſſe: & ſi de Gentibus poſt Legem ſcriptam Apoſtolus tacuiſſet, at de generationibus illis quæ ab Adamo ad Moſen fluxerunt res ipſa loquitur, retinuiſſe eas non modò Principia prima, ſed Concluſiones multas indè deducibiles, à Legis Moralis præſcripto non multùm abſonas. Adeò amplius aliquid nunc tandem eſt demonſtratum quàm erat demonſtrandum; de Veſtigiis quæſtio inſtituitur, ad totam orbitam illuſtratio proceſſit. Et de ſecunda Diſquiſitionis parte hæc ſufficiant, Quæ ſunt Veſtigia illa quæ ſupereſſe diximus.

Tertia Diſquiſitionis pars eſt, ut poſtremò videamus, Quo tandem modo horum Veſtigiorum aut reliquiarum cognitio ad Perpetuitatem Legis Moralis conducat: nam hoc poſito, nihil reſidui erit in hoc Naturæ Speculo introſpiciendum. Tres autem ſunt Concluſiones, quæ ex ſuprà diſputatis ad Perennitatem Legis Moralis eliciuntur.

Concluſio prima, Lex Moralis fundatur in Natura. Ratio Concluſionis eſt ſatìs perſpicua; fundatam eam in Natura integra, quia perpetuata eſt in Natura corrupta; adeóque totam fundatam in Natura pura, quia Veſtigia ejus ſcintillant in Natura jam lapſa. Igitur non tum demum cœpit quando ſcripta eſt, ſed quando orta eſt; orta eſt autem unà cum hominis creatione, quia Deus eam ſimul cum Natura ipſa ingeneravit. In re tam clara quid ſumus ſoliciti? Authores omnes conſentiunt, nè unus quidem diſcrepat, vel ex Veteribus, vel ex Recentioribus, Quòd Lex Moralis ſit æterna & immota norma Juſtitiæ Practicæ in voluntate Dei; primùm rationali creaturæ patefacta in creatione ipſius, & poſtea ſæpe repetita & ſancita voce Dei in Eccleſia. Calvinus in Inſtitutionibus; *Lex Moralis nil aliud eſt quàm naturalis Legis teſtimonium, &*

ejus

ejus Conscientiæ quæ hominum animis à Deo insculpta est. Philippus in Rom. 5. *Lex Moralis est æterna & immota Sapientia, & norma Justitiæ in Deo, patefacta hominibus, transfusa in nos simili luce in Creatione, & postea promulgata in Decalogo.* August. lib. 83. Quæst. Qu. 33. *Ex æterna Lege transcripta est Naturalis lex in animam rationalem:* & in Ps. 57. *Lex Decalogi nihil aliud est quàm explicatio legis primæ, in ipsis cordibus manu formatoris scripta.* Ambrosius in Rom. 3. *Hæc est Lex Naturalis, quæ per Mosen partim reformata, partim firmata, in vitiis cohibendis:* & in cap. 7. *Lex mentis ipsa est Lex spiritualis, sive Mosis, quæ vocatur Lex Dei, eadem & spiritualis & naturalis, per Mosen reformata, & in authoritate posita.* Tertull. de Corona militis, *Quæris Dei legem? Habes communem illam in publico mundi, in naturalibus tabulis, legem naturalem, sive naturam legalem:* & rursus lib. contra Judæos, *Ante Legem Mosis scriptam in tabulis lapideis, legem fuisse contendo non scriptam, quæ naturaliter intelligebatur, & à Patribus custodiebatur, & post suprascriptos Patriarchas data est Mosi.* Hæc Tertullianus, cui facilè poteram testes alios innumeros attexere, si testibus indigeret Conclusio prima, Quòd in Natura Lex Moralis radicatur.

Conclusio secunda est, Lex Moralis omnes homines obligat. Ratio Conclusionis, quia Lex Naturalis, manca ut est & imperfecta, omnes obligat ratione utentes, quacunque ætate post rationis usum considerentur. Cùm enim incipiunt uti ratione, tunc Lex Naturæ dicitur promulgari. Docet hoc Synderesis & scintilla Conscientiæ. Interroga nostram ipsorum conversationem, quomodo omnes qui faciunt mala hoc fugiunt, nè Mali appellentur. Adulter, qui adulterium commisit, erubescit si Adulter vocetur. Dic adultero, Adulter, confunditur; dic perjuro, Perjure, & pro contumelia habet suorum operum appellationem, quia Natura ipsa clamat quòd malum sit, Naturæ Lex arguit. Similiter & in cæteris. *Si ad animæ nostræ secreta veniamus*, inquit Hieronymus, *sique seipsum unusquisque attentiùs respiciat, interrogetque quid de hoc vel illo crimine sentiant propriæ cogitationes; ecce sententiam feret de Naturæ bono ipsa Conscientia. domestico magisterio animi docebitur.* Quid enim aliud est, obsecro, quòd ad omne peccatum erubescimus & timemus, & culpam facti nunc rubore vultûs, nunc pallore monstramus, ac trepidante animo etiam in minimis delictis testem effugimus? Conscientiâ remordemur: è diverso autem, in omni bono læti, constantes, intrepidi sumus, idq; si occultum est, palàm etiam fieri volumus? nisi quòd testimonio sibi est ipsa Natura. Hinc est quòd frequenter carnifice occulto, in authorem sceleris Conscientiæ tormenta desæviunt, & latentem reum secreta mentis pœna persequitur; nec ullus post culpam impunitati locus est, cùm sit reatus ipse supplicium. Hinc est quòd è contrario innocens etiam inter ipsa tormenta fruitur Conscientiæ securitate; & cùm de pœna metuat, de innocentia gloriatur; quia sedet in arce animi Judex domesticus, qui mali boníque secretum judicium exercet lege quadam domesticâ. Et hæc omnia indè proveniunt, quia obligatos nos omnes sentimus ad Legem hanc Naturalem custodiendam. Ergò necessariò etiam ad Legem Moralem; quia lex scripta nil aliud est quàm commentarius exponens & illustrans Legem Naturæ. Non ignoro quæ à Scholasticis in hac parte passim agitantur, quòd sit penè sententia communis, uno tantùm aut altero discrepante, Quòd Lex Moralis Gentes non obligabat, quia Judæis solis lata est, non Gentibus: *Præcipe filiis Israel, loquere filiis Israel; Hæc sunt præcepta quæ mandavit Dominus Deus vobis*; &, *Ego sum Dominus Deus tuus,*

Hier. to. 9. Ep. ad Demetriadem.

qui eduxi te de terra Ægypti. Sed ista me parùm movent, quia infirma & languida: nam quamvis verum sit, quòd soli populo Israelitico Lex data fuerit per modum Privilegii aut Prærogativæ; at non solos Israelitas obligasse facillimè evincitur, quia Proselytas & alienigenas obligabat, neque hos solùm, sed & usquequaque universos, simulac ad cognitionem ipsius pervenerunt. Et hoc est quod ipsi Scholastici confitentur. Petrus de Lorca, in 1am 2dæ, To. 2. Disp. 34. *Ex vi institutionis solos Israelitas adstrictos; per modum extensionis aut possibilitatis universos.* Quod idem est ac si dixisset, Actualiter solos Israelitas obligasse; Potentialiter, post ejus patefactionem, omnes. Et Bonaventura, l. 3. D. 38. q. 2, & 3. *In se solos Judæos de præsenti, in dispositione omnes obligasse: Explicitè, solum populum Israeliticum; implicitè, ipsas Gentes.* Et Vasquez in 1am 2dæ, To. 2. qu. 98. Ar. 5. *Quantum ad illa quæ Lex Mosaica superaddebat Legi Naturæ, solus Judæorum populus ad observantiam ejus tenebatur: sed quantum ad illa quæ continebat de Lege Naturæ, omnes ad ea tenebantur.* Estque ratio à Lege Naturali desumpta invicta; quia Lex Decalogi in Lege Naturæ fundatur: ut *quamvis Explicatio mandatorum ejus sequatur Legem Scripturæ, at Obligatio radicaliter sequitur Legem Naturæ*, ut Bonaventura loquitur. Ergò omnes obligabat, sed non eodem modo, nec eodem tempore, nec eâdem latitudine; omnes æquè, non omnes æqualiter. Atque sic ipsa Lex Naturalis non omnes æqualiter obligat, quia non lucet in omnibus æqualiter; latet in quibusdam, sicut ignis in silice, qui non apparet nisi excutiatur. Ergò alios magìs obligat, alios minùs, secundum diversos gradus patefactionis; senes magìs quàm pueros, eruditos in Schola Disciplinæ magìs quàm illiteratos: cùm in illis scintilla Rationis major clariórque. Ratio est, quia sic se habent Principia Practica ad Rationem Practicam, ut Principia Demonstrationum ad Rationem Speculativam. Ut igitur in Principiis Demonstrationum quædam sunt Dignitates vel Propositiones per se notæ omnibus communiter, ut, Totum esse majus suâ parte, &c. quædam per se notæ solis sapientibus, qui terminos Propositionis intelligunt quid significent, ut, Quia Angelus non est corpus, non est in loco circumscriptivè: Sic in Principiis Practicis, quædam sunt *primò-prima*, quæ cum Rationis essentia adeò conjuncta sunt, ut separari non possint, si Ratio servetur, ut, Bonum esse faciendum, malum vitandum; hæc omnes æqualiter obligant: quædam *secundò-prima*, atque hæc non sunt adeò conjuncta cum Ratione quin actu separari possint, licèt potentialiter menti impressa fuerint, ut iis simulac proponuntur assentiamur. Ergò non obligant æqualiter, sed juxta gradum luminis naturalis, postquam aut reipsa innotescant, aut innotescere possint. Pariter & Lex Moralis, licèt Gentes non obligabat simpliciter ante patefactionem ejus; sed tamen Potestativè omnes in omnibus, & Actualiter omnes secundum Principia ipsius quæ fundantur in Natura. Ista est Conclusio secunda.

Conclusio ultima, Lex Moralis est immutabilis & indelebilis. Ratio Conclusionis, quia Lex Naturæ est res adeò Rationi consentanea, ut mutari aut deleri prorsus non possit: utcunque *per modum Additionis & Perfectionis mutata est in promulgatione Decalogi*, ut Aquinas loquitur, quia clarior plenìórque reddita; at per modum Subtractionis aut Desitionis non potest mutari sic, ut abrogentur præcepta ejus, aut obligare desinant. Utcunque *Principia ejus quantum ad Effectum non appareant aliquando*, ut Halensis loquitur, quia Ratio passione impedita non semper applicat Principia communia ad particulare operabile; at quantum ad Essentiam nunquam

quam è mente delentur: haud aliter quàm Solis lux, quæ quamvìs in Eclipsi nobis non lucet, at in se semper lucet. Quòd si delenda esset, id primo peccato contigisset: & valde vereor nè tunc temporis deleta fuisset, nisi hoc Dei dignatio prævenisset: bonitatis ejus est quòd reliquiæ hæ servatæ. *Servavit autem*, inquit Augustinus; *ut esset unde judicarentur quibus Lex non est data.* in Psal. 57. Sed positâ rationali creaturâ, non est tota delebilis, nisi Ratio ipsa deleatur; & quia illa non est delebilis, sequitur quòd Lex Moralis, quæ est ipsius redintegratio, abrogari non possit. Quòd si vel Lex Naturalis alia esset ab æterna, vel Lex Scripta alia à Naturali, sequeretur, manente primâ, perire posse secundam in homine; aut secundâ manente, perire posse tertiam: sed cùm vinculis plusquam adamantinis nectantur inter se, fieri non potest ut, Divinâ Lege manente, intereat Naturalis; aut stante Naturali, non maneat Moralis. Ut quod M. Cicero, in illo de Amicitia libro, de Amicitia dixit, *Solem de mundo tollere videntur qui Amicitiam de vita tollunt:* idem & ego de Antinomis, Solem eos è medio tollere, si Legem Moralem conantur auferre; & Solem Rationis è mundo minori Hominis; & Solem Cognitionis è mundo majori Ecclesiæ; & Solem Consilii ex illa quæ mundo infinitis circulis amplior est, mente Divina. Videant igitur quid faciunt, & unâ quot cœlos petant stultitiâ. Dicant, an Solem de cœlo possint deducere: Arbitror non posse: At cœlo Legem Dei certiùs permanere Salvator asserit. Dicant, an eam possint ex Idea Divinæ mentis abradere: Vix credo; nam quod ibi scriptum, æternum. Dicant, an è propria mente possint expungere: Neque hoc, opinor, eos posse. Appello Conscientias. E Prophetis delent, numquid è Dei mente? è tabulis Mosaicis, numquid è tabella pectoris? Habent igitur contra se, quæ supra se est, Ideam mentis Divinæ; habent & contra se, quæ intra se est, Conscientiam propriam: cùm Lex Moralis non alia Justitiæ Practicæ regula est quàm quæ ab æterno fulgebat in Dei mente, & ab exordiis mundi signata est in humano pectore, & à tempore Lapsûs continuata est ibidem, secundum communia Principia, ut jam Lege Naturali salvâ, Moralis interire non possit, cùm inter utramque, nisi Temporum & Graduum & dispensationis Modi, differentia nulla sit, discrimen nullum. Illa est lumen Rationis, inter bonum malúmque discernens; hæc Regula Rationis, bonum à malo dividens: illa dictamen Naturæ naturatæ, ad Dei cultum & dilectionem proximi obscuriùs dirigens; hæc Naturæ naturantis decretum cœleste, ad eadem nos ducens officia excitánsque. Ergò si illa ab æterna lege transcripta, etiam & hæc; si illa astrictos omnes teneat, etiam & hæc; si illa immutabilis, utpote quæ è cordibus non possit expungi, etiam & hæc non possit abrogari. Sic partem utramque Propositionis stabilitam dedimus; Quòd ea ipsa Justitiæ regula quæ ab æterno eminebat in Archetypo Divinæ mentis, pro receptivitatis modulo incisa est in tabella pectoris humani, ubi jam permanebat in Statu innocentiæ perfectè; & secundùm reliquias illas adhuc manet in Statu lapsûs confusè & imperfectè. Hæc Legis Moralis ætas prima & secunda, prout à Creatione ad Lapsum, à Lapsu ad Mosis tempora exstiterit. Et hæc etiam ea sunt quæ ex secundi Speculi intuitu de Perennitate Legis dicenda erant. Speculum primum erat Idea mentis Divinæ, ante tempora. Speculum secundum, tabella cordis humani, in principio temporis. Speculum tertium nunc sequitur, suo ordine inspiciendum, Volumen duarum Tabularum, in profectu temporis. Atque hoc negotium futurum erat sequentis dieculæ, quæ est præsentiæ nostræ

nostræ ultima. Sed infirmitatis me sentio inopinatæ vinculis adeò constrictum, ut salvâ valetudine, quæ vobis magis quàm mihi est cordi, id præstare non possim: nam tussis hæc malesana, & ex tussi raucedo, & ex raucedine languor; non minùs ad meditationem ineptum me reddidit quàm ad elocutionem; ut nec vigiliis animus, nec animo calamus, nec calamo lingua subservire possit. Quocirca quod futurum erat negotium occiduum sequentis diei, invitus nunc adigor ut faciam, etiam contra animi institutum, opus, si Deus affulserit, exoriens sequentis Termini.

LECTIO XXIX.

SI personarum eadem foret stabilitas quæ rerum, aut perorantium cum argumentis quæ tractantur, non esset quòd metuerem in his de Lege Morali contra Antinomos disceptationibus laborum meorum interregnum aliquod aut præruptas vicissitudines, cùm Lex de qua agitur valoris sit æterni, & menses intercalarios nesciat. Sed video illud Taciti, quod de Statu civili dixit, verissimum quoque esse in Theologicis: *Respublica*, inquit, *æterna est*, *Homines mortales*. Pariter & hîc se res habet. Lex ipsa est perpetua, Disputatio nostra intercisa; idque tam justis de causis, ut vobis non mihi opus sit diuturni silentii rationes exsolvere, cùm apertè res ipsa loquatur, id vocis defectu partim, partim etiam solennitatis jam effluxæ interjectu contigisse. Quod si quis nesciat, discat aliquando, quid sibi volunt Veterum Terminalia: aut si hoc minùs sapiat, ut puta Ethnicum, ad Sacras se Paginas conferat, & videat quid illud sit quod Zachariæ Sacerdoti cecidit, cùm Legis ministerio subserviens, de Præcursoris simul & Messiæ Natalitiis gratissimum nuntium audiverit; *Egressus non poterat loqui*, inquit S. Lucas, permansítque mutus, donec re completâ, unà cum filio fidem, & cum fide vocem, & cum voce Spiritum Propheticum acceperit; & tum demum, ut Juvencus loquitur, tabulis pugillaribus arreptis,

Implicitam solvit per verba sonantia linguam.

Adeò æquissimum erat, ut Legis & Prophetarum prædicator taceret quoad Evangelii Natalis absolveretur. *Dum Verbum in utero*, *Lex in silentio*, inquit Ambrosius: *dum Verbum editur*, *Lex absolvitur*. Haud secus & mihi, Auditores, dum Legis Divinæ partes agerem, & dudum & hodie res quasi ex destinato processit, dum ad occasum Termini vergebat de Lege disputatio, nescio quo pacto, sed vocis mihi & linguæ usus præreptus est, erátque mihi cum Zacharia Sacerdote confatale silentium; prorsus quasi necessarium foret ut, Natalitiis Domini properantibus, vox Legis obmutesceret: nunc tandem iisdem Natalitiis peractis, silentii fores referatæ, loquendi facultas mediocriter restituta, quò ad pristinas officii mei partes me conferre possim, & susceptum Legis sanctissimæ patrocinium ad optatum fastigium perducere. Agamus igitur, quoniam mihi cum Zacharia communis sors erat, sit etiam communis progrediendi ratio; postulemus tabulas, non *pugillares*, ut ille, sed lapideas, Divinâ manu incisas. Nam hucusque, si meministis, quasi per Specula mentis &

& Divinæ & humanæ, ætatem Legis Moralis perduximus; quod primum & secundum & tertium Speculum fuerit, usque ad quintum: similiter, quæ prima & secunda & tertia ætas, usque ad quintam. Hæc commemorando renovemus, ut ad reliqua porrò pergamus. Speculum primum erat Mentis Divinæ, ante facta tempora. Secundum Mentis humanæ, in principio temporis. Tertium Duarum Tabularum, in profectu temporis. Quartum Evangelii, in restitutione temporis. Quintum Gloriæ, post effluxa tempora. In duobus extremis Æternitatem Legis videmus; in tribus intermediis, Ætates. Ætas prima Legis erat in Statu Naturæ integræ; hæc quasi Infantia: Ætas secunda in Statu lapsûs; hæc quasi Senectus, adultam præveniens: Ætas tertia sub Mose & Prophetis; hæc ætas media, sive flos Juventæ: Ætas quarta sub Christo & Apostolis; hæc ætas matura & constans: Ætas ultima in cœlo; quæ non erit, ut dixi, ætas, sed æternitas.

De Divinæ mentis Speculo primo tres constitutæ sunt Propositiones.

Prima, In Idea mentis Divinæ Sapientiæ Practicæ Exemplar ab æterno exstitit, hominibus aliquando revelandæ.

Secunda, Ex hoc ipsissimo Exemplari Justitiæ Practicæ regula, hominibus aliquando patefacienda, simpliciter & integrè est tandem patefacta.

Tertia, Hæc ipsissima Justitiæ Practicæ regula sic hominibus patefacta, & à perfectissimo Exemplari quasi transcripta, est Lex Moralis; adeóque fieri non potest quin sit ex æterno Autographo perpetuum Chirographum, vitæque nostræ agendæ Regula sempiterna.

De humanæ mentis Speculo secundo tres Propositiones exstabant.

Prima, Justitiæ Practicæ regula homini patefacienda, in principio creationis accuratè impressa est in brevissima humani pectoris tabella, ibíque mansit in Statu integro integrè.

Secunda, Lex eadem, etiam in Statu lapsûs, secundùm Vestigia aliqua & reliquias & mansit, & adhuc manet, in eadem cordis tabella, confusè & imperfectè; nimirum juxta Universalia illa Principia quæ in bono communi radicantur, & juxta Conclusiones communes quæ indè velut rami deducuntur.

Tertia, Hæ Reliquiæ sive Vestigia, utcunque confusa & imperfecta, ad Perpetuitatem Legis Moralis è manu Adversariorum extorquendam quàm maximè conducunt: ut patet ex duabus istis Conclusionibus. Primâ, Lex Moralis fundatur in Natura; ergò immutabilis à parte antè, quia cœpit à Statu integro. Secundâ, Lex Moralis perpetuatur in Natura; ergò immutabilis à parte pòst, quia mansit in Statu corrupto. Atque hactenus in quæstione hac enucleanda processimus: hîc verò disputationi clausulam imposuimus.

Nunc primo & secundo perlustrato, Ætate etiam primâ & secundâ decursâ, restat ut è tertio Speculo Ætatem tertiam Legis Moralis contemplemur. Est autem tertium Speculum Duarum Tabularum; atque eodem jure Speculum quo cætera, vel ipsâ Scripturâ judice, quæ interdum simili, interdum eâdem utitur loquendi formulâ. Formulâ simili Moses, Deut. 6. 8. *erunt ut frontalia inter oculos tuos*, hoc est, quasi memoriales tituli, aut typica Specula & commonitoria. Eâdem formulâ S. Jacobus, cap. 1. ver. 23. In Legem introspicit quisque tanquam in Speculum. Quòd si adhuc Judæorum conjecturis, qui è lapide Sapphirino Tabulas dolatas credunt, aliquid tribuendum sit; erit tunc quidem Speculum, non solùm metaphoricè, sed propriè. De hoc igitur tertio duarum Tabularum Speculo sit ista Propositio,

Lex eadem quæ Naturæ nostræ primitus infixa, originem sive Infantiam habuit

habuit in Creatione hominis,& tantùm non Senectutis deliquium in Lapsu; eadem postmodum in Tabulis lapideis Juventutem novam, & velut Aquilinam,adepta, refloruit,quando & ore Dei promulgata, & digito Dei exarata, & Tabulis lapideis insculpta est.

Propositionis duæ sunt partes, Antecedens & Consequens; neque enim novum est ut in Simplicibus Propositionibus, præsertim si longiores productioréſque fuerint, hæ partes reperiantur. Subjectum est loco Antecedentis; loco Consequentis Prædicatum. Antecedens istis verbis continetur, Lex eadem quæ Naturæ nostræ ab origine infixa, eadem in monte Sinai Judæis lata est atque imposita. Consequens in se duo membra continet: Quòd sit ore Dei promulgata; Quòd digito Dei Tabulis lapideis insculpta.

A parte Antecedenti ordiendum est,Quòd eadem prorsus est Lex inseminata & scripta. καθολικόν ἐστι θεώρημα, & Postulatum Theologicum cui assentiuntur omnes, tam Veteres quàm Recentiores. Calvinus non uno in loco; *Lex Moralis nil aliud est quàm Naturalis Legis testimonium, dum certiùs nobis testificatur quod in Lege Naturæ obscurius erat.* Philippus in Rom. 5. *Eadem norma Justitiæ quæ transfusa est in nos in Creatione, postea promulgata est in Decalogo.* S. Augustinus in Psal. 57. *Lex Decalogi nihil aliud est quàm explicatio Legis primæ, in ipsis cordibus manu formatoris scripta.* S. Ambr. in Rom. 3. *Eadem est Lex Naturalis, quæ per Mosen est partim reformata, partim formata, in vitiis cohibendis.* Tertul. de Corona militis, *Quæris Dei Legem? Habes communem illam in publico mundi, in naturalibus Tabulis:* & libro Contra Judæos, *Ante Legem Mosis scriptam in Tabulis lapideis, Legem fuisse contendo non scriptam, quæ naturaliter intelligebatur, & à Patribus custodiebatur, & post suprascriptos Patriarchas data est Mosi.* Mitto Patres reliquos, præterea & Scholasticos; nemo est enim cujusvis temporis aut ordinis Theologus qui in hanc non transeat sententiam, Quòd sicut Lex Naturalis ortum habuit ab æterna, velut illius ἀρχετύπου ἀπαύγασμα quoddam & ἀποσπασμάτιον, Fontis supremi rivus, Solis Justitiæ radius practicus; sic & Moralis etiam consensum habuit per omnia cum Lege Naturali pura,atque respectum perfectivum ad Naturalem corruptam, ità ut Lex eadem tam materialiter quàm formaliter dicenda sit. Et Ratio astipulatur; Quia utrobique pariter Lex scripta est, scripta in tabella pectoris Protoplasti, scripta in Tabulis Legalibus, utrobique Dei digito: utrobique erant eædem literæ, iidem characteres, eadem documenta inter bonum & malum, æquum & iniquum, honestum & turpe dijudicantia, quibus & jussa quæ facienda sunt, & prohibita contraria: utrobique eadem Summa Legis; summa Adamo insita Dilectio, summa nobis patefacta Dilectio. Unde Clemens l. 6. Strom. Legem Naturalem vocat τὴν φυσικὴν δεκάλογον, *Adami Decalogum.* Utrobique eadem membra dividentia: novit Adamus, ex duobus Dilectionis mandatis pendere officia reliqua universa, sicut & nos; *Creatus est* enim *in Justitia & Sanctitate*, Eph. 4. 24. quæ sunt capita duarum Tabularum. Primæ Tabulæ caput Sanctitas, quâ Deum piè colere; secundæ Justitia, quâ rectè se erga proximum gerere possit: adeóque non est dubium, quin quòd in una cordis tabula utrasque legis Tabulas circumgestavit. Postremò,utrobique idem ordo singulorum: ordo Legis scriptæ, ut iis officiis quæ ad Deum spectant primus locus tribuatur, secundus iis quæ ad proximum; & hic etiam ordo Legis infusæ, ex lumine naturali cuilibet sine magistro manifestus, ut humanis officiis cultus Divinus præferatur,& primas teneat & in Theoria & in Praxi.

Istis

Istis omnibus probè pensitatis, satis opinor clara est pars prima Propositionis, Quòd eadem prorsus sit Lex connata & Lex conscripta: atque exinde unum elicitur Consectarium, quod sic se habet;

Lex Moralis, quà Moralis, est obligationis indemutandæ, atque omnes cujuscunque generis homines & nunc obligat, & semper obligabat. Ratio, Quia Lex Naturalis perfecta omnes in Adamo obligabat; & nunc quoque, manca utut est & imperfecta, omnes obligat Ratione utentes: Ergò etiam & Moralis universos obligat, quia eadem est cum Naturali. Interea non sum nescius quænam illa sunt quæ à Scholasticis passim in hac parte disputantur; quòd sit penè sententia communis, uno tantùm aut altero discrepante, Quòd Legi Morali Gentiles non erant obstricti; neque illi qui ante Christum exstiterant, neque cæteri qui post Christum in Christum non credunt. Ratio ipsorum hæc est, Quia ad Legis Moralis notitiam Gentes non pervenerunt, quia ad solum populum Israeliticum data Lex est, ut passim patet ex istis formulis; *Præcipe filiis Israel*; *Loquere ad filios Israel*; *Hæc sunt præcepta quæ mandavit Dominus vobis*; *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Sed ista me minùs movent, quia elumbia sunt & languida. Quæro enim, num exclusivæ sunt istæ formulæ, *Ego sum Dominus Deus tuus,* & nullo modo Deus ipsorum; *Præcipe filiis Israel,* & cave nè præcipias Gentibus; *Loquere ad filios Israel*, at nolo ut hoc Gentes discant; hæc sunt mandata quibus vos obligandi estis, illi nullo modo? Ergò è Gentilibus quispiam si pejerasset, reatu non tenebatur Perjurii; nec si mœchatus esset, Adulterii: puto nec Homicidii, nec Furti, nec Idololatriæ. At verò si rei sistendi sunt istorum scelerum coram Divino Tribunali, obligatos eos fuisse necesse est ut concedatur; cùm ubi non sit obligatio, non sit reatus. Quòd si de Ceremonialibus aut Judicialibus disputatio institueretur, pro sententia Catholica & Orthodoxa definitio Scholasticorum agnoscenda esset: quippe quòd Leges istæ revera Judæos solos obligabant, solorum Judæorum modulo atque captui erant attemperatæ; quia ad Judæos pertinebant, non quà homines, sed quà fœderatos: Veruntamen quoniam de Morali agitur, quis sanæ mentis audet eos sequi in hac libertate loquendi? Cùm enim Moralis in se contineat Naturalis Legis doctrinam & substantiam, revera ad Israelitas spectabat non modò quà fœderatos, sed quà homines; adeóque non solùm ad Israelitas, sed ad omnes homines pertinere certissimè credendum est, atque universum humanum genus obligare. Ubi verò dicunt, Judæis solis latam, non Gentibus, & ad ejus notitiam Judæos solos, non Gentes pervenisse; puerile est planè atque inconsultum, nè quid dicam gravius. Nam primò, Ecquis ità insanit ut Legis Moralis exordium à vocali ipsius promulgatione metiatur? At duo annorum millia non sinunt quæ antecesserant, in quorum decursu semper sonuit vox Decalogi in Ecclesia, ante Mosis tempora, & ante & post Diluvium, ut suprà monstravi, cùm de Lege Naturali agerem: neque tum demum Lex incepit quando scripta est, sed quando orta est; orta est autem unà cum ipsa hominis creatione, quando Judæorum & Gentium distinctio nulla fuerat. Esto igitur, quòd Judæis solis lata sit per modum Privilegii aut Prærogativæ: at ad Gentiles non minùs pertinebat in suis exordiis. Secundò, Ecquis tam rerum imperitus, ut Legis obligationem ad gradus notitiæ simpliciter coarctet? Ergò perit obligatio, si pereat notitia? Ergò neque Naturalis obligat, quia notitia ejus est deperdita? vel saltem non omnes æquè obligat, quia ad eandem notitiam omnes non perveniunt? At nos de Notitia non quærimus, sed de Obligatione; nec de Gradibus obligationis, sed de Vinculo. Esto, Judæi adstricti erant nexu duplici, quà Naturalis

erat, quà scripta: at nexu simplici etiam Gentiles tenebantur; h. e. nexu & vinculo naturalis impressionis, quamvìs non similiter vinculo promulgationis temporariæ. Si hoc non sufficit, distendam paulò latiùs, aióque, non uno tantùm vinculo circumligatos Gentiles, sed duobus; ad Moralem quà Naturalem Actualiter, ad Moralem quà scriptam Potestativè; ad Moralem quà insitam semper, ad Moralem quà promulgatam simulac ad ejus cognitionem pervenirent; h. e. postquam vel actu innotesceret, vel innotescere posset. Et hoc est quod emunctiores Scholastici confitentur, Bonaventura, Lorca, Vasquez. Bonav. l. 3. Dist. 38. Qu. 2, & 3. *Legem Moralem in se solos Judæos de præsenti, in dispositione omnes obligasse: Explicitè, solum populum Israeliticum; implicitè, omnes Gentes.* Lorca, in 1^{am} 2^{æ}, t. 2. Disput. 34. *Ex vi institutionis solos Israelitas astrictos; per modum extensionis aut possibilitatis universos.* Quod idem est ac si dixisset, Actualiter solos Israelitas astrictos, Virtualiter & post ejus patefactionem omnes. Denique Vasquez in 1^{am} 2^{æ}, to. 2. Qu. 98. Art. 5. *Quantum ad illa quæ Lex Moralis superaddebat Legi Naturæ, solus Judæorum populus ad ejus observantiam tenebatur: sed quantum ad illa quæ continebat de Lege Naturæ, ad eam omnes tenebantur.* Estque ratio à Lege Naturali desumpta inexpugnabilis: quia Lex Moralis est eadem quoad substantiam cum Naturali; ergò obligationis cancellos non minùs amplos habet quàm ipsa Naturalis. Si illa indelebilis, etiam & hæc; si illa omnes astrictos teneat, etiam & hæc. Si res diversæ essent, sequeretur, manente illâ perire hanc posse: sed cùm inter se vinculis arctissimis nectantur, fieri non potest ut, Naturali obligante, Moralis non obliget. Hactenus de prima Propositionis parte, de Antecedente unâ cum ipsius Consectario.

Accedo ad partem alteram, quæ Consequentis vicem supplet. Duo autem membra in se continet; Quòd sit ore Dei promulgata; Quòd digito Dei in Tabulis lapideis inscripta. Quæ duæ sunt ipsius insignes supra forensem & typicam Prærogativæ.

Primum membrum hoc est, Lex Moralis sola est ipsius ore Dei promulgata; & tam altâ voce, ut à sexcentis hominum millibus per aliquot milliaria exaudiri posset: nam is erat virorum numerus præter fœminas & parvulos, Ex. 12. 37. Hoc primum erat Privilegium Moralis supra duas reliquas. De reliquis dicit Deus ad Mosen, Deut. 5. 31. *Tu hìc sta mecum, & loquar tibi omnia Mandata & Ceremonias & Judicia quæ docebis eos:* At de Decalogo dicitur, Deut. 5. 22. *Hæc verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem*; & Ex. 20. 1. *Et locutus est Deus omnia verba hæc, dicendo*, &c. Quòd autem Pontificii & Scholastici non in se Deum locutum, sed per Angelorum ministerium, existimant, quia dicitur, Gal. 3. 19. *Lex ordinata per Angelos*; non sumus adeò famelici, qui umbris istis atque jejunis conjecturis satiemur. Nam posito hoc, Adfuisse promulgationi Legis Angelorum ministerium, an necessariò ad vocis figurationem ministerium hoc referendum est? Numquid erat aliud? De Sonitu buccinæ quid dicendum est? Annon hoc est opus *ministerii?* De Igne, Fumo, Procellis, quid? Annon hæc omnia sunt *ministerii* opera? Denique, & istis sepositis, de pura puta Angelorum præsentia, quid? Annon ipsorum satellitium est *ministerium?* Quòd si adhuc ipsis magìs Angelica vox placeat quàm Divina; ab Angelo vocem efformatam fuisse & ego quoque assero: sed ab Angelo magìs Consilii, de quo S. Stephanus loquitur, Act. 7. 38. sed ab Angelo increato, h. e. *ipso Christo, qui ante Legem erat, & Legem tulit*, ut scitè Chrysostomus. At verò ut ab angelo creato vox fieret, non modò non verisimile, sed nè possibile quidem dicendum est, quia passim Sacra Scriptura refragatur;

nam

nam passim Vox illa dicitur *Vox Jehovæ*, Ex. 20. *Ego sum Jehova Deus tuus*; & Deut. 5. *Hæc verba locutus est Jehova ad omnem multitudinem.* Confirmat hoc & populus, qui perterritus Divinâ voce, postea Mosi dixit, Ex. 20. 19. *Loquere tu nobiscum, & nè loquatur Jehova, nè fortè moriamur.* At Jehova, cùm sit proprium & essentiale nomen Dei, nunquam ad creaturas, nè ad Angelos quidem ipsos, transfertur. Erat igitur absque omni dubitationis alea Filius Dei qui loquebatur, Filius Dei qui Decem Verba pronuntiavit de monte Sinai. Atque hoc Suaresius ipse agnoscit, quamvis de Lege Morali aliàs non tam honorificè videatur sentire: agnoscit, inquam, partem Legis quæ præcepta in se continet Legis Naturæ immediatè ab ipso Deo prolatam esse; alteram verò quæ comprehendit præcepta Positiva datam esse per ministerium Angeli immediatè loquentis Mosi, l. 9. de Legibus, c. 2. Facta est igitur manifesta distinctio: Moralia Deus Mosi loquitur, confitente Suaresio, Angelus Ceremonialia Mosi; Moralia Deus populo, Forensia & Ceremonialia Moses populo. Quæ ratio discriminis? An potest esse alia præter illam quæ ab Aloysio Lippomanno redditur, in Ex. 20. *Hæc ipsa Deus loquutus est, quòd ea sciri & servari voluit ab omnibus; quia ab his nemo hominum uspiam gentium excipitur, nemo quacunque ignorantiâ excusatur?* Est igitur loquutio Domini specimen apertum immutabilitatis Legis, Scripturâ ubique sic attestante, quæ cùm fixum aliquid & permanens nobis exprimere velit, solet illud per *os Dei* explicare. If. 1. 20. *Os Domini locutum est hoc*; & 40. 5. & passim in Prophetis, *Os Domini loquutum est hoc.* Per quam loquendi formulam Prophetæ significabant sententiam esse immutabilem, & certissimè ad finem præstitutum perventuram. Quod & Deus ipse confirmare voluit, quando Ps. 89. 35. ait, *Verba quæ procedunt de labiis non faciam irrita*, vel, ut Pagninus, *egressum labiorum meorum non mutabo*: & Isa. 55. 11. *Verbum quod exierit de ore meo non revertetur vacuum*, h. e. firmum erit & stabile, neque aliquando revocandum. Adeóque satis est manifestum ex hoc primo Privilegio Perpetuitatem Legis Moralis planissimè designari, quòd non dictante Deo aut inspirante lata sit, sed Deo loquente; ipsius est ore promulgatum. Hoc primum Privilegium.

Secundum membrum, Lex moralis sola ipsius Dei digito in Tabulis lapideis est conscripta. Hoc secundum Privilegium Moralis supra reliquas. Reliquæ à Mose scriptæ, Ex. 24. 4. *Scripsit Moses universos sermones Domini*; Deut. 31. 9. *Scripsit Moses Legem hanc*: Sola Moralis à Deo, Ex. 32. 16. *Tabulæ opus Dei erant, & scriptura Dei erat sculpta in Tabulis*; & Ex. 31. 19. *Tabulæ lapideæ scriptæ digito Dei*; & Ex. 34. 1. *Dixit Dominus ad Mosen, Dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores, & ego scribam super eas verba quæ fuerunt super Tabulas priores quas fregisti.* Ex istis apertissimè ostenditur quantum Deus tribuat doctrinæ Legis, quòd ante Christum natum nulla unquam doctrina tam magnis & illustribus testimoniis in Ecclesia patefacta est quàm promulgatio Decalogi. De Prophetis dicit Deus, Num. 12. 6. velle se Prophetis suis revelare verbum suum, vel in Visione, vel per Somnium, vel per occultam inspirationem Spiritûs Sancti: cùm verò Decalogum promulgaret, nullo illorum modorum usus est, non Visione aliquâ, aut Somno, aut instinctu Spiritûs id factum. De Mose dicit, Num. 12. 8. reliquis Prophetis fore Mosen excellentiorem, eò quòd ore ad os Deus ipsi loquatur: sed nec hoc quidem modo Decalogum promulgavit, non Mosis ore, nec Angeli alicujus, sed suo ipsius ore edidit, sed digito suo conscripsit; idque non semel, sed secundâ vice. Quid quæso per hæc omnia significare voluit Deus, ut lapideas tabulas dolaret, & in iis Legem scriberet, & proprio digito, & bis, velut utrâque manu? Perpendamus ea sigillatim.

Inprimis, quòd ſcripta eſt in tabulis lapideis, hoc Legis Immutabilitatem indicare videtur; cùm lapides, juxta Philoſophorûm conſenſum, metalla ſingula tranſcendant, non modò duritie, ſed duratione. Quorſum igitur lapidibus inciſa Lex, niſi in rei æternam memoriam, ut eſſent monumentum æternæ Legis? *Ex hoc voluit Deus*, inquit Lippomannus, *ſignificare ſtabilitatem Legis ſuæ, ſéque potiùs cælum & terram aboliturum quàm Legem ſuam.*

Secundò, quòd Dei digito ſcripta ſit, huc quoq; reſpicit: ſive per *digitum Dei* Potentiam Dei intelligamus, ut Cl. Alex. 6. Strom. δάκτυλος Θεῦ, δύναμις τοῦ Θεῦ· ſive Filium, ut Beda videtur innuere, ex Joh. 8. 6. ubi Chriſtus dicitur Digito ſuo ſcripſiſſe in terram, *Hoc facto*, inquit Beda, *illum ſe eſſe monſtrat qui quondam Legem in lapide inſcripſit*; ſive Spiritum Sanctum intelligamus, ut S. Ambroſius colligit ex duobus locis Evangelii: uno, Luc. 11. *Si in digito Dei ejicio dæmonia*; altero, Matth. 12. *Si in Spiritu Dei ejicio dæmonia: Digitus ergò Dei Spiritus Dei eſt*, inquit Ambroſ. Quocunque demum modo accipiamus, tria hæc per ipſius Digitum in Scriptura indicantur: aliquando Opus eximium & accuratum, Pſal. 8. *Cæli opus digitorum tuorum*; aliquando Opus magnum & ſtupendum, ut Ex. 8. 19. *Digitus Dei hîc*, & Luc. 11. *Si ego in digito Dei ejicio dæmonia*; aliquando Opus ſtabile & diuturnum, ut Ex. 31. *Tabulæ ſcriptæ digito Dei.* Quòd ſi nuda fuiſſet ſcriptio, vel ipſa ſcribendi ratio, ſi nudè & ſimpliciter ſumatur, Diuturnitatem notat. Apoc. 14. 13. & 19. 9. *Scribe, Beati mortui: Scribe, Beati qui ad cœnam Agni vocati ſunt. Scribe beatos*, h. e. firmiter tene beatos eos in æternum futuros. At ſi ſit calamus adamantinus quo literæ formantur, addit hoc aliquid amplius Diuturnitati. Jer. 17. 1. *Peccatum Judæ ſcriptum eſt ſtylo ferreo, & ungue adamantino*; *hoc eſt*, inquit Hieronymus, *indelebile erit, & nullâ ratione abolendum.* At verò ſi iterum atque iterum, non modò ſcribatur, ſed reſcribatur, nova jam datur teſſera, nolle nos ea interire quæ tam ſtudiosè diligentérque curamus. Jam verò, in promulgatione Legis Moralis hæc omnia conveniebant, nè certa & indemutanda vivendi regula deeſſet. Lex edicitur, at hoc non ſufficit, ſi voce Angelicâ; ergò ipſius Dei ore: at neque hoc ſufficit, ut dicatur; ergò ſcribitur: at neque hoc ſatis ad Perpetuitatem, ſi Moſis manu id fiat, ſolo ſtylo ferreo; ergò, quod millies majus, Dei digito, nè quis ab hac regula licere ſibi putet vel tranſverſum unguem diſcedere: at neque hoc ſatìs, ſi ſemel ſcribatur; ergò poſt Tabulas fractas eodem digito reſcribitur, nè quis à colliſione Tabularum, Moralium abolitionem inferre audeat. *Fracta ſunt tabulæ, ſcriptura non deleta*, inquit Ambroſius, l. 4. de Spir. Sancto, c. 2. Fractæ ſunt tabulæ, ſed renovatæ: fractæ ſunt, in ſignum abolitionis Legalium; ſed renovatæ, & eodem digito exaratæ, ad Moralium confirmationem. Quòd ſi futuram Decalogi abolitionem Deus præordinaſſet, quid rei eſt, obſecro, quòd jam ſecundò ſe ſcriptorem exhibeat? Effractis tabulis imperat Moſi, ut novas tabulas præcideret; *Præcîde tibi duas tabulas inſtar priorum:* eodem negotio etiam & hoc imperaſſe poterat, ut idem Moſes qui præcideret tabulas, characteres & literas adderet; Præcîde tibi duas tabulas, & ſcribe ſuper eas verba quæ priores tabulæ habuerunt: quoniam digitorum meorum opere indignus eſt iſte populus, tu tabulas præcîde, tu lineas ducito. At verò non ſic Deus agit; nullo modo; quia non ad Judæos ſolùm, ſed ad ætates Eccleſiæ pòſt futuras Lex Moralis pertinebat. Ergò prudentiſſimè non totum negotium, ſed partem tantummodo ad Moſen tranſmiſit; Tu præcîde tabulas, at ego ſcribam. Quæ cauſa laboris diviſi? Moſes præcîdit tabulas, Deus ſcripturam exhibet. Dicam verbo. Ad Judæos ſolos Tabulæ pertinebant, quia erant quaſi dotales libelli inter Dominum

num & populum suum: ad omnes homines scriptio spectabat, quia Legis Naturæ renovatio & repetitio erat. Ergò post tabulas primas deperditas, novas excidere Deus non est dignatus, in pœnam Judæorum, qui adulterio spirituali perpetrato, dotali Libello indignos se præstiterant: at Legem de novo rescribere dignatus est, quia hæc in perpetuum maneat, etsi Tabulæ pereant; Tu præcide tabulas, & ego scribam. Ego qui priùs scripsi scribam, & eodem digito. Certè non video quid istis addi possit, nisi illud fortasse S. Augustini; *Si Pilatus dixit, Quod scripsi, scripsi, num Deus delebit quod propriâ manu scripsit?* Imò adhuc, quod scripsit & scripsit. Equidem quod Josephus ad Pharaonem dixit, Gen. 41.32. *Iteratio somnii indicium est certitudinis, quòd res firma est à Deo:* pariter & nos de Legalibus tabulis, Iteratio scriptionis indicium est Perpetuitatis; ut si jam denuo ad singulas promulgatæ Legis circumstantias recurrere liceat, quot quæstiones, tot argumenta reperientur. Quæro igitur, Cur Legem hanc Deus non per Amanuensem aut Hypophetam promulgavit, sed voce propriâ? Ob Legis Perpetuitatem. Cur satìs non duxit eam eloqui, nisi etiam digito suo scriberet? Ob Perpetuitatem. Cur magìs in tabulis quàm in libro, aut in lapideis tabulis magìs quàm ligneis aut papyraceis? Ob Perpetuitatem. Cur post effractas tabulas scripturam ipsam penè deperditam eodem digito renovavit? Ob Perpetuitatem. Si omnia Perpetuitatem resonant, delirantium est de Mutabilitate, Cessatione, Abrogatione mussitare. Atque hæc de Speculo tertio, quod est Speculum Tabularum; & de isthinc reflexa Propositiuncula, Lex eadem quæ patefactionis suæ infantiam habuit in Paradiso, eadem postea in monte Sinai refloruit, quando & Ore Dei promulgata, & Digito Dei exarata, & Tabulis lapideis in signum Perpetuitatis insculpta.

LECTIO XXX.

DE Numæ Pompilii libris post quingentos & ampliùs annos è terra effossis, gloriari solebat Roma Vetus, quòd specimen hoc antiquitatis haberet immortale & perpetuum, nullique corruptionis telo penetrandum: neque levis exinde inter Historicos disceptatio orta est, quæ conservationis causa fuerit, ut neque putredine terræ, neque diuturnitate temporis aliquod detrimenti traherent; sed & paginæ integræ salvæque manserint, & lineæ præterea atque literæ non minùs vividæ atque recentes quàm si herì aut nudiustertius ductæ pictæque fuissent. De re incerta conjectura est multiplex. Sunt enim qui ad recondentis curam studiúmque hoc referunt, quòd in arca cedrina repositi libri fuerint, & cedri insuper oleo illiti: ea verò est Cedri natura, ut siccitate suâ & amaritudine corruptionem excludat, & res inclusas à tineis blattísque vindicet: unde apud Authores Classicos, *digna cedro loqui*, proverbialiter de eo dicitur, cujus oratio propter verborum nitorem & sententiarum gravitatem promeretur immortalitatem, & digna judicatur quæ ad posteritatem transmitti debeat. Sunt alii qui cœlitus & non sine Numine id factum putant, propterea quòd in se Mysteria sacra libri prædicti continerent; nimirum vel philosophiæ Pythagoricæ placita, ut nonnulli, vel, ut aliis magìs placet, ipsius Numæ leges atque decreta: quo tamen futilius nihil dici potest, cùm Sacris non magìs vermes parcant paginis quàm profanis, nec sciant chartarum argumenta aut capita discernere. Verùm nostri non est instituti cum Evandri matre sermones miscere, exotica ista ad amussim revocando. Viderint Historici, vel potiùs Antinomi; ipsorum ejusmodi libri dignissimi sunt patrocinio, qui Legem Divinam nihili magìs æstimant quàm Numæ

leges aut placita Pythagorica. Et tamen si istis minutulis maxima componere liceret, habet hinc aliquam quam sibi arripiat triumphandi ansam Ecclesia Christi, quòd non per quinas annorum Centurias, sed per Chiliades totidem, Legis Moralis vigor valórque conservatus sit; támque integre, ut nec verbum, nec litera, non iota unum aut apex perierit. Rationem si quis quærat, in promptu est optima; Quòd in se Lex Moralis non Numæ alicujus aut Pythagoræ disciplinam, sed Voluntatis Divinæ & Justitiæ practicæ regulam contineat, nullâ temporum vicissitudine aut mutandam, aut abolendam: ea propter & voce Dei est promulgata, & digito Dei conscripta, & in tabulis lapideis exarata; denique, nè hæc non sufficerent, etiam in Arca positæ sunt tabulæ, Deut. 10. 2. Erat autem arca ex lignis Schittim fabricata: quod arboris genus Hebræi, & post ipsos Vatablus ex Dioscoride, speciem quandam cedri fuisse existimant; & qui cedrum negant, lignum immarcessibile fatentur. Etenim Josephus l. 3. Antiqu. Jud. c. 6. *lignum validum* appellat, & *ab omni carie inviolabile*, ξύλον ἰσχυρὸν καὶ σήπειν παθεῖν οὐ δυνάμενον· & Hieronymus in Isai. 41. *lignum imputribile* vocat, *omnium lignorum tam in fortitudine quàm in nitore soliditatem superans & pulchritudinem*; & LXX Interpretes constanter pro *lignis Schittim*, ξύλα ἄσηπτα legunt, h. e. *ligna intemerata & incorrupta.* Revera dignus ærario thesaurus, ut in minùs mortali Arca Legis immortalis tabulæ reconderentur; & solæ tabulæ, præter tabulas nihil: ut si non aliàs, saltem ex ipso Repositorio Legis Immortalitas internosci posset; quòd solæ tabulæ Legis, non aliud quicquam, Arcam habuerint pro Custodiario. Erat liber Legis in latere Arcæ, Deut. 31. 26. erant & virga Aaronis atque urna Mannæ in Tabernaculo, attestante Paulo, Heb. 9. 4. ut optimè Junius, Pelargus & Ribera locum illum interpretantur, remittendo particulam relativam ad antecedens remotius; ut non sit ἐν ᾗ κιβωτῷ, sed ἐν ᾗ σκηνῇ, non *in qua Arca*, sed *in quo Tabernaculo:* erant, inquam, in Tabernaculo, non in Arca, *coram Testimonio*, Exod. 36: 34. Num. 17. 10. hoc est, *coram Arca*, ut Burgensis, & *propè Arcam*, ut Anselmus interpretatur. Solæ verò tabulæ Legis in Arca positæ, 1 Reg. 8. 9. unde & Arcam Philo vocat ἀγγεῖον τοῦ νόμου, *vasculum Legis*, l. 3. de Vita Mosis; & l. de Nominum mutatione, τὴν νομοφυλακίδα ἱεράν, *sacram Legis conservatricem.* An putat quis hoc fuisse sine mysterio, ut solas Legis tabulas Arca pro sacro susciperet deposito? Si dubitet quis, perpendat qualis hæc Arca fuerit. Si Materiam spectemus, erat Arca ex lignis firmissimis facta, nec cariem sentientibus, nec putrescentibus. Si Ornatum, auro, metallorum omnium firmissimo, erat obducta: fortassis & in hoc Legis Immortalitas præfigurata est. Si Formam & figuram, erat Arca τετράγωνος, quanquam non æqualium laterum, propter exuberantem longitudinem: fortasse & in hoc est aliquid ad Legis Firmitatem significandam. Postremò, si Mysterium, erat Christi incarnati typus Arca, ut Cyrillus & è Patribus alii. Quid ergò Lex in Arca, nisi Lex in Christo adimpleta & stabilita, & in Evangelio perpetuata? Sic ad Evangelii Speculum nos Arca ducit, quod quartum est Speculum, nunc demum introspiciendum; ut post intuitum Æternitatis Legis Moralis in Divinæ mentis Speculo primo, & humani pectoris altero, & tabularum Legalium tertio,

Nunc tandem ad quartum nos conferamus, ut ex hoc Evangelii purissimo Speculo Ætatem quartam Legis paulò penitiùs contemplemur, quæ facies ejus fuerit sub Christo & Apostoli. Et in hoc quidem sive Seculo, sive Speculo, Ætatem Legis nos floridam & vegetam atque virentem constituimus: Antinomi contrà, eam in præcipiti ævo & occidua senectute statuunt, anilem & rugosam faciem ei consuentes, nec non ætatem fractam, invalidam, & extrema

extrema tangentem. Sed ipsorum hac in re incogitantiam atq; temeritatem evolutam satis & nudatam jampridem accepistis. Cum Scholasticis hodie depugnandum est, sed remoto contentionis studio; neque cum veteribus, sed recentioribus; nec omnibus, sed quibusdam: etenim multa sunt quæ in hanc partem argumentantur, idque diffidentibus sententiis. Nam licèt omnes fateantur, Præcepta Moralia, quatenus sunt præcepta Legis Naturalis, neque fuisse abrogata, neque mutari potuisse, sed habere obligationem perpetuam & invariabilem, in Evangelio ipso confirmatam: nihilominus de iisdem Præceptis Moralibus, an & nunc Christianos obligent, prout tradita fuerint à Deo in Lege Mosis, & nonnulli sunt qui dubitant, cæterique inter se quàm maximè discordant.

Ad tria Capita Sententiarum discrimina revocari possunt: Unum eorum qui distinguunt inter Moralia & Naturalia; alterum eorum qui inter Moralia & Evangelica; tertium eorum qui inter Moralia & Mosaica. Videamus ordine singula.

Caput primum eorum est qui distinguunt inter Naturalia & Moralia, aiúntque præcepta Decalogi quà Naturalia, vim suam in Evangelio retinere; quà Moralia, vigorem omnem perdidisse, atque cessasse non minùs Moralia Legis quàm Ceremonialia & Judicialia. Est Conclusio decisiva Ludovici de Tena, qui se in hac causa tractanda pertinaciùs gerit cæteris, *in Heb. 8. Diffic. 5. f. 3, & 4.* acumine suo deceptus, dum indivisibilia dividit, & inter notiones distinguit quæ non sunt ullo modo secernendæ. Ecquid enim est absurdius quàm suo se telo sauciare, dicendo, *Manere præcepta Divina quà Naturalia, quà Moralia abrogari?* quasi verò non essent à prima origine Moralia omnia, cùm primùm Naturalia exstiterint. Ergò adversus hanc primam sententiam sit ista Propositio, In Decalogi immutabilitate astruenda, Morali Naturale non debet contradistingui, nedum anteponi. Ratio,

Primò, Quia est insulsum, cùm in hac parte Naturale & Morale supponunt pro terminis reciprocis. Quis nescit Legem, quà Moralem, esse naturæ nostræ impressam, h. e. quà morum vitæque agendæ regulam; & vicissim, Eandem Legem, quà naturaliter impressam, esse æqui & iniqui, boni & mali, honesti & turpis, h. e. morum, regulam?

Secundò, Quia est præposterum Naturale Morali anteponere: nam si alterutro termino Prærogativa aliqua tribuenda sit, necesse est ut vox *Moralis* eam sibi magis vendicet quàm vox *Naturalis*. Morale Divinius aliquid sonat; τὸ Naturale est recentius & incertius quàm Morale. Naturalis Lex dicitur tantùm propter circumstantiam temporis primævi, quia in πρωτοκτισίᾳ naturæ nostræ infixa est: Moralis erat ante naturam conditam, cùm ab æterno in Idea mentis Divinæ fulgebat, pro morum humanorum norma postmodum constituenda, & Moralis mansisset, etiamsi in natura nostra non fuisset insculpta. Adhuc, Moralis dicitur propter materiam ipsam substratam; Naturalis tantùm propter Suppositum cui infixa est. Quòd sit Moralis, est intrinsecum quid in se positum; quòd Naturalis, adventitium & respectu nostri. Adeò illud quod est Perpetuitatis Legis constitutivum, est Moralitas; impressio ipsius in natura nostra est tantùm signum Perpetuitatis: quia Moralis, est perpetua; quia Naturalis, ostenditur tantùm quòd sit perpetua. Deinde verò, si ut Naturalis consideretur, meminisse oportet, quantum sit passa deliquium, & tantùm non interitum, ex Adami lapsu, nisi quòd reliquiæ quædam & confusa vestigia supersint: at quà Moralis, nunquam aut est passa, aut passura, vel detrimentum vel diminutionem. Quocirca mirari satis non possum ingenium hominis, ut in ipso limine quæstionis titubaret, & quasi sui oblitus, assereret, Naturalem manere, Mora-

lem abrogari. Fortasse hoc est quod dixisse voluerat, Manere quà Naturalem, quà Scriptam abrogari. At neque sic feliciter procedit, cùm scribendi ratio non detrahat firmitati, sed augeat potiús. Nam si non scripta obligabat, accedit nova majórque obligatio postquam scripta fuerit: & si sit planè Lex eadem (ut ipse non invitus fatetur) quæ in naturalibus & legalibus tabulis conscripta est; certo certiùs scribendo non minuitur ejus authoritas, sed duplicatur. Mittamus igitur hanc primam sententiam, quæ sine ictu nostro, mole suâ præceps ruit, & ad secundam accedamus.

Caput secundum eorum est qui distinguunt inter Moralia & Evangelica, aiúntque Legem veterem ut Moralem cessasse, manere ut Evangelicam. Est hæc ejusdem Ludovici constans & reiterata assertio, passim in scriptis suis disseminata; nec non Suaresii, in hujus agitatione quæstionis, quam in argumentorum ventilatione sæpius repetit, sed obiter & in transcursu: eadem etiam Wolfgangi Musculi, inter nostros. Verba ipsius sunt, in Locis Theologicis, capite De Legibus, *Abrogata est tota Lex vetus, & omnes ejus partes, etiam ipsa mandata Moralia: neque mandatis illis obligamur quà sunt mandata Legis, sed quà mandata Christi, sive Evangelii.* Sed non deest tamen quod ad viri boni excusationem prætexi potest, Zelo pietatis calamum fortuitò lapsum, dum in hoc totus intentus fuerit, ut Legem à negotio Justificationis excluderet; adeò facile est de itineribus deviis impensiùs cogitanti è via recta deflectere: & quòd hæc errati causa fuerit, capitis series ostendit, in qua nè suæ quidem sententiæ parcit, sed sibimetipsi apertissimè contradicit, prorsus quasi sui pertæsus ab errore se sponte revocaret, pugnantia loquendo. Ejusmodi est illud juxta finem capitis; *Christianus*, inquit, *faciens contra ea quæ scripta sunt in Decalogo, enormiùs peccat quàm si hoc sub Lege constitutus faceret; tam abest ut liber sit ab iis quæ illic præcipiuntur.* Ejusmodi & illud in ipso capitis exitu; *Tam abest ut damnemus usum Decalogi, ut admodum laudemus eorum studium & diligentiam qui primi illum ad catechizandum neophytos usurpandum esse judicarunt.* Hæc ille, quasi palinodiam canens, vel potiùs suiipsius interpres optimus, ut ostenderet se de vi Damnatoria Legis locutum, non de vi Regulativa. At verò sub hoc prætextu specioso Scholastici non possunt evadere; de Justificationis doctrina sarta tecta servanda isti non sunt soliciti. Insuper & perstant in sententia, neque eam recognitione aliquâ retractant, quod homo modestus & pudens Musculus faciebat. Ergò in ipsis Distinctionis terminis jam denuo illaqueandi sunt: cùm revera utraque loquendi formula à Theologia puriore exorbitet; & illa quâ Legem Moralem *Legem veterem* vocant, & illa quâ Moralia ab Evangelicis distinguunt. Inprimis illud est duriusculum, quòd Legem Moralem *legem veterem* vocant, quia vetus non est quod de integro renovatum est, nisi simul dicatur & semper vetus esse & semper novum; sicut S. Apostolus Joannes loquitur, cùm Dilectionem *mandatum vetus* appellat, sed idem *mandatum novum.* Agnosco aliquando vocabulum in laude poni, esséque honoris formulam, ut Vetus sit quod per ætatem vires acquisivit; atque sic Legem Moralem *Legem veterem* ritè appellari. At interdum vocabulum ad vituperationem refertur, éstque dedecoris nota, ut Vetus sit quod vietum & cariosum, cujus per ætatem vires debilitantur. In hoc sensu Lex *vetus* absque insigni injuria non appellatur. Quòd si quis *vetera* præcepta appellet, habito respectu ad ipsorum primordia, omnino non peccat: est enim Lex Moralis plurimorum annorum; ætatem habere necesse est, quod unà cum hominis Creatione incepit. At si quis *vetera* dicat, sicut in hac disputatione Scholastici, vel per Antithesin ad Moralia Evangelica, vel etiam comparatione factâ ad ea quæ temporis processu effluunt & evanescunt; ad

limatiorem

limatiorem loquendi normam necessariò revocandus est, quoniam istis sensibus Lex Moralis non subjicitur. Est Ceremonialis Lex *vetus*, quia præteriit; est Judicialis Lex *vetus*, quia ipsius obligatio extinguitur: Moralia *vetera* non sunt, quia ad novum hominem pertinent; *vetera* non sunt, quia veterascere nesciunt; sunt Vetera antiqua, non Vetera antiquata, quia eadem Moralia Evangelii quæ Decalogi. Hæc aberratio prima.

Altera est, Quòd Moralia Decalogi distinguunt à Moralibus Evangelicis. Sit igitur contra secundam sententiam ista Propositio,

In Legis Immutabilitate explicanda, Moralia nullo modo sunt disjungenda ab Evangelicis. Ratio duplex occurrit. Ratio prima, quia Evangelii definitio non fert; Mores & vitæ probitas in Evangelii definitionem necessariò sunt recipienda. Sic Scriptura ipsa, sic Patres Evangelium definiunt. S. Paulus, Tit. 2. 11. *Est gratia Dei salutifera, erudiens nos, ut abnegatâ impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter & justè & piè vivamus in præsenti seculo.* Evangelium non sic statuit fidem, ut tollat mores: sed Summa Evangelii est fides per charitatem operans; & prædicatio Evangelii vocatio est ad fidem & pœnitentiam; h. e. non solùm ad credendum, sed insuper ad vitam piè & honestè transigendam. Hoc modo Evangelium describit S. Basilius, [*c. 15. de Spiritu Sancto.*] Τὸ εὐαγγέλιόν ἐστι τῆς ἐξ ἀναστάσεως βίου προδιατύπωσις, *Evangelium est forma vitæ quæ est ex resurrectione*, hoc est, ipso interprete, *ejusmodi forma quæ sanctam conversationem præscribit*; ut non irascamur, ut malorum tolerantes simus, & à voluptatum amore puri, ut à studio pecuniæ mores sint liberi: quæ omnia sunt præcepta Decalogi. Hoc modo Eusebius, [*Præpar. l. 1. c. 1.*] *Evangelium est quod annuntiat hominibus* τὴν παρουσίαν τῶν ἀνωτάτων καὶ μεγίστων ἀγαθῶν, *cælestium maximorúmque bonorum præsentiam.* Tum deinde sequitur, τούτων δὲ τὸ κεφάλαιον εὐσέβεια, *caput autem horum bonorum est pietas.* Denique, hoc modo Isidorus Pelusiota, [*l. 2. Ep. 288.*] *Lex*, inquit, *quid est?* ἄριστον ὀρθότητος παίδευμα, *optimum integritatis documentum*; *& Evangelium quid?* φιλοσοφίας ἐστὶ προτροπὴ, *cohortatio est ad philosophiam*; Sacram intelligit philosophiam: h. e. cohortatio ad vitam rectè instituendam. Ergò cùm mores sancti in Evangelii definitione concurrant, sequitur quòd Moralia non sunt excludenda ab Evangelicis. Hæc Ratio prima. Secunda Ratio est, quia peccat Distinctio in ipsis terminis, dum diversa supponit quæ sunt eadem, Moralia, Legalia & Evangelica. Ecquis affirmabit diversam esse morum regulam nostris temporibus atque anteactis seculis, Christianis & Judæis? Adducat, si possit, vel minimum aliquod præceptum purè Morale ex Evangelio, quod non sit in scriptis Prophetarum priùs positum, quódque non sit idem ad Præcepta Decalogi referendum; & tum demum distinguat inter Præcepta Moralia & Præcepta Evangelica. Si alia esset morum regula in Decalogo, alia in Evangelio, esset quidem suus Distinctioni locus & authoritas: at contrà, eadem est utrobique, eadem in Lege quæ in Evangelio, quia de Lege morum regulam sibi Evangelium arripuit; & de hac morum regula nihil detraxit, nihil addidit, nihil mutavit. Ergò non ex Evangelio solo petenda est morum regula: imò verò, sicut eruditè & piè Chemnitius observavit, Non modò non ex Evangelio solo petenda est doctrina regulativa bonorum operum, sed, quod majus est, non ex Evangelio præcipuè, quia Evangelium trahit hanc regulam è Lege; adeóque propriè loquendo, non Evangelium, sed Lex Dei, sive Decalogus, juxta interpretationem Prophetarum, Christi & Apostolorum intelligendus, est prima norma & fundamentalis boni peragendi, fugiendíque contrarii. Respondeant igitur verbo; Lex Moralis confirmatur Evangelio, an non? Confirmatur. Si confirmetur, ergò sic transiit in Evangelicam, ut tamen maneat utrobique Moralis. Hæc ratio secunda,

cunda, quâ sententiæ secundæ error detegitur. Atque hæc de Capite secundo dixisse sufficiat.

Caput tertium est eorum qui distinguunt inter Moralia & Mosaica, dicúntque cessasse Præcepta Moralia, non quà Moralia aut Naturalia, sed quà Mosaica; adeóq; in se Legem Moralem esse perpetuam, in Legislatore Mose fuisse temporariam. Hæc Scholasticorum communissima est eáque definitiva sententia, Moralia, quà Naturalia, reviviscere in Evangelio; quà Mosaica, seponenda esse. Sic Dominicus Soto, Azorius, Valentia, Lorca, aliíque in 1am 2æ Commentatores. Imò & Barthol. Medina in 1am 2æ, qu. 103. art. 3. eò usque esse rem certam & indubitatam existimat, ut eam de fide esse non vereatur asserere. Sed Suaresius occurrit, & mirari se dicit aliquem Thomistam ausum fuisse dicere opinionem hanc esse aut de fide, aut indubitatam. E nostris in hanc sententiam Hieron. Zanchius transiit. *Lex Moralis*, inquit, *ad Christianos non pertinet, quatenus per Mosen tradita est, sed quatenus Legi Naturali consentanea, & à Christo ipso confirmata*: & rursus, *Lex Decalogi, quatenus Lex erat Mosis, abrogata est; sed quatenus per Christum fuit confirmata, non est abrogata*: & denuo, *Translata est Lex è manu Mosis in manum Christi: ut igitur erat in manu Mosis, abrogata est; ut verò ad Christum est translata, est confirmata, & doctrinam ejus vult Deus esse perpetuam in Ecclesia.* Est hæc omnium celeberrima receptissimáque sententia. Cúmque duæ superiores, falso nixæ fundamento, suo se humore oleóque suffocant: hæc pervulgata est ubique, & in Scholis decantata, ut veritati maximè consona. At est tamen quod & contra hanc sententiam urgeri potest, atque Vasquez & Pererius urgent. Pererius apertè; *Lex Mosis*, inquit, *quoad observationem Decalogi & Moralium præceptorum, non minùs nunc obligat Christianos quàm olim Judæos*: & Vasquez, *Præcepta Moralia*, inquit, *Christianos obligant non tantùm ex vi Legis Naturalis, sed etiam Mosaicæ; ità ut quantum ad Moralia etiam nunc vigeat Lex Mosaica.* Rationem addit; *quia Lex Mosis quantum ad hæc neque à Deo revocata est, neque à Christo antiquata, neque ex Scriptura de tali revocatione constare potest.* Quod fundamentum ipse Suarez, licèt contrà disputet, pro firmissimo agnoscit; Legem veterem nullo modo mutari potuisse ab alio quàm à Deo, vel juxta decretum ipsius Dei. Atque verò hoc supposito, Quòd Lex Moralis sit Mosaica dicenda, & Quòd præcepta Decalogi sint numeranda inter ea quæ vulgò *Legalia* appellantur & *Mosaica*, appositissimè urgetur à Vasquesio, Respectum Mosaicum non tollere naturam Moralium. Verùm si mihi liceat expromere quod sentiam, rectiùs occurri posse puto huic tertiæ sententiæ, si dicamus, Moralia præcepta non esse inter Mosaica & vulgò dicta *Legalia* recensenda, quàm si negemus Mosaica & Legalia omnia abrogari. Non enim ibo inficias Mosaica omnia & Legalia aboleri; sed & illud adjicio, Moralia tum quidem non esse *Mosaica* aut *Legalia* appellanda. Quocirca pro hac tertia sententia duæ Propositiones statuantur.

c. de Decalogo, Thes. 1.

in Rom. 7. disp. 7. num. 20.

in 1am 2æ q. 103. ar. 4. disp. 180. c. 3, & 4.

l. 9. de Leg. cap. 9. nu. 2.

Prima hæc est, Lex Decalogi, propriè loquendo, non est cum Mosaicis & Legalibus miscenda; Ratio, quia rei natura non patitur. Nam primò quæro, Quæ sunt propriè Mosaica? Quæ Moses solus edixit populo, quæ Moses solus scripsit. Quænam autem illa? Ceremonialia & Judicialia sola: Præcepta Decalogi Deus ipse, non Moses, promulgavit; Deus ipse, non Moses, in tabulis lapideis exaravit. Author reliquarum Deus erat & institutor: Moralium non modò author, sed præco, sed Scriba & Amanuensis. Secundò quæro, Quænam sunt *Legalia* dicenda? Quæ alia nisi Legis Moralis accessoria & additamenta? Quænam sunt illa? Typica & Forensia. Non mea est Distinctio, sed ipsorum Scholasticorum. In Sacramentorum tracta-

tractatibus Scholastici inter Sacramenta & Sacramentalia distinguunt; & Sacramentalia vocant quæ Sacramentis annexa sunt. Similiter & inter Doctrinam & Doctrinalia; & quæ ad disciplinam pertinent Doctrinalia vocant, sive Doctrinæ appendices. Pariter & nobis liceat inter Legem & Legalia distinguere; ut Legalia sint propriè Legis appendices, sive ea quæ Legi Morali annexa sunt: & sic Moralia non sunt Legalia censenda, sed Ceremonialia & Judicialia: Ceremonialia, quia dependent à Moralibus primæ Tabulæ; Judicialia à Moralibus secundæ tabulæ, ut Halensis. In hunc verò lapidem imprudenter impingunt Antinomi, quod maximè cupio ut observare velint; dum in antiquis Authoribus & Patrum scriptis sæpius legunt, *Mosaica aboleri, Legalia transiisse*, statim illa detorquent ad præcepta Decalogi, & ad Legem Moralem ipsam: cùm tamen nec Lex Moralis ad Legalia, nec præcepta Decalogi ad Mosaica sunt referenda. Legem abrogari dicunt authores passim, & nos agnoscimus, &, si volunt, totam Legem; sed non totum Legis. Abrogari Legem Moralem dicunt: sed quoad vim Damnatoriam, non vim Regulativam. Abrogari Legalia dicunt: sed solas Ceremonias & Judicia intelligunt per Legalia. Abrogari Mosaica dicunt: sed per Mosaica Præcepta Decalogi non intelligunt; hæc enim nec propriè Mosaica, nec propriè Legalia sunt reputanda. Quòd si quis teneriori stomacho sit quàm qui Distinctionem istam digerere valeat, non depereo: Sint Moralia Mosaica, & Lex Decalogi inter Legalia enumeretur, præsertim cùm Scriptura *Legem Mosis & Legem datam per Mosen* nuncupet. Sed juxta hunc loquendi modum Propositionem secundam iis opponimus. p. 3. Q. 28. Art. 2.

Propositio secunda hæc est, Posito hoc, quòd Moralia dicenda sunt Mosaica, non sequitur abrogari Moralia. Eligant è duobus istis quod velint. Si Mosaica omnia abrogata, Moralia non sunt Mosaica: Si dicenda Mosaica, at non sunt abrogata; quia non Mosis omnia, nec Legis omnia in Evangelio adventu Christi sunt antiquata; sed typi, imagines, onera & pædagogia Legis. Unde patet? aut quomodo internosci potest? Facillimè, duobus modis. Primò, Ex Scriptura ipsa, quæ Ceremonialia & Judicialia abrogari nominatim indicat; & per instantias Circumcisionis, Sacrificiorum, Festorum, &c. Moralia similibus instantiis ubique confirmat. Et hoc Suaresius ipse fatetur; *De lege*, inquit, *Ceremoniali Paulus dixit, reprobatam eam propter ejus infirmitatem & inutilitatem: de Lege Decalogi nunquam dixit; neque sancti Patres aut Theologi ità loquuntur: nam si admittendum sit in Lege Morali, admittendum erit in Lege Naturali.* Secundò, patet ex Authorum consensu: constans est sententia antiquorum Patrum veterúmque Scholasticorum. Inter Patres, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Leo, Bernardus, sic nodum exsolvunt. Hier. l. 2. cont. Pelagianos, *Quæ in Lege ad vitam & mores pertinent, observanda sunt; quæ ad ritus & Ceremonias, relinquenda.* Augustinus, cont. Faustum l. 10. c. 2. Judæo percontanti, Cur teneret Vetus Testamentum, cujus non servaret præcepta; *Respondeo*, inquit Augustinus, *servari à Christianis præcepta vitæ agendæ, i. e. Moralia; præcepta verò vitæ significandæ, h. e. Ceremonialia, suo tempore rectè observata.* Theodoretus in 1 Tim. qui locus suprà à me est prænotatus, *Quæ sunt Legis necessaria*, inquit, *Natura ipsa docuit; Non adulteraberis, Non occides, Non furaberis: quæ autem constituta erant de Circumcisione, de Sacrificiis, de Aspersionibus, ea erant Legis propria & supervacanea. Et necessaria quidem Legis consonant cum Evangelio, Legis propria & supervacanea solvuntur.* Ab ipso Salvatore Distinctionem mutuatus est, qui in Matth. 23. 23. partitionem similem habet inter τὰ τῦ νόμυ μικρότερα, ϗ τὰ τῦ νόμυ βαρύτερα. *Væ vobis, Scribæ & Pharisæi, qui decimatis mentham; at judicium*

&

& misericordiam omittitis, quæ graviora sunt Legis: Excolatis culicem, & camelum deglutitis. Ex una parte minora indicat, & quasi culices Legis; ex altera χαμήλεια, *& graviora Legis.* Post Theodoretum, audiamus Leonem Magnum, Ser.6. de Jejunio decimi mensis; *Quædam*, inquit, *de mandato veteri ad novam observantiam transferuntur: significationes enim & figuræ cessarunt; sed ea quæ ad regulas morum & ad simplicem Dei cultum ratio pietatis instituit, in eadem apud nos forma in qua sunt condita perseverant:* & Ser. 14. de Pass. Domini, c. 5. *Figuratarum promissionum Sacramenta Christus mutavit: in præceptis autem Moralibus nulla prioris Testamenti decreta reprobata, sed Evangelico magisterio multa sunt aucta.* Postremò, Bernardus, Ser. 28. ex parvis, *Duplex*, inquit, *in Lege veteri præceptorum genus invenio: sunt Moralia quædam, ut, Non concupisces, Non adulteraberis; sunt etiam Figurativa & umbratilia quædam, ut sanguis hircorum, & taurorum immolatio. Venit igitur Christus ut Moralia impleantur per Gratiam; quæ verò Umbratilia & Mystica, deinceps ad literam non observentur, sed secundum spiritum spiritualiter intelligantur.* Hæc sufficiant ex Patribus. Adsunt pariter multa ex veteribus Scholasticis. Aquinas, in illa verba, Mat. 5. NON VENI LEGEM SOLVERE, SED ADIMPLERE; *Dicendum est*, inquit, *duplicia fuisse in veteri Lege præcepta, Ceremonialia, & Moralia: Ceremonialia solvit; Moralia non solvit, sed adimplevit.* Durand. in 4. D. 1. q. 9. num. 5. *Præcepta Moralia pro omni tempore, scil. ante Legem, & sub Lege, & post Legem, debuerunt manere, & manent.* Mitto Scotum, Bonaventuram, & reliquos melioris notæ, qui ubique prostant & universorum manibus teruntur. Consulamus aliquos qui non nisi rariùs inveniuntur. Inter istos sunt Paludanus, D. 1. qu. 6. ar. 5. conc. 2, & 3. *Legalia*, inquit, *& Ceremonialia cessarunt: Moralia nunquam cessant, sed semper remanent.* Et Joan. Major, in 4. D. 3. q. 1. *Judicialia & Ceremonialia mutata sunt: quoad Moralia, quæ sunt præcipua in Lege, Christus nullo modo Legem solvit, sed roboravit.* Et Joan. de Bassolis, in 3. D. 40. Art. 2. *Cessaverunt Ceremonialia & Judicialia: sed Moralia remanserunt, modificata ampliùs, & determinata per Christum.* Et Guido Brianſonius, in 4. q. 3. Docum. primo, *Decalogus manet nunc, & ad eum obligamur: Judicialia non manent in se, sed in suo effectu, sc. vitâ pacificâ; Ceremonialia non manent in se, sed in suis significatis.* Postremò; sed quid ego dico postremò? Si progrediar, finis nullus erit recensendi. Prætereo reliquos, quia occurrendum est aurium satietati; nam vereor nè tædio vobis fuerim eadem sæpius inculcando, quamvis ex ore diversorum testium, qui omnes adeò unanimiter consentiunt, ut in Axiomata & Proverbia Theologica res transiit. Decalogus est immutabilis: Hoc axioma unum. Cessavit Lex quoad Ceremonialia & Judicialia, non quoad Moralia; Hoc axioma alterum. Quid ampliùs opus est testibus? Quòd si testibus solis agendum esset, ecce advolant ut nubes, & ex hac nube Sole clariùs elucescit, magno assensu celebratam sententiam fore, Quòd Lex Moralis etiamsi *Mosaica* dicatur, valorem suum retineat quà Moralis, imò quà Mosaica; h. e. quà Moses fuit cœlitus designatum organum illam & ad Judæos & ad Gentes per scripta sua transferendi. Sicut Psalmi Davidici, hoc Amanuensi supposito, authoritatem à Deo habent quà Davidici, & Epistolæ Paulinæ quà Paulinæ, & scripta Prophetica quà Prophetica, & Apostolica quà Apostolica. Neque quisquam est in Logicis mediocriter versatus qui nesciat, particulas istas *quà*, *quatenus*, *in quantum*, licèt in sensu Reduplicativo faciant sensum causalem; at in sensu Specificativo faciunt tantùm sensum declarativum: ut illa Propositio, Homo quà capillatus est crispus, Reduplicativè non tenet, Quòd homo sit crispus quia capillatus; nam multi sunt capillati

pillati qui non sunt crispi; at Specificativè est verissima, quòd secundum eam partem quâ habet capillos est crispus, quia nemo potest esse crispus qui non est capillatus. Pariter & in quæstione quam tractamus; etsi particula *quatenus* non teneat Reduplicativè & Causaliter, Præcepta Moralia purè ex eo obligare quia Moses Legislator ea scripsit: at Specificativè & Declarativè est irrefragabilis, Præcepta Moralia obligare quæ Moses scripsit. Propterea relictâ hâc λογομαχίᾳ, accedo breviter ad Propositionem decisivam, si hoc priùs præmisero, non posse ex istis Scholasticorum discrepantibus sententiis vel tantillum Antinomos arripere sibi ad ipsorum pessimi dogmatis patrocinium. Nam inter Scholasticos non de reipsa, sed de nomine est dissidium, non de vigore ipso Legis, sed de modo loquendi; An valorem hunc habeat Decalogus à Natura, an ab Institutione, an ab Evangelio: adeò de reipsa consentiunt, de modo discordant. At verò Antinomi multò se altiùs efferunt, & sicut talpæ ipsa fundamenta suffodiunt, dum Legem Moralem Christianis interdicunt, asseruntque, Legem Moralem non esse dignam quæ vocetur Verbum Dei; Legem non docere bona opera, neque idcirco esse prædicandam; Præcepta Decalogi nihil ad Christianos pertinere; & quicquid præterea evomere possit contra sanctissimam vitæ regulam os blasphemum, attestantibus gravissimis authoribus, necnon ipsorum sparsis ubique proletariis chartis. Nunc hoc præmisso, de quarto hoc Speculo ista Propositio statuatur, Lex Moralis, non modò quà Naturalis & Evangelica, sed quà Moralis, authoritate regulativâ atque obligatoriâ pollet, à Christo & Apostolis omnibus confirmatâ. A Christo locis multis, nominatim illo, *Quæcunque vultis ut faciant vobis alii, vos facite illis; Hoc est enim Lex & Prophetæ*, Mat. 7.12. Cùm dicit, *Hoc est enim*, rationem urget, eámque à Legis vinculo desumptam; ostendens, ut Nyssenus loquitur, ὅτι πάντα πρὸς βεβαίωσιν τῶν ἀρχαίων νομοθετεῖ, *quòd ad confirmationem antiquorum omnia sancivit.* *Orat. in S. Stephanum.* Deinde ab Apostolis omnibus: à S. Paulo multis in locis, sed eminenter in illo, Eph. 6. 1. *Honora patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum cum promissione.* Prorsus quasi dixisset, idcirco præstandum est, quia in Lege mandatum est. A S. Jacobo multis, sed inprimis illo, cap. 2. ver. 8. *Si Legem regiam præstatis secundum Scripturam, Diliges proximum tuum sicut teipsum, bene facitis:* dein vers. 10. *Qui dixit, Non mœchaberis, dixit etiam, Non occides.* A S. Joanne multis, sed illo præcipuè, *Hoc mandatum ab eo habemus, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum: & hoc est mandatum quod habuimus à principio, ut diligamus alii alios.* Atque hoc ipsum sæpissime inculcat, Mandata Christi esse mandata Legis & Prophetarum: ut si quis præcepta Decalogi despiciat, etiam Prophetas & Christum & Apostolos contemptos habeat necesse est. Et meritò, quia Decalogi interpretes Prophetæ omnes fuerunt, pariter & Christus, pariter & Apostoli omnes, adeóque assidui, ut vix ulla sit in ipsorum scriptis pagina ubi amor, timor & cultus Dei, ubi dilectio proximi nobis non commendetur. Et quorsum hæc omnia, nisi ut hoc uno animos nostros imbuerent sanctissimo firmissimóque Theoremate, quod Auditoribus suis Beatum Dorotheum legimus verbis aureis tradidisse, in libro De vita rectè instituenda, Doctrinâ primâ, αἱ ἐντολαὶ, inquit, πᾶσι τοῖς Χριστιανοῖς ἐδόθησαν, καὶ ὑπόκειται πᾶς Χριστιανὸς φυλάξαι αὐτάς· ὥσπερ γὰρ ἀπόδοσαί εἰσι βασιλεῖ κεχρεωστημέναι, *Decem præcepta sunt mortalibus omnibus data, & ad ea observanda quisque compellitur; sunt enim quasi vectigalia annua Regi su-*

premo debita, & qui non persolvit puniendus est? Sed non ausim me huic pelago committere, quia in immensum panditur. Atque revera hunc sinum jamdudum circuivimus, neque in animo est patientiæ vestræ repetitionis fastidium obtrudere; præsertim cum fluctus fluctui, & unda undæ non sit tam nativis & finitimis vinculis copulata, ut Prophetæ Mosi, & Christus Prophetis, & Apostoli Christo, & Legi Morali universi quasi catenatim consociati; ut si quis annulum Legis solvat, integram catenam destruit dissipátque. Desinant igitur posthac voces illas inter se committere, *quà Naturalis, quà Moralis, quà Evangelica*; aut illas, *quà Mosaica, quà Prophetica, quà Apostolica:* recurrunt enim in se invicem singula, séque mutuò suffulciunt. Quod Athanasius in ea Epistola quæ est de Nicena Synodo de Patriarchis dixit, retrorsum respiciens, Ἃ ἐδίδασκε Μωσῆς, ταῦτ' Ἀβραὰμ ἐφύλαττεν· ἃ δὲ Ἀβραὰμ ἐφύλαττε, ταῦτα Νῶε καὶ Ἐνὼχ ἐγίνωσκον, &c. *Quæ Moses docuit, eadem ab Abrahamo observata sunt; quæ Abraham observavit, eadem Noe & Enoch agnoverunt, sic usque ad Abelem & Adamum:* sic liceat mihi similibus lineis antrorsum Legis vestigia ducere; Quæ docuit Moses, eadem & Prophetæ, quæ Prophetæ Christus, quæ Christus Apostoli, ubique idem Decalogus, in Natura constitutus, sub Mose redintegratus, confirmatus à Christo, ut quocunque se vertunt, nullum in istis vocabulis diverticulum inveniant. Si agnoscant manere Legem quà Naturalem; ergò quà Moralem, nam utraque eadem: Si negent quà Moralem manere; ergò negent quà Naturalem, quia utrobique eadem. Rursus, si agnoscant quà Evangelicam perpetuari; ergò quà Moralem: Si negent quà Moralem, necesse est etiam ut negent manere eam quà Evangelicam, quia eadem morum regulæ in Lege & Evangelio. Propterea quarti Speculi intuitûs hic finis esto.

Superest quintum Speculum Gloriæ: quæ quamvis sit extra terminos causæ, eáque quæstio subobscurior valdéque indagatu difficilis, neque ab aliquo, quod sciam, agitata; at ego in vestram gratiam & hoc adjicere non gravabor, quasi ex abundanti, si Deus affulserit.

LECTIO

LECTIO XXXI.

IN Concionibus ad populum habitis, ſolebat ſæpius vir ſanctiſſimus Joannes Chryſoſtomus multis antè diebus Auditoribus ſuis argumentum de quo erat dicturus prædicere: ut intermedio ſpatio volventes ea quæ elucidanda erant, unà ſecum ferrent *εὐμαθεστέραν διάνοιαν*, *inſtructiorem animum* ad ea quæ pòſt dicerentur; poſſétque hoc modo *τῇ γνώσει ἡ ἀνάγνωσις προοδοποιεῖν*, ſicùt ipſe loquitur, *cognitioni lectio viam præparare*, Sermone in Lazarum tertio, & in Matth. primo. Eodem planè conſilio & ego quæſtionem quæ de Legis in cœlo Perennitate hodie pertractanda eſt multò antè vobis præſignificavi, ut ſeptem dierum meditatione expeditiores vos & ad audiendum & ad judicandum exciperem. Quòd ſi de improviſo, nullâ priùs præmonitione factâ, in ipſam quæſtionem ſtatim irruiſſem, horâ eâdem propoſiti factíque, deliberationis ſimul & diſquiſitionis conſtitutâ, vereor nè inanis opera eſſet, atque futurus labor non profuturus; cùm difficilia quæque non niſi per gradus & intervalla guttatim ſunt infundenda; & ut abſque recognitione multa non infiguntur, ità abſque præcognitione aliqua non penetrant animum audientis. Propterea hæc inſtituti noſtri ratio fuit, hæ cauſæ cur vobis hodiernæ menſæ apparatum prænuntiaverim, ut ad expertos loquens & in hac exercitatione aliquantiſper verſatos, non Auditores ſolos aut ſequaces vos haberem, ſed duces comitéſque viæ, qui & commodè dicta probetis, & quæ ſecùs corrigatis. Nec meus me fefellit animus; video enim vos adeò inſtructos undique, ut mihi præeatis cogitationibus veſtris, verbáque mordicus arripiatis priuſquam ore exceſſerint: ut de vobis dici poſſit, quod de ſuis S. Auguſtinus in re ſimili, *Præceditis meditationibus veſtris, & quæ dicturus ſum noſtis; & celeritate intelligendi non ſolùm percipitis dicta, ſed prævolatis dicturum.* Propterea non doceo, ſed commemoro quæ jam ſcitis: imò nec doceo, quia noſtis, nec commemoro, quia meminiſtis; ſed rogo ut ſimul dicamus quod communiter ſcimus; rogo ut conferamus unà quæ de hac re meditati ſumus. Ego, pro munere quo fungor, meam liberè non refugiam expromere ſententiam, in veſtram, ſi quis meliora indicaverit, libentiſſimè ceſſurus.

Eſt autem Quæſtio quam enucleandam ſuſcepimus non minùs ardua quàm nova, de Lege quâ cœleſtes Animæ devinciuntur in ſublimi illo ſtatu ſolióque Beatitudinis conſtitutæ. Eóque futura eſt implicatior, quia & Natura nihil, & Scriptura parùm luminis ſuppeditat; calamo digna Apoſtolico, vel magìs Angelico, quia de ejuſmodi myſterio quærit, quod ſine Jacobi ſcala, aut raptu Pauli, vix aut nè vix quidem eſt inveſtigandum. At pertentandum eſt tamen, quoad ejus fieri poſſit, eò quòd ad Legis Moralis Perpetuitatem aſtruendam maximopere conducit. Et huc quoque nos ordinis ratio revocat; ut poſtquam eam in Divinæ mentis, & Adami pectoris, & Legalium Tabularum, & Evangelii Speculo contemplati ſumus, ad Gloriæ hoc quintum properemus, nè in extremo Speculo aut cæcutire, aut ſaltem deficere oculi videantur. Sit igitur de hoc ultimo Speculo iſta Propoſitio, Ea ipſa Lex Moralis, Juſtitiæ Practicæ perfectiſſima regula, quæ ab æterno fulgebat in ſuo prototypo, &

ab exordio creationis in Adami pectore est insculpta, posteàque per varios patefactionis modos in usum Ecclesiæ sub Mose, Prophetis, Christo & Apostolis redintegrata, tam abest ut adventu primo Salvatoris sit abrogata, ut etiam post adventum secundum in cœlo per omnes æternitates sit perpetuanda. Si paulò prolixior Propositio videatur, accipitote paucis; Lex Decalogi, ut est regula vitæ, sicut non in hac, ità nec in futura vita abolebitur, quod ad ipsa præcepta pertinet. Nunc est contractior multó: sed & sic quoque tres in se Quæstiones comprehendit, ordine suo explicandas.

1. An à supernæ Patriæ civibus Pietatis Virtutúmq; opera exerceantur. Hæc Quæstio introductoria.

2. An detur Lex aliquà, sive regula, juxta quam ea opera peragantur; & in quibus tabellis Lex ista sit reposita. Hæc Quæstio intermedia.

3. An Lex ista sive regula quoad substantiam discrepet à Lege Decalogi. Hæc Quæstio decisiva.

De singulis istis aliquid audire vobis, opinor, non erit molestum, præsertim cùm sint inter se adeò conglutinatæ, ut sine præjudicio causæ earum nulla præferri possit; neque enim itur ad tertiam nisi per secundam, neq; ad secundam nisi per primam: & ad singulas tribus verbis respondetur. Exercentur in cœlo Pietatis opera; Datur regula juxta quam hæc opera peraguntur; &, Hæc regula eadem est cum Lege Morali.

Exordior à prima, Quòd in cœlo Pietatis Virtutúmque exercitia modo eminentissimo vigeant inter Angelos & Sanctos Dei. Priusquam ad Quæstionis probationem accedam, duo sunt itineris impedimenta amovenda; Unum eorum qui contra virtutes Theologicas, alterum eorum qui contra Morales disputant.

Quæ contra Morales urgentur, cessare eas in Patria, duo sunt: Unum est illud Apostoli, qui ad Titum, cap.2. ver.12. Christi nos gratiâ erudiri dicit, ut sobriè, justè & piè vivamus in hoc seculo; quasi in futuro seculo harum Virtutum actibus non esset locus. Alterum illud Dialecticorum, qui habito Fine, cessare Media docent; quasi necessarium omnino foret, ut adeptâ Beatitudine Virtutes Morales cessarent, cùm tantùm Media sint Beatitudinis, tanquam ultimi Finis, adipiscendæ. At infirma hæc sunt & nugatoria. Atque vixdum adducor ut credam posse adeò delirare eruditum quemvis, ut dicat, Non esse in altero seculo vivendum piè, quia de præsenti solo S. Paulus loquitur; aut cessare Virtutum exercitia, quia desinunt esse Media. Esto, non sunt Media; annon sunt Officia? Sunt tamen etiam & Media: in magno illo cœlorum domicilio non ampliùs Media Viæ, sed Media Patriæ; non ampliùs Media Beatitudinis consequendæ, at sunt propriissima Media Beatitudinis exercendæ & retinendæ. Quemadmodum victus salubris & moderatus utrumque respectum habet ad sanitatem, & ut habeatur, & ut servetur: similiter & Virtutum actus, ut Media sunt Viæ, ità ornamenta Patriæ; in præsenti seculo ordinabilia ad obsequium Dei, in futuro ad participationem. Per hoc enim quòd totum hominem bene ordinant ad se & proximum, consequenter eum benè disponunt ad fruendum Deo. Hæc ea sunt quæ contra Virtutes Morales adducuntur, levia & nullius ponderis.

Contra Theologicas Scholastici argumentantur & unanimiter definiunt, E Theologicis duas, Spem & Fidem, nullo modo manere in Patria, imò nec aliquid ipsarum. Ratio prima, Quia istæ Virtutes sunt imperfectæ; Ergò non est existimandum manere eas in statu perfecto. Secunda, Quia manere Charitatem S. Paulus dixit, 1 Cor. 13. non Spem & Fidem.

Tertia,

Tertia, Quia hæ duæ virtutes circa res non visas & obtentas versentur: ergò cùm res obtenta fuerit, & Dei Visio communicata, cessare eas necesse est. Verùm nulla est istarum, me judice, quæ rectà ad Conclusionem procedit. Non prima, quia Charitas Viæ non minùs imperfecta est quàm Spes & Fides: at non ob id sequitur evanescere eam in Patria; imò idcirco manet, quia perficitur. Non secunda & tertia, quia licèt Apostolus de Charitate asserat, manere eam, non propterea sequitur Fidem & Spem non manere; de Spe & Fide tacet, non negat tamen. Cognitionem quidem evacuandam fore dicit; & tamen non simpliciter evacuanda est, sed quoad modum tantùm imperfectionis suæ, quia mutabitur in cognitionem perfectam. De Fide & Spe idem dicendum est; quòd Fides in claram Visionem mutabitur, & Spes in plenam Comprehensionem: neque propterea proprios actus perdunt quia novos recipiunt, sed utrosque simul retinent. Quia sicut de præsenti beatitudo possidetur, ità de futuro continuatio beatitudinis in omnem æternitatem semper possidebitur; adeóque semper erit credenda, & semper speranda. Ea propter Valentia fatetur, to. 2. disp. 5. q. 7. puncto 4. Non esse omnino certum quòd Fides penitus evacuabitur; imò quoad rationem genericam, & Spem & Fidem mansuram esse non dubitat asserere. Et de Fide ipse Aquinas agnoscit, quòd quamvìs non eadem numero maneat, at eadem genere in Cœlo manebit, quia erit Cognitio Dei in beatis, quæ communicat cum Fide in ratione generica: etiam & Spes manebit, quia erit in beatis Dilectio, quæ in ratione generica actionis Voluntatis convenit cum motu Spei. Postremò, & illud est adjiciendum, quòd è Patribus multorum est apertissima sententia, Fidem & Spem in Cœlo reviviscere. Irenæi, lib. 4. cap. 25. *S. Paulus dixit*, inquit Irenæus, *cæteris evacuatis, manere Fidem, Spem, Dilectionem.* Tertull. in lib. de Pœnitentia, circa finem, *Exhauriuntur Linguæ, Scientiæ, Prophetiæ: permanent Fides, Spes, Dilectio.* Oecumenii, in 1 Cor. 13. 9. *Non ità videre est*, inquit, *de Fide, Spe, Charitate, atque de aliis donis. Cessabunt dona Prophetica, quæ propter Fidem data sunt; Fides & Spes non cessabunt.* Imò verò οὐ μόνον ἐν τῷ νῦν αἰῶνι διαμένουσιν, ἀλλὰ πολλῷ πλέον καὶ ἐν τῷ μέλλοντι, *multò magìs manent in futuro.* Rationem reddit, τότε μᾶλλον ἐκλάμψουσι καὶ μᾶλλον ἐπικρατήσουσι, *tunc magis fulgebunt & magis dominabuntur*, & major erit eorum usus; majus enim erit Spei desiderium, & major Fidei fiducia. Hic actus purissimus Fidei, & ille Spei. Spei, Deum semper desiderare, & semper frui: Fidei, Deo semper adhærere, & credendo in Deum ire. Quòd si maneant secundum actus purissimos & maximè proprios, necesse est purissimè maneant. Sed mittamus hæc. Etenim utcunque de Spe & Fide dubitant, at de Dilectionis & Pietatis actibus, ad quos quæstio præsens spectat, concedunt omnes Scholastici, In cœlis manere eos in gradu summo & perfectissimo, tam eos qui Dei cultum, quàm eos qui complexum Proximi respiciunt. Quocirca utroque obice seposito remotóque, accedamus jam tandem ad ipsius Propositionis confirmationem, Manere scilicet Virtutum Pietatísque exercitia in Cœlo: & ut hæc pleniùs intelligamus, expendamus hæc tria.

Qui Virtutum actus excidunt in Patria, Qui manent, & Unde patet eos permansuros. Hæc tria tribus expediam Propositionibus.

Propositio prima, de actibus qui excidunt & intermoriuntur, hæc est, In cœlesti Patria, si qui actus Virtutum cessent, sunt tantùm actus hujus vitæ proprii & peculiares. Juxta hunc sensum de Patientia Lactantius loquitur, lib. 5. cap. 7. & lib. 6. cap. 15. quòd vim suam noménque retinere

non potest, si nihil sit quod pati cogamur; adeò neque in Cœlo Patientia erit, ubi quicquam quod toleretur non erit. Juxta hunc sensum Gregorius Magnus, qui lib. 6. Mor. cap. 28. Activæ vitæ opera asserit post hanc vitam cessare; hoc est, ejusmodi opera quæ hujus vitæ necessitatibus conveniunt. Non erit Malum aliquod in Cœlo quod Prudentia caveat, neque Libido aliqua quam coerceat Temperantia, neque Molestia quam toleret Fortitudo, neque quisquam re suâ carebit quam Justitia restituat; & ità de cæteris. Postremò, juxta hunc sensum Augustinus se explicat, in Psal. 83, & 86. *Opera bona,* inquit, *quæ modò nos perducunt, non ibi erunt: & omnia opera quæ necessitas flagitat, subtrahentur. Mortuâ necessitate, peribunt opera necessitatis. Nulla erit ibi angustia, nulla pressura, nulla diversitas & divisio limitum, nulla miseria; & quia nulla miseria, nulla opera misericordiæ. Non egentem invenies aut nudum quem tegas, nemo tibi occurret sitiens aut peregrinus quem reficias, nullus erit ægrotus quem visites, nullus mortuus quem sepelias, nullus litigatorum inter quos pacem componas*; cessabunt hæc omnia unà cum mandatorum vinculo quibus imperantur. Exempli gratiâ, quando illud nobis imperatur, *Frange esurienti panem tuum*; cessabit in Cœlo: *cui* enim *frangis, ubi nemo esurit?* quando illud, *Egenum sine tecto induc in domum tuam*; cessabit in Cœlo: *quem* enim *hospitem suscipis, ubi omnes in patria sua vivunt? quem visitas ægrotum, ubi perpetuâ sanitate gaudent? quem concordas litigiosum, ubi pax sempiterna est? quem sepelis mortuum, ubi semper vivitur? Nihil quidem horum acturi sumus* in Cœlo, *quia isti pupilli turturis jam volarunt de nido:* non sunt isti Virtutum bonorúmque operum actus Beatitudinis statui congruentes, sed peregrinationis nostræ necessitatibus sunt proprii; ergò excidunt omnes. Hæc Propositio prima, Si qui actus excidunt, ad hanc vitam spectant.

Propositio secunda est de actibus Virtutum qui in Cœlo permanent, atque est ejusmodi; In cœlesti Patria manent Virtutum actus Beatorum statui respondentes; adeóque ipsa vita activa in supremo excellentiæ gradu suavitatibus ineffabilibus referta, atque Beatorum statui attemperata. Huc S. Paulus respexit, 1 Cor. 13. 10. *Cùm venerit,* inquit, *quod perfectum est; evacuabitur quod ex parte est.* Quod idem est ac si dixisset, Actus Virtutis & Cognitionis hujus vitæ proprii præteribunt, manebunt actus statui beatifico accommodati. Destruetur imperfectio nostra, non id quod verum est evacuabitur. *Quod deest destruetur, quod imperfectum est implebitur in verum,* ut scitè Ambrosius. Huc spectat & illa celeberrima Aquinatis Distinctio, in 1ª 2æ qu. 67. art. 1. Quòd in hujusmodi Virtutibus aliquid sit Materiale, aliquid Formale: & quamvis ità se res habeat, ut in futura vita non maneant quantum ad id quod in eis est Materiale, quia ibi locum non habent delectationes ciborum, aut timores periculorum, aut rerum ad usum vitæ pertinentium distributiones & commutationes, cùm actus isti non sint statui glorioso accommodi; veruntamen secundum illud quod in eis virtutibus est Formale modo perfectissimo manent, quia Rationis rectitudo, quæ est ipsum Virtutis Formale, futura est in actionibus Beatorum modo excellenti. Postremò, huc spectat & illud Augustini, qui lib. 14. de Trin. cap. 9. factâ quatuor Virtutum Cardinalium instantiâ, hoc ipsum & illustrat & probat. *Si,* inquit, *Deo subditum esse Justitia est; aut laudare Deum Prudentia, aut uniri Fortitudinis, aut gaudere in Deo Temperantiæ; immortalis erit omnino Justitia, pariter & Temperantia, & Fortitudo, & Prudentia; nec in illa Beatitudine desinent. Erit ibi Justitia sine ullo jam metu Tyrannidis; erit Prudentia sine ullo periculo Erroris;*

In 1 Cor. 13.

Fortitudo,

Fortitudo, sine molestia tolerandorum malorum; Temperantia, sine repugnantia Libidinum. Ut Prudentia sit, nullum bonum Deo praeponere vel aequare; Fortitudinis, ei firmissimè cohaerere; Temperantiae, nullo defectu noxio delectari; Justitiae, Deo per omnia & in omnibus subjici. Summa huc redit, & de parte Negativa, & de parte Affirmativa. De Negativa, Non erunt in illa felicitate Virtutum opera gravamine aliquo pressa; timor erit nullus, & labor nullus; molestiae, quae in hac vita Virtutibus sunt annexae, nullae. *Non erit aliquis actus Justitiae in subveniendis miseris, aut Prudentiae in praecavendis insidiis, aut Fortitudinis in perferendis angustiis, aut Temperantiae in coercendis delectationibus pravis. Haec ibi non erunt, ubi omnino nihil mali erit:* nam haec & hujusmodi statui felicissimo non congruunt. Ad Affirmativam quod attinet, Erunt in illo statu omnia Virtutis opera, & secundum status Congruitatem convenienter, & secundum status Eminentiam excellenter; in fruitione boni summi, summa. Neque enim nomina relinquunt dum perfectionem recipiunt: quia ea est Prudentia summa, quae perspectissimè adhaeret bono quod non amittitur; & Fortitudo optima, quae firmissimè adhaeret bono à quo non avellitur; & Temperantia purissima, quae castissimè adhaeret bono ubi jam non corrumpitur; & Justitia singularis, quae rectissimè adhaeret bono cui meritò subjicitur; denique, & ea Virtus suprema, atque in Idea sua, quae inseparabiliter adhaeret servítque Deo suo, cui soli servire est regnare. Haec sunt illa opera Virtutum quae manent, *opera non opera,* Aug. in Psal.
ἄεργα ἔργα, ut sic loquar; *opera vacantium, otiosorum negotia, actiones* 110.
quiescentium, curae securorum, sudores feriantium. Haec de Propositione secunda, Manere in coelesti Patria Virtutum actus Beatorum statui convenientes.

Propositio tertia est de Argumentis quae hos Actus operáque Virtutum permanere astruunt, & sic se habet; Manere Virtutes Virtutúmque Actus & opera in coelesti Patria, Scripturae Sacrae attestantur quamplurimis in locis. Videamus primò de Virtutibus ipsis, deinde de Actibus & operibus.

Quòd Virtutes ipsae permaneant, ex duobus locis evincitur. Primus habetur Psal. 45. 7. *Solium tuum, Deus, in seculum & seculum*; dein ver. 10. *Adstat conjux ad dextram tuam in auro Ophir*; & ver. 14. *Tota inclyta est filia Regis intrinsecùs, ex vestibus auro ocellatis indumentum ejus.* Hunc locum, utcunque S. Basilius, Chrysostomus, Hieronymus & Augustinus simpliciter de Ecclesia interpretantur, mentione nullâ habitâ vel Militantis vel Triumphantis: at verò de Ecclesia Triumphante Eusebius atque Caesarius Arelatensis exponunt, citante Lorino. Atque textus ipse astipulatur, quia dicitur ver. 7. *Sedes tua, Deus, in seculum seculi*; dein sequitur, *Adstat conjux ad dextram tuam in stola deaurata atque veste variegata.* Unde necessariò Corollarium hoc emergit, Sanctos ad dextram Christi positos ornamentis Virtutum omnium fulgentissimos fore. Hoc enim est quod per Vestitum aureum & variegatum Patres omnes intelligunt; nimirum Virtutem, quae & varietate dives, & mediocritatis positu aurea meritò censenda est. *Abstit*, inquit Chrysostomus, *ut putemus* Tom. 6. Hom.
dixisse hac Scripturam περὶ τῶν αἰσθητῶν ἱματίων· *nihil minùs*, ἀλλὰ in illud, Suffi-
περὶ τῆς ἀρετῆς· *non de Vestibus loquitur, sed de Virtutibus.* At- cit tibi gratia mea.
que optimè congruit, ut in Deaurato vestitu Virtutis honor, in Varietatis nomine Virtutum multiplicitas significetur. Hic locus primus. Locus secundus desumitur ex Apoc. 21. *Vidi coelum novum & terram novam*, ver. 1. *Vidi sanctam urbem Jerusalem novam descendentem è*

cælo, paratam ut Sponsam ornatam viro suo, ver. 2. *Et absterſurus eſt omnem lacrymam ab oculis eorum; & mors ampliùs non exſtabit, neque luctus, neque clamor, neque dolor*, verſ. 4. *Vidi eam habentem gloriam Dei, & ejus lumen erat ſimile lapidi pretioſiſſimo*, verſ. 11. *Et fundamenta ejus omni lapide pretioſo ornata*, verſ. 19. *Non eget Sole vel Lunâ, ut luceant in ea; nam gloria Dei illuſtravit eam, & lucerna ejus eſt Agnus*, verſ. 23. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium*, verſu ultimo. Non ſum neſcius, quòd totum hoc caput è Recentioribus nonnulli de illa quæ in terris eſt Jeruſalem, Eccleſia Militante, interpretantur, iſtis verbis ducti, verſ. 2. *Vidi eam deſcendentem de cælo.* Sed opportunè Primaſius occurrit, per Deſcenſum, cœleſtem ipſius originem deſignari, non ſtatum terreſtrem: vel magìs, ſi ità placuerit, influxus Myſticus in S. Joannis oculos *Deſcenſus* vocatur; *Deſcendiſſe* dicitur propterea quòd Apoſtolo in Viſione oſtendebatur. Unde & Ambroſius Ausbertus non immeritò arbitratur, ea quæ de Eccleſia in hoc capite narrantur, conjunctim & ad præſens tempus pertinere, & ſimul ad futurum: pariterque Rupertus, Oecumenius, & Andreas Cæſarienſis, diviſim, quædam capitis ad præſens, quædam ad futurum; ad Militantem Eccleſiam nonnulla, ad Triumphantem alia eſſe referenda: & libens agnoſco. Sed & illud adjiciendum eſt, revera nullam eſſe capitis vel minimam portiunculam quæ non aptiſſimè quadrabit cœleſti Jeruſalem: at multa eſſe quæ ſublunari non poſſunt competere. Nominatim iſta, *Non eget civitas Sole & Lunâ*, & *Templum non vidi in ea*, ad præſentem ſtatum Eccleſiæ non poſſunt referri: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut faciens mendacium*; præſentis ſeculi iſta non ſunt, ſed futuri temporis circumſcribunt Eccleſiam, quando ſoli cum Chriſto boni regnabunt, malis ſe ampliùs non permiſcentibus. Poſtremò, ubi dicitur, *Et abſterget omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors & dolor non erit ampliùs*; non huic vitæ iſta, ſed futuræ, certiſſimum eſt convenire: nunc enim in hac vita accidit, quòd quantò quis fuerit ſanctior, ſanctiſque deſideriis plenior, tantus eſt ejus, ſi non in Miſeriis, at ſaltem in Orationibus & Jejuniis, fletus uberior. Sumatur igitur pro conceſſo, quia comperta res eſt, de cœleſtis Patriæ civibus ſuperiùs commemorata dici; Virtutum in Cœlo perennitas quomodo exinde elicitur? Facillimè, ex iſtis verbis, *Sponſam ornatam viro ſuo; habentem gloriam Dei; omni lapide pretioſo luminéque Agni fulgentem.* Ecquid apertius? Quis obſecro eſt iſte Ornatus? Qui Lapides pretioſi? Annon Virtutes? An datur ſericum aliquod, an lapides aliqui, an monilia aliqua Virtute pretioſiora? Doceat nos Andreas Cæſarienſis; *Ornatum lapidum habet*, inquit, ἐν τῇ ποικιλίᾳ τῶν ἀρετῶν· hæ, hæ ſcintillæ radiantium lapidum, ornamenta Virtutum. Inſuper & Primaſius doceat; *Iſtis*, inquit, *ſimilitudinibus Virtutes ſignificantur, quibus & unuſquiſque Sanctorum ſpiritualiter perornatur, & tota Civitas inſignita deſcribitur.* Quòd ſi de Modo quis quærat quo Virtutes iſtæ permanere dicuntur; & hoc quoque oſtenditur. Habetur verſ. 4. *Lacryma & luctus & dolor non erunt ampliùs*; & verſ. 22, & 23. *Non egent Sole, neque Lunâ, ſed gloria Dei illuminat eam, & templum ejus; & lucerna ejus eſt Agnus.* Prorſus quaſi & in hoc quoque erudire nos voluit Spiritus Sanctus, non verſari Virtutes iſtas circa objecta Miſeriæ, quia non ſunt ibi lugentes aliqui qui Conſolatione, non pauperes qui Eleemoſynâ indigent; non eſt templum

plum

plum aliquod, ubi prædicatione Verbi Virtutes addiscantur; non Solis lumine opus est ut exerceantur, quia manent in Sanctis modo ipsorum statui congruo. Reflectuntur ex lumine Agni, è claritate Visionis Dei in mentes Sanctorum trajiciuntur, & splendore adeò corusco, ut Aurum mundum, & Crystallus tenuis, & Vitrum lucidissimum, & emicantes Gemmæ, & Lapides pretiosissimi, quasi argilla & lutum sunt si istis comparentur. Non Smaragdus viridis, aut cæruleus Hyacinthus, aut Rosæ Violæque æmulus Amethystus, adeò lucent in naturis suis, ut Virtutes istæ in Sanctis. Ergò manent in Sanctis modo gloriosissimo. Hæc de Virtutibus ipsis dixisse sufficiat. Accedamus ad alteram Propositionis partem, quæ est

De Virtutum Exercitiis. Quòd Virtutum opera in cœlo exerceantur, instantia duplex monstrabit; ab Angelis una, à Sanctis altera petita.

De Sanctis sit prima. Patet ex Apoc.4. 8,10. *Procidebant ante sedentem in throno, & adorabant illum, & dicebant, Sanctus, sanctus, sanctus Deus Omnipotens.* Patet ex cap.7.15. *Sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die ac nocte in templo ejus; & non esurient ampliùs neque sitient ampliùs.* Patet ex cap.14.2. *Audivi vocem Citharœdorum pulsantium citharas suas, & canentium quasi canticum novum ante thronum; hi empti sunt ex hominibus, & sequuntur Agnum quocunque ierit.* Patet ex cap.19.ver.1,3,4. *Audivi vocem magnam turbæ multæ in cœlo, dicentis, Halleluja, Salus, & Honor, & Gloria, & Virtus Domino Deo nostro; & secundò dixerunt, Halleluja:* & vers. 7. *Gaudeamus & exsultemus, & demus gloriam Deo.* Quid opus est Commentario? Serviunt Deo, adorant Deum, laudant Deum: hæc omnia sunt Virtutis opera, & ad primam Tabulam spectant, ut in posterum docebo. Insuper gaudent inter se, & in sua aliorúmque Sanctorum beatitudine triumphant; nec non provocant alii alios ad laudes Dei buccinandas: sunt & hæc omnia Virtutis opera, & ad secundam Tabulam referuntur. Tam verum est illud Apostoli, 1 Cor.13.8. *Charitas nunquam excidit; sed & Prophetiæ abolebuntur, & Linguæ cessabunt, & Scientia destruetur:* Charitatis verò & Pietatis opera manent in æternum, quia quicquid honoris in Cœlis Deo Sancti præstant, est ex Pietate; & quicquid solatii in mutuis illis & pientissimis amplexibus alii ex aliis trahunt, est ex Charitate. Hæc prima Instantia, à Sanctis petenda.

Secunda à beatissimis Angelis sumitur; & in hac quoque parte Scripturas Sacras habemus prælucentes: sive de Actibus Cultûs Divini; sive de Actibus erga homines Charitatis; sive de utrisque junctim loquamur.

De Actibus Cultûs Divini sit prima Testimoniorum series. Isti autem Actus ad duo genera reducuntur. Actus primus est Adorationis: Psal.97.7. *Adorent eum omnes Angeli*; Apoc.7.11. *Omnes Angeli stabant in circuitu throni, & procubuerunt in conspectu throni in facies suas, & adorarunt Deum.* Actus secundus est Laudis: habetur Isai.6.2. *Seraphim stabant super templum, & clamabant, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Exercituum*; & Luc.2.13. *Et erat cum Angelo multitudo Exercituum cœlestium, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altissimis Deo, ac in terra pax, & in homines benevolentia*; denique Apoc.5.11. *Audivi in circuitu throni vocem Angelorum multorum, numero millies centies mille, & decies centies mille, dicentes voce magnâ, Dignus est Agnus qui accipiat virtutem, & divitias, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem,*

&

& gloriam, & benedictionem. Dicite, annon sunt hæc eximia Virtutis opera, Deum perpetuò colere, Deo perpetuas laudes concinere? Hæc Angelorum Religio, hæ Virtutes cœlestium Virtutum, hæc Exercituum supernorum exercitia: unde & Angelum Athan. q. 30. ad Antiochum definire non dubitat *ζῶον λογικὸν ὑμνολογικόν, animal hymnisonum: τοῦτο γὰρ τῶν ἀγγέλων ἔργον*, inquit Basil. in Psal. 1. *hoc ipsorum opus & spirituale thymiama.* Adeóque hæc prima series, de Actibus Cultûs Divini.

De Actibus Charitatis erga homines, illa est secunda series. Isti autem Actus ad quatuor genera reducuntur. Actus primus est Custodiæ. Psal. 34. 8. *Castrametatur Angelus Domini circum timentes eum, & eripit eos.* Actus secundus est Vecturæ, sive Comportationis; deferunt eorum animas in Beatorum habitacula, Luc. 16. 23. Tertius est cujusvis generis Ministerii. Heb. 1. 14. *Nonne sunt omnes administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæredes sunt salutis?* Quid verò ad Dilectionis evidentiam dici majus possit? *Custodiunt, portant, castrametantur. τοῦτο ἀγγελικὸν ἔργον*, inquit Chrysost. (in Heb. 1.) *τοῦτο ἀγγέλων λειτουργία, τὸ πάντα ποιεῖν εἰς σωτηρίαν ἡμετέραν.* Postremò, Actus quartus est Sympathias. De Corruptivis affectibus Doloris & Luctûs non loquor; quanquam & hoc assertores suos habeat non infimi nominis, Cyprianum, Ep. 75. Basilium Seleuc. Hom. 15. Ambrosium, l. 5. Ep. 21. quòd sicut gaudent Peccatorum redemptione, ità Peccatorum ærumnis ingemiscunt. De istis, inquam, non quæro, quia satìs edoctus sum, tristitiam nullam isti ineffabili gaudio posse intermisceri; verùm de Perfectivis Scriptura apertè pronuntiat, Luc. 15. 10. *Dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore resipiscente.* Si non contristentur, at congaudent tamen. Ecquod est aliud majus Dilectionis argumentum, quàm ut nobis bene agentibus lætentur? *Equidem de angelis conversationem in cœlo habentibus hoc non diceretur*, inquit B. Cyprianus, Ep. 75. *nisi ipsi quoque nobis essent vinculo Dilectionis adunati.* Imò verò neque hoc, neque superiorum aliquod, quòd custodiunt, quòd inserviunt, quòd castrametantur. Castrametantur, inquit S. David; annon Custodia corporum est actus Dilectionis? Prospiciunt animis, inquit Salvator; annon animarum cura est opus Dilectionis? Dicite vos Excubitores Domini, qui huic rei invigilatis. Ministros se præbent, inquit S. Paulus; annon est opus Dilectionis? Postremò, unà nobiscum gaudent exsultántque, eâq; affectûs puritate, ut *Lacrymæ pœnitentium sint vinum Angelorum*, dicente Bernardo; annon est actus Dilectionis? Hæc de secunda serie, de Actibus Charitatis erga homines.

Tertia est de utrisque conjunctim; & huic parti tria se Scripturæ loca offerunt. Locus primus, Gen. 28. 12. *Ecce scala erecta super terram, & caput ejus tangebat cælum, & Angeli ascendebant & descendebant per eam:* Quid hoc ad Virtutis exercitia? Maximè; nam illud inprimis notandum, quòd in motu continuo cernuntur, *ascendentes & descendentes*, non sedentes aut stantes. Quid Motus indicat? Quòd Laudis & Dilectionis & Ministerii cessatio nulla est. Vicissim & illud animadversione dignum, quòd non sit uniformis motus, verùm per itinera contraria in seipsum recurrens, *ascendentes & descendentes*; ut ex utroq; motu videamus quàm sint in utroque munere indefessi; descendunt à Deo ad hominum ministerium, ascendunt ab hominibus ad Dei laudes renovandas: *ut ex Ascensu discamus, quàm magno Amore authori suo semetipsos transcendendo inhærent; & ex Descensu, quàm magnâ Charitatis compassione nostris infirmitatibus condescendunt*, ut optimè Gregorius, l. 5. Mor. c. 21. Hic locus primus.

Quòd

Quòd si quis hunc Mysticum clamitet, occurrit juxta Literam secundus, Psal. 103. 20. *Benedicite Domino omnes Angeli ejus, facientes verbum ejus, ad obtemperandum voci sermonis ipsius. Benedicite Domino omnes Exercitus ejus, ministri ejus facientes voluntatem ejus.* Quòd si alter Mysticus deficiat in aliquo, at Literalis iste est plenissimus, magnâque diffusus varietate verborum; quod ex Lxx Interpretum tralatione faciliùs colligi potest, *Audientes vocem ejus, facientes verbum ejus, facientes voluntatem ejus,* τὴν φωνὴν, τὸν λόγον, τὰ θελήματα· prorsus ut innotescat, nullam esse particulam vel vocis vel verbi vel voluntatis Divinæ, quam non perpetuò exsequuntur; nullam temporis particulam cui non assiduè inhærent; intenti sunt ad omnes nutus Dei, semper vigiles & parati ad ipsius imperium, ut & Deo serviant in custodia hominum, & hominibus etiam inserviant in Dei custodia mandatorum. Hic locus secundus.

Tertius habetur ex Matt. 6. 10. Verba sunt Orationis Dominicæ; *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, etiam in terra.* Hoc ipsum est quod oramus, hoc quod credimus; & orando credimus, & credendo oramus: & utrinque coarguimur, nec credere si non oremus, nec orare posse in hæc verba nisi credamus. Quæ verò sunt verba? *Fiat voluntas tua in terra, sicut in cælo. In terra* à quibus? Ab hominibus: *In cælo* à quibus? Ab Angelis. Quæ denique *Voluntas?* In terris quæ? Voluntas revelata mandatorum: In cœlis quæ? Voluntas recondita, sed mandatorum tamen. Mandata Laudis, Cultûs, hæc primæ Tabulæ; mandata Dilectionis in hominum cura & custodia, hæc secundæ Tabulæ Summa. Verùm hæc postea sunt demonstranda. In præsentiarum illud sufficit, si ex hoc loco ostendamus, in his Virtutis actibus versari indies Angelos Sanctósque Dei. Ad Sanctos Dei Chromatius refert; *Sicut in cælo*, id est, sicut in Sanctis & cœlestibus hominibus. Verùm ad Angelos Patres reliqui, Nyssenus, Hieronymus, Theophylactus, Augustinus. Theophylactus in Matth. 6. *Fiat voluntas tua in terra, sicut in cælo; hoc est,* inquit, *quasi dixisset,* ὥσπερ οἱ ἄγγελοι ποιοῦσι τὸ θέλημά σου, οὕτω καὶ δὸς ἡμῖν ποιεῖν αὐτό. Nyssenus in Orat. Domin. Ser. 50. *Sicut in cælo; hoc est,* inquit, καθάπερ ἐν θρόνοις καὶ ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις, καὶ πάσῃ τῇ ὑπερκοσμίῳ δυνάμει γίνεται. Augustinus, Ser. 182. de Tempore, *Sicut in cælo, & in terra; id est, sicut in Angelis, ità in hominibus; & sicut in Justis, ità & in Peccatoribus.* Hieronymus, lib. 3. adversf. Pelagianos, *Precamur ut imitetur Angelos humana fragilitas;* & in Comment. super Matt. 6. *Precamur ut quomodo Angeli Deo inculpatè serviunt in Cælis, ità in terra serviant homines:* hoc est, ut inter dispares substantias una eadémque sit voluntas: ut sicut cœlestes Spiritus Deo adhærent & fruuntur, nullo errore obnubilante eorum sapientiam, nullâ miseriâ impediente beatitudinem; ità & in nobis emineant voluntatis ejus radii, ut sit humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, injuriam facere non nosse, & factam tolerare posse, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quòd Pater est, timere quòd Deus est, Christo nihil omnino præponere, charitati ejus inseparabiliter adhærere. Hoc est Dei Voluntatem facere in terra sicut in cœlo; nam & hoc modo Angeli faciunt, hæc Pietatis opera, hos Virtutis actus exercent. Adeóque primæ Propositionis quæ est ad quæstionem Introductoria hîc finis esto, Quòd in cœlo Pietatis Virtutísque exercitia modo eminentissimo vigeant inter Angelos Sanctósque Dei.

Duas

Duas quæ supersunt reliquas, Quòd hæc opera juxta Regulam & Legem aliquam peragantur, Quódque hæc Regula sit eadem secundum substantiam cum Lege Decalogi, quando proximus se dies circumegerit, ad finem consimilem, Deo volente, sumus perducturi.

LECTIO XXXII.

SI per camporum planitiem ad hanc quæ præ manibus est, De Lege Morali in Cœlo perpetuanda, quæstionem aditus mollis facilísque pateret, bipartiti operis curam ei nullatenus impenderem; cùm quæstionum atque viarum ratio similis sit, utriusque iter quò mollius eò facilius, & quò facilius eò brevius expeditiúsque. Verùm cùm in asperis collium, nec obliquis modò, sed supernis anfractibus ea posita sit, & mihi quoque progrediendi ordo concolor statuendus; neq; cursim, sed pedetentim agendum, tardis & tantùm non furtivis gressibus, nè ad exitum magìs quàm finem properasse videar. Et quidem de cœlo ad terram prodiisse Legem, & è Divinæ mentis Sacrario ad captûs nostri tuguriola descensu solenni devolasse, nemo est qui nescit: & quamvìs in descensu velociùs ferantur res singulæ, at in Decem tamen istis verbis sanctissimis promulgandis prudentissimè Deus disposuit, ut non nisi ad populum sanctificatum, & per tres dies integros præparatum, descensu lento pervenirent; nè Legem eum potiùs ejecisse quàm tulisse somniarent. Neque verò oportebat ut lapsu repentino efflueret, quod in seculorum secula erat permansurum. Multò magìs nobis in hoc Legis quod suscepimus patrocinio deliberandum est, & vestigia quæque trutinanda, sensímque trahenda; nunc potissimùm, quando ad primam suam & cœlestem sedem Lex est deferenda, posse nos primo anhelitu, aut saltu unico, ad quæstionis fastigium pertingere sperandum non est, sed tractim pedibúsque pulmoneis progrediendum, per gradus & spiramenta temporum, ut in ascensu fieri solet. Quemadmodum qui in metallis operantur, non statim ad ipsa terræ præcordia penetrant, sed superficiem priùs abradunt, & integumenta removent, ut auri venas singulas rimentur; & ubicunque thesauri copiam viderint, illic fodiunt acriùs, nec priùs absistunt quàm totum quod reperiri potuit exhauserint: Idem & mihi quoque faciendum est, quò possim in ipsa causæ penetralia pervadere, involucra omnia sunt sejungenda, recessus abditissimi scrutandi, venæ singulæ incidendæ sunt. Atque jamdudum effossa est Vena prima, Quæstio Introductoria satis est eventilata; Quòd in Cœlis inter Angelos Sanctósque Dei Pietatis Virtutúmque exercitia maneant, abunde est demonstratum, neque ad repetitionis nauseam est revocandum.

Tres adhuc supersunt Venæ pauló altiùs perscrutandæ, nec priùs est absistendum quàm quicquid in iis auri reperiri potest funditus exhausero. De Regula istorum operum Vena secunda est, An juxta Legem aliquam aut Regulam fiant. De Tabellis tertia, In quibus Tabulis Lex ista sive Regula sit reposita. De Natura Regulæ ultima, An Lex hæc vel Regula sit quoad substantiam eadem cum Lege Decalogi.

Exordiendum est à Vena secunda, sive Quæstione secunda, An sit aliqua Regula. Atque de hac sit illa Propositio, Habere Angelos

Sanctósq;

Sanctósque in statu beatitudinis Legem aliquam Regulámque, ad quam conformant componúntque omnia Pietatis exercitia. Duobus istis Mediis ostenditur, Authoritate & Ratione.

Authoritas ex Scripturæ suffragio petenda est; atque ex quamplurimis locis patescit. Patet ex Psal. 40. 8. ubi de Christo verba faciens Psalmographus, *In volumine*, inquit, *libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus mi; atque Lex tua in medio cordis mei*, sive *in medio viscerum meorum*. Si in medio cordis Christi exstat, in medio cordis Sanctorum exstare necessariò sequitur: quia Christus etiam ut homo, dum Viator erat, semper fuit Comprehensor; atque ipse in intimo corde Legis Regulam scriptam profitetur, quamvìs ipse erat qui Legem sancivit: Ergò non repugnat Sanctorum beatitudini Regulam aliquam habere constitutam. Patet ex Psal. 91. 11. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*; & Psal. 103. 20. *Faciunt verbum ejus, faciunt voluntatem ejus, obtemperant voci ejus*. Ex quibus est manifestum, quòd Vox Divina, & Voluntas Divina, & Mandatum Divinum est ea ipsa Regula juxta quam omnia sua opera Angeli, & per consequens Sancti, perfectissimè & inflexibiliter expoliunt. Atque ejusmodi loquendi formulis Scriptura est refertissima: *Mittet Angelos suos*, Matth. 13. 41. *Ad angelos suos dicit*, Heb. 1. 7. *Facit angelos suos spiritus*, Psal. 104. 4. Ex quibus erudire nos voluit Spiritus Sanctus, nihil omnino Angelos facere sine missione Divina, & dictamine Divino. *Ad angelos dicit*, inquit Primasius, *h. e. angelis præcipit; Facit angelos Spiritus, h. e. Spiritibus cœlestibus præcipit ut sint Angeli. Etenim ordine præpostero verba proferuntur, ídque de industria; Facit angelos suos Spiritus, pro illo, Facit Spiritus suos angelos: nam Spiritus est nomen naturæ, Angelus officii; & semper quidem sunt Spiritus, sed nequaquam semper vocantur Angeli, nisi quando mittuntur*, ut pulchre Primasius. Adeóque in ipso Angelico nomine Lex sive Regula quâ ducuntur continetur. Ab Angelis autem ad Sanctos firmissima est Consequentia, qui statu Angelico in cœlo fruuntur, & Lege Angelicâ tenentur. *Neque soli Angeli*, inquit Chrysostomus, *istis sermonibus comprehenduntur*, ἀλλὰ πᾶσα ἡ ἄνω δύναμις λειτουργικὴ, *sed omnes Virtutes ministeriis supernis fungentes*. (Hom. 3. in Heb. 1.) Quod idem verbis aptissimis complexus est Psalmographus, Psal. 68. 18. *Currus Dei viginti millia, millia Angelorum, Dominus inter eos, sicut in Sinai, in sanctitate*. Ex quibus docere nos voluit, inter Angelos Deum se velut legislatorem præsentem indies ostendere, voluntatis suæ consilium ipsis indicare, jussa sua atque decreta edicere; haud secùs quàm quum inter eosdem Angelos in monte Sinai apparuit, ad Legem populo suo promulgandam. Nè quis fortasse ignoret, eandem voluntatem Divinam velut indemutandam pietatis Regulam constitutam fore non minùs Angelis in cœlo quàm Sanctis in terra agentibus, nec minùs Sanctis in cœlo quàm ipsis Angelis; quia sunt conservi, concives, cohæredes; unà cum Angelis Servi in eadem domo Patris nostri, unà cum Angelis Cives ejusdem cœlestis patriæ, unà cum Angelis Filii & Hæredes ejusdem regni sempiterni; ut unà cum ipsis & voluntati Dei serviant, tanquam Patris, & jussis ejus pareant, tanquam Domini, & mandata ejus exsequantur, tanquam supremi Regis & moderatoris. Hæc singula necesse est ut profiteatur quilibet Christianus, nisi de Cœlo Brentii somniet fictitio illo & imaginario, putétque, aut Domum Dei sine Oeconomia aliqua, aut Civitatem Dei sine Politia, aut Regnum Dei sine Legibus & imperio posse administrari. Atque hæc de Regula. Quòd sit aliqua Regula, tradidisse abunde sit. Sed quoniam ità se res habet, ut animo pervicaci pugnacibúsque ingeniis etiam quod satìs est satìs non sit; idcirco hanc primam partem Demonstratione firmissimâ stabilitam dabo.

Qui secundus est Probationis modus, à Ratione ductus, & huic Logico fundamento innixus, Quòd unumquodque agens, sive supremum sive subalternum, sive naturale sive electitium, normam aliquam agendiq; formulā præfixam habet in agendo, vel insitam vel traditam, juxta quam operatur. Satìs est notum Axioma, atque inter Dignitates recensetur, atque ipsos Angelos Sanctásque in cœlò Animas suo ambitu circumscribit; quia ad unumquodque agens extenditur, tam in cœlis quàm in terris, nullo excepto à supremo usque ad infimum. Agens supremum est Deus: agens infimum ad inferioris notæ animalia referendum est: agentia intermedia Angelos Sanctásque Animas appello, quia hoc habent Agentis primi, quòd sint Spiritus; & hoc cum infimis quibuscunque commune, quòd sint Creaturæ.

De Agente Supremo videamus inprimis, deinde de infimis & intermediis. Agens supremum est Deus, causa universalis, motórque simpliciter primus, tam in genere Ethico quàm in genere Physico, qui nec instrumentorum adminiculo, nec temporis intervallo, nec aliquâ præjacente materiâ, aut principiorum concursu ad operandum indiget, sed juxta Legem tamen & Regulam singula facit & operatur. Non quasi artis usum expendat, aut ad extraneā aliquam normam se revocet, aut alicui extra se Legi seipsum astringat: *Sacrilegum enim est*, inquit optimè Augustinus, *opinari, quòd extra se quicquam Deus positum intueatur, sed quia omnia operatur juxta æternum illud & perfectissimum Exemplar Voluntatis suæ, quæ norma est omnis Justitiæ, rerúmque omnium causas formásque in se continet*; attestante S. Paulo, Eph. 1. 11. *Omnia*, inquit, *operatur* κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος, *secundùm consilium Voluntatis suæ*: quasi dixisset, Omnia quæcunque vult facit, vult autem quæcunque sunt plena rationis atque consilii; aut, vice versâ, Consilio omnia facit, i. e. providè & rationaliter, & Consilium quo facit omnia non est extraneum, quia non ab alio accipit, sed à sola voluntate sua. Interpretatio prior est Hieronymi, Anselmi altera, utraque in confesso, velut Articulus Fidei, indubitatæ apud omnes Theologos certitudinis; Quòd in seipso sibiipsi Voluntas ejus Lex sit, Regula Consilium, sive de Creatione mundi, sive de Regimine atque administratione loquamur. Quod ad mundi Regimen spectat, Voluntas Lex est, Regula Justitia. Psal. 115. 3. *Deus noster in cælo est, omnia quæcunque voluit fecit*; h. e. omnia secundum Legem voluntatis propriæ: & Psal. 89. 15. *Justitia & Judicium basis solii tui*: & Psal. 98. 9. *Judicabit orbem in Justitia, & populos in Rectitudine*; h. e. secundum rectissimam regulam Justitiæ ejus, quæ non minùs essentia ipsius est quàm ipsa Voluntas. Quod ad mundi Creationem spectat, Voluntas Lex erat, Regula Sapientia. Rom. 11. 36. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipsum sunt omnia*. Prudenter Apostolus, quia prius mentio facta est Sapientiæ & Voluntatis Dei, idcirco plenissimâ verborum copiâ & Præpositionum varietate quod in animo erat explicavit, *Facta esse omnia*, εἰς αὐτὸν, *in ipsum*, h. e. in ipsius Gloriam; ἐξ αὐτοῦ, *ab ipso*, h. e. verbo ipsius Voluntatis; καὶ δι' αὐτοῦ, *per ipsum*, h. e. juxta normam ipsius Sapientiæ. Si quis de Voluntate dubitet, ne *Lex* & *Mandatum* appelletur, audiat Psalmographum, Psal. 148. 5. *Dixit & facta sunt, mandavit & creata sunt*; fecit quia voluit, & quando voluit, & quo modo voluit. *Quod aliis opificibus*, inquit Theodoretus, *sunt materia, & instrumenta, & tempus conficiendi, & ars quæ regulam præbet*; *hoc est ipsi Deo sola unicáque voluntas*. Rursus, si quis de Sapientia dubitet, eam *Regulam* dicere, audiat eundem dulcissimum Psaltem, Psal. 104. 24. *Omnia opera tua in Sapientia fecisti*: & Salomonem, Prov. 3. 19. *Jehova in Sapientia fundavit terram, stabilivit cælos in Intelligentia*: unde & libro suo adversus Hermogenem Tertull. c. 20. primum Mosis vocabulum,

l. 83. qu. q. 40. (margin, beside "gat: Sacrilegum enim est")

l. 4. de Mat. & mundo. (margin, beside "do voluit, & quo modo voluit")

de *principio*, per *Sapientia* alterum vocabulum interpretatur; *Non modò in principio temporis, sed in principio, h. e. ἐν σοφίᾳ*, inquit. Et utrumque verissimum esse agnoscit Augustinus; *Verum est, Domine*, inquit, *fecisse te cœlum & terram, & verum est principium esse Sapientiam tuam in qua fecisti omnia.* Confess. c. 19. Quod ut clariùs elucescat, percurrat quicunque voluerit partes aliquot mundi principaliores, & tum demum dicat, si non sint omnia juxta exquisitissimam Sapientiæ regulam fabrefacta. Contempletur inprimis Cœli amplissimam Sphæram, à Centro terræ æquis spatiis distinctam, ipsâque sui æqualitate ità stabilem, ut eam in nullam partem declinare undique æqualitas collecta permittat, quamvìs nullo fulcimento sustentetur. Contempletur in isto cœlesti ambitu cursum Solis & Lunæ, aliarúmque Stellarum situs, rationésque actas in orbem, contrarias quidem, sed in diversitate illa æqualiter ordinem suum servantes; & dicat, annon juxta Sapientiæ summæ normam ea omnia facta existimet. Contempletur deinde Elementa, contrarias illas pugnantésque naturas, quàm infestum sit frigidum calido & siccum humido, quàm tamen inter se mixta conveniunt, & concordem Harmoniam retinent, &, seditione omni compressâ, unum quasi ex uno corpus absolvunt, & rerum omnium procreationem constituunt; hæc, inquam, contempletur, & dicat, annon sit secundum Sapientiæ ineffabilis regulam eleganter composita. Contempletur post hæc ipsam Terræ fabricam, in media mundi sede positam, qui fit, ut suis vel radicibus hæreat, vel aquarum tignis trabibúsque fluidis sustentetur. Quòd si suis librata ponderibus, nutibúsque suis conglobata immobilis consistat, insignis specimen est Artificii: rursus, si in Aqua, re suapte naturâ agitabili, Elementum gravissimum stabiliatur, & à leviori gravius portetur, & tam æquâ lance ut non subsidat, est hoc Artificii radiùs clarior. Hæc igitur secum expendat, & dicat, annon sint omnia juxta ejusdem Sapientiæ regulam eximiè ordinata. Postremò, ut compendio dicam, contempletur Corpus suum, quàm firmiter Ossa sint infixa, ut iis velut Columnis quibusdam Caro sustentetur; quàm venustè Oculi, ut usibus serviant, superciliorum excubiis custoditi sunt; & Aures ità formatæ, ut Cymbalo similes, suscepti verbi repercussum sonitum ad sensum cordis immittant; & Lingua, ut dentibus illisa plectri reddat officium; & Nares, ut velut venti Favonii aurâ secundâ flatúque vivifico interiora reficiant; & Sanguis, ut velut fluvius ex fonte procedens, uno priùs alveo invectus, tum deinde per innumeras venas quasi areas derivatus, totam humani corporis terram vitalibus riget fluentis; denique & totum Corpus quàm sit completis numeris coaptatum, ut membra ipsius servent proportionem ad Mundi partes, ut Damascenus, & ad Diluvii Arcam, ut Augustinus, & ad se invicem per duplas, & sesquioctavas, & sesquitertias, & sesquialteràs, ut Boethius observavit. Istis omnibus perspectis, annon dicendum erit facta esse omnia juxta Sapientiæ regulam? Doceat nos unico verbo autor libri Sapientiæ, c. 11. vers. 21. *Tu omnia in mensura & numero & pondere disposuisti*, h. e. *Modo, Specie, Ordine*, interpretante Augustino; *in Veritate, Sapientia, Justitia*, dicente Rabano, juxta Consilii sui rationes plùs quàm Geometricas. Adeò ex istis satìs superque patet supremum omnium Agens, primúmque motorem, secundùm seipsum, & per hoc secundùm exquisitissimam Regulam, omnia operari.

Accedendum est loco proximo ad Agentia ordinis infimi; ea autem Agentia infima appello, quæ viliora sunt & minoris roboris, ut Hirundines, Grues, Apes, Araneæ: de quibus singulis si hoc unum monstravero, etiam hæc minutiora Animalia opera sua omnia juxta legem aliquam atque regulam perficere, de reliquis inquirere non erit necessarium; quia quod de

 inferioribus

inferioribus est manifestum, de perfectioribus indubitanter est supponendum. Exorandi igitur estis, ut in jam commemorata Animalcula secundos oculos vestros, vel magis cogitationes, conjicere velitis. Contemplamini mecum vel Hirundines illas quæ Vere novo circumvolitare solent, corpore minusculas, solertiâ maximas, quâ gratiâ domos sibi sine ullo adjutore, tanquam artis ædificatoriæ peritæ, componant: legunt enim ore suo festucas, eásq; luto illiniunt, ut conglutinare possint; & quia lutum pedibus non possunt deferre, summitatem pennarum aquâ infundunt, ut facilè his pulvis adhæreat, & fiat limus, quo paulatim festucas vel minutos surculos sibi alligent & adhærere faciant; & eodem quoque limo nidi totius fabricam struunt, ut hoc pavimenti solo facto, intra ædes pulli sine offensione versentur, nè tectis frigus irrepat, aut è pullis quispiam pedes interserat per rimulas texturarum. An negare quisquam possit juxta Regulam aliquam hæc tecta attolli? Ergò ad Grues oculos convertite, nam in illis est Militia quædam naturalis, sicut in Hirundinibus Architectura. Cogitate quàm injussi & usu voluntario in nocte solicitam exercent Custodiam; disponunt Vigiles, qui, cæteris consortibus quiescentibus, circumeunt, & explorant nè qua ex parte insidiæ tententur: pòst, ubi Vigiliarum fuerit tempus impletum, perfuncti munere Vigiles se in somnum componunt, præmisso priùs clangore, ut pares excitent dormientes quibus muneris vicem traditurí sunt; atque illi volentes sortem suscipiunt, nec, ut nos solemus, ægre & inviti somno renuntiant, sed confestim impigréque suis excutiuntur stratis, vicem exsequuntur, Castris prospiciunt, & quam acceperunt gratiam pari curâ atque officio repræsentant. Hunc etiam volantes ordinem servant, ut per vices fungantur ductûs sui munere, levéntque alii alios: præcedit enim unus, præcurrítque cæteris præstituto sibi tempore; deinde convertitur, & sequenti sortem ducendi agminis cedit. An qui hæc audit non palàm fatebitur, juxta Regulam aliquam Vigilias hasce tutelæque vicissitudines exerceri? Mittamus igitur Grues, & ad Apum Rempublicam veniamus; nam & inter illas non modò Militiæ, sed Politias naturalis & Civitatis liberæ forma reperitur: sub legibus omnes vivunt, bono publico omnes incumbunt, proprium nihil cognoscunt, sed in commune habent omnia, communis labor est, communis cibus, communis operatio, communis usus, communis fructus, communis volatus: ipsæ sibi Regem ordinant, ipsæ sibi populos creant, & licèt positæ sub Rege, sunt tamen liberæ; nam & prærogativam judicii tenent, & fidæ devotionis Regi præstant affectum, & magno honorant examine, & summâ protectione defendunt, & perire pro eo pulchrum putant. Regem autem non sorte ducunt, quia in sorte casus est, non judicium; neque imperitæ multitudinis clamore designant, ut milites olim Romani suum Imperatorem: sed Rex naturæ clarus formatur insignibus, ut magnitudine corporis præstet, & specie, & (quod in Rege præcipuum est) quia gens Apum est paulò iracundior, morum mansuetudine; nam etsi habeat aculeum, tamen eo non utitur ad vindicandum. Quid quòd ad Regis nutum singula faciunt, neque exire audent è domibus, aut in aliquos prodire pastus, nisi Rex fuerit egressus? Ad ejus nutum partiuntur opera; aliæ invigilant quærendo victui, aliæ Castris adhibent custodiam, aliæ cursus nubium speculantur & futuros imbres explorant, aliæ de floribus ceras fingunt, omnes in favo castrametando occupantur, eóque artificio, ut nec militum Castra tantum habeant gratiæ quantum habent crates favorum, in quibus rotundæ ac minutæ cellulæ connexione sui invicem fulciuntur. Et *quis Architectus*, inquit Ambrosius, *eas docuit hexagonia illa Cellarum indiscretâ laterum æqualitate componere?* Imò, *quod Palamedis opus*, inquit Nazianzenus, *æquare possit jam appositas figuras?*

Hexaem. l. 5. c. 21.

l. 2. Theologia.

Ecquis

Ecquis est qui istis imbutus, juxta Regulam Apes singula facere non libentissimè profitebitur? Quid dicam de Araneis, quæ per tam tenuia & subtilia stamina multipliciter intensa sinuosas telas contexunt; & quidem ex tam exiguis initiis, ut vix ullâ oculorum acie pervideri possunt? at ipsis sunt tamen pro eximio quodam domicilio, & venandis alimoniæ causâ muscis inserviunt. *Ecquis Euclides*, inquit Nazianzenus, *hoc artificium unquam expressit, de lineis pertractans nusquam exstantibus?* Quid de Canibus venaticis, qui Syllogismorum conjunctiones contexunt, & Disjunctiones Dialecticas faciunt? Aut in istam se partem deflexit lepus, aut in illam, aut in hanc: Sed nec illam, nec istam ingressus est: Superest igitur ut in hanc. Nonne totos dies conterunt Philosophi, Propositiones sibi in pulverem dividentes, & tamen arte suâ vix eò pertingunt quò Canes Natura ducit? Postremò, quid de Solis & Lunæ cursibus, quorum ille diurno tempore exoritur, hæc noctu apparet, & indemutabili Lege pro certo dierum numero incrementa & decrementa sumit? Quid de quatuor anni Tempestatibus, quæ inter se contrariæ innoxium usum hominibus conficiunt? Quid de Aquarum Marísque fræno, quòd cùm sit alioqui Aquarum natura insolens, & ventorum flatibus magìs intolerabilis, non tamen erumpit ex propriis terminis, sed Terram velut vicinam suam reverita, locum suum servat, & parvo Arenæ margine se patitur concludi? Annon hæc omnia juxta Legem aliquam fiunt in inanimatis? in animatis, juxta Regulam? Quis ibit inficias? Et quæ tandem est Lex, quæ Regula? Dicam: In Animalibus Lex est Naturalis afflatus, sive instinctus; in Inanimatis, Arbitrii Divini Lex in ipso Universi ordine insculpta. Et hoc quoque à S. Psalmographo didici, Psal. 148. 6. *Statutum eis dedit, & non præteribit*; & à Salomone, Pro. 8. 29. *Posuit Mari statutum suum, & Aquis legem, nè transirent fines suos.* Nimirum hâc Lege arbitrii sui Maria cohibet, hâc Lege præcepti sui Firmamentum suspendit, hâc Lege voluntatis suæ Terram constringit, nè inclinet. Adeóque ex omnibus istis instantiis juxta se positis Propositio sponte emergit, Unumquodque Agens secundum aliquam præfixam sibi agendi Legem Regulámque opus suum texere atque componere.

Quòd si Agentia omnia à summo ad infimum; de iis quæ dixi Agentia intermedia dubitatio nulla suboriri potest, Cœlestis patriæ Cives & lege aliquâ teneri, & ex Regula aliqua Pietatis Virtutisque opera exercere, sicut diversis Scripturæ locis est priùs comprobatum. Atque de Quæstione secunda ista dixisse sufficiat, Quòd sit Lex, Quòd sit Regula.

Nunc ad tertiam me ordinis ratio vocat, ut videamus in quibus Tabellis Lex ista sive Regula Pietatis sit recondita. An dicendum est, in libro aliquo, aut membranis? Minimè; *Librorum doctrina cessabit in Cœlo*, ut scitè Hieronymus. An per Prophetas aliquos aut Prædicatores Verbi recitabitur? Neutiquam: *In illa patria Lex aut Evangelium non recitabitur*, inquit optimè Augustinus, *ubi Dei verbum contemplabimur*; *neque lege aliquâ scriptâ opus erit, quæ sit lucerna pedibus nostris, ubi lucerna Dominus.* Unde igitur est hæc Regula haurienda? Dicam verbo; A Visione Dei, à propriis ipsorum cordibus: nam & in Speculo faciei Divinæ omnes legunt, & in proprii pectoris tabella singuli infixam Regulam habent. Sic duplex est Patefactionis modus, alter in lumine Gloriæ infusæ, alter in lumine Gloriæ circumfusæ; iste ex Speculo quod intra se est, hic ex Speculo quod supra se est.

in præfat. Com. in Lam. Jeremiæ.

in Psal. 83.

Quòd si cuipiam minùs congruum aut verisimile videatur, quòd duplicem Patefactionis modum statuamus, ad unum utrumque facilè revocabo, dicendo, Unam eandémque esse patefactionem, à Visione Dei in Electorum

rum corda transfusam, quâ simul vident & in seipsis & in Deo quicquid vel ad Dei Voluntatem vel ad ipsorum Beatitudinem conducit. Et sub hac duplici notione necessariò consideranda est, ut res distinctiùs intelligatur; quid ordinariè fiat, quid extra ordinem; quid in seipsis habeant à Deo, quid in Deo insuper cognoscant. In seipsis legunt Angeli quicquid ordinariè tendit vel ad Gloriam Dei illustrandam, vel ad concivium suorum Gaudium promovendum; in Speculo Divinæ Visionis legunt quicquid extraordinariè eos Deus facere velit, cùm ad munus aliquod aut ministerium speciale designat, sive in mandatis ejus exsequendis, sive in custodia Sanctorum. Similiter & de ipsis Sanctis dicendum est; Habent Sancti glorificati intra se scriptum quicquid ad notitiam Divinæ voluntatis; vident in Deo quicquid ad ipsorum Beatitudinem conducere possit. Non mea hæc sententia est, aut nuper nata, aut conjecturis innixa, sed ipsius Scripturæ suffragio, quæ utrique Patefactionis modo attestatur.

De primo modo Spiritus Sanctus loquitur, Apoc. 3. 12. *Qui vicerit, scribam super eum nomen Dei mei, & nomen Civitatis Dei mei, i. e. nova Hierusalem:* omnes autem norunt, *nomen Dei* in Scripturis vocari omne id per quod Deus cognoscitur, dicente Augustino; & *nomen Jerusalem nova*, omne id quod de nova & in nova Jerusalem cognoscendum est. *Promittit* igitur *Deus*, ut Cæsariensis loquitur, *scripturum se in cordibus Sanctorum* τὴν γνῶσιν τοῦ θείου ὀνόματος, καὶ τῆς ἄνω Ἱερουσαλὴμ, *Divini nominis supernaque Jerusalem cognitionem*, h. e. pietatis perfectæ justitiæque regulam. Hic Modus primus.

De secundo legimus, Apoc. 21. 23. & 22. 5. *Non opus est eis lumine lucernæ, neque lumine Solis, quoniam Dominus Deus illustrat eos, & lucerna ipsorum est Agnus.* De Visione Dei Veteres omnes aptissimè interpretantur, quâ qui fruuntur, non egent ampliùs, sive ad animæ sive ad corporis solatium, aliorum Luminarium adjumentis. Non lumine Solis; quia Sol Justitiæ æterni luminis radiis Soles quosque facit. Equidem quot in cœlo Sancti sunt, tot Soles: *Justi fulgebunt sicut Sol*, dicente Prophetâ. Non luce Evangelii prædicati, aut Legis scriptæ, quæ nunc lucernæ sunt in his mundi tenebris; quia in Christo hæc omnia supplentur: ἡ χάρις τοῦ πνεύματος ἀντὶ βιβλίων ἔσται, ut Chrysost. optimè, *Spiritûs Sancti gratia* Deíque Visio *adinstar erit librorum omnium. Dominus Deus illustrat eos, & lucerna ipsorum est Agnus.* Hic Modus secundus.

Hom. 7. in Matth.

De utroque simul legimus, Apoc. 22. 4. *Videbunt faciem ejus, & nomen ipsius erit in frontibus ipsorum.* Ad Visionem Dei particula prima referenda est; *Videbunt faciem ejus*, & in ea usquequaque omnia quæ in statu illo beatissimo cognoscenda sunt: ad Regulam mentibus infixam particula secunda; *Nomen ipsius erit in frontibus*, h. e. ut inquit Oecumenius, τῷ θείῳ φωτὶ σφραγίζονται, *obsignandi sunt Divini fulgore luminis*; ídque, ut Andreas Cæsariensis optimè, οὐκ ἐπὶ τῶν μετώπων μόνον, ἀλλ' ἐν ταῖς καρδίαις, *non in frontibus solùm, sed in cordibus.* Et sic quidem ea omnia quæ ad perfectæ Regulæ normam exiguntur, in Cœlis ad sua prima Principia reducentur; & quoad modum Inhæsionis, & quoad modum Patefactionis: quando eadem Justitiæ Practicæ regula, quæ ab æterno in mentis Divinæ prototypo exstabat cùm creaturarum nulla subsisteret, non Angelus, non homo qui legeret, eadem in æternum refulgebit, & Angelis & hominibus lectoribus constitutis; quando eadem Voluntas, quæ scripta est in tabella humani pectoris jam conditi, digito Dei imprimente, & posthæc in Tabulis lapideis exarata, digito Dei literas charactérésque ducente, & posthæc à Prophetis & Apostolis membranis tradita, digito Dei calamos dirigente, & posthæc in anima

anima cujusvis regenerati, quamvìs, pro receptivitatis modulo, imperfectè, reinsculpta, digito Dei consignante, eadem post omnia in pectoris glorificati scrinio reponenda est, eodem digito perficiente. Hoc est; ni fallor, quod Apostoli verba præ se ferunt. *Videbunt faciem ejus*, hæc sola Lex erit; & *nomen ipsius erit in frontibus ipsorum*, hæc pietatis Regula: & Visio Dei erit pro libro, & consignatio cordis pro tabulis. Non deerunt Regulæ libri, quando ea gloria videbitur; nec Legis tabulæ, quando in Legem mens ipsa mutabitur. Atque de Quæstione tertia hactenus, Qui Legis memoriales Tituli futuri sunt, Quod regulæ Commonitorium; pro dignitate rei parùm, pro captu nostro abunde; *non quia hæc video, sed quia hæc credo*, ut modestè in re simili Augustinus.

Properandum jam est ad Quæstionem quartam & ultimam, De Legis istius Natura, Regulæque ad Decalogum Analogia; an à Lege Morali & regula Justitiæ Practicæ nunc in Scripturis tradita specificè discrepet: atque de hac quarta fit ista Propositio, Hæc ipsa Lex sive Regula pietatis à Visione Dei plenissimè derivata, & in Electorum corda transfusa, quoad Substantiam eadem est cum Lege Decalogi; *quoad substantiam*, dico, non quoad partes singulas. Sunt enim utriusque Tabulæ partes & appendices multæ quæ in illa Beatitudine cessabunt, eò quòd ad statum Viatoris pertineant, atque isti bonorum plenitudini non congruant. Quod ad primam Tabulam, cessabunt hæ partes Cultûs Divini quæ in Orationibus, & Jejuniis, & Votis, & Juramentis, & actibus Pœnitentiæ versantur. Quod ad secundam, cessabunt omnes Tolerantiæ actus, & Misericordiæ, Ditionis etiam, & Subjectionis atque Obedientiæ; necnon Eruditionis & Institutionis officia; denique & Justitiæ actus omnes, tam Distributivæ quàm Commutativæ, quoad temporalia, Commutativæ in contractibus, Distributivæ in compensationibus. At manebit ipsa Legis Decalogi essentia, quæ Dei in se Cultum & Dilectionem proximi complectitur; Timor, Honor, Amor, Reverentia, Fiducia, Laus item & Benedictio, & Divini nominis castissima Celebratio manebunt, quod ad primam Tabulam. Quod ad secundam verò, Mansuetudo, Innocentia, Verecundia, Comitas, Veritas, Benevolentia, *φιλανθρωπία*, omnésque Dilectionis actus quæ ad cœlestis Charitatis nomenclaturam pertinent, manebunt. Hæc satìs sunt ad Propositionis fidem, si modò Argumenta defuissent: sed tamen quatuor ego eam Argumentis confirmatam dabo.

Primum àb Imagine Dei in homine desumendum est: cùm enim Beatitudinis Subjectum primum & præcipuum sit Anima, in qua splendor Imaginis Divinæ in statu Innocentiæ fulgebat; cúmque pars maxima Beatitudinis, vel magìs ipsa ratio formalis, in instauratione hujus Imaginis posita sit; necessariò sequitur, si futura sit in Anima redintegratio Imaginis, ut fiat etiam nova & perfectissima impressio Legis Moralis: ídque ex quadruplici statu Imaginis apparebit, hoc modo. Status primus erat Hominis conditi, & Imaginis collatæ; conditus autem homo est in Justitia & Sanctitate, quæ Capita sunt duarum Tabularum; conditus est in summa Intellectûs & Voluntatis rectitudine, atque pro norma istius rectitudinis, naturalis Decalogus ipsius animæ est impressus, habuítque regulam scriptam in naturalibus tabulis. Hic Status primus. De hoc S. Paulus loquitur, Ephes. 4. 23, 24. *Creatus est in Justitia & Sanctitate.* Status secundus erat Imaginis corruptæ, sive deformatæ, cùm peccato illo primo abrasa penitus & obliterata est ea pars Imaginis quæ in Gratuitis, & vulnerata ea quæ in Naturalibus eminebat: adeò ut nil erat residui præter communia quædam Principia, & confusa Legis Naturalis vestigia. Hic Status secundus. De hoc S. David loquitur,

quitur, Psal. 49.21. *Homo, cùm in honore esset, non intellexit, similis jumentis quæ intereunt.* Status tertius est Imaginis renovatæ per gratiam, quando per Spiritûs Sancti operationem mentes nostræ à peccati fæcibus purgatæ sunt, ità ut opera tenebrarum abjicimus, & sicut filii lucis ambulamus. De hoc S. Paulus, Col. 3. 10. *Induite novum hominem, qui renovatur in agnitionem, secundum Imaginem ejus qui creavit illum:* & 2 Cor. 3. 18. *Nos autem omnes retectâ facie gloriam Dei ut in speculo intuentes, in eandem Imaginem transformamur, ex gloria in gloriam*; h. e. gloriæ ipsius participatione facti sumus gloriosi. *Sicut argentum purum,* inquit Chrysostomus, *ad Solis radios positum, & ipsum quoque radios emittit, non tam ob suam naturam, quàm ob solarem fulgorem: sic anima defæcata, atque argento splendidior effecta, à Spiritûs gloria radium suscipit, ac remittit, conformitate ipsius Imaginis.* Hic Status tertius. Status quartus est Imaginis perfectæ per gloriam, qui summus gradus erit, cùm in futura vita reparatori Christo plenè conformabimur; atque tunc quidem excellentior erit hæc ipsa Naturæ sanctitas recuperata in secundo, quàm ea quæ amissa est in primo Adamo. De hoc S. Joannes, Ep. 1. c. 3. vers. 2. *Scimus quòd quando apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicut est:* & S. Paulus, 1 Cor. 15. 49. *Sicut gestavimus Imaginem terreni, ita gestabimus etiam Imaginem cœlestis:* & Rom. 8. 29. *Quos præscivit, eos prædestinavit conformes fieri Imagini Filii sui*; nimirum & in Gratia, & in Gloria. Hic Status quartus & ultimus. Et ex istorum inter se concatenatione Argumentum deducitur; Eadem Imago quæ ab origine est condita, peccato est deperdita; & eadem quæ per peccatum est deperdita, per gratiam est restituta; & eadem quæ per gratiam Evangelicam est restituta, erit in gloria omnimodè perfecta: At verò Justitiæ Practicæ regula, quæ primùm cum Imagine est impressa, & postea peccato obliterata, & demum per gratiam restituta, est eadem cum Lege Decalogi: Ergò modò excellentiori rescribenda est in statu gloriæ; aliter quod erat deperditum, non erit reparatum. Hoc Argumentum primum.

Argumentum secundum à malorum Angelorum lapsu sumitur, & sic se habet; Quæcunque natura reatum contrahit ex transgressione Legis Decalogi, eadem ad ejusdem Legis obsequium tenetur; etenim reatus semper obligationis vinculum supponit: At verò malorum Angelorum peccatum primum, & in seductione Adami peccatum secundum, apertissimam Legis Decalogi transgressionem in se continebant. De peccato suo, sive statuatur Ingratitudo in Deum, ut nonnulli; sive Infidelitas, ut alii; sive Superbia, quæ est sententia vulgatissima; sive Invidia, ut Chrysostomus & Augustinus sæpe; (*Ferre non potuerunt,* inquit Chrysost. *tot ineffabilia beneficia quæ in hominem collata sunt. Invidebant homini facto ad Imaginem Dei,* inquit Augustinus, *& homini stanti, quia ipsi ceciderant*) sive ad hoc, sive ad superiorum aliquod, sive, quod probabilius est, ad omnia supra memorata peccatum Angelorum referendum sit, certissimum est, in iis singulis Legem Decalogi violari. Propterea S. Petrus *Angelos peccantes* vocat, 2 Pet. 2. 4. *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit:* peccatum autem omne est Legis transgressio, *ἁμαρτία ἀνομία*, dicente Apostolo. Quòd ad primorum Parentum deceptionem pertinet, non est difficile in ea tentatione nonnihil reperire contra singula Præcepta Legis. *Eritis sicut dii,* contra primum; *Etiam dixit Deus?* contra secundum & tertium; *Non moriemini, novit Deus,* contra nonum. Adjiciamus istis Concupiscentiam rei non suæ, Furtum rei vetitæ, totius humani generis in duobus Internecionem; quæ omnia ipse perpetravit, eo ipso quòd tentavit. Propterea Salvator in Evangelio, *mendacem à principio, & homicidam à principio* diabolum appellat, Joh. 8. 44. Et exinde etiam

Chrys. in Gen. Hom. 19. Aug. Civ. l. 14. c. 11. & l. 11. de Gen. ad lit. c. 4.

etiam sequitur, Quòd si natura Angelica lapsa peccare possit prævaricatione Legis, eadem natura in gratia continuata, in Pietatis operibus aptissimè dicitur conformitatem habere cum rectitudine Legis: Et vice versâ, Si natura Angelica jam labilis potuit Legem transgredi, cur non dicamus naturam eandem jam confirmatam in gratia eam sanctissimè custodire? Nàm si Superbia in malis Angelis erat violatio Legis, revera Innocentia in bonis erit ejus custodia. Adeóque non est incongruum asserere, Legem Moralem inter Sanctos quod ad substantiam suam in æternum vigere, cùm vigeat quoad rationem ipsius formalem inter Angelos. Hoc Argumentum secundum.

Argumentum tertium ab Analogia vel proportione desumitur quam habet cum Lege Morali Lex cœlestis, atque sic instituitur; Si actus Obedientiæ illius quæ in Cœlo præstatur per omnia respondeant Legis Moralis mandatis, necessariò pro eadem regula reputanda est hæc, atque illa: At verò per omnia respondent. Atque hoc modo ostenditur; Summam Legis Moralis ad tria Capita Scriptura revocat, ad Unum, ad Duo, ad Decem. Ad Unum, Rom. 13. 9. *Omne mandatum in hoc uno verbo continetur, Diliges.* Ad Duo, Matth. 22. 40. *Diliges Dominum Deum tuum toto corde tuo*, & quæ sequuntur; &, *Diliges proximum sicut teipsum. Ab illis duobus Lex & Prophetæ pendent.* Ad Decem, in promulgatione Decalogi, Ex. 34. 28. *Scripsit in tabulis verba fœderis, Verba Decem.* Et juxta has rationes singulas viget in Cœlo. Inprimis, si sub Unitatis ratione speculemur, hoc modo viget in Cœlis, attestante Apostolo, 1 Cor. 13. 8. *Charitas nunquam excidit: Prophetiæ*, inquit, *abolebuntur, & Linguæ cessabunt, & Scientia destruetur; Charitas autem non excidit*, sed in supernis manet. Quæ ratio? Ab eodem Apostolo habemus, Col. 3. 14. *Charitas est vinculum* centrúmque *perfectionis*, in qua, velut in unitate perfectissima, omnia officia practica conveniunt: atque propter hoc ipsum manet in Statu perfectissimo, quia est regula perfectissima. Hæc prima Consideratio, Manet in cœlis Lex Moralis, quia Charitas manet, quæ est Legis compendium. Deinde, si in Dualitatis rationem considerationem intendimus, & hoc quoque modo viget in Cœlis, quia utriusque Tabulæ custodes sunt Angeli Sanctíque. Adorant Deum cultu purissimo, & laudant eloquio castissimo, & serviunt obsequio fidelissimo, & diligunt amore perfectissimo. Hoc caput primum; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua.* Addatur huic, quòd complectuntur alii alios Charitate summâ, & gaudent concivium beatitudine affectu optimo, & se mutuò ad laudes Dei concinendas provocant, & unanimitatis vinculo arctissimè copulantur. Hoc caput secundum; *Diliges proximum tuum sicut teipsum. In istis duobus*, non modò *Lex & Prophetæ*, sed & ipsi Apostoli, addo, sed & ipsi Angeli Sanctíque *pendent*; magísque multò Sancti & Angeli quàm Apostoli & Prophetæ, quia in terris duo hæc observationem perfectam nunquam accepisse legimus, in Cœlis inveniunt. Ibi Deus toto corde & totâ animâ diligitur, ubi nihil diligitur nisi Deus: ibi proximum suum singuli sicut seipsos in sinu habent atque deliciis, quia gaudent aliorum bono non minùs quàm suo; cúmq; sit diversa mensura plenitudinis, est tamen reciprocum iter participationis, dum qui minorem mensuram gaudii habent, de majori alterius mensura exsultantes, gradum non suum vertunt in gaudium suum; sitque hoc modo omnium gaudium non æquale, sed idem. Hæc consideratio secunda, Manet in Cœlis Lex Moralis, quia manent Dilectio Dei & proximi, quæ sunt duo Legis capita.

Postremò, si Decadis rationem pensitemus, & hoc quoque modo vigorem suum

suum habet in Cœlis, quòd ad omnia Decem mandata pertinet. Ex decem Præceptis duo tantùm sunt Affirmativa, octo sunt Negativa. De Negativis nulla est dubitatio, non posse vel Beatorum oculos attolli ad deos alienos, vel ora aperiri ad detrahendum nomini alieno, vel animos abduci ad concupiscendum, nè Beatitudinem quidem alienam. Non intrabit in eam civitatem aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium, dicente Spiritu Sancto, Apoc. 21. 27. Quod ad Affirmativa spectat, dubitatio est perquam exigua; si non manent in litera, at manent in mysterio, quia in meliora mutantur. Quartum, de die Sabbati & die Dominica, in melius mutabitur. Non erit in Cœlo distinctio dierum, nostrarum atque Dominicæ, sed erit observatio Dominicæ, quia quælibet dies futura est Dominica, & totum temporis spatium dies prima; quæ non habet secundam, & dies unica, quæ nescit alteram. Non erit observatio Septimi, sed erit observatio Sabbati, quia tota vita erit una requies, & unus Sabbatismus. Porrò & Quintum in melius mutabitur, non abolebitur, quod solus Scholasticorum Scotus observavit, etsi obiter tantùm & in transcursu, l. 3. Sent. d. 38. qu. 1. *In omni statu*, inquit, *servabuntur & servari debent Decalogi præcepta: ipsorum Affirmativorum erit in Beatitudine summa observatio, nisi fortè illius, de Honoratione parentum; non quia non sit voluntas, sed quia non erit necessitas impendendi hunc actum.* Ergò cessabit in hoc Præcepto aliquid, non totum: Cessabit in eo quicquid est mortalitatis hujus quam agimus proprium, non erunt sexûs, non ætatum discrimina, nemo qui *Pater* aut *Mater* appelletur: at quod est in eo propriè *Morale* dicendum manebit, Honor & Reverentia, &, si inter pares esse possit, Observantia; quia nomen Parentum in fratrum & cohæredum dulcissimam appellationem, & paternitatis jus in vinculum societatis commutabitur, neque erit ampliùs promissio vitæ diuturnæ, sed possessio æternæ. Hoc Argumentum tertium.

Postremum ex locis Scripturæ contexitur: sunt autem loci palmarii tres, qui sic se mutuò suffulciunt, ut si quid in primo desit, supplementum accipit à secundo; si quid in secundo, à tertio. Primus habetur, Is. 40. 8. *Exaruit herba, cecidit flos; Verbum autem Domini manet in æternum.* Alter, Luc. 16. 17. *Facilius est cælum & terram præterire, quàm de Lege unum apicem cadere.* Tertius in Psal. 119. 89. *In æternum, Domine, Verbum tuum permanet in cælis.* In primo est mentio Æternitatis, sed non Cœlorum; in secundo, Cœlorum, sed visibilium; in tertio, & Æternitatis, & Cœli, etiam beatifici. Verbum Dei esse æternum locus primus pronuntiat, & non intermoriturum, sicut *herba* & *flos*, & terrena ista. Quòd si quis Æternitatem impropriè sumi contendit, ut *æternum* nil aliud sit quàm *diuturnum*, locus secundus succurrit, quòd non modò Verbum Dei sit duraturum supra hæc terrena, sed supra ipsum hoc Cœlum quod spectamus; *Facilius est cælum & terram præterire quàm Iota unum aut apex Legis*, h. e. quàm aliqua pars Legis quantumvis minima. Iota est literarum minima, & apex est minima minimæ literæ particula, cauda τȣ̃ *Jod* apud Hebræos, & punctuatio τȣ̃ *Iota* apud Latinos, in capite ejus expressa: quasi dixisset Christus, Non modò non omnia mandata præteribunt, sed nè minima minimi mandati pars; ἐδὲ τὸ ἐλάχιςον γϱάμμα, ut Theophyl. Postremò, nè quis de verbo solo Promissionum quæ adimplendæ erant hoc dictum putet, *Verbum non præteribit*, signanter *Legem* dicit Christus, non, *Verbum non præteribit de Lege*. Et adhuc, nè quis unà cum Cœlo cessaturam omnino Legem existimet, non post hoc cœlum mansuram, tertius locus hâc nos eximit dubitatione; *Æternùm manet in Cælo*, h. e. manet in æternum, non solùm cum Cœlo hoc visibili, sed & post illud, in ipso Cœlo Beatitudinis. Et hoc est quod in Psal. 110.

110. scriptum legimus, *Manet in seculum seculi*; i. e. *in seculum hujus seculi subsecutivum*, inquit Bruno Carthusianus, in Psal. 110. *Idcirco non dixit*, inquit Hieronymus, *In seculum manet, & finem habet, sed in seculum seculi*; τὸ ἀκίνητον αὐτῶν δηλῶν, inquit Chrysostomus, *mandatorum immobilitatem ostendens*. Quòd si hoc non sufficiat, ulteriùs paulò S. Augustinus & Cajetanus progrediuntur. *In cælo manet, h. e. in Angelis illud custodientibus*, inquit Augustinus, *quia ab eis Dei voluntas perficitur, secundùm illud, Sicut in Cælo, sic in terra*. Pariter & Cajetanus, *De solis præceptis Decalogi loquitur Psalmographus, quæ æterno seculo obligant, ratione rectitudinis Divinæ & Naturalis in eis contentæ. Deus enim perpetuam Dilectionem erga se & suam creaturam requirit, in nullo seculo mutandam.*

Quocirca, ut tandem hæc omnia in unum corpus compingam, Manet Lex Divina in Cœlo, manet post hæc terrena singula; manet in Uno, in Duobus, in Decem; manet quia Voluntas Dei manet, manet quia Imago Dei manet; manet in Speculo Visionis Dei, manet in tabella pectoris glorificati. Quod istis modis omnibus manet, quo demum modo cessabit? Hic quartus Catenæ annulus; Quòd eadem Lex quæ in Naturalibus & Legalibus tabulis est conscripta, eadem in cujusque pectoris glorificati tabella est scribenda. Atque hoc Speculum ultimum in quo Legem Moralem contemplati sumus; Quòd cùm ità sit ut opera Pietatis & Dilectionis exerceantur in Cœlo, & juxta Regulam aliquam hæc opera peragantur, & hæc Regula quoad Substantiam eadem cum Lege Morali: Ergò sequitur, quòd non modò non in terris, sed nè in Cœlis quidem abroganda est Lex Moralis.

LECTIO XXXIII.

Basilii Magni querela fuit, eáque justissima, in libro quem De Spiritu Sancto conscripsit ad Amphilochium, ὅτι τῶν ἐπιζητούντων καὶ διερωτώντων ἀφθονία πολλή, *exploratorum & percontantium magna ubique copia est*, inquit, *& messis amplissima*: atque nostris quàm aptissimè quadrabit temporibus, quæ quæstionibus magìs dedita sunt quàm exercitiis Pietatis. Nam si quem miserum & afflictum videmus, non opitulamur, sed percontamur, Unde tibi hæc calamitas? quis spoliavit? quamdiu id factum est? Si quem errantem, & de via, ut peregrini solent, quærentem cernimus, non consiliis regere, sed quæstionibus tempus terere solemus; Unde venis? quò tendis? quid tibi in istis oris negotii est? Quo quid potest excogitari ineptius, quàm percontantem percontari, & à petente petere, neque vel quærenti respondere, vel postulanti succurrere. Haud absimile est quod de nescio quo Augustinus refert, in Epistola ad Hieronymum, quòd cùm ignotus quidam ruisset fortuitò in puteum, accessit alius, & eo viso, admirans ait, Obsecro, quomodo huc incidisti? At ille, Obsecro, cogita quomodo hinc me liberes, non quomodo huc ceciderim quæras. Pariter & in hac quam agimus causa, prolixa satis, & à longinquis principiis per multa dierum hebdomadúmque intervalla ad extremum jam usque perducta, non defuturos arbitror qui quærant, ad hanc disceptationem quomodo perventum? quamdudum hoc Argumentum inceperit? aut quis erit exitus istarum de Lege Morali disputationum? Cùm potiùs exorandi sint, ut patientiæ aures & benignitate conditos animos accommodare vellent, quibus propitiantibus ex his turbis memetipsum exsolvam. At siqui sunt hujusmodi, qui

cùm

cùm Prælectionibus pristinis non interfuerint, vel de initiis vel de exitu percontantur, utrisque nunc satisfactum ire cupio: ut simul cognoscant & illinc, quòd ex *Novorum* & *Veterum* in verbis Christi suavissimo conjugio hæc de Lege Morali disputatio orta est; & hinc quoque, quòd vel hâc ipsâ quâ fruimur luce, vel saltem proximâ, finis huic Controversiæ est constituendus: & jam sumus in exitu, pervenimus usque ad umbilicum, ad ipsum Gladii spiritualis Mucronem; est enim hæc pars ultima Defensionis nostræ. Quæ fuit Acies dextra, ab Evangelii Testimonio; quæ Acies sinistra, à Legis natura deprompta, suprà accepistis. Solus Mucro superest, à Nexu communi utriusque acuendus. Hoc unum si adjecero, non sauciatos modò Legis Adversarios daturum me spero, sed interemptos: ut quod de Hispaniæ militibus Livius narrat, assuetos eos hostem punctim magìs quàm cæsim petere, id & mihi quoque liceat in hac causa: quia cæsim eos hactenus adortus sum per utramque gladii Aciem; nunc oportet ut punctim aggrediar, ipso Mucrone in Erroris pessimi viscera defixo. Est igitur hoc Argumentorum Caput tertium & ultimum, quod jam Coronidis vice non gravabor attexere, à Nexu mutuo Legis & Evangelii desumptum; & hâc parte perpetratâ, nihil profectò obstabit quò minùs potero prolixiori de Lege Disputationi supersedere. Nexum autem cùm dico Legis & Evangelii, consensum doctrinarum concentúmque intelligo, quo inter se Moralia utriusque tam arctissimè conspirant, & quantum ad Theoriam & quantum ad Praxin singulorum, ut utrinque in unitatem prorsus coalescere videantur; nec quicquam esse Morale in Evangelio quod non in Lege reperiatur, nec Utilitatis quicquam Legis, sub Lege, quod non idem Evangelio subserviat. Est igitur hujus Nexûs duplex Copula sive junctura, quarum altera ad Documenta Evangelii, altera ad Utilitates & emolumenta Legis est referenda. Et de hac duplici Copula duæ Propositiones instituuntur.

2. bello Punico.

De Doctrinarum Nexu Propositio prima sit hæc, Morale nihil est in Evangelio quod non priùs est delineatum in Lege, vel signanter, vel æquivalenter, h. e. vel totidem planè verbis, vel saltem æquipollentibus. Ex locorum collatione Propositionis illustratio petenda est. Sunt autem locorum genera quinque, quia ad quinque Doctrinæ capita documenta Moralia rediguntur; Præcepta, Prohibitiones, Promissiones, Comminationes, Assertiones. De istis singulis sint singula Theoremata.

Theorema primum; Quicquid Morale ut fiat Evangelium in mandatis dedit, idem habemus præmandatum in Lege. Exempli gratiâ, De Cultu Dei est præceptum Evangelicum, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, Matth. 4. 10. Idem & in Lege, Deut. 6. 13. & 10. 20. De Dilectione Dei præceptum Evangelicum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & tota anima tua, & tota mente tua*, Matth. 22. 37. Idem & in Lege, Deut. 6. 5. De Honore Dei Evangelicum, *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, 1 Cor. 1. 31. Idem & in Lege, Jer. 9. 24. De Complexu proximi Evangelicum, *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus*, Rom. 12. 20. Idem habetur in Lege, Prov. 25. 21, 22. Postremò, de Puritate vitæ Evangelicum, *Sancti estote, quia ego sanctus sum*, 1 Pet. 1. 13. Idem & in Lege, Levit. 11. 44. Quid ad hæc Antinomi? nam sunt Moralia omnia, & ad officia spectant Pietatis; an & ista quoque abrogata jam tandem affirmabunt? Num expungenda esse è Lege clamitabunt? Vah consilium temerarium! Quidni ergò Religioni, quidni Deo ipsi valere jubeant? Aut in Evangelio ipso Morale quid erit residuum, si hæc & horum similia ejiciantur? Imò, vacua charta relinquetur. Imò verò, si rectè pensitemus, manifestè

festè patebit, quòd temporis respectu habet hoc unum vel Lex ipsa in quo de mandatis istis gloriari potest etiam supra Evangelium, quòd priùs in ipsius scrinio seorsim hæc oracula singula sint recondita, & illinc in usum Evangelicum translata; atque id quidem, non ut ex Evangelio Lex, sed ut ex Lege Evangelium imperaret & Deo soli servire, & Deum super omnia diligere, & in Deo solo gloriari: adeóque in istis non tam Evangelio Legem quàm Legi Evangelium debitorem dicimus; quia quicquid Morale in Evangelio mandatum est ut fiat, idem priùs præmandatum in Lege. Hoc Theorema primum.

Theorema secundum; Quicquid Morale nè fiat Evangelium vetat, idem habemus priùs in Lege prohibitum. Verbi gratiâ, de Dei Cultu est interdictum Evangelicum, *Non tentabis Dominum Deum tuum*, Mat.4.7. Idem & in Lege, Deut.6.16. De Officiis erga proximum cohibitio Evangelica, *Principi populi tui non maledices*, Act.23.5. Eadem & in Lege, Ex.22.28. De Custodia suipsius cautio Evangelica, *Immundum nè tangatis; & ego recipiam vos*, 2 Cor.6.17. Eadem & in Lege, Is.52.11. Ut interea nil dicam de Furto, Adulterio, Homicidio, Mendacio, Concupiscentia, quorum omnium cohibitionem à Lege Evangelium mutuatur, & Legi vicissim quasi fœneratam videtur gratiam referre, ea singula suis quæque locis recensendo. Obsecro, an & hæc similiter evanescunt? An valorem suum & authoritatem amittunt, quia in Legis tabulis incisa priùs accepimus? Quid erit igitur in vitio? quid illicitum? quid alicubi prohibitum? Num libertas indomita statuatur quidlibet audendi, & faciendi quicquid maximè facinorosum, quamvis millies in Lege sit vetitum, si fortè non fuisset palàm & disertè in Evangelio reprohibitum? At meminisse oportet, non solùm eas prohibitiones Morales vigorem suum retinere quas recitatas accepimus in Evangelio; sed & illas etiam, si quæ sunt ab Apostolis prætermissæ: adeò ut neque de prætermissis quicquam desideretur, si prohibeantur in Lege; neque de repetitis quicquam superfluere putandum sit, si prohibeantur ex Lege, eò quòd ejusdem instinctu Spiritûs cautum est ut ex Lege Evangelium prohiberet, non mœchari, non mentiri, non occîdere, non furtum facere, & id genus reliqua. Quod de Christo ipso observavit Greg. Nyssenus, Ho.13. in Cantica, *Ipse*, inquit, *est Legislator* ὁ νομοθετήσας τὰ τοῦ νόμου μυστήρια διὰ Μωϋσέως, καὶ πληρώσας δι' ἑαυτοῦ, *Magnus*, inquit, *est Legislator Christus, qui Legis mysteria sancivit per Mosen, & implevit per seipsum.* Similiter & post Christum Apostoli, eodem Spiritu imbuti quo Prophetæ, è Prophetis plurima transcripserunt, ad hoc ipsum ut ostenderent ὅτι ἡ τοῦ εὐαγγελίου γνῶσις τοῦ νόμου ἐστὶν ἐξήγησις, ut Clem. Alex. loquitur, lib.4. Strom. adeóque ea ipsa Prophetica & Legalia quæ ad mores & vitam spectant necessariò immutabilia manere, sicut Evangelium: cùm Prophetarum doctrina nil aliud sit quàm præoccupatio Evangelii, & Apostolorum doctrina quàm expositio Legis; quia quicquid vetitum in Evangelio, id antè provisum est in Lege atque præcautum. Hoc Theorema secundum.

Theorema tertium; Quæcunque in Evangelio coruscant vel præmiorum oblectamenta, vel suppliciorum fulmina, quibus aut ad Virtutem homines alliciantur, aut cohibeantur à Vitiis, iisdem passim & Lex utitur telis, iisdem Promissionibus, iisdem Denuntiationibus, ut ad justi honestique prosecutionem nos excitet, fugámque contrarii. Theorematis pars utraque instantiis est trutinanda, quæ est Parallelorum illustratio & optima & unica. Pars prior erit de Comminationibus; & quidem iis omnibus illud S.Pauli quàm aptissimè congruit, 1 Cor.9.9. *Annon dicit*

C c *Lex*

Lex eadem? annon propter nos utique hæc dicta sunt? Age, opponamus locum loco, Scripturam Scripturæ. Contra Sanguinarios Evangelium fulminat, Mat. 26.52. *Qui acceperint gladium, gladio peribunt:* & non dicit Lex idem? Imò planè idem, Gen. 9.6. *Qui effuderit humanum sanguinem, & sanguis illius fundetur.* Contra Superbos Evangelium, *Deus superbis resistit,* Jam 4.6. & contra secularem Sapientiam, *Comprehendam sapientes in astutia eorum,* 1 Cor. 3.19. Et non dicit Lex eadem? Imò dilucidè eadem, Pro. 3.34. Job. 5.13. Sexcenta possum ejusmodi proferre; at ista quorsum, cùm res manifesta teneatur? quod è Patribus non pauci ex illo Apocal. loco egregiè observarunt, Apoc. 1.16. *De ore ejus gladius bis acutus, sive utrâque parte acutus, exibat,* h. e. ex ore Christi exibat Verbum Dei; quod idcirco dicitur ῥομφαία δίστομος, *gladius bis acutus,* propter duplicem illam Comminationum aciem, Legalem & Evangelicam. Sic enim Tertullianus & Augustinus interpretantur. *Gladius dicitur bis acutus,* inquit Augustinus, Civ. 20. 21. *propter aciem geminam duorum Testamentorum:* & Tertull. l. 3. advers. Marcionem, *Gladius,* inquit, *est bis acutus, Lege & Evangelio: quippe quòd utrobique eadem Comminationes acuminatæ habeantur, & hîc in Evangelio, & illic in Lege.* Hæc Theorematis pars prior.

Posterior, quæ est de Promissionibus, ex illo Joannis loco lucescit, 1 Jo. 2. 25. *Hæc,* inquit, *est promissio quam ille pollicitus est nobis, vitam scilicet æternam;* ubi authores antiqui pro simplici nomen compositum substituunt, & sic legunt, *Hæc est repromissio:* est autem *Repromissio* promissio reiterata, sive eadem promissio denuo facta. Neque abs re dicitur *Repromissio:* vix enim est ulla promissio in Veteri Testamento quæ non in Repromissionem vertitur in Novo. Ejusmodi est illa Judæis facta promissio, Jer. 31. 1. *Ero ipsorum Deus, & ipsi erunt mihi in populum.* Annon hæc est Repromissio quam pollicitus est nobis? Apostolus dicat, 2 Cor. 6. 16. Sunt ipsissima verba. Non absimilis illa altera, Psal. 37. 11. *Mansueti hæreditabunt terram:* & hæc quoque est Repromissio nobis facta, Matth. 5. 5. Denique, eòdem recidit & illa Joel. 2. 32. *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit:* in Repromissionem vertitur ab Apostolo, Rom. 10. 13. Quid plura? nam est istis aliquid adjicere superfluum? cùm revera, ut S. Chrysostomus observavit, Sermone de Christi precibus, *Omnes beatitudines Novi Testamenti in Veteri articulatè habentur. Beatos pauperes spiritu Christus pronuntiat: & hoc,* inquit, *Psalmographus vociferatur, Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Beatos mites, Christus: & hoc ubique dispersum, Super quem respiciam nisi super mitem & quietum?* Unde & S. Paulus, Rom. 15. 8. idcirco missum Christum dicit, ut confirmaret promissiones factas Patribus, útque Gentes in iisdem promissionibus Deum pro misericordia glorificarent: & 2 Cor. 7. 1. postquam in calce capitis sexti promissiones aliquot Veteris Testamenti in unum quasi fasciculum congessisset, mox subjungit, *Has ergò & nos habentes promissiones, charissimi;* ut utrinque easdem esse doceret, & veteres & novas; & nostras ad ipsos pertinuisse, & ipsorum ad nos. Hæc Theorematis pars altera, adeóque tertii Theorematis Summa, Quòd quicquid Morale in Evangelio Minis & Promissionibus est circumseptum, id ipsum iisdem circumscriptum cancellis habemus & in Lege.

Tom. 5. Ser. 51.

Huic tertio Theoremati nihil negotii esset quartum apponere, de Assertionibus & Documentis Practicis, quæ omnia cum Evangelio communiter Lex possidet; sed protrita res est atque vernacula. Decantatas

sæpius

sæpius sententiolas istas, *Justus ex fide vivit*, Hab. 2. 4. Rom 1. 17. *Vindicta mea est, & ego retribuam*, Deut. 32. 15. Rom. 12. 19. *Reddet unicuique secundum opera ejus*, Psal. 62. 12. & id genus mille, nemo est qui nescit quòd sint opertæ alis utriusque Cherubin, & Legis & Evangelii: ut si quis jam de Lege adimat Morale quicquam, necesse est ut ex Evangelio expungat, cùm nè unius quidem literæ vel apicis discrimen habeatur. Atque hoc ipsum illud est quod S. Paulus sæpius inculcat, Evangelium & dare & accipere Testimonium à Lege & Prophetis; atque hoc passim; sed duo sunt insigniores loci, nondum à me, sed à Clemente Alexandrino & Isidoro Pelusiota in suis scriptis notati, atque in hac ipsa quam agimus causa. Prior habetur Rom. 1. 17. ubi *Justitiam Dei revelari* dicit Apostolus *ex fide in fidem*. Quid hoc est, *ex fide in fidem?* Quid verò aliud quàm ex fide Prophetarum & Patriarcharum in fidem Apostolorum; ex fide quæ scintillabat in Lege ad fidem quæ fulgebat in Evangelio; quia eadem utrobique & Doctrina & Justitia Fidei? *Justus ex fide vivit*, est assertio Prophetica, Hab. 2. 4. *Justus ex fide vivit*, assertio item Apostolica, Gal. 3. 11. Fide justificatus Paulus, Rom. 5. 1. pariter & Abraham, & Abel, & *Noe*; *Factus est*, inquit Apostolus, *hæres Justitiæ quæ est secundum Fidem*, Heb. 11. 7. *Hoc modò*, inquit Clemens, *revelatio facta est ex fide in fidem unam, quia fides ex Prophetia perficitur in Evangelio: & virtus Decalogi per quatuor completur libros sancti Evangelii*, ut Gregorius loquitur. Locus posterior occurrit 1 Cor. 9. Nam cùm Rom. 6. Apostolus dixisset, Se non esse sub Lege, adjungit cap. 7. Se Lege delectari, & Legi servire; & 1 Cor. 9. utrumque connectens, asserit, Se neque simpliciter esse sub Lege, sed tanquam sub Lege; neque simpliciter sine Lege, sed tanquam sine Lege: *ut ostendat*, inquit Pelusiota, ὅτι οὐκ ἄνομος κατὰ τὸν παλαιὸν νόμον, ἀλλὰ καὶ ἔννομος κατὰ τὸ εὐαγγέλιον, *quòd non esset absque Lege* lib.2.Ep 138.
quantum ad vetera, & in Lege tamen quantum ad Evangelium, οὐκ ἔξω τοῦ νόμου, ἀλλὰ καὶ εἴσω τῆς χάριτος, *non extra Legem, & tamen intra Gratiam*; quia ad Legis obedientiam Evangelium docet homines esse renovandos. Quòd si post istam locorum Sacræ Scripturæ messem satìs supérque amplam, sanctorum etiam Patrum testimonia de Legis & Evangelii in Moralibus Symphonia accumulare eniterer, dies me deficeret, altérque à vobis ad hanc primam Nexûs partem (quod committere nollem) necessariò exposcendus esset. Videbant hoc illa matutina Ecclesiæ Lumina, & nobis quoque videndum exhibuerunt: videbant, & testati sunt, non modò id ità contigisse, sed & multis insuper typis symbolísque præfiguratum fuisse; dum in titulo Psal. 93. alii, in visione Ezechielis & Joannis alii, in arbore vitæ, arboréque scientiæ boni & mali, alii hanc ipsam Moralium harmoniam prænotatam esse contendunt. Ex titulo Ps. 93. Hieronymus deducit, neq; id quidem malè: est enim hæc Psalmi Inscriptio, *Psalmus in quarta Sabbati*; h. e. inquit ille, *in medio Sabbati, sive in corde Hebdomadis: nam quartus dies ex utroque latere duplici trinitate firmatur; ex uno latere, diem primum habet, & secundum, & tertium; ex alio, quintum, sextum & septimum; & ipse quartus est virtute decimus. Sic quatuor Evangelia in Decalogo computantur, ut quodcunque dicebatur in Decalogo, hoc compleatur in quatuor Evangeliis, ut non dissentiat Lex vetus ab Evangelica dignitate.* Hæc Hieronymus. Ex visione Ezechielis & Joannis, Gregorius Magnus & Primasius, & id congruè satìs; est enim utriusq; visionis eadem repræsentatio. Quatuor animalia visa Ezechieli, quatuor item Joanni; utrobiq; idem numerus, & eadem Animalia, & eædem formæ Leonis,

 Vituli,

Vituli, Hominis, Aquilæ; insuper & oculata antè & retro vidit Joannes, atque rotam in rota Propheta Ezechiel. *Et ad quid hæc omnia,* inquit post Gregorium Primasius, *nisi ut in istis concordiam utriusque Testamenti præfigurari sentiamus, quomodo posteriora prioribus, & nova veteribus iisdem probantur oculis refulgere, & inter se plenâ fide & veritate concinere? Hócque ipsa tenet Ecclesia, & antè & retro, & tunc sub Lege, & nunc sub Gratia.* Hæc Primasius. Postremò, ex arbore vitæ, arboréque scientiæ boni & mali, non antiqui solùm Doctores, sed recentiores Theologi, neque ineleganter: erat enim utraque arbor in medio horti, & sibi invicem ambæ vicinæ, ut essent apertissimi typi amplexûs Legis & Evangelii: Lex enim docet quid bonum & malum, quasi Arbor scientiæ; Evangelium Christum indicat, Arborem vitæ. Et quemadmodum istarum arborum una prope alteram posita erat, & utraque in medio Paradisi: sic Lex & Evangelium in medio Ecclesiæ hominibus semper sunt proponenda, quia mutuis cervicibus innectuntur: *Nec Novi Testamenti est intercepta potestas, dum radicibus Veteris innititur; neque Veteris vacillat authoritas, dum Novi manifestatione fulcitur,* ut ad rem appositissimè Tertullianus. Non hæc à me idcirco adducuntur, quasi in Allegoriis aliquid roboris virtutísve ponerem ad Demonstrationes Theologicas statuendas, edoctus satìs, quòd Fidei dogmatibus fundandis per se non sufficiant: sed tamen vel ex istis Allegoricis hoc unum concluditur, quòd Patrum hæc sententia constantissima fuit; neque varii fuerunt in hac causa, aut habitu dispares, sed sinceram ipsius fidem æquali tenore servarunt, & cùm Dogmaticè & cùm Ænigmaticè locuti sunt, & cùm decretorium stylum in manus sumebant & cùm luserunt Allegoriis, Quòd in cujuscunque generis Moralibus Evangelium cum Lege, Apostoli cum Prophetis concordant; nimirum, quia easdem pietatis Assertiones statuunt, easdem Denuntiationes contra peccatores intorquent, earundem Promissionum suavitatibus piorum animos refocillant, eadem Mandata, Interdicta eadem sæpiuscule inculcant: & putet quis de Moralium abolitione somniare Patres potuisse? Quocirca ut hæc omnia in compendium redigam, hanc primam Nexûs partem tribus his sic expedio Quæstionibus.

lib. de Trinit.

Primâ, Beatitudines Regni in libris Legis continentur, an non? Ità, continentur. Eædémne sunt quæ in Evangelio, an non? Agnoscimus easdem; nam David dicit, *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem,* Ps. 41. 1. *Beatus vir qui timet Deum,* Ps. 112. 1. & Christus dicit, *Beati misericordes, Beati qui esuriunt & sitiunt Justitiam.*

Secundâ, Maledicta contra peccatores num peti possunt ex Evangelio, an secùs? Peti possunt. Eadémne sunt quæ in Lege, an diversa? Esto, sunt eadem; nam Christus dicit, *Væ vobis divitibus, Væ vobis qui saturati estis:* pariter & Propheta, *Væ vobis qui conjungitis domum ad domum, Væ vobis qui potentes estis ad bibendum vinum.*

Tertiâ, Mandata & Interdicta Evangelica æternæ sunt obligationis, an transitoriæ? Ais, æternæ. Quâ autem notâ distinguuntur à Moralibus in Lege? Enimvero nullâ. Tu igitur, mi homo, quando Legem audis minas contra peccatores vibrantem, annon timore palpitant præcordia? Rursus, cùm Benedictiones Pacis etiam ex Lege audiendæ proponuntur, dic, annon lætitiâ perfrueris? annon gaudio exsultat animus, dum præmiorum mercede, quasi cote quadam, ad probitatem te intelligis exacui? Denique, si contingat ut Præcepta & Prohibitiones Legis circumsonent, an nihil ad te ista attinere existimas? aut audes regerere,

Non

Non nostra res agitur, nostrum non est opus, non lego ista in Evangelio? Age, quid hæsitas? Quid retardas profiteri apertè, quod non modò recta Ratio, sed & ipsa suadet Conscientia? ut si ità sit, quòd ista ex Lege audiens, vel istinc spe atque lætitiâ, vel illinc dolore & metu percelleris; aut vicissim si ità sit, quòd in Evangelio urgeantur omnia Legis Mandata, tanquam necessaria sanctificationis exercitia, & omnia Interdicta, velut naufragantis animæ rupes scopulíque, præterea & Præmia & Supplicia, ad iter sive Virtutis maturandum, sive Vitii obstruendum; ergò sequitur, quòd unà cum Evangelio, Legis doctrina necessariò est immutabilis, quia nihil Morale in Evangelio quod non apertissimè habeatur in Lege. Hæc Propositio prima, de prima Nexûs copula, quæ ad Doctrinam spectat.

Altera quæ superest de Legis Usibus & Emolumentis tractabit, non minùs nunc post Christum quàm ante ipsius adventum necessariis. Quæ semita cùm die proximo decursa fuerit, in novam, si Deus annuerit, segetem polliceor me falcem immissurum.

LECTIO XXXIV.

MAT. 13. 52. *Vetera & Nova.*

HEM! tandem aliquando, Auditores, ad diu multúmque desideratam Quæstionis longissimæ clausulam non properant modò, sed festinant, vigiliæ nostræ, celeritatis avidiores quàm victoriæ: eóque libentiùs, ut occurrerem, si fieri possit, satietati vestræ. Neque enim sum nescius quòd soleat aliquando adhærescere etiam rectè dictis & argumentis optimis nescio quod delicatissimum fastidium, si quàm sæpissime revolvantur: in quem scopulum si egomet ipse impingerem, & in istis alioqui sanctissimis de Lege Morali dissertationibus loquacitate meâ vobis nauseæ molestiam crearem, ædepol non video unde erui possit sive legitima excusatio, sive probabilis prætextus, quo crimen læsæ Patientiæ vestræ atque attentionis depellerem. Quocirca ut olim populi duces Israelitici, Gideon Samsonúsque, Deum ipsum affari non sunt veriti, *Nè accendatur ira tua, & loquar adhuc semel: tentabo nunc, & quidem adhuc semel, hoc vellere*, inquit Gideon; itidem & Samson, *Domine, recordare mei, obsecro, & confirma tantùm hâc vice, ut sumam de Philistæis ultionem semel propter evulsos ambos oculos meos:* Iisdem quoque mihi verbis liceat & subsidii Divini & vestri quoque suffragii gratiam huic intermoriturae defensiunculæ nunc supremò conciliare; Domine, recordare Legis tuæ, & confirma servum tuum tantùm hâc vice, ut in Adversariorum ultionem consurgam, propter evulsum alterum oculum tuum. Vósque, Auditores, nè gravemini, neque in-

Jud. 6. 39.

Jud. 16. 28.

videatis supremam hanc vocem mittenti, si semel adhuc loquutus fuero, & tentavero tantùm semel hoc unico vellere, quàm sint futilitatis plena Antinomorum de Lege abroganda deliria. Est autem nunc argumentorum Caput ultimum in lucem proferendum, de Usu, vel Necessitate potiùs, Legis Moralis. Nititur autem huic Axiomati Logico, Quòd Instrumentorum non vis solùm, sed finis & perfectio, in usu consistunt; ut ex usu manente aut transeunte ipsum Instrumentum manere dicatur aut evanescere. Quòd si in rem nostram non minùs conducat Lex Decalogi quàm olim in ipsorum qui ante Christi adventum exstiterunt, atque nobis non minùs frugifera & fructuosa sit quàm olim Judæis, si iisdem nunc commodis inserviat, eosdem fructus pariat, & in easdem utilitates ordinetur; revera vigorem suum atque authoritatem retinere non est inficiandum. Et quidem quòd ad non renatos & non conversos attinet, haud inviti concedunt Adversarii, hauriri posse è Lege frugem aliquam & emolumentum: sed apud justificatos & renatos prorsus eam obsolescere. Sit igitur de Legis Moralis Usu perpetuo ista Propositio;

In hunc finem confirmata est à Christo & Apostolis Lex Moralis, ut esset in Ecclesia instrumentum salutare & necessarium, non solùm his qui nondum sunt justificati & in Christo insiti, verumetiam iis qui per Spiritum Sanctum renati sunt, & Legem scriptam habent in cordibus suis. Ex singulis Legis Officiis Propositionis illustratio est petenda. Videntur autem ea Officia ad tria redigi posse.

Primum in Docendo positum est, & est instar Speculi.
Alterum in Dirigendo, & est instar Regulæ.
Tertium in Coercendo, & est instar Fræni.

Ad hæc tria facilè quæcunque alia reducuntur; quæ quoniam complecti tota nequimus, seorsim ea & quasi discerpta inspiciamus.

Primus igitur Legis Usus hic est, Ut sit instar Lucernæ vel Speculi, in quo & à quo intuitus & Voluntatis Divinæ, & Noluntatis (si sic loqui liceat) nostræ, & ipsius Justitiæ, & nostræ etiam Injustitiæ, petendus est. Sic ex utraque parte est Speculum, ut cognoscamus quid bonum, quid æquum, quid Deo gratum; & vicissim, quid malum, quid iniquum, quid Deo infestum & exsecrabile. Ex utroque latere Lucerna, ut & illinc perfectissimam Justitiam quam à nobis Deus exigit, & hinc Impotentiam nostram agnoscamus eò perveniendi. Hic Legis usus à Psalmographo describitur, Psal. 19. *Illuminat oculos, intelligentiam dat parvulis:* & à Clem. Alexandr. l. 2. Stromat. προστάξας ἃ ποιητέα, ἤλεγξε τὰ μὴ ποιητέα, *Jubet quæ facienda sunt, quæ non facienda sunt reprehendit*; quorum utroque nihil est quod desiderari potest vitæ transigendæ utilius, ἢ καὶ τὸ σωτήριον ἐκδιδάξαι, καὶ τὸ βλαπτήριον ἐπιδεῖξαι, ut Clem. loquitur. Est autem hic usus non solùm illis qui nondum sunt justificati, sed etiam Renatis apprimè necessarius; quia remanent in Renatis, etiam post contriti pectoris opus desideratissimum, fragmenta quædam & plusquam minutiæ & Ignorantiæ & Concupiscentiæ: ut sine hoc Speculo non mirum est si ipsis Renatis oculi cæcutiant. Neque enim absque Legis Speculo cognosci potest quis cultus & qualia opera Deo placeant. Absque hoc Speculo Misericordiæ Dei inæstimabile bonum non potest æstimari, nisi à Lege didicerit quisque quæ pœna & maledictio priùs impendebat, à qua liberatur. Absque hoc Speculo peccati natura non discernitur, quia Legis transgressione Peccatum definitur; nam Lex revera nihil aliud est quàm Regula Justitiæ, cui quicquid conforme non est, peccatum est, attestante Apostolo, Rom. 7. 7. *Peccatum non cognovi nisi per Legem: non enim concupiscentiam*

sciebam,

sciebam, nisi fuisset Lex quæ dicebat, Non concupisces. Absque hoc Speculo animæ facies non potest dignosci, non Voluntatis color, non Affectuum lineamenta, non habitus Mentis, ut sive quid desit, quæratur, sive quid superfluat, deponatur, sive quid dedeceat, corrigatur. Absque hoc Speculo Justificationis articulus nec intelligi potest, nec rectè usurpari, nec in puritate sua retineri, nisi diligenter & explicatè tractetur & percipiatur doctrina Legis; eò quòd ipsa Christi merita quibus justificamur duobus istis rivulis diffunduntur, Impletione justitiæ Legis, & Liberatione à damnatione Legis. Postremò, absque hoc Speculo imperfectio & immundities etiam bonis operibus adhærens non dijudicatur; quia, ut inquit Cyprianus, lib. de Singularitate Clericorum, *Humana cæcitas ad Deum non dirigit viam, nisi ipse lucernam Legis ostendat:* cùm tamen è contrà, si lucernam in manibus habeamus, in nocte præsentis vitæ atque in affectuum nostrorum tenebris & viam intuemur, & singulos gressus observamus, nè fortè labamur. Hoc primum Officium Legis, ut sit Lucerna & Speculum.

Secundum est, ut sit velut Amussis & Regula, cui singula nostra sunt adæquanda. Est autem duplex Regulæ usus; unus in Dirigendo, alter in Probando statuitur: antequam res fiant, Regula in manus sumitur, ut possint esse rectæ; postquam jam factæ fuerint, ad Regulam revocantur, quâ discernamus an recta sint, aut potiùs curvæ & tortuosæ. Utrique usui Lex est accommodata. Nè in hujus seculi semitis pes manúsve oberret, est quasi Ariadnes filum, quo duce non incidunt pedes in laqueos funium, aut labyrinthos peccati, aut præcipitia fovearum, *quæ manus artis diabolicæ in nostris offendiculis præparant,* ut Hier. loquitur. Rursus, si oberraverit aut claudicaverit quisquam, Lex est Linea ad quam longitudines, & Perpendiculum ad quod altitudines, & Norma ad quam latitudines vitæ & actionum nostrarum exigantur. Hunc usum S. David observavit, Psal. 119.9. *In quo mundabit* (vel, ut alii legunt, *in quo corriget*) *adolescens vitam suam? Observando eam secundùm verbum tuum;* h.e. actiones moresque suos ex Lege metiendo & trutinando: est enim Lex μέτρον ἀδιάψευστον, ut Phavorinus loquitur, *mensura non fallax,* & linea certissima ad quam quæque pensiculatiùs examinemus. Atque Renatis quoque necessarius est hic usus Legis: imò illis potissimùm & magìs quàm cæteris; tum quia major ab iis Obedientia requiritur, tum quia ad probandum seipsos, & ad scrutandas vias suas, passim ipsos, & ipsos maximè, Scriptura hortatur; *Probate quæ sit voluntas Dei,* Rom. 12.2. *Probate quid sit beneplacitum Domino,* Eph. 5.10. *Probet seipsum homo,* 1 Cor. 11.28. Neq; hoc injuriâ, quia quò quisq; sanctior, eò sæpius & exactiùs vitam suam ad scrutinii calculos vocat. At sine Lege Dei fieri hoc non potest, quia Ratio humana, se duce, facilè aberrat, & quicquid pravissimum maximéque enormiter factum, judicat esse rectissimum, si sibi relicta fuerit, ut suo Marte aut arbitrio vitam instituat; imò & cùm semel deerratum fuerit, facilè in præceps fertur, nisi ad Legem, quæ Pietatis est Regula, studia sua dirigat atque componat. Quòd si cujuspiam esset ad summum usque Perfectionis apicem in hac vita pertingere, ità ut nihil alicubi pigendum aut pœnitendum faceret, revera istis non egeret perpendiculis, non normis, non regulis aliquibus: sed cùm ità se res habeat, ut Perfectio nostra in profectu posita sit, quia ex parte tantùm cognoscimus, & ex parte tantùm operamur, id est, imperfectè; cúmque *Septies in die cadat justus,* ut Sapiens loquitur, Pro. 24. 19. idcirco quò quisque sanctior, eò diligentiùs seipsum scrutabitur, sinúmque suum,

quantum poterit, excutiet, & in secretum pectoris sui recedens, Pythagoreorum more, quid quoque die dixerit aut egerit commemorabit sæpius, ut vitæ animíque aduncitatem inspiciens, corrigat. Quod & ipse Seneca, Ep. 28. de suo Sextio observavit, *Faciebat*, inquit, *hoc Sextius, ut consummato die, cùm se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum, Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? quâ parte melior es?* Atque hoc ille ex Ethnicorum turba pauló cæteris honestior, qui popularem solam Rationis trutinam novit, Divini aurificis stateram ignoravit. Quantò magìs hæc omnia homini Christiano facienda putatis? ut primùm Speculatoris partes agat, & cognoscat de moribus suis, deinde Accusatoris, mox Censoris & Judicis, novissimè Deprecatoris; nec quicquam pulchrius aut salutarius ducat hâc consuetudine vitam excutiendi. At verò sublato Legis Divinæ gubernaculo, ad hæc curricula mentis non potest se quisquam accingere: cùm sine Regula vix possibile sit ut quicquam vel ad æquabilitatis planitiem componatur, aut ad rectitudinis lineas revocetur. Ergò hoc secundum Officium Legis, Ut sit Amussis vel Regula.

Tertium est, ut sit instar Fræni & commonitorii, ad coercendum peccatum, & unumquemque intra metas terminósque Justitiæ continendum. Est autem duplex Fræni usus, cohibendi equum si excurrerit, & coercendi nè excurrat: Similiter & Lex Divina utrinque utilis est, & ad præveniendum, nè peccemus, & ad retrahendum, si peccasse contigerit. Ad utrumque nos Psaltes sanctissimus ducit, Psal. 19. 8. *Lex Domini perfecta, convertens animam*, hoc est, è peccati latebris deducens atque abripiens; & Psal. 119. 11. *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Abscondi*, inquit, *ut non peccem:* rectè id quidem, quia animum ad peccandum incitatum Lex Divina comprimit atque debilitat, arguit ferítque Conscientiam, ad Tribunal Dei producit, & maledictionis sententiæ subjicit; facítque, ut qui nullâ recti justíque curâ tanguntur, dum diras audiunt in Lege Sanctiones, timore saltem pœnarum frangantur. De hac Legis utilitate Apostolus loquitur, Gal. 3. *Ut quid igitur Lex? propter transgressiones posita est*, hoc est, ad transgressiones scilicet coercendas: & 1 Tim. 1. *Justo non est Lex posita, sed injustis & immorigeris*, hoc est, injustis compescendis & retinendis in ordine. Quum tamen è contrà, quò magìs Lex tacet, eò magìs regnabit peccatum sævietque. *Quemadmodum mare*, ait ad Autolycum Theophilus, *nisi fluviorum & fontium influxu aleretur, aquísque dulcibus dilutum esset, salsugine suâ jamdudum intercidisset: sic mundus, nisi Legem haberet & Prophetas* ῥέοντας καὶ πηγάζοντας, *peccatis suis jamdiu interiisset*, Theoph. lib. 2. ad Autol. Quocirca & hic quoque Legis usus Renatis maximè congruit, cùm renovatio Spiritûs in hac mole carnis quam circumferimus non tollat omnimodam vetustatem, sed simul maneant Vetus & Novus homo, exterior & interior, reliquiæ peccati unà sub eodem tecto cum gratia Spiritûs: quod S. Paulus agnovit, Rom. 7. 25. *Mente servio Legi Dei, carne autem legi peccati*; & ver. 22. *Delector Lege Dei secundùm interiorem hominem: Video autem aliam legem in membris*, &c. Et quod de se S. Apostolus profiteri palàm non erubuit, nostrûm nemo est qui abnuet, præsertim si sui recognitioue exerceatur; quinimo perlibenter profitebitur, quàm mordicus hæreant animis nostris & Cæcitatis & Superbiæ reliquiæ, necnon & φιλαυτίας, ità ut non hospites modò hæc mala semina habemus, sed contubernales. Est igitur hic Legis usus in Renatis, ut Vetustatis istius rubiginem detergat, reliquias reprimat, nævos & maculas monstret, &

initia

initia novæ Obedientiæ, quæ languida sunt ut plurimùm & torpescentia, suscitet atque exacuet: ut si de meditatione Inferni Chrysostomus dixerit, οὐδὲν οὕτως χρήσιμον ὡς τὸ περὶ γεέννης διαλέγεσθαι, *utilius nihil est quàm de Gehenna sæpius cogitare*; multò potiùs dicendum est de meditatione Legis, quæ non modò Gehennæ miserias indicat, sed ad gratiam à Christo petendam transmittit, Utilius nihil est, sive ad excitandum somnolentum, sive ad domandum pervicacem animum, quàm assidua Legis inspectio. Nisi hoc malleo cor lapideum contusum fuerit, nisi hoc vomere subactum, non erit capax doctrinæ Evangelicæ. Eapropter S. Paulus, Gal. 3. 24. Legem Pædagogi officio fungi asserit, ut nos supremo magistro & Doctori Christo summitteret, quò perfectas ab eo Disciplinas discamus, & Justitiam quæ est per Fidem acquiramus. *Lex*, inquit, *Pædagogus nobis fuit ad Christum: quàm appositissimè dixit Pædagogus, cùm huic usui maximè inserviat, ut lasciviens ætas refrænetur, & prona in vitia corda teneantur*, ut Hieron. loquitur: *Est* enim *hæc utilitas Legis*, inquit ad Asellium Augustinus, *ut hominem de sua infirmitate convincat, & gratiæ medicinam quæ in Christo est implorare compellat.* Quod autem Apostolus subjungit, *Cùm venit Fides, non sumus ampliùs sub Pædagogo*; non de Legis Obedientia loquitur, quasi ab ea nos Fides liberasset; neque quisquam est vel Veterum vel Recentiorum qui sic ausus est interpretari: sed tantùm de Legis ad Justificandum impotentia; *ut confundantur illi*, inquit Primasius, *qui dicunt quòd Lex ad regnum miserit sine gratia; & non intelligunt quòd quicunq; Lege salvati sunt, Gratiâ sunt salvati, quia ex Fide, quam gratia tribuit.* Imò verò ut distortum hunc verborum sensum præoccuparet Apostolus, propter hoc ipsum Legem appellavit *pædagogum ad Christum*; *ostendens*, inquit Chrysostomus, ὅτι οὐκ ἐναντίος τῆς χάριτος ὁ νόμος, ἀλλὰ καὶ συνεργός, *quòd non sit Legis doctrina Gratiæ adversarius, sed adminiculum*: οὐ γὰρ ἐναντιοῦται τῷ διδασκάλῳ ὁ παιδαγωγὸς, ἀλλὰ καὶ συμπράττει, *non impugnat Præceptorem Pædagogus, sed adjuvat*, alumnum suum arcens ab omni vitio, reddénsque illum gratiæ percipiendæ quàm maximè idoneum. Hujus generis multæ exstant Lutheri sententiæ, in Comment. ad Galatas, ex quo perperàm intellecto opinionis suæ venena hauserunt Antinomi. *Ad hoc*, inquit Lutherus, *Lex prodest, ut gratia ad nos possit habere aditum*: atque iterum, *Lex est ministra & præparatrix ad gratiam*: & rursus, *Lex in suo vero fine humiliat & præparat hominem ut suscipiat & quærat gratiam*: & adhuc, *Lex reddit nos capaces Christi, capaces gratiæ & beneficiorum Christi*: postremò, *Lex cum suo officio prodest ad justificationem; non quidem justificans, sed urgens ad promissionem gratiæ, & faciens eam dulcem & desiderabilem.* Quibus omnibus nihil potuit excogitari significantius ad Legis emolumenta delineanda. Nam dicite, quanti ponderis sunt ista? *Est præparatrix gratiæ, Facit aditum gratiæ, Facit capaces ut suscipiamus, Prodest ad justificationem*: namque ex iis omnibus necessariò sequitur, ut si sit *præparatrix gratiæ*, sit etiam conservatrix; & si *faciat ad aditum*, faciat etiam ad augmentum; & si *capaces reddat ut suscipiamus*, & cautos quoque exhibeat ut retineamus; & si *prosit Ad*, ut prosit quoque Post *justificationem*; & si *moneat ut properemus ad Christum non conversi*, excitet quoque ut magìs ei conversi adhæreamus; quia semper est Speculum ad Voluntatis Dei notitiam, & semper Regula ad Obedientiæ tramitem, & semper Frænum ad cohibitionem peccati, & antè & postquam Christo sumus insiti. Hoc tertium Legis Officium, Ut sit instar Fræni & Commonitorii.

in Gal. 3.

tom. 2. Ep. 200.

in Gal. 3.

Interea

Interea quid ad hæc loquacissimi contra Legem disputatores, qui Renatos ab omni Legis cognitione & custodia, insuper & cura & conscientia, liberos fore teterrimè blaterant? Num S. Davidem, Paulum illum Veteris Testamenti, renatum subnegabunt? At ille & Lege Divinâ cohiberi animam à peccato, atque etiam retrahi, asseveranter affirmat; & in corde suo se Legem abscondisse dicit, *nè peccaret*. Num S. Paulum, Davidem illum Novi Testamenti, justum & fidelem & renatum diffitebuntur? Quâ fronte? quibus superciliis? At sæpe & disertè S. Paulus contendit, se non destruere Legem, sed Legi servire, & Lege delectari, eámque tanquam Pædagogum ad Christum amplecti, & exinde notitiam non exiguam peccati arripuisse. Equidem ad hæc tanta támque manifesta fidei Christianæ Postulata excogitari posse aliquod responsum vix credidissem, nisi apud S. Augustinum, lib. 2. cap. 2. cont. Adversar. Legis & Prophetarum, latibulum nescio quod atque χρηοφύγετον magis quàm responsum reperiissem. *Excogitasse se putant*, inquit Augustinus, *quo pacto has subterfugiant moles Testimoniorum, quibus tamen, velint nolint, cervicata ipsorum lingua conteruntur. Aiunt Apostolum Paulum pro qualitatibus ingeniorum, alienâ personâ locutum: sicut 1 Cor. 9. se omnium servum factum esse dicit, ut plures lucrifaceret; infirmis tanquam infirmum, ut infirmos; Judæis tanquam Judæum, ut Judæos lucrifaceret; & iis qui sub Lege tanquam sub Lege, ut eos qui sub Lege lucrifaceret*, &c. Hæc illi ferè adducunt, ut si quando aliquid pro Lege Divina de scriptis Apostolicis proferatur, hoc dicant Apostolum in persona Judæi tanquam Judæis locutum, & iis qui sub Lege erant tanquam Legis larvatum patronum, ut eos lucrifaceret. Contra hæc verborum portenta quid retorquendum? An ad Salvatoris verbum in Evangelio recurrendum est, ut *obmutescant*? An magis ad illud Archangeli alterum, *Dominus vos increpet*? Nè quæso quis vestrûm putet, acerbiùs me eos tractare quàm par est, qui verba in ipsum Satanam emissa priùs in hominum jam capita convertam; nam S. Ambrosius me docuit, *Tolerabiliora*, inquit, *sunt tentamenta diaboli quàm argumenta Arii*, aut, si hoc addere liceat, quàm subterfugia Antinomi: etenim Diabolus, quamvis Christum tentaret, Legem veneratus est; at illi nè hoc quidem. Ergò dignum est tantæ impudentiæ patellâ operculum, & responsum ipsorum blasphemiis dignissimum, qui non modò frænum mordent & rectorem recusant, sed insuper veridicum & Divino Spiritu plenum Apostolum mendacii insimulant. Revera quòd Tertull. ad Praxeam dixit, *Tolerabilius est duos divisos deos quàm unum versipellem prædicare*, in istos quàm aptissimè quadrabit; Tolerabilius est S. Paulum Apostolum fuisse inficiari, quàm collusorem & simulatorem prætendere. Neque enim *egregius Prædicator*, inquit Gregorius, *ut quasi Judæus fieret, ad perfidiam erupit; neque ut omnibus quasi sub Lege esset, ad carnale sacrificium rediit; neque ut omnia fieret, simplicitatem mentis in erroris varietatem mutavit: sed appropinquat infidelibus condescendendo, non cadendo; ostendendo pietatem, non amittendo fidem; ut in se singulos suscipiens, & se in singulos transfigurans, compatiendo quosque colligeret. Et isti tamen simulatè atque fictè Apostolum locutum esse tinniunt.* Clamat Apostolus Rom. 9. *Veritatem dico in Christo, non mentior, conscientiâ mihi attestante in Spiritu Sancto:* & dicunt illi, Non sunt vera quæ Apostolus loquitur, fallit infirmos, parvulos vanitatibus lactat, esurientibus virus infundit ut nutriat. *Quis non sensus Christianus*, inquit Augustinus, *sed qualiscunque humanus, hoc monstrum non exhorreat? ut mentientem faciant Apostolum, & fallentis astu mysteria veritatis loquentem; nimirum*

Greg. Mor. l.6.c.22.

Greg. Past. par. 2.c.5.

mirum quia infirmi solidam non poterant capere veritatem. An igitur ignorant, aliud esse nutrire parvulos, aliud decipere credulos; aliud alere ut crescant, aliud agere nè vivant? utique hoc non esset lac potandum dare parvulis, sed venenum: at ille parvulis parva dedit, non falsa; lactea, non noxia; nutritoria, non peremptoria; quia Doctor Fidei fuit, non destructor. Restat igitur ut seipsos falsarios fateantur: at verò ut Apostolum hâc notâ inurant, neque Religio patitur, & ipsa recta Ratio sensúsq; communis abhorrent. Nam

Primò, utcunque Legem aliquando deprædicet Apostolus atque extollat altiùs, at non hoc semper agit, neque ubique, neque solummodo: nonnunquam elevat deprimítque; *Lex est ministerium mortis, Lex iram operatur, Hæredes non sunt ex Lege*; & Gal. 5. 2. *Ecce ego Paulus dico vobis, si circumcidamini, Christus nihil vobis prodest.* Ad quid, inquàm, hæc dicebat? nam amentis est existimare, velle Apostolum Judæorum gratiam & benevolentiam istis sententiolis aucupari.

Secundò, hoc posito, quòd semper & ubique Legem extulerit, at inter Gentes hoc præstitit, non inter Judæos: nam ad Romanos, non ad Judæos, scribens hæc dixit Apostolus; habentur enim in Epistola ad Romanos ea singula, *assentire se Legi, & servire Legi, & Lege delectari.* Esto, ad Judæos respiciens hæc fecerit: ad Gentes scribens, Gentium Doctor, cur idem faceret? Si *iis qui sub Lege, ut sub Lege* hoc sensu fuerat, quare *iis qui sine Lege, sine Lege* eodem sensu non fuerat? Quare ad Gentes scribens, qui sine Lege erant, Legem & Prophetas de Christo introducit testes? *Lex dicit, & Prophetæ dicunt.* Obsecro, cur Gentibus vinculum imponeret, à quo eos liberos esse Antinomi gloriantur? Aut quare personam assumit Apostolus contrariam, & se facit tanquam sub Lege iis qui erant sine Lege? Quid opus erat Legis testimonia iis obtrudere qui Legem nesciebant? Cur non potiùs Deos eorum laudavit, & Sacrificia prædicavit, ut iis qui sine Lege esset quasi sine Lege? Sed quid ego hæc frivola & futilia persequor, cùm *sint portenta*, dicente Augustino, *non solùm à Christianorum auribus, verùm etiam à finibus Christiani Orbis arcenda, & detestabiliora quàm ut sub refutatione cadant?* Ad exclamationum formulas se Tertull. recipit in causa penè eadem; *O Christe, patientissime Domine, qui tot annis interversionem prædicationis tuæ sustinuisti, donec scilicet tibi Marcion subveniret! Ergò ipsi non recto pede incedebant Apostoli ad Evangelii veritatem.* Neque hoc mirum est in Tertulliano, cùm Psalmographum ipsum habeamus inclamantem, Psal. 119. 126. *Domine, tempus est ut facias, quia irritam fecerunt Legem tuam.* Mittamus igitur ipsos, præsertim cùm sapientissimus Salomon nos doceat, Prov. 28. 9. etiam Preces ipsius esse abominationi, si quis aurem suam ab audienda Lege avertat: quòd si preces eorum sint Deo abominationi, oportet ut verba etiam sint nobis despicatui. *l. 1. Adv. Marc.*

Sed redeamus ad Usum & Officia Legis, unde me incautum ineptiarum istarum prosecutio averterat. Videamus denuo quæ sit illa Lex quam isti rejiciunt, quàm salutaris, quàm fructuosa, quàm ob commoditatum complurium copiam veneranda, quàm cum salute nostra & Christianorum felicitate communi conjunctissima. Mirabiles ejus utilitates quis potest animo, quis oratione complecti? Frigidiora sunt illa verba, *utile, proficuum*; est enim ad cognitionem Dei & Christi non modò Lex utilis, sed simpliciter necessaria, nec non ad cognitionem Voluntatis Dei & dulcedinis Christi; utilis unicuique ad recognitionem sui & examen Conscientiæ; utilis ad explorationem & cohibitionem peccati, ad docendum, ad ducendum san-

ctissimum

ctissimum quemque per omnia pietatis itinera; utilis ut Speculum, ut Lucerna, ut Regula, ut Frænum. Si ad hæc omnia sit utilis, væ illi & Dei, & sui, & Religionis immemores sunt, qui inutilem esse contendunt. Certè quod M. Antonius de sanguinolento Cæsaris indusio olim ad populum, *En qualem virum quàm crudeliter trucidarunt Conjurati:* En qualem Legem quàm impiè conculcant Adversarii, haud aliter quàm olim Manna Israelitæ. Manna, quamvis panem Angelicum, frumentum cœleste, quod omnis saporis suavitatem in se habuit, insuper & ipsius Christi Sacramentum typúsque fuit, fastidiunt, & carnes concupiscunt; *Ecce*, inquiunt, *anima nostra arida est, nec quicquam præter Manna oculi nostri vident, carnem da nobis comedendam:* Ità & Legem Divinam homines effrænes; idcirco Legem despiciunt, ut carni indulgeant; *nec aliter de Lege Dominicâ queruntur*, inquit Salvianus, *quàm de optimo medico impatiens ægrotus soleat*, quia carnis dolorem cruciatúmque refugiunt. Propter hoc Legem cœlestem, quæ omnes utilitatum dulcedines in se continet, velut aridam literam atque inutilem conculcant, & uno halitu dissflare hæc omnia commoda enituntur simul cum Lege ipsa; & cùm Christus ne iota quidem unum respuere vellet, ipsi ὁλόκληρον γενεὰν, ut Chrysostomus loquitur. Ergò & *ipsum Christum negare convincuntur*, ut Ambrosius optimè, *etsi nomen ipsius non negent*; quia Christum negat qui non omnia quæ Christi sunt confitetur: quid autem magis est Christi quàm Lex Moralis, quæ quicquid in se virium aut habet aut habuit, id totum Christo debet, ídque non uno modo, sed multis: nam & Christus eam primitus promulgavit, & ei ipse paruit, & eam implevit, & ut Regulam immutabilem certissimámque confirmavit, quæ Christianos duceret & ad indubitatam cognitionem Voluntatis Christi, & ad suavissimum amplexum gratiæ Christi, & ad religiosam observantiam obedientiæ Christi: nè quis dubitaret, iisdem post Christum Legem usibus inservire quibus ante Christi adventum conducebat. Hæc Propositionis ultimæ particula ultima.

Hom. De Pastore & ove.
Ambr. in Luc.

Atque sic aliquando ad prolixæ de Lege Disputationis metam pervenimus, à vobis diu exspectatam, & desideratam fortasse à Legis Adversariis, & mihimetipsi quoque non injucundam. Nunc uno opere finem impònam tribus molestiis, & vestræ, & meæ, & Adversariorum; si priùs de singulis, valedictionis loco, verbum unum aut alterum addidero.

Et quod ad vos spectat, Auditores optimi, vestrum Verbum erit illud Augustini ad Bonifacium; *Laudo*, inquit Augustinus, *& gratulor, & admiror, fili dilectissime Bonifaci, quòd inter curas bellorum & armorum, vehementer desideras ea nosse quæ Dei sunt:* atque ego vobis gratulor, & si hoc non sufficiat, exosculor, quòd inter labores vestros curásque domesticas tam læto alacríque animo huic nostræ qualicunque Legis Moralis defensioni interesse dignati estis, quódque tam placidè tot dierum importunam molestiam devorastis.

Ad Legis Obtrectatores quod pertinet, ipsorum Verbum sit istud beatissimi martyris Cypriani, de Novatianis ad suos Carthaginenses; *Opto equidem*, inquit, *dilectissimi Fratres, & consulo pariter & suadeo, ut, si fieri potest, nemo de fratribus pereat*, vel simplicitate captus, vel errore inductus, vel aliquâ fallentis astutiæ calliditate deceptus. Quocirca à fallaciæ vos laqueis solvite, vagantes gressus ab erroribus liberate, iter rectum Legis cœlestis agnoscite: Hortamur vos etiam & præcipimus in nomine Domini nostri Jesu Christi, Nemo vos decipiat inanibus verbis, aut à via veritatis per itinera erroris seducat. *Ignosci potest simpliciter errantibus*; *verùm*

De Unitate Eccl.
Ep. 73.

verùm post consilia salubria & revelationem factam, qui prudens & sciens in eo quod erraverat perseverat, sine venia ignorantiæ peccat, præsumptione nixus, cùm Scripturis & Ratione superetur.

Postremò, pro memetipso quod Verbum suscipiam nisi illud Hieronymi ad Pammachium & Oceanum? Non me suscepti laboris piget aut pœnitet in bivio nescio quo angustiisque positum; ut *si tacuero, reus, si respondero, inimicus judicer: Dura utraque conditio; sed è duobus elegi quod levius est: Simultas redintegrari potest, blasphemia veniam non meretur; mallem existimatione periclitari quàm fide.* Adeò necessarium erat nascenti morbo occurrere, & honorem Legis Dei à calumniis injuriisque vindicare. Præterea & aliquid etiam præter spem nobismetipsis lucrati sumus, quòd multa Scripturæ loca obiter pertractavimus, & Quæstionum difficillimarum lacunas explevimus non paucas. Nam primò, quòd ad originem & incrementum malesanæ sententiæ attinet, ostendi quibus Radicibus orti, quibus Alis elati Stimulisq; excitati fuere hujus pessimi Dogmatis Sectatores. Deinde, quod ad Statum Quæstionis, de Damnatoria parte Legis quæ evanuit, & de Directoria quæ manet, multa disseruimus; & de Cautelis in proponenda sive Legis sive Evangelii doctrina observandis. Posthæc, de Argumentis & Scripturæ locis egimus quos ad causam suam detorquent Adversarii, juxta quatuor istas Propositiones; Quæ de Legis abolitione generaliter Scriptura loquitur, ea sunt ad Ceremonialia & Judicialia ut plurimùm referenda: Hæc prima. Quæ specialiter de Legis Moralis abolitione aut Scriptura aut Patres dicunt, ea semper vel de Maledictione Legis, vel de Remotione ipsius ex Justificationis articulo, vel de Consummatione ipsius per Christum, constanter pronuntiant: Hæc secunda. Liberatio à Maledictione Legis non introducit liberationem ab Obedientia Legis: Hæc tertia. Renovatio quæ est per Legem Spiritûs non solvit doctrinam quæ est in spiritu Legis: Hæc quarta Propositio. Ad hæc etiam, Argumenta nostra ad veritatis patrocinium produximus, à Suffragio Evangelii, à Natura Legis, à Nexu & usu communi utriusque, desumpta. Inprimis, Suffragium Evangelii testimonio Christi & Apostolorum nitebatur, tribus istis Columnis suffultum; Evangelium non excludit Legem Moralem è finibus suis, sed eam in se comprehendit: Fides Legem Moralem non destruit aut enervat, sed roborat & confirmatiorem reddit: Apostolorum nemo doctrinam Legis abolendam esse uspiam prædicavit, sed eam omnes & ubique in Testimonium vocarunt.

Deinde à Natura Legis Argumenta ducta ad duo Capita revocavimus; ad Perfectionem ejus, & Æternitatem.

Perfectionem ipsius duabus Propositionibus complexi sumus. De Perfectione extrinseca & accidentali prima fuit, Lex Moralis, quantum ad ipsius intelligentiam spectat, perfectionis susceptiva fuit, & revera gradus atque augmenta perfectionis suscepit, diversis temporibus consona; quia clarior erat ipsius intelligentia Prophetarum temporibus quàm Mosis, & Apostolorum quàm Prophetarum. De Perfectione intrinseca & formali altera, Lex Moralis, quantum ad essentiam ipsius pertinet, neque gradus suscepit, neque perfectionis susceptiva erat; quia perfectionis gradus numerósque omnes à principio constitutionis suæ complexa est, & pro perfectissima pietatis Regula Ecclesiæ concredita.

Æternitatem Legis & à Scripturæ locis, & ab omnium seculorum intuitu demonstravimus: qualis erat ante tempora, qualis in decursu temporum, & qualis futura est post tempora; qualis in Statu naturæ integræ, & naturæ corruptæ; qualis sub Mose & Prophetis, qualis sub Christo & Apostolis. Hæc omnia in multarum Propositionum compendia redegimus.

De Statu ante tempora duæ erant Propositiones ; In Idea mentis Divinæ Justitiæ Practicæ Exemplar ab æterno exstitit, hominibus aliquando revelandæ : Hæc prima. Ex hoc ipsissimo Exemplari Justitiæ Practicæ regula transcripta est Lex Moralis : Hæc secunda.

De Statu Naturæ integro & corrupto tres Propositiones exstiterunt ; Justitiæ Practicæ regula homini patefacienda, in principio creationis est patefacta, & pro receptivitatis modulo in humani pectoris tabella impressa, ibíque mansit in Statu integro integré : Hæc prima. Lex eadem etiam in Statu lapsûs, secundum Vestigia aliqua & reliquias, & mansit, & adhuc manet in eadem cordis tabella, confusè & imperfectè : Hæc secunda. Hæ reliquiæ sive Vestigia Perpetuitatem Legis Moralis evincunt, eò quòd & fundatur & perpetuatur in Natura : Hæc tertia.

Pro Statu Legis sub Mose & Prophetis Propositio unica militabat ; Lex eadem quæ Naturæ nostræ ab origine infixa est, eadem in monte Sinai Judæis lata est atque imposita, quando & ore Dei promulgata, & digito Dei exarata, & tabulis lapideis insculpta est, & Commentariis Propheticis explicata.

Pro Statu ejus sub Christo Propositio item unica ; Lex Moralis, non modò quà Naturalis & Evangelica, sed quà Moralis, authoritate regulativâ atque obligatoriâ pollet, à Christo & Apostolis omnibus confirmata.

Postremò, de Statu Legis post tempora tres constitutæ sunt Propositiones ; In cœlo manent Pietatis Virtutúmque Exercitia beatorum Statui respondentia, ídque modo eminentissimo, inter Angelos Sanctósque, incolas cœlestis Patriæ : Hæc prima. Habent Angeli Sanctíq; in Statu beatitudinis Legem aliquam sive regulam, juxta quam hæc Pietatis cultûsq; Divini exercitia conformant atque componunt, à Visione Dei in ipsorum corda transfusam, quâ simul vident & in seipsis & in Deo quicquid ad ipsius voluntatem & ipsorum beatitudinem conducit : Hæc secunda. Hæc ipsa Lex sive regula Pietatis, à Visione Dei plenissimè derivata, & in ipsorum corda transfusa, quoad Substantiam eadem est cum Lege Decalogi ; adeóque præcepta Decalogi tam longè abest ea hîc abrogari, ut nè in futura quidem vita secundum Essentiam suam sunt cessatura : Hæc tertia. Postremus Argumentorum ordo à Nexu & communi usu utriusque sibi aditum fecit, sub duabus istis Propositionibus ; Morale nihil est in Evangelio quod non priùs est delineatum in Lege ; sive illud Præcepti, sive Prohibitionis, sive Promissionis, sive Denunciationis, sive Assertionis rationem habeat : Hæc prima. A Christo & Apostolis confirmata est Lex Moralis, ut in omnes perennitates usui esset, non solùm iis qui nondum sunt justificati, ut ad statum Gratiæ redigantur, sed etiam iis qui per Spiritum Sanctum sunt renati, ut magis magísque Christo agglutinentur : Hæc Propositio novissima. Adeóque & hæc totius operis fabrica, & fusioris Summula disputationis, quâ retroactâ, ad Salvatoris verba jam revocandi estis, *Intellexistis hæc omnia?* Nullus dubito & intellexisse vos, & meminisse, quòd *omnis Scriba eruditus ad regnum Dei similis sit homini patrifamiliâs*, *proferenti de thesauro suo* & Evangelii *Nova &* Legis Moralis *Vetera*. Erat enim hæc Concordia tertia *Novorum & Veterum*.

Quarta mox sequetur, De Veteribus & Novis Ecclesiasticis, sive de authoribus utriusque seculi conjungendis ; Quàm sit perito Theologiæ artifici necessarium, & in Recentiorum & in Antiquorum Patrum scriptis revolvendis versatissimum se præbere, ut veritatem, sive hîc sive illic delitescentem, in apricum proferre possit. Verùm hæc, ut novi Argumenti sunt exordia, ità novæ præsentiæ circulum curriculúmque exposcunt.

LECTIO

LECTIO XXXV.

QUòd *Operarios in Vinea* Ministros Verbi Christus in Evangelio appellat, Metaphoram paulò ulteriùs protendit Chrysostomus, non solùm eos esse Operarios in Vinea asserens, sed Operarios in Fodina; quòd ad ipsos spectet non modò Veritatis vinum è vindemia Scripturarum eruditionis torculari exprimere, sed & vasa præterea pretiosissima in audientium animis fodiendo & limando edolare, quæ Vino novo Spiritûs recipiendo inserviant. Atque hoc illud est quod & Ego, Auditores, in vultu & renovato concursu hoc vestro videor mihi clarissimè legere, exspectare vos hodie ut novus aliquis vos mulsi ductus excipiat, & nova Auri vena vobis aperiatur, quæ aut hinc ditescere animos vestros possit, aut illinc oblectare: cùm tamen in nostra tenuitate non sit ejusmodi aliquid polliceri: sed Scripturæ textus quam tractaturi sumus utrumque, ut spero, suppeditabit; nisi infeliciter contingat, aut Vinitoris negligentiâ, aut Fossoris imperitiâ, spe vestrâ vos desiderióque fraudari. Quod nè fiat, non mihi cupio ut auscultetis, sed verbis Salvatoris, quæ ex se sola valent & locum hunc quo confluxistis dulcedine suâ in Vineam, atque pretio suo in Aurifodinam mutare, & insuper efficere nè vestrûm quenquam pœniteat itineris sui: ut quod de Confessoribus sui temporis ad metallum damnatis B. Cyprianus dixit, *Quid mirum*, inquit, *si vasa aurea & argentea in metallum, i.e. auri & argenti domicilium, dati estis? nisi quòd nunc metallorum natura conversa est, locáque quæ aurum & argentum dare consueverant, nunc accipere cœperunt*; pariter & mihi liceat vos alloqui, Non miror si vos, qui Vitis cœlestis estis palmites, & Vini spiritualis pinguescentes racemi, in Vineam, si vasa aurea & argentea Sanctuarii in Fodinam vos recepistis; nisi quòd rerum ordo est commutatus, & vos qui Vinum populo propinare Aurúmque doctrinæ purioris impartiri consuevistis, nunc à me accipere dignamini. Atque nonnulla jampridem accepistis; effossa est Vena prima, Poculum primum effusum, nec non secundum. Ad tertium jam accedendum est; nam ejusmodi erat, si meministis, *novorum & veterum* inprimis à me facta distributio, In *vetera & nova* Præparatoria, i.e. merè Humana; in *vetera & nova* Fundamentalia, h.e. purè Divina; in *vetera & nova* Accessoria, h.e. mixta, sive Ecclesiastica. Et ex istis membris triplex Concordia orta est, quæ rerum omnium scibilium Summam in se complectitur. Ep. 77.

Concordia prima est literarum utriusque Reipublicæ, hâc Propositione designata, Tractatori Sacro licet non è Scripturis modò, sed è Scientiis secularibus copias suas atque apparatum instruere, & ex illis adducere quæcunque, sive *nova* sive *vetera*, quæ maximè spectant ad promovendam veritatem. Hæc Vena prima, quæ ansam dedit De licito literarum secularium usu in Theologicis disputandi.

Concordia secunda est Scripturarum utriusque Testamenti, hâc Propositione descripta, Tractatori Sacro est necessarium, ut petitis ex utroque Testamento armis se muniat, ut possit tótum Dei consilium annuntiare, & in iis quæ Legis sunt, & in iis quæ Evangelii. Hæc Vena secunda, quæ aditum fecit ad longam illam diúque agitatam De Legis Moralis Perpetuitate controversiam.

Concordia tertia est Scriptorum utriusque seculi. Hæc Vena tertia, non

minùs fæcunda quàm cæteræ, quæ nunc fenestram mihi aperit ad tertiam de Antiquis & Novis Doctoribus disputationem: Est enim hæc cura altera Pastoris Evangelici, qui Patrisfamiliâs studet partes agere in domo Dei, ut postquam se omni Sacrarum Scripturarum apparatu instruxerit, & salutares aquas hauserit è fontibus Salvatoris, h. e. ex Divinis utriusque Testamenti oraculis, ut tum demum cujuscunque generis supellectilem & adjumenta ex Scriptoribus Orthodoxis congerat, ex variis ingeniis excellentissima quæque libando; ut cùm veritatis negotium agitur, ex uberi omnium seculorum thesauro ancillantes copias ad fidei sive ornatum sive subsidium educat. Et quidem quòd hucusque se exporrigat verborum Christi scopus atque consilium, nemo est qui dubitare potest, si sciat quòd non Apostolis solùm, sed omnibus ad finem usque mundi Pastoribus, & dicendi & differendi formulam hic Christus constituerit. Non enim loquitur de iis tantummodo qui tum fuerant, sed & de ipsorum sequacibus, qui postea esse poterant Scribæ & Doctores Evangelicæ veritatis. Et Apostolis quidem donorum Divinitus datorum thesaurus satìs supérque fuit ad hoc munus exsequendum. At nobis non est sperandum, posse nos absque summo studio laboréque assiduo thesaurum aliquem scientiæ aut eruditionis acquirere: arripienda sunt igitur quotquot ubique exstant sive artium, sive hominum, sive temporum adminicula; cum Josepho Patriarcha, & præsentis anni fruges & superiorum etiam sunt colligendæ: *neque novâ tantùm contenti debemus esse doctrinâ*, inquit in hunc locum Hieronymus, *sed & veterem excolere oportet, & nostro jungere comitatui.* Quod ad novos Authores spectat, apertior res est quàm quæ rationibus egeat, eò quòd patefactionis incrementa ex ipso temporum tractu Dogmata fidei recipiant; & ut reliquæ Artes, sic res quoque Theologicæ, in maximos quotidie auctus diffundantur. Esto, eam antiquitus Sanctorum Patrum lucubrationibus ad maximam claritudinem evectam fuisse: at habet & nunc quò possit evolare altiùs, & nepotum fructu gravida in majorem amplitudinem adolescere. De structura ejus prima comperta res est, fabricatores tanti operis fuisse Apostolos, qui soli & fundamenta, & parietes, & fenestras tectúmque ad culmen perduxerunt. Dein post Apostolos compertum & hoc, à Patribus multam magnificámque supellectilem, & utensilia non pauca, ad Domûs Sponsæque ornatum fuisse parata. At verò hoc non minùs compertum, quòd post Patres, etiam recentioris memoriæ Doctores quamplurima Dogmata elucidarunt: atque post ipsos nobis eadem Sparta ornanda relinquitur, ut istis Antecessoribus respondere possimus; quod fieri non potest, si priscis solis Scriptoribus dediti, recentium prorsus incuriosi simus; cùm non sit cuiquam possibile, ad expletam Eruditionis Sacræ formam pertingere, si hoc pede claudicaverit, & recentiorum hunc eruditum pulverem neglexerit: quia si major authoritas Veterum, at sua est utilitas suavitásque vel nuperrimè inventorum. ἡδὺ γὰρ καὶ τὸ καινόν ἐστι, καὶ ὃ μὴ πρότερον ἔγνω τις, ut Strabo optimé. *l. 1. Geogr.* Deinde verò, quod ad Authores antiquos pertinet, ad ipsos evolvendos nos ipsa necessitas detrudit, eò quòd absque ipsorum scriptis non valeamus multiplices veterum Hæreticorum fraudes & præstigias retegere, nec varios priscæ Ecclesiæ status aut vicissitudines observare: absque ipsis, continuus & universalis Veteris Ecclesiæ Orthodoxæ in præcipuis Religionis Christianæ capitibus consensus non potest indicari; quæ ipsorum Voluminum non est utilitas ultima. Cùm enim una eadémque semper fuerit Ecclesia, & una eadémque semper Veritas; certissimum est, Ecclesiæ Veteris præcipua Dogmata præsentis Ecclesiæ sententiis non repugnare. Ergò evolvenda necessariò sunt ipsorum scripta, ut fiat hic doctrinæ consensus digitis hominum nutibúsque notabilis. Huc accedit, quòd in

Patribus

Patribus allegandis Pontificii, maximéque Scholastici, admodum sint frequentes; ex ipsis sæpius disputant quàm ex Scripturis Sacris, eos sibi pro suis vendicant, támque suos esse jactant quàm ipsum Pontificem Romanum, ab ipsorum placitis nè transversum se digitum discedere gloriantur: Nos verò improbis clamoribus, ut Patrum contemptores & adversarios, obruunt, quòd parùm aut nihil Patribus tribuamus, ut Bellarminus; quòd prorsus nihil cum Patribus habeamus commercii, ut Canus non erubescit asserere. *Campian. Rat.* *Costerus, præfat. Enchir. Antith. 9.* *l. de Christo, c. 10.* *Can. in locum.* Quæ cùm ità sint, num exspectatis ut vos stimulis acuam ad Antiquorum monumenta perscrutanda? Equidem si Utilitas nulla emergeret, at Necessitas cogit, ut vel his mediis Thrasones istos, qui hæc magnifica & gloriosa falsò sibi arrogant, ex hoc Ostentationis fastigio dejiciamus, & Testimoniorum mole quam venditant obruamus, & de fundo non suo agamus præcipites. Sed tamen præter hanc polemicam, sunt aliæ utilitates quamplurimæ; si sanctas Patrum παραινέσεις sive *adhortationes*, Spiritum Martyrii (ut de iis Erasmus loquitur) verè redolentes, ad usum nostrum accommodemus, si ipsorum Alis evecti ad Divinæ Scripturæ plenissimum sensum, quasi per Scalam quandam, ascendamus. Idem suo tempore Aurelius Cassiodorus observavit, de Divinis Lectionibus c. 15. Idcirco potissimùm Patrum scripta esse relegenda, quia in Epistolis & Sermonibus suis, & cum Hæreticis altercationibus, diversa Scripturæ Divinæ loca suaviter ac diligenter aperiunt, quibus quasi lucernis ducti ad reliqua indaganda nos feliciùs accingamus. Quòd si vel Vitæ probitas, vel dignitas Loci, vel Scientiæ meritum, vel Ætatis reverentia authoritatis quicquam scriptis humanis conciliet, proculdubio ipsorum scriptis plurimum est deferendum; cùm in ipsis luceat eminentia quædam & Loci, & Temporis, & Pietatis, & Eruditionis. Eruditionis quidem, quia Ecclesiæ Luminaria fuerunt, & Armamentaria sapientiæ, & *olivæ decurrentes in omnem suavitatem*, ut de Cypriano Cassiodorus loquitur; Doctores ejusmodi, qui *lectione assiduâ & meditatione diuturnâ pectora sua Bibliothecas fecerant Christi*, ut de Nepotiano ad Heliodorum Hieronymus. *de Div. Lect. c. 19.* Pietatis, quia vitæ fuerant magìs inculpatæ, non ambitionis, aut avaritiæ, aut invidiæ pessimis affectibus capti, quibus sequentes ætates plus nimiò sunt delibutæ. Temporis, quòd Apostolis viciniores, quando ut infantia major, ità major innocentia Theologiæ, & per hoc à nobis, progenie incanâ, hoc nomine adeò venerandi, ut sine donorum Dei injuria ipsorum testimonia non possunt despici, aut lectio interdici. Denique Loci & Officii, quia sanctissimi ut plurimùm Episcopi fuerunt, *Ecclesiæ oculi*, ut Origenes; προστάται τῆς ἀληθείας, ut Nazian. in Apologia loquitur; qui mundum Dei notitiâ repleverunt, Ecclesiam doctrinæ fontibus rigarunt, & infidelium turbam, retia salutis expandentes, Disciplinæ Christi subjecerunt. Quòd si per tempus liceret huic me pelago committere, & quotquot uspiam sparsim exstant laudis cognomina in unum fasciculum colligere, non deesset, opinor, præconiorum seges amplissima ex ipsis Patribus petenda: sive ex illo Theodoreti, qui Ephræmum Syrum *Spiritûs Sancti lyram sonoram*; sive illo Paulini, qui S. Augustinum *fistulam aquæ vivæ, & venam fontis æterni* appellavit; sive ex illo Greg. Nazianzeni, qui S. Athanasium μεγάλην σάλπιγγα τῆς ἀληθείας, *magnam veritatis tubam*; sive ex Greg. Nysseni altero, qui S. Basilium τὸ μέγα σκεῦος τῆς ἀληθείας, καὶ τῶν δογμάτων χρυσῆν ἀηδόνα, *magnum veritatis vas, aureámque doctrinæ lusciniam*, meritissimò dixerit. Verùm deest mihi spatium ista prosequendi, insuper & facultas; cùm nemo eos pro dignitate laudare possit, nisi cyatho Thamisin aut totum Britannicum mare exhaurire velit. Satìs me huic parti fecisse puto, si vel tantillùm pectora vestra ad hæc sublimia studia his verborum facibus accendero. Est

enim hic tertius modus *Nova* cum *veteribus*, extrema cum primis consociandi, si lectionis multiplicis satellitio adjuti, hoc unum Religioni officium præstiterimus, ut pateat aliis, quòd semper eadem & vixerit & floruerit fides per utriusque, tum præsentis tum præteriti, seculi memoriam. Verùm non est cujusvis hoc facere, aut huc pervenire. Huc non perveniunt Hæretici, dicente Chrysostomo, qui *quia vetera non tenent, nova credere non possunt; & quia nova non habent, veteribus penitus carent:* ταῦτα γὰρ ἀλλήλων συνδέδεται καὶ συμπλέκεται. Huc non perveniunt præcocia illa ingeniola, de quibus S. Greg. Nazianzenus conqueritur, Apologet. Or. 1. qui priùs ferè quàm primam comam abjecerint, puerilíque more balbutire desierint, priusquam Sacrorum Librorum vel nomina ipsa noverint aut authores cognitos habuerint, si duo aut tria pia verba edidicerint, eáque non ex lectione, sed auditione solâ hausta, statim sapientes & magistros, & in Divinis rebus sublimes, & Scribarum ac Legisperitorum primos se esse gloriantur: cùm tamen nè hactenus quidem sapiant, ut inscitiam suam cognitam habeant; nec tam propè perveniant, ut distantiam suam à vera eruditione persentiscant. At novi è vobis plurimos huc pervenisse, atque anhelare alios. Macte igitur, ut excerptis è thesauris temporum quibuscunque, sive *novis* sive *veteribus*, & in horreum Dominicum comportatis, non solùm fidelis servi, sed eruditæ Scribæ nomen honorémque mereamini, qui de ærario profert hæc *nova & vetera*.

in Matth. 13.

Et verborum interpretationi ista jam possunt sufficere, Declamatoriè magìs quàm Dogmaticè dicta. Nunc missâ hâc fusâ camporum planitie districtiùs agamus. Ex supradictis unica est quæ resultat Propositio, Tractatori Sacro, vel Scribæ Evangelico, inprimis necessarium fore, ut in Scriptis tam veterum quàm recentiorum versatissimum se præbeat, quò possit utrinque fidei Dogmata vel firmiùs stabilire, vel distinctiùs explicare. Hæc totius negotii radix, ex qua Quæstionum rami quamplurimi mox suboriuntur, De *veterum novorúm*que lectione & usu, etiam & authoritate in Theologiæ Dogmatibus. Quæ omnia ut ordinatiùs disponam, ad duo jam Capita revocabo; De *novis* & *veteribus* respectu Personarum, & De *novis* & *veteribus* respectu Rerum.

In *vetustate* & *novitate* Personarum, quatuor sunt discutienda.

Primum, Quæ utriusque Natura & Definitio.

Secundum, Quæ Cautelæ regulæque in utrisque observandæ.

Tertium, Quæ Scriptorum *novorum* & *veterum* in Fidei definitionibus vis atque authoritas.

Quartum, Quàm iniquæ Pontificiorum in Orthodoxos calumniæ circa utrumque.

In *vetustate* & *novitate* Rerum ipsarum quinque sunt expendenda.

Primum, In quantum & quo modo Antiquitas subserviat veritati.

Secundum, In quantum Novitas præjudicet.

Tertium, Vetustas quid addat Errori.

Quartum, An Pontificii ritè Antiquitatem sibi vendicent.

Quintum, An nobis justè objiciant Novitatem.

Non unius diei opus est ea singula percurrere; sed à primo tamen Capite hodie ordiendum est, quia Quæstio est introductoria ad reliquas quæ sequuntur. Sunt autem ipsius partes duæ:

Prima, Qui termini definitionis *Veterum* & *Novorum* statuendi; &

Secunda, Quæ sit ratio nominis, quòd Veteres *Patres* appellentur.

Prima pars Disquisitionis est de Terminis, nimirum, Quæ sit *Veterum* atque *Novorum* legitima Definitio, qui limites terminíque statuendi. Nam si

si ex postremi solius seculi intuitu metiamur hæc invicem, & eos solos *novos* aut *neotericos* dicamus qui præsenti aut novissimè effluxo seculo floruerint, immensa erit Antiquorum latitudo, víxque ullis cancellis circumscribenda: & tamen huc usque Greg. de Valentia Antiquitatis suæ lineas & Patrum ætatem protendit, usque ad nostra tempora, l.8.c.8. p.90. *Doctores sunt quos jam indè à temporibus Apostolorum variis ætatibus Ecclesia tanquam Patres venerata est ac fidei magistros*; & Jodocus Coccius, usque ad quintumdecimum seculum, usque ad Thomæ Campensis, & Æneæ Sylvii, & Dionysii Carthusiani, & Pelbarti etiam atque Caroli Bovilli & nomina & tempora; atque in Thesauri frontispicio eos omnes ad Patrum Latinorum Catalogum indiscriminatim reducit, audacter nescio magìs an ridiculé. Etenim vel ipsi judicent, quæ erit reverentia aut honor Patrum antiquorum, quæ canitiei vel in argumento probabili verecundia, si summa imis confundamus, paríque amplexu hesternos atque primævos recipiamus. Sunt igitur alii qui intra millesimum annum angustiùs multò contrahunt; ut illi qui à temporibus Apostolorum ad annum Christi millesimum vixerunt, & Scripturam interpretati sunt, *Patres* sive *Ecclesiastici Doctores* vocentur. Atque hâc ratione distinguunt à Doctoribus Ecclesiæ succedentium temporum, qui *Scholastica*, ut vocant, *Theologiæ* operam suam impenderunt. Adhuc angustiùs Scultetus, in Aphorismis, De fructuosa lectione Patrum, ab istis rationibus ducentos annos subducit; *Patres*, inquit, *hodie vocantur Doctores Ecclesiæ, qui à temporibus Apostolorum ad annum Christi octingentesimum vixerunt, & interpretati sunt Sacram Scripturam.* Juellus noster, pietate atque eruditione clarissimus, adhuc ducentos alios abscindit ab hoc Sculteti calculo, cùm ad Patrum authoritàtem Pontificios provocavit, & non est egressus sexcentorum à Christo nato annorum limites, quibus probari posse negavit authoritate Patrum receptos fuisse eos Articulos in quibus rei Christianæ Summã Pontificii constituunt. Postremò, Barth. Keckermannus, l.3. System. Log. c.7. ducentos plùs minùs annos adhuc amputat, & tantùm quadringentorum (quódque excurrit) annorum spatium eis decurrendum largitur. *Desinit*, inquit, *Patrum ætas cum temporibus penè Augustini; ibi enim Ecclesia non ampliùs, ut Eusebius testatur, Virgo mansit, cùm postea ab humanis traditionibus vitium acceperit.* Hæc ille. Atque revera non video cur alicui displiceat viri doctissimi definitio hæc; non enim breve spatium, aut exiguum annorum cursum præfinivit. Sed quia Honores sunt ampliandi, mallem ego illustrissimi Episcopi Juelli vestigiis insistere, qui liberaliùs egit, & sex priorum seculorum Doctoribus Orthodoxis Veterum Patrum titulum ascribit. Neque id inconsultò, quia in hoc temporis ambitu & illa generalia celeberrima Concilia habita fuerunt, & omnes illi insignes Doctores floruerunt.

Hâc supputatione factâ, tres erunt Scriptorum ordines constituendi, Veteres, Intermedii, Recentiores. Illi, ab Apostolorum temporibus ad Gregorium Magnum; Isti, à Gregorio ad Petrum Lombardum; Hi, à Lombardo ad usque nostra tempora. Primi illi per eminentiam *Patres* dicti, quia purioris doctrinæ mulsum & hauserunt & propinarunt. Intermedii, quamvìs multa habeant communia cum primis, at quædam tamen diversa; & quamvìs ex ipsis multi erant religiosiores & doctiores, at in quibusdam tamen errorum semina sparserunt; cùm luce clarius sit, post annum sexcentesimum doctrinæ puritatem sensim fermentatam, ipsámque Religionem deteriorem factam esse, erroribus paulò altiùs pullulantibus, & Monasticarum superstitionum stipulis in Ecclesiam invectis: quod partim contigit conniventibus Episcopis & dormientibus, partim etiam bellis per aliquot

annorum centurias ubique grassantibus, adeò ut locus non fuerit aut Professoribus idoneis ut docerent, aut juventuti ut disceret. Postremi illi qui Intermedios sequuntur, utcunque ipsorum aliqui melioris & antiquioris notæ fuerant, & cæteris perspicaciores, & meritò ob acuminis & eruditionis laudem *Scholastici* dicti: at quia ex ipsis plurimi Monasticæ superstitioni barbariem atque inutiles argutias apposuerunt, & relictis Sacris Scripturis sinceriorem Theologiam ingenii sui fæcibus contaminarunt, atque tyrannidi Pontificiæ Sophisticam addiderunt, alteram, eámque dignissimam, Sanctæ Cathedræ columnam, idcirco ad Novitiorum potiùs quàm Veterum classem meritò sunt rejiciendi. Sunt enim,* (non de omnibus, sed de plurimis loquor) sunt, inquam, genus hominum æquivocum, ex vitiorum virtutúmque inæquabili mistura compositum, ut revera quid sint dictu sit difficillimum. Ex Acumine & Audacia videas eos compositos, dum de rebus arcanis & adorandis ore impuro sæpissime loquuntur; deinde, ex Superstitione & Veritate, ut rectissimè Lutherus dixerit, *Scholasticam Theologiam falsam esse Scripturæ & Sacramentorum intelligentiam*; adhuc, ex Philosophia & Theologia, cujus utriusque adulterata permistio peperit Scholasticam; adeò ex duobus non satis integris factum est unum corruptum; porrò, ex Christo & Antichristo, vel, ut Longolius, *ex Aristotele & Christo*, ídque tam iniquo discrimine, ut Aristoteles sit caput & vertex, Christus vix crurum aut etiam pedum munus habeat; denique, ex Antiquitate & Novitate, ut in alterutra vix locus jam ipsis relinquatur in duabus sellis sedentibus. Atque sic habetis aliquando scriptores singulos in certas suásque, prout commodè fieri possit, Classes distributos, Veteres, Intermedios, Novos; vel Patres, Posteros, Nuperos. Sunt tria genera: quòd si ad duo magìs placeat revocare, vix aliis potest vocibus comprehendi, quàm duabus illis super quas præsens Disputatio vertitur, dicendo, Vetustiores & Recentiores; vel, Patres, Patrúmque Nepotes; legitimos, an spurios & degeneres, nunc non contendo. Et Patrum quidem ætas ad sex priorum seculorum fines sese exporrigit; Nepotum sive recentiorum, à sexcentesimo anno usque ad nostrum seculum.

Orat. ad Lutherum.

Hanc ego maximè idoneam partitionem esse duco, quæ in duplicem longitudinem diffinditur; quia religio est aut distinguenda confundere, aut dissimilia miscere. Non quòd sim nescius floruisse aliquos post sexcentesimum annum venerandi nominis clarissima Capita, Isidorum Hispalensem, Bedam, Damascenum, Rabanum, Theophylactum, Oecumenium, & non ultimæ devotionis eruditionísque Bernardum: sed pauci non præjudicant necessariæ distributioni. In prioribus & Antiquitas major, & Sanctitas nitidior, & Eruditio clarior, & Veritas incorruptior eminebat; quæ quatuor ad Patris Ecclesiastici definitionem sunt exigenda. Verùm post annum sexcentesimum deflorescere cœperunt hæc singula; prorsus quasi ad staturam hominis Patrum respublica composita fuisset. Nam de mensura corporis, Gell. l. 3. c. 10. observat, modum summum adolescendi humani corporis esse septem pedes: similiter, ætatis Patrum modus summus in septimi Seculi limine est statuendus, ut illorum Seculorum Doctores *Patres conscriptos*, vel, si placet, *Patres patratos* liceat dicere; hosce alteros respectu istorum non tam *Patres*, quàm *Paterculos*. Hæc vera Antiquitatis post Apostolorum tempora mensura; quam qui secum juxtà consentientem habet, is certo certiùs Antiquitatem habet, quamvìs *Lutheri filius* audiat: qui non habet, is Novitatis arguendus, quamvìs Evandri matrem ore suo volvat millies atque revolvat. Atque hæc de prima Disquisitionis parte, Qui Termini definitionis.

Secunda

Secunda superest, ut videamus Quæ ratio Nominis. A duobus autem fontibus peti Nominis ratio potest, & à nominis Analogia, & à Consuetudine loquendi.

A nominis Analogia consuetudo loquendi orta est, ut *Patres* dicerentur non minùs secundum Spiritum quàm secundum carnem; nec cognationis modò respectu, sed ætatis & virtutis. Sic apud Romanos Senatores *Patres* dicti propter ætatis & authoritatis prærogativam. Idem & à Christianis factum, non solùm erga eos à quibus carnalem trahebant originem, sed erga alios complures, quos illis vel ætas, vel potestas, vel eminens doctrina commendabat, & à quorum pendebant disciplina. Eo sensu in Veteri Testamento Prophetæ *Patres* dicti, & Prophetarum discipuli *Filii Prophetarum*. Eo sensu Sanctum Paulum Gr. Nazianzenus, orat. de Sancto Basilio, τ̃ οἰκυμένης πάσης πατέρα appellat, *totius orbis Patrem*; & seipsum S. Paulus, 1 Cor. 4. modo quodam eminentiori, seipsum, inquam, *Corinthiorum patrem* vocat: quia non solùm Præceptor eorum aut Pædagogus in Christo fuerat, sed primus qui inter eos fidei fundamenta jecerat; *In Jesu Christo*, inquit, *ego vos genui per Evangelium*, vers. 15. Eodem sensu in Novo Test. Sancti Sacerdotésque Veteris *Patres* sæpius dicuntur; nec non & *Novi Testamenti Ministri*, præcipuè Apostoli, *Patres Patrum* (utcunque hoc nomen ad alios Episcopos reverentia aurium postea transtulerit) soli dicendi, ut qui ex Dei certa revelatione primi fuerint Ecclesiarum Architecti, & Doctrinæ propagatores. Eodem sensu & reliqui Ecclesiæ Doctores, qui Apostolos proximè sequuti sunt, usus etiam invaluit ut in Ecclesia *Patres* dicerentur; sive ætatem spectes, quâ multis annorum centuriis tempora nostra præcesserunt; sive doctrinam, quam Divino gurgite & suis inculcarunt, & posteris transmiserunt, relictis post se non paucis pietatis & eruditionis suæ monumentis. Hæc antiquorum lingua, hic loquendi modus omnibus seculis communis, ut Patres Episcopi Orthodoxi dicerentur. Hoc stylo Concilia omnia consignata sunt, *Canones trecentorum & octo Patrum Nicaa coactorum, & Canones Sanctorum Patrum qui Constantinopoli convenerunt.* Hoc stylo exaratæ sunt solenniores Doctorum in Conciliis Protestationes Confessionésque, ut facilè patebit si Exemplaria consulamus. In Concilio Chalcedonensi lectâ Cyrilli Epistolâ, totius Synodi vox erat, *Omnes ità credimus, Orthodoxi ità credimus; Hac Patrum fides, hac Apostolorum fides.* In Concilio Constantinopolitano loquendi formula similis servata, *Agnoscimus fidem ab Apostolis traditam*, &c. Præterea & trecentorum atque octo Patrum qui Nicææ convenerunt sub Constantino adversus impium Arium. Dein & Actione alterâ, *Super hac sequimur per omnia & Sanctos Patres, & Doctores Ecclesia, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, & Greg. Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Joannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proclum.* Hoc stylo Eusebius utitur, cùm de Polycarpo loquitur, l. 4. c. 15. *Ex electorum numero Polycarpus erat*, διδάσκαλος Ἀποστολικὸς καὶ προφητικὸς, *& ipso infidelium elogio*, ὁ πατὴρ τῶν Χριστιανῶν. Eodem & S. Basilius de Gregorio Thaumaturgo, Ep. 75. ad Neocæsarianos; *Sunt iidem & nobis & vobis Doctores mysteriorum*, καὶ πατέρες πνευματικοί· *Gregorium dico priscum illum, & quotquot post ipsum Episcopalem apud vos sedem susceperunt*, οἱ ὥσπερ τινὲς ἀστέρες, &c. *qui instar astrorum exorti, iisdem ingressi sunt vestigiis.* Eodem & S. Cyrillus de B. Athanasio, Ep. 1. *Celebris memoria Pater noster Athanasius, qui loquacibus impiorum Hæreticorum nugis inexpugnabili quadam & Apostolicâ prudentiâ restitit; quique fragrantissimo quodam unguento ipsum cœlum scriptis suis exhilaravit.* Eodem & S. Augustinus, Ser. 218. de Tempore, *Sunt in Ecclesia lapides pretiosi*,

Concil. tom. 2. p. 2. p. 54. col. 1.

pretiosi, & semper fuerunt, docti scilicet, abundantes scientiâ & eloquentiâ, & omni instructione Legis. De ipsis fuit Cyprianus, de ipsis Ambrosius, & cæteri eorum similes. Hæc Augustinus de iis qui ante se. Nos eadem de ipso Augustino, quia in circulum tempora redeunt, ut qui priscorum Patrum filii fuere sint subsequentium Patres. Ex eodem fonte manavit & alius loquendi mos, ex quo, sed idiomate alio, Episcopos, eos potissimùm quorum erat præter reliquos eximia dignitas, *Papas* vocarent: quod nomen ut simile sonat, ità idem prorsus significat cum *Patris* nomine. Sic Anacletum Ignatius, in Epistola ad Mariam Cassoboliten, si modò non sit supposititia, παρὰ τῷ μακαρίῳ Πάπᾳ Ἀνεγκλήτῳ, *cùm Romæ esses apud beatum Papam Anacletum.* Sic Epistolâ tertiâ inter Epistolas Cypriani, Clerus Romanus Cyprianum, *Didicimus secessisse B. Papam Cyprianum.* Sic Episcopum suum Alexandrini in Synodo Seleuciæ, apud Athanasium, μακαρίῳ Πάπᾳ ἐπισκόπῳ ἡμῶν Ἀλεξάνδρῳ. Sic eundem Athanasium Epiphanius, Hær. 77. ὁ μακαρίτης Πάπας Ἀθανάσιος. Sic Symboli expositionem Ruffinus inchoat, *Mihi quidem, fidelissime Papa Laurenti.* Sic in Epistolis Hieronymus Augustinum; & in Epistolis suis, Ep. 24. Augustinus Ambrosium, & Ep. 67. Aurelium, *Papam* vocat. Et nè omnes curiosiùs colligam in re certa atque perspicua, Sidonius in Epistolis nullum Episcopum non *Papam* vocat: atque plura præterea recentioris notæ exempla, ad minimum decem, Joan. Savaro collegit, in primam Sidonii Epistolam libri sexti, docens *Papa* nomen veteribus usitatissimum esse pro Episcopo. Adhuc & Onuphrius, Additionibus ad Platinam, in vita Bonifacii tertii, commune omnibus nomen docet esse Episcopis; & omnibus Clericis atque Presbyteris, Walafridus Strabo de Rebus Ecclesiasticis, c. 7. & Lindanus, Panopliæ l. 4. c. 80. Quare autem hoc? *quia erat paternitatis cujusdam nomen,* ut loco citato Strabo loquitur.

Ex quibus omnibus instantiis, quasi per seriem temporum ductis, Disquisitionis pars altera satìs jam clara redditur, de Nominis ratione, Quòd justissimis de causis Scriptores primi Ecclesiastici *Sanctorum patrum* nomine sint & commendati & cogniti: adeóque de prima Quæstione satìs abundéque diximus, Quæ *novorum* & *veterum* Natura sit atque Definitio, quæ ratio Nominis, qui Definitionis limites terminíque statuendi. De Cautelis & Regulis in utrisque legendis die proximo agendum esset: sed video idoneum fore, ut qui in præsenti authoribus, nunc mihimetipsi metas præscribam. Indulturos vos huic audaciæ spero, si negotiis aliis obrutus, vobis ex composito diem proximum subduxero, &, ut apertiùs dicam, suffuratus fuero, hâc præsertim præfatione veniæ præfixâ: cùm revera computatis computandis, ad forensem Terminum magìs quàm ad Theologicum dies præsentiæ proxima sit referenda. Interea pro communi vestrûm omnium salute & incolumitate vota nuncupanti, hæc præmonuisse sufficiat.

LECTIO XXXVI.

DE *veteribus* & *novis* Ecclesiasticis eodem die quo cœpta temporis injuriâ amputata est disputatio; atque id nimis infeliciter, nisi ex iisdem principiis nunc remedium occurreret, dum eadem præterlabentis temporis ala quæ viam priùs interclusit, nunc tandem talionis Lege ampliorem rependit aditum progrediendi. Neque hoc vos fugit, Auditores, quàm meritò Temporis filiam Veritatem antiqui dixerint: non quòd à Temporis utero prodire posse Divinam hanc sobolem putarint, quæ sua Deo soli debet Natalitia; nec quòd ex usu & consuetudine Temporum Veritatis mensuram petendam esse arbitrati fuerint, quam ab Ente primo & Divina rerum intelligentia provenire fatebantur: sed quòd eam Temporis profectus è tenebris in lucem eliciat, neque in occulto sinat delitescere. Atque has quidem vices vel ipsam Temporis rationem Veritati præstare non est inficiandum: sive fortuitò diutiùs lateat, Temporis beneficio è situ eruitur; sive malis hostium artibus supprimatur, Temporis adjutorio convalescit procedítque in medium; sive angustias aliquas patiatur quò minùs se possit latiùs diffundere, Temporis ministerio hoc obtinet, ut de integro se restaurare possit, & progressus suos, si quid intermissum fuerit, restituere: adeóque si non pro Parente, at saltem pro Ancilla Veritatis Tempus est habendum, cùm & docendæ, & discendæ, & enucleandæ, & dilatandæ Veritati inserviat. Et nobis præterea facultatem non inopportunam suppeditat exorsam celeberrimi Argumenti telam absolvendi. Quod ut explicatiùs fiat, pergamus, si placet, ad instituti nostri partem postremam, in qua de insigni Fructu & Emolumento maximo è Veterum Recentiorúmque scriptis juxta se positis hauriendo agendum erat.

Propositio fundamentalis, totius negotii radix, hæc fuit; Scribæ Evangelico inprimis necessarium fore, ut in utriusque ætatis Scriptoribus volvendis versatissimum se præbeat, quò possit utrinque Fidei & Religionis dogmata vel distinctiùs explicare, vel firmiùs stabilire.

Ex hac radice rami qui subnascuntur quamplurimi sunt, De Patrum & Neotericorum jugi lectione; De Usu etiam & Authoritate in Theologiæ dogmatibus pertractandis. Quæ omnia, ut ordinatiùs disponerem, ad duo Capita revocavi; De Novis & Veteribus respectu Personarum, & De Novis ac Veteribus respectu Rerum.

In vetustate & novitate Personarum quatuor discutienda proposui; Primum, Quæ utriusque Natura & Definitio; Secundum, Quæ Cautelæ regulæque in utrisque observandæ; Tertium, Quæ utriusque in Fidei definitionibus vera vis atque authoritas; Quartum, Quàm iniquæ Pontificiorum in Orthodoxos calumniæ circa utrosque. Atque istarum prima solummodo Quæstio ad exitum deducta est: in qua, pro modulo nostro, satìs demonstratum existimo, Qui ætatis Patrum cancelli statuendi; Quæ ratio Nominis; Quæ Proprietates definitivæ; Quæ causæ reliquos omnes post ipsos pro Recentioribus habendi.

Secunda nunc Quæstio aggredienda est, ut videamus, si fieri possit, quæ Regulæ Cautelæque in utrisque legendis potissimùm observandæ. De potissimis dico; nam omnes & singulas quis valet recensere? Perutile quidem est & necessarium, ut ad lectionem ipsorum accessurus præparatum animum secum ferat, & sciat quid in singulis sit præcipuum & quasi emineat; nec

non

non qui cavendi sunt scopuli in illis locis ubi vel parùm dextrè vel minùs commodè locuti sunt. Sed efflagitat hæc res non tantùm infinitæ lectionis, sed præcipuè singularis cujusdam judicii virum, Antistitem aliquem aut signiferum, cui quasi in conspectu sit forma doctrinæ in Ecclesia omnium temporum, quíque in numerato habeat paragraphos quosque quorumcunque Scriptorum. Ab aliis igitur petenda est ejusmodi speculatio. Sed quoniam ità comparatum est, ut absque insigni Quæstionis injuria à me præteriri non possit, vobis expromere non dubitabo quid possit hac in re tenuitas nostra; satis esse existimans, si primitias tantùm & quasi libamenta dedero.

De Neotericis cura prima & hodierna agenda est; de Patribus proxima. Et ad Patrum quidem curam Regulæ plures pertinent; ad Neotericorum pauciores, quia omnes sunt positi ante oculos, & in usu quotidiano collocati. Tres igitur Regulæ sufficiunt.

Regula prima hæc sit; A Recentioribus primus Theologiæ gustus est hauriendus, eò quòd in rudimentis ponendis illi quàm maxime sudarunt, & tyrocinii primi captui scripta sua magìs attemperata reddiderunt; ut per ipsorum pædagogiam ad Patrum eruditum pulverem nos præpararent, nè nudi & jejuni illaberemur in hæc studia, nullâ cognitione præviâ, nullâ Theologiâ ornati. Non enim ea est incipientium judicii acies, ut Patrum scripta, qui multa κρυπτικῶς & subobscurè enarrant, absque lumine prævio Sacræ Scripturæ, à Neotericis dilucidiùs explicatæ, utiliter possint ad suam institutionem applicare. Quocirca his adjumentis necessariò via est munienda. Quod de Judæis Greg. Naz. in Apolog. & Hieronymus in Præfat. in libros Ezechielis observarunt, Viguisse apud eos antiquitus laudabilem illam consuetudinem, ut non omni ætati omnis Scriptura legenda committeretur: verùm ut singuli à primis Geneseos capitibus, & Cantico Canticorum, & exordio ac fine Ezechielis detinerentur usque ad vigesimum quintum ætatis annum, inquit Nazianzenus; usque ad tricesimum annum, h. e. ætatem Sacerdotalis Ministerii, inquit Hieronymus; ut ad plenitudinem scientiæ non nisi per plenitudinem humanæ naturæ ascenderent. Quòd si eandem quis sibi Traditionem in Sanctorum Patrum scriptis legendis imposuerit, non multum à scopo distabit. Quod ipsum in Re cibaria videre est, atque in Disciplina militari. Quis enim nescit edulia fortia firmiori stomacho non nocere, in imbecilli coacescere? Similiter & in acie instruenda, non quivis è gregariis militibus, qui sæpe in pugna timidi sunt, sæpe inexperti, aptus est ad ducendum aciem, aut flectenda cornua, aut vexilla ferenda, aut muros scalis transcendendos; sed Veteranorum & strenuissimorum fidei solent hæc officia duces committere. Neque alia in Theologiæ studio ordinis ratio est figenda. Ἀπὸ τῶν γνωρίμων ἀρκτέον, ut inquit Philosophus, *à notioribus semper est exordiendum*; & ab iis quæ sunt τὰ πρὸς ἡμᾶς γνωριμώτερα, καὶ τὰ ἐγγύτερα τῆς αἰσθήσεως, *& nobis notiora*, & *propiora sensibus*; cujusmodi sunt hæc nostra scripta coætanea. Non quòd existimem quicquam, quoad fidei substantiam atque medullam, aut dictum aut scriptum à Recentioribus esse, quod non sit priùs & meliùs dictum aut scriptum à Patribus Orthodoxis: sed quòd uberiùs & clariùs Commentatores nostri Veterum Interpretationum obscuritatem ità illustrarunt, ut si quis per hos ad illos aditum sibi ordinatè præparet, & utrosque prudenter inter se conferat, faciliùs se ab omni hæsitatione expedire possit. Et illud quidem non invitus concedo, Recentiores Patribus & eruditione & sanctitate impares esse, atque ab ipsorum plenitudine multis distare parasangis: sed tamen ad difficiliora per faciliora ducendus est animus, & per conterminos gradus ad montium summitates. Ergò præferendi sunt progrediendi ordine, qui ætate & laude longè

Arist. Ethic. 1,2. Poster. l. 1. c. 2.

longè postponuntur; idque absque omni Sanctorum Patrum injuria, cùm vel ipsa experientia doceat, quòd nutrix agrestis, nullisque bonarum artium adminiculis fulta, ad prima vernaculi sermonis elementa condocefacere infantem citiùs norit balbutiendo & fabulando, quàm præceptis & institutis suis omnibus peritissimi docendi magistri: Sic se res habet in Theologia, ad infantiam formandam aptiores Neoterici, Patres ad provectiorem ætatem firmandam; illi ad introitum, hi ad exitum Theologiæ: propterea & Neotericis labor primus est impendendus, & ab iis principia ducenda. Hæc prima Regula.

Regula secunda hæc est; Utcunque à Recentioribus prima studiorum fila trahenda, at in ipsorum scriptis non oportet senescere, nec in omnia & singula ipsorum volumina falcem nostram immittere; tum quia inutilis, tum quia infiniti laboris esset. Illud taceo, quòd infiniti, cùm nullius hominis ætas sufficiat iis omnibus obiter tantùm perlustrandis, nè dicam legendis: quòd si sufficeret, majoris momenti est illud alterum, quòd inutilis esset labor, & non est sapientis niti in supervacuum; verùm in lectione multorum *suspendere spiritum* debet, ut Quintilianus loquitur, nè actum agat, & lectum legat; cùm revera universos habeat qui paucos, eósque optimos, habuerit. Apud cæteros nihil usitatius est quàm furtivâ supellectile gloriari, atque non sententias modò, sed paginas integras ex aliis alios suppilare, Pontificios è Pontificiis, Pontificios è nostris, oblitos legis veteris, *Sacrum qui clepsit rapsitque parricida esto.* Atque nè quis per calumniam hoc dictum putet, Summistas consulat, apponat scripta scriptis, dicátque an non sit pervulgatum & quotidianum. Sylvestrum, Reginaldum, Filiucium, Zeccium non persequor, minuti sunt atque pusilli; cùm & ipsis athletis nimis sit familiare, Medinam dico, Lorcam, Valentianum, & reliqua Senatûs Scholastici veneranda Capita. Repeto adhuc altiùs ab ipso Thoma Aquinate, qui magnam partem 1ª 2ª, & 2ª 2ª, è tertio libro Speculi Moralis Vincentii Bellovacensis clanculum mutuatus est; neque in excusationem facti aliquid sibi occurrere dicit Bellarminus, nisi hoc unicum, Speculum illud Morale fortasse non fuisse Vincentii. Adhuc altiùs repeto ab ipso Petro Lombardo, qui reliquorum Pater atque Magister, & quasi Jovis statua, Patrum compilavit sententias, & in quatuor libros divisit: & tamen hic ipsissimus reliquorum Magister per totos quatuor libros Baudini vigiliis usus est, quod & Joannes Eckius observavit; *Baudinum*, inquit, *aut nihil aut perparum à Petro Longobardo differre comperio: ità singulas sententias, eo etiam ordine quo Magister, doctissimè prosequitur. Contuli librum libro non uno in loco, ut mihi dubitatio suborta sit non modica, quis ex eis cuculus fuerit, alienum sibi supponens partum, cùm in dubio sit uter sit vetustior.* Imò verò ego asserere non dubito, & Baudinum antiquiorem fuisse, & è Baudino Lombardum sua transscripsisse: & quia veritatis fontem purissimum cœno Quæstionum Baudinus minùs conturbavit; & quia de Confirmatione Petrus in suo quarto libro nonnihil disputat, Baudinus nihil omnino, quod certè fecisset si Lombardum abbreviasset; & denique quia Gratianum, qui Decreta Romanorum Pontificum in unum volumen congessit, ab Isidoro Hispalensi totam farraginem furatum esse, verisimile est, attestante id F. Benedicto Chelidonio, qui librum

illum Isidori; Synodales Constitutiones & Patrum sententias continentem, in Monasterio quodam Turingæ servari asserit. Erat autem Lombardus Gratiani frater, uterque, ut dicitur, spurius, uterque è pellice Monacha natus. Et vide mysterium, uterque fœdus cùm esset adulterinus, uterque libros adulterinos ediderunt; ille è nido Isidori, hic è nido Baudini: prorsus quasi ex composito se furto huic literario devovissent, ut supposititiæ originis memoriam posteritati saltem in libris suis transmitterent. Possum istis, ídque nullo negotio, multos alios àttexere, eósque authores palmarios; Gabrielem, qui ex Occhamo, Bruliferum, qui ex Bonaventura, Gul. Worilong, qui ex Capreolo sua singuli libarunt. Atque huic fortasse crimini venia atque impunitas danda esset, si Pontificii Pontificiorum; verùm quis demum erit color, aut quæ depulsio criminis, si Pontificii Protestantium scripta prædentur? Videamus etiam & hoc, annon possint in furto manifestario deprehendi Petrus Bulengerus, Antonius Possevinus, Claudius Guilliandus: neque enim plures vobis produco quàm quos cursim animadversione propriâ vestigiis sum odoratus, & sua usque ad cubilia secutus. Ipsorum primus est Petrus Bulengerus: is Scholiorum libros septem scripsit in Apocalypsin D. Joannis, atque in præfatione ad Henricum Lotharingum, nostros scriptores asserit impiis suis commentis librum Apocalypseos contaminasse: & tamen hic ipse Petrus Bulengerus ex Henrici Bullingeri in eandem Apocalypsin Commentariis quamplurima sparsim suo scripto interserit; ductus nescio an magis pietate operis, an cognatione nominis, Bulengeri & Bullingeri; ut quibus commune nomen, communes essent lucubrationes, literámque quæ deesset nomini integrarum clausularum raptu suppleret. Hoc non fecisset, opinor, si ad nominis societatem breviorem viam alteram perspexisset: nam adde, quæ est furti pœna, literam, & Bulengerus erit Bullingerus. Hic primus esto.

Alter est Antonius Possevinus Jesuita, qui librum integrum, Cyprianum redivivum, à Thoma Jamesio Oxoniensi multo labore & sudore exaratum, in Apparatûs sui tomum primum astutè transposuit, laudem ipsius sibi insolenter adsciscendo, nullâ mentione factâ authoris, nullâ factâ mutatione operis, nisi tituli verbo uno aut altero prætermisso: Dignum non ferulâ, sed furcâ, facinus, nisi Gretseri calamo vapulasset, & in altera sui Apparatûs editione palinodiam cecinisset. Hic sit secundus.

Tertius est Claudius Guilliandus, Doctor Theologiæ, qui longissimum in S. Matthæum edidit Commentarium, nec non in Evangelium S. Joannis, & in omnes S. Pauli Epistolas; opus judicio Possevini eruditum, pressum, elegans. Et quidem quid in istis fecerit minùs refert: at verò in Matthæum Commentarius totus ex opere Wolfgangi Musculi in Matthæum est edolatus, vix decimâ aut vigesimâ quaque lineâ discrepante. Quod cùm primùm animadverterim, diu hæsitavi, dubius animi, utrùm Musculum Guilliandus, an Guilliandum Musculus furtis suis lacerasset, atque medullitus optavi ut apud Pontificium magis quàm Orthodoxum viscata hæc dextra inveniretur. Sed re penitius introspectâ, reum sentio peragendum esse Guilliandum, absolvendum Musculum: nam Musculi opus impressum est Basileæ anno 1544. Guilliandi verò opus non scriptum nisi anno 1546, ut ipse

ipse de se testatur, in cap. 7. Matth. fol. 174. non impressum autem usque ad annum 1562. hoc est, duodeviginti annos post editum Musculum. Sit igitur iste tertius & ultimus Pontificiorum qui hujus criminis pudori se subjecerunt. De duobus aliis Pontificiis id ipsum eruditissimus Raynoldus observavit; Fabritio Boderiano, qui versionem Testamenti Syriaci è Tremelii manibus furtim extorsit, atque fratre Villavincentio, qui libros De ratione studii Theologici ex erudito Hyperii opere compilavit. Exquirant alii alios; nam non desunt complures etiam è nostris qui alienis scriptis debitam gloriam in suam transmovent: quorum nominibus parco, quia hanc fecerunt injuriam Protestantes Protestantibus; quod tolerabilius multò quàm si Protestantes Pontificiis fecissent, sicut ipsi nobis. Indulgebunt fortasse Israelitæ Israelitis præsumptam hanc officiosæ fraudis operam; Israelitæ Ægyptiis non item: vix enim intelligo an possit aliquod ipsis magìs indignum facinus excogitari, quàm ut Pontificii à Protestantibus paginas suas dictarent, Catholici ab hæreticis, quos Judæis, quos Turcis ipsis deteriores & damnabiliores pronunciant. Quid igitur restat quàm ut ab Alcorano & Talmudo dehinc Tractatus integros suffurentur, quos pro suis ipsorum opusculis ad nominis gloriam captandam Orbi venditent Christiano? Utcunque se res habeat, secundæ Regulæ confirmationi abunde inservit, Quòd non est nobis in volvendis omnium Recentiorum scriptis diutius æquo immorandum: non modò quia nimis immensi, sed etiam quia superforanei laboris esset; cùm sæpius alii aliis operam furtivam & tralatitiam impendant. Hæc de Regula secunda.

Rayn. in Prælec. Rayn. De Idol. p. 119.

Regula tertia hæc est; Si non immorandum omnibus, Ergò optimorum delectus necessariò est faciendus, probatioresque seligendi: ut quod Cæsar in re alia dixit, *Delectum verborum esse originem eloquentiæ*; id & Religioni maximè congruat, In delectu optimorum authorum profectum Theologiæ esse statuendum. Optimos autem cùm dico, eos intelligo qui rectâ sunt de Fide sententiâ, Classicos, Orthodoxos; & inter Orthodoxos, doctissimos; & inter doctissimos, sanctissimos. Nè quis, quod moris est multorum, Pontificiis se solis legendis addicat; qui si sint eruditione pares nostris, at cùm sint sanctitate styli & fidei puritate impares, puerile est atque ridiculum istis nosmet emancipare. Equidem hoc non est optimos ad metam & fontem duces eligere, sed obvoluto capite in præruptos gurgites nos præcipitare. Ergò in delectu ad hæc tria inprimis prospiciendum est; Ut Eruditioni Scriptoris Fides Orthodoxa, Fidei Orthodoxæ Sanctitas accedat. Ad delectum in commune nescio an sit aliquod aliud quod exigatur. Quod verò ad singulas ejus partes pertinet, ut fiat delectus pulchrior, ad tria genera quoscunque Scriptores Neotericos revocare possumus, pro tribus Theologiæ partibus; Interpretativa, Polemica, Positiva. Hinc tres Scriptorum ordines oriuntur: vel enim sunt Homilitici, qui in Scripturis interpretandis; vel Eranistici, qui in Controversiis discutiendis; vel Dogmatici, qui in capitibus & mysteriis Religionis eruendis versantur. Istorum singulis ut suus est honos usúsque peculiaris, ità in singulis specialis & proprius delectus est adhibendus.

Imprimis quod ad Homiliticos, inter hos illi optimi ducendi sunt qui nativum & genuinum sensum Scripturæ magìs elucidant, sive sit Historicus & Literalis, sive Allegoricus & Mysticus: nam utrinque im-

 pingitur;

pingitur; vel si quis in locis Allegoricis Mysticos sensus, tanquam fortuitas cogitationes & ad arbitrium excogitatas, prorsus despiciat; vel si in propriis & Literalibus vim inferat Divinis Oraculis, coactas & insulsas Allegorias protrahens, & somnia sua venditans tanquam magna & arcana fidei Sacramenta. De utrisque Augustini regula tenenda est, lib. 3. De doctrina Christiana, cap. 5, 10, & 11. *Cavendum est, nè figuratam locutionem ad literam accipiamus: &, vice versâ, nè locutio propria in figuratum sensum torqueatur.* Breviter, non in legendo Scripturæ consistunt, sed in intelligendo; neque in verborum foliis, sed in radice rationis, hoc est, in sensu nativo & proprio. Est autem sensus nativus investigatio ejus rei quam Scriptura singulis locis significat, quámque Scripturarùm author Spiritus Sanctus disertè & immediatè intendit. Idcirco sequitur, ut illi Interpretes optimi judicentur, qui nativum hunc & germanissimum sensum promptissimè apertissiméque patefaciunt. Qua quidem in parte absque arrogantia dici potest Protestantes Pontificiis palmam eripuisse: quia solent ut plurimùm ipsorum Interpretes τὸ ἰδιικὸν ἀναιρεῖν, ut Oecumenius in Eph. 5. loquitur, *sermonis proprietatem evertere*, omnia ad incertas Allegoriarum conjecturas inflectendo. Ut quod Epiphanius in Nicolaitis de Origene dixit, ἀλληγορεῖ ὁπώσπερ δύναται, *Allegoricè explicat quicquid potest*; & de Nicolaitis, τὰς καλῶς εἰρημένας λέξεις αὐτοὶ εἰς εἰδωλοποιΐας ἀναπλάττουσιν, *quæ rectè erant dicta voces, eas isti transformant in idola:* Idem & nos de ipsorum plurimis Scripturas Sacras tractantibus, eo ipsos Allegoriarum pruritu teneri, ut si vel minima occasionis rima appareat, incredibile dictu in quàm immanes & lusorias formas omnia transmutent, ὥσπερ οἱ ὀνειροκρίται, ut S. Basilii verbis utar, (Hex. hom. 9.) *quemadmodum solent somniorum interpretes, spectra quæ per somnum apparent ad eum quem ipsi sibi finem proposuerunt interpretando referre.* At sunt tamen inter ipsos aliqui qui in Commentariis suis sensui germano magìs se applicant, Arboreus, Gagnæus, Espencæus, Jansenius, Catharinus, Cajetanus, Pintus, Oleaster, Istella, Montanus, Steuchius, Maldonatus, Brugensis, Estius; in quibus possit quis & tutiùs & pulchriùs operam suam locare. Propterea inter Homiliticos sive Interpretes delectus iste servetur, ut habeatur quisque optimus, qui sensum Spiritûs Sancti in Scripturis loquentis quàm maximè callet & appositissimè explicat. Hæc Distributionis pars prima.

Pars secunda ad Eranisticos sive Polemicos prospicit, qui perplexis Fidei Controversiis studiosiùs attendunt. Et inter hos illi pro optimis æstimandi, Primò, qui in Investigatione thematis Statum causæ planissimè explicant, non à suis conjecturis, non ab incertis rumoribus, non à partium studiis, sed à disertis verbis Adversariorum. Secundò, qui in disputando fidem bonam præstant, & diligentiam adhibent ut argutias prodant, nodos solvant, instantias trutinent exacto sinceróque judicio; nè quid aut vafrè dissimulatum, aut callidè delumbatum, aut perfidè inversum conqueri quisquam possit. Tertiò, Qui ex Scripturis ipsis strenuissimè pugnant, & in his firmamentum Causæ statuunt, militántque fortibus magìs quàm fulgentibus armis, & consertis manibus norunt hostem suis telis transfodere. Quartò, qui puro quodam & placido candidóque disputandi genere utuntur, & doli mali & stomachi vacuo. Nam & hoc sæpissime contingit, quòd ubi ex opinionum dissensione velitatio suborta est, animorum contentione

tione fovetur; sic inter timorem & iram Veritas evanescit, καὶ ἔρις ἔριν ἀντιφυτεύει, ut Phocylides loquitur: neque jam argumentis, sed dicteriis & jurgiis dimicant, ut non Dei causam, sed suam agere videantur. Postremò, qui curiosas & inutiles Quæstiones amputant, & id solum agunt, ut disputationes singulæ Ecclesiæ Dei sint profuturæ. Est enim hoc inprimis cognoscendum, quòd inter quæstiones agitatas sit diversitas non exigua. Sunt quædam de Fide Christiana, quæ ad Religionis Principia & Fundamenta spectant; ut de veritate Divinæ & Humanæ naturæ Christi, de sola per Christum Justificatione, & ejusmodi quarum contrarietas in hæresin transit: pro his velut pro aris & focis est dimicandum. Sunt quædam de Fide Theologica, quas Doctores generatim tenent, sed ad Fundamentum non spectant, & ob istarum pernegationem non hæreseos quis, sed novitatis tantum & temeritatis notâ inuritur; quò referuntur & opinio Chiliastarum, de Sanctorum cum Christo regno mille annis ante judicium, & Cypriani, de Eucharistia infantibus communicanda, & Tertulliani, de secundis Nuptiis damnandis: de istis decernendum est secundùm illud Senecæ, *Pacem cum hominibus, cum erroribus dissidium.* Sunt quædam magìs de Fide Humana, probabiles & utrinque verisimiles, quæ salvo Religionis capite, absque dispendio Fidei, in utramque partem disputari & credi possunt; quò referuntur, de Traductione animæ, de Descensu locali Christi ad inferos, de Creaturarum quarundam in extremo Judicii die per ignem renovatione: de his non nisi pacatissimè est agendum. Denique, sunt quædam de Fide nulla, imò fide indignæ, curiosæ & inutiles quæstiones, vel magìs insulsæ & fæculentæ, è Scholis ortæ, vix inter Christianos audiendæ, non modò quòd aures, sed fidem vulnerent. Non nova est hæc querela aut nudiustertius orta: conquesti sunt ante nos viri doctissimi, & magni inter Pontificios nominis, quòd Christum disputationum suarum pravitate Scholastici adeò discerpant, támque variis schismatum larvis vestiant; quòd Deo ipsi tot phantasmatum suorum idola fabricent, ut eorum doctrina mera videri possit idololatria; denique, quòd de rebus arcanis, & adorandis magìs quàm explicandis, tam illoto ore loquantur, & Divinæ Theologiæ majestatem tam sordidis sententiis & culinariis quæstionibus conspurcent, ut Fidem nostram sacrosanctam apud sapientes seculi risui ac diffidentiæ exponant. Quòd si quis hæc gratìs dicta existimet, attendat paulisper, quænam illa sint quæ de Deo, de Christo, de Sacramentis, de B. Virgine disputant. An possit Deus quodvis malum, etiam odium sui, præcipere: Quomodo diligat contraria, & possibilia nunquam exsistentia: An possit ex meretrice facere virginem: Utrùm natura Universi sit magìs unibilis Christo quàm natura humana: Utrùm hæc Propositio, Deus est scarabæus, tam sit possibilis quàm hæc, Deus est homo: Annon sit clementior Papa quàm fuerit Christus, cùm Christus non legatur quempiam à Pœnis Purgatorii revocasse: Utrùm dormiendo habuerit B. Virgo Rationis usum: Utrùm Cœlum in assumptione Virginis, Sanctis omnibus & Angelis obviàm illi procedentibus, fuerit vacuum: Utrùm Pontifex Romanus sit simplex homo, an quasi Deus: Utrùm in Statu innocentiæ æqualis fuisset numerus virorum & fœminarum: An pronomen *Ego* sit de forma Baptismi: An puer mox moriturus, si aqua ex puteo hauriri non possit, in puteum projici debeat: & id genus innumera, non sine tremore recitanda, de Sancto Baptismo & Sacra Eucharistia, non ridenda, sed horrenda magìs

Agrip. de Var. Scient. c. 97.

gis τερετίσμασι, ut jure eorum pudeat Christianitatem pigeátque. Ergò quàm maximè opus est defæcato judicio, ut eximius delectus fiat: cùm neque omnes sint legendi, & in his qui sunt legendo perlustrandi, non quæstiones omnes necessariò cognoscendæ; sed & de optimis optimos, & de optimis optima quæque oportet seligere; ut inter Polemicos is optimus habeatur, cujus maximè nervosa, & clara, & succincta, & placida, & salutaris est Disputatio. Hæc Divisionis est pars altera.

Tertia ad Dogmaticos pertinet; illos intelligo qui in Articulis & Mysteriis Religionis eventilandis se exercuerunt; qui integrum Theologiæ corpus, & quasi fabricam, sive per Locos, sive per Quæstiones depingere conati sunt: quales fuere nuperius Scholastici, antiquitus Catechistæ, à quibus de Christianæ Fidei præceptis homines adhuc hujus mysterii rudes instituebantur. Hoc officium in Schola Alexandrina Pantænus primus sustinuit; cui successit Clemens presbyter, Clementi Origenes Adamantius, Origeni Dionysius, & sic deinceps alii; quibus omnibus Scholasticorum nomen meritò potest tribui: sicut de Serapione Hieronymus scribit, eum propter elegantiam ingenii *Scholasticum* fuisse nominatum. Denique & huic muneri sese devoverunt qui opuscula Theologica composuerunt, sive Miscellanea fuerint, sive Syntagmata. Quocirca & in his quoque delectus est faciendus, & illi optimi judicandi, primò, qui eruditissimi; nam cribrum & ventilabrum Veritatis est Eruditio, quâ quò magis pollet, eò purgatius triticum exhibebit. Deinde qui pientissimi, quorum vigiliis adjuti eodem labore simul & docti & boni evadamus. Adhuc, qui limatioris sunt judicii; quia Sanctitas si in errore fundetur, in Superstitionem vergit, quæ per modum excessûs à Religione recedit. Præterea, qui sunt ἐμμέθοδοι quia confusió est impedimento nè quicquam hæreat, intereúntque quæcunque gravissimè dicta, nisi methodi legibus constringantur, cujus beneficio totius artis typum & exemplar posset quis vel unius unguiculi ambitu comprehendere, & in se divulsa atque dissoluta ad elegantissimi corporis formam componere, & efficere ut evadat tandem in numerato omnium horarum Theologus. Postremò, qui cæteris paulò sunt dilucidiores; nam obscuritas ordinem pulcherrimum perturbat; neque Theologiæ est ulla pestis major quàm implicatum & tortuosum ingenium. Hoc autem morbo laborant Scholastici, qui hoc unum curarunt sedulò, ut rebus clarissimis tenebras obducerent; sperantes se eo pactò errare tutiùs posse, si non intelligerentur. Nam præterquam quòd de rebus *in Tim. 1.1.* Divinis protervè disputent, *quærentes ea*, ut Erasmus loquitur, *quæ nec scire possumus nec scire jubemur*, quæ doctiùs nesciuntur quàm sciuntur, quæ & ridiculè quæruntur & temere definiuntur; præter has, inquam, insipidas & infrugiferas disputationes, non minimam eruditionis & acuminis sui laudem in ænigmaticis & portentosis ponunt vocabulis, quæ ingenium fatigant & remorantur, rebus non verbis occupandum. Et primitivi quidem Doctores Scholastici magna cum facilitate sermonis sua dicta eleganter quidem, sed perspicuè & familiariter, protulerunt; quod sapientiæ est non vulgaris, eo cum judicio ad captum Auditorum se posse accommodare. Hos verò barbaries totos infuscavit, quasi nugas non literas tractare, & fæces non vinum propinare vellent, neque in hortum sed sterquilinium Lectores suos ducere. De prioribus dici potest, quod de Isæo *l.2.c.3.* rhetore Plinius junior in Epistolis dixit, *Scholasticus est, quo genere*

re hominum nihil aut simplicius, aut sincerius, aut melius: De posterioribus hisce, quod Julius Pollux optimè, τὸ διδασκαλικὸν εἶδος ἀυχμηρὸν ἐστὶ, καὶ προσκορὲς, *Scholasticum hoc dicendi genus asperum est, & fastidium affert.* Agnosco quidem eos in multis ad veritatis intelligentiam fenestram aperuisse non parvam: verùm in plurimis cæcata est oratio, & de industria involuta, quæ in lucem quidem quæstiones profert, sed lucem nocti similem. Agnosco etiam, indulgendam esse ipsis aliquam loquendi ut velint libertatem, cùm rebus magis quàm verbis prudens scriptor intendat; & in hoc Patres duces athletásque habemus, cùm pro loquendi libertate contra Hæreticos contendunt. At non propterea in portenta & nænias libertas est laxanda; neque hoc unquam Patres aut fecerunt ipsi, aut aliis permiserunt. Videamus igitur quid hac in re Patres senserunt; nam sunt ipsorum aliqui qui & hanc quoque Spartam ornarunt, Arnobius, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Gregorius. S. Gregorius in Moral. *Indignum est,* inquit, *ut verba cœlestis Oraculi restringantur sub regulis Donati.* S. Chrysost. Hom. 5. To. 5. *Laudandi sunt inprimis & honorandi* οἱ βαρβαρίζουσι μὲν τῇ γλώττῃ, φιλοσοφοῦσι δὲ τῇ γνώμῃ. S. Augustinus in Psal. 138. *Melius est ut reprehendant Grammatici, quàm non intelligant populi:* & 2 de Doct. Christiana, c. 13. *Infirmiores sunt,* inquit, *qui doctiores videri volentes, Barbarismis offenduntur aut Solœcismis.* Pariter & Ambrosius, in Luc. 2. *Nihil interest,* inquit, *utrùm præsepe dicas an præsepium;* & cum Demosthene concludit, Orat. pro Ctesip. *in hoc non esse positas fortunas vel Græciæ vel Ecclesiæ, si hoc vel illo verbo usi sumus, si minùs Latinis utimur, ut propriis utamur: imò,* inquit, *negligenda sunt verba, & spectanda mysteria.* Denique & Arnobius, lib. 1. con. Gentes, qui Gentibus objicientibus, obsitas barbarismis & Solœcismis res nostras, prudenter respondit. *Puerilem esse atque angusti pectoris reprehensionem; quia non minùs id quod dicitur verum est, si in Numero peccetur, aut Casu, aut Præpositione, aut Participio, aut Conjunctione: pompam istam sermonis, & orationem regulis adstrictam, concionibus, litibus, foro, judiciísque servandam.* Atque hæc Patrum de Vocabulorum & Formularum libertate sententia. Verùm enimvero si hæc largiamur Scholasticis, ipsorum tamen noxa non eluitur. Non hæc sufficiens ratio depellendi criminis est, si qui ad veritatis patrocinium inculti sunt sermonis, ad suam levandam culpam sint nimiò plùs facundi, Patrum Sanctorum nomina suis verborum Chimæris prætendendo. Nam primò, ad Donati regulas eos non revocamus, sed tantùm ad S. Apostoli; non ad Casus, aut Numeros, aut Orationis partes, sed ad saniorem Theologiam eos redigi volumus. Sint barbari sermonibus, modò theologizent sententiis; reprehendant Grammatici, sed ut intelligant populi: verùm isti hoc faciunt ut non intelligantur. Deinde autem, inter proprietatem Orationis & phaleras dicant quantum intersit; aut adhuc, quantum inter necessariam & affectatam barbariem, aut inter sordes & Solœcismos. Quòd si ipsorum elegantiis Patrum, quæ tamen nulla est, barbaries conferatur, merum mel dicas atque Ambrosiam orationis. Coarguit quidem S. Augustinum Cresconius quòd, contra Latinæ linguæ inflexiones, *Donatistas* potiùs quàm *Donatianos* diceret; quódque Comparativo pro Positivo una in vocula usus esset: atque idcirco de *Donatistarum* nominis flexione, de gradibus Comparationis, diligenter ac literatè Grammatico Cresconio respondere dignatus est Augustinus; etiam & hoc adjiciens, Monendos esse Grammaticos, ut humilitate induti Christiana, discant non contemnere

Aug. l. 2. cont. Cresc. c. 1. & l. 3. c. 72. & l. 4. c. 35.

Aug. de Catechiz. rudibus, c.9.

temnere quos cognoverint morum vitia quàm verborum ampliùs devitare. Sed & hoc nihil est ad querelam purgandam, non solùm Cresconio, sed ipso judice Augustino. Nam si de Donatistarum nomine adeò atrox altercatio orta est; ad *passionabilitates*, & *componibilitates*, & *hacceitates*, & *præsentialitates*, & raucissimas *effectuationes*, quid dixissent? Quid si audissent tot formulas, *meliorabiles*, & *verificabiles*, & *exemplificabiles?* quæ omnia in Scholasticis summo sunt studio conquisita, neglectâ quæ ad manum erat proprietate ipsâ.

Quocirca ut aliquando ad rei exitum veniamus; Intelligitis, opinor, pro iis quos eruditos oculos circumfertis, quàm necessarium sit ut in Dogmaticis quoque Scriptoribus delectus observetur; ut lucidiores, & ordinatiores, & magis eruditi, & magis sancti, & magis Orthodoxi quique in familiam vestram adscribantur. Quòd si & è Dogmaticis, & Polemicis, & Homiliticis, & è quibuscunque solos optimos nostros fecerimus; sic instructi, ad Patrum sanctorum Lectionem securè nos possumus accingere. Quæ est ordinis à me propositi pars altera, De Cautionibus & Regulis in Patrum scriptis volvendis necessariis: quam Spartam pro virili, Deo aspirante, die proximo exornatam daturi sumus.

LECTIO XXXVII.

AD fructuosam Neotericorum Lectionem quæ sint præcognitu necessaria, qui cavendi Scopuli, quæ demum Regulæ diligentiùs observandæ, novissima nostra præsentia præstitit; ubi inter alia, inprimis hæc tria fusiùs demonstravimus. Primò, Quòd ab ipsis exordia studii Theologici sunt ducenda, cùm tyrocinio nostro ipsorum scripta sint magis attemperata. Secundò, Quòd omnes & singuli ipsorum Commentarii nequaquam sunt evolvendi: tum quia infiniti laboris esset, & supra productissimæ ætatis longitudinem; tum quia inutilis, cùm soleant alii ex aliis eadem sæpissime transcribere, & furtivis coloribus suas paginas locupletare. Postremò, Quòd optimorum delectus exquisitior est faciendus, sive inter Dogmaticos, sive Polemicos, sive Homiliticos: ut quia in omnes falcem nostram immittere non licet, in probatioribus saltem nos impensiùs exerceamus. Hæc summa decursi itineris, neque enim opus est ea denuo altiùs recensere.

Ad altiora autem progrediendum est, ad eas scilicet Regulas quæ in Antiquorum Patrum scriptis perlustrandis nos rectiùs atque ordinatiùs ducant: nam & in hac quoque parte me vobis debitorem addixi; ut persoluto argenti debito quod è Recentiorum inspectione manabat, etiam & auri depositum ex Sanctorum Patrum mentione contractum fideliter dependam; ut sic ad aures vestras, velut Columba Davidica, integra hæc disputatio pervolare possit *cum malis aureis pennisque deargentatis*; quæ verbi est similitudo commodè dicti, ut Sapiens loquitur. Et de utilitate quidem hujus Argumenti non opus est multa præfari; res ipsa loquitur, & experientia astipulatur, non posse quenquam per sublimia illa atque multi-

multijuga Patrum monumenta iter prosperum & salutare conficere, nisi secum limatissimum judicium afferat, animúmque consultissimis regulis egregiè instructum; quibus si exutus fuerit, admirationi magìs erit Patrum Lectio quàm usui & emolumento. Testes produco ipsos Scholasticos, qui soli nobis documento esse possunt. Illi se totos ex professo Patribus legendis dicarunt, & ex ipsis sæpius quàm ex Scripturis deditâ operâ disputant; at incongruè id plerumque faciunt, & mendosè, & infeliciter, hac præsertim de causa, quòd nullas leges aut regulas constitutas habuerint, quibus adjuti utiliorem operam in his studiis collocarent. Sunt autem è nostris plurimi, optimè de re Theologica vel in hoc negotio meriti, qui summa cum prudentia & dexteritate singulari per Aphorismos quosdam & regulas salutares viam hanc, in se asperam & transitu difficilem, molliorem procliviorémque reddiderunt; Chemnitius, Hyperius, Tossanus, Sculterus, Polyander, Rivettus: cùm Pontificiorum nemo sit, quod sciam, qui penè quicquam hac de re ex destinato scripserit; nisi solus Laurentius Villavincentius, qui Hyperii expilatorem se præstitit, & ex ipsius libro Regulas verbatim descripsit. Exstant quidem de laude Scriptorum atque de examinatione doctrinarum Joannis Gersonii Tractatus duo, & Sixti Senensis Censuræ Scriptorum veterum, & de Sanctorum authoritate Melchioris Cani liber prolixior; nec non de usu ordinéque in Patribus legendis capitulum unum aut alterum, sed sterile & aridum, Jesuitæ Possevini: verùm hoc non efficiunt, nedum satagunt, ut lectorem suum sufficienter munitum & institutum legendis Patribus exhibeant. Quod si & huic operi manus admovissent, in hujus causæ adjutorium etiam ipsos vocassem, cùm satius sit anceps experiri auxilium quàm nullum; nec unquam pudebit profiteri à quibus profecerim. Sed cùm sit adeò exiguum luminis quod huic argumento afferunt, relinquendos eos sentio, neque ipsorum vitulâ arandum esse; nisi hoc fortasse magìs expediat, alios aliis, Pontificios Protestantibus immiscere, & ipsorum sparsa spicilegia in nostrorum accuratiores Tractatus transferre; ut ex Authorum collatione supellex nostra expletior cumulatiórque prosiliat. Quod ut distinctiùs fiat, ad quinq; capita Regulas quascunque revocabo; ità ut quæcunque dicantur, vel ad Sanctorum Patrum Nomina, vel ad Scripta, vel ad Dogmata, vel ad Modum loquendi, vel ad Modum applicandi referantur. De Jure & merito Nominis erit Regula una, de Scriptis altera, de Dictis & Sententiis tertia, de Modo enuntiandi quarta, de Ratione utilitatem ex iis omnibus eliciendi ultima. Quæ singulæ conjunctim & in universum quinque constituunt, sigillatim à me discutiendæ.

De Jure & merito Nominis est Regula prima, & sic se habet; Ad lectionem Sanctorum Patrum accessurus, oportet priùs ut certò sciat, quòd pro Patribus verè habeantur quorum suffragiis est usurus, nè pro Junone nubem, pro Hectore Astyanacta, pro testibus veritatis larvas & magnorum nominum umbras acquirat, & falsâ titulorum specie vel seipsum vel alios imprudens decipiat. Huic affinis est illa Melchioris Cani Regula, lib. 7. n. 7. *Non oportet authores Ecclesiasticos omnes eodem gradu aut loco collocare:* & illa Possevini altera, Bibliothecæ li. 5. c.28. *Is ordo in Patribus legendis statuatur, ut primùm illius Patris quem volumus evolvere vitam attentiùs legamus; & quia sanctitas Scriptoris legentis attentionem excitabit, & quia ex vita, quo quisque numero habendus sit, meliùs addiscere possumus:* denique & Rivetti illa tertia, *In Patrum scriptis legendis, magni refert nosse quis fuerit, qualis eruditionis,* Proleg. Crit. Sacr.c.13.

ditionis, & quo quisque tempore vixerit, nè pro veteribus Patribus ementitâ nomina deglutiámus. Ex se Regula est clarissima, neque commentario indiget. Etiam & ratio Regulæ est manifesta; Quòd sive probabile, sive, ut contendunt Pontificii, certum argumentum Patrum authoritates subministrent, necessarium est ut pro comperto hoc unum pars utraque habeat, esse hunc vel illum, quem testem producimus, meritò in Patrum Catalogum recensendum; alioqui vacillabit vis authoritatis, si de honore debito dubitetur authoris. Quòd si quis discere cupiat, quinam illi sint qui pro Patribus indubitanter habendi; opinor, tribus istis Mediis aut liquidò, aut probabiliter, rem posse discerni.

Medium primum ex communi Consensu desumitur, & illo non populari, sed Scholástico, neque ex unius partis defensoribus, sed utriusque; hoc est, ex receptissimo loquendi usu, & partis utriusque, tam nostræ quàm adversariorum, consentientibus sententiis. Agnoscantur illi pro Classicis de quibus Pontificii non inter se solùm, sed etiam nobiscum concorditer definiunt: neque enim erit inter disputandum controversia aliqua agitanda de quibus inter utrosque convenit. Quemadmodum in Monomachia sive *singulari certamine*, quod *Duellum* recentiores vocant, provocato non licet quæcunque velit arma pro arbitratu suo eligere, sed de armorum genere & æqualitate concertatores inter se consentiunt priusquam in arenam descendant, nê telo magis quàm homini honor debeatur, si imparibus armis victoria obveniat: similiter & in incruentis istis præliis quæ ex Patrum testimoniis pro veritate conseruntur, necesse est ut de Patribus ipsis, velut de armorum paritate, priùs inter se Adversarii mutuò congruant; sic felicior faciliórque futurus est pugnæ exitus, si de arena inter utrumque constituta se neuter possit honestè subducere. Hoc modo contra Eutychianos & Nestorianos Patres Constantinopolitani se gesserunt, cùm suæ Definitionis rationem in Concilio reddiderunt; *Super hac sequimur*, inquiunt, *per omnia & Sanctos Patres & Doctores Ecclesiæ, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Joannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proclum.* Hoc modo contra Pelagianos Augustinus, lib. 2. cont. Julianum Pelagianum; *Non tu judices quæsiturus es ubi causam tuam purges, sed ubi tot Sanctos Doctores, egregios atque memorabiles Catholicæ Veritatis accuses, Irenæum, Cyprianum, Reticium, Olympium, Hilarium, Gregorium, Ambrosium, Basilium, Joannem, Innocentium, Hieronymum, caterósque socios ac participes eorum.* Eâdem prudentiâ & nos quoque oportet res nostras regere, quoties ex Patribus Fidei causa agenda est. Præstituenda sunt priùs ex communi consensu verorum de quibus convenit Patrum nomina: sin minùs, in istis amplissimis honorum titulis non modò dignitas nulla erit, sed summa deformitas, & nunquam finienda litigatio. Hoc primum Medium.

Secundum ex Historiis & Scriptorum Catalogis ducitur, quos veteres ipsi contexuerunt, in quibus Sanctorum gesta & vitæ depinguntur. Hujus generis sunt Gennadii & Isidori Catalogi. Primus omnium Hieronymus De illustribus Ecclesiæ Scriptoribus integrum opus conscripsit, in quo eos omnes comprehendit quos à Passione Christi ad suam usque ætatem, h.e. ad annum quadringentesimum & decimum, de Ecclesiastica doctrina scriptis suis aliquid tradidisse cognoverat, semetipsum,

ipsum, ut loquitur, magistrum sequutus, nullúmque prævium habens quem sequeretur. Quod opus Græcis adeò placuit, ut eorum rogatu Sophronius (non Patriarcham intelligo, sed illum qui Hieronymi familiaris erat) illud in Græcum sermonem ex Latino mox transtulerit. Hieronymum excepit Gennadius Massiliensis, qui eos porrò Scriptores Ecclesiæ prosecutus est qui ad ætatem suam, h. e. annum quadringentesimum & nonagesimum, floruerunt; admixtis interim nonnullis ætatis superioris Scriptoribus, quos S. Hieronymus non animadverterat. Gennadium subsequitur Isidorus Hispalensis, qui cùm & ipse paulò altiùs eos recenseat qui à superioribus intacti fuerant, ad annum Domini supra quingentesimum & nonagesimum, quo ipse in vivis erat, integram seriem filo continuo deduxit. Post istos Honorius, & Sigebertus, & Trithemius eandem in se provinciam susceperunt: sed quia longo intervallo & temporis & fidei à prioribus distabant, parùm est quod huic negotio conferant, cùm usque ad annum penè sexcentesimum Catalogum suum Isidorus prolataverit, ultra quem ætatem Patrum doctissimi existimant non esse porrigendum. Hoc Medium secundum.

Postremum ex Proprietatibus specificis est hauriendum, ex quarum collectione Patris Ecclesiastici definitio constituitur. Sunt autem quatuor, Antiquitas, Eruditio, Sanctitas, & Fidei Orthodoxa sententia. Istarum siqua defuerit, tantum & Patris nomini & authoritati deesse putandum est. Quòd si Eruditio & Sanctitas adfuerint, Anni desiderentur, nomen Patris non obtinetur, atque minoris erunt ponderis ejusmodi testimonia quàm illa quæ ex antiquissimorum paginis proferuntur; ut in Beda, Damasceno, Anselmo, Bernardo, videre est, qui nuperiore & infeliciore seculo vixerunt, & in varios errores ex cumulatis Monachorum superstitionibus conjurato. Rursus, si Ætas præstò sit, Eruditio deficiat, Jus paternum debilitatur; quod de aliquibus scriptis sub nomine Augustini editis Erasmus observavit. De authore libri qui est De salutaribus Documentis, *Apparet hominem fuisse & antiquum & pium, sed absque literis:* de Authore libri qui est De Visitatione infirmorum, *Author est antiquus, sed locutuleius, nec doctus, nec disertus:* ex istis ostendens, deficiente Doctrinâ, Patris nomen evanescere, cùm sint Authorum merita magìs expendenda quàm tempora; alioqui Nævius Virgilio præstabit, Thales Aristoteli, Tertullianus Cypriano, Origenes Augustino. Adhuc, si Eruditio accedat, recedat Sanctitas, in Patrum ordines quis credat hujusmodi esse ascribendos? Etenim Eustathium Antiochenum antiquum satìs novimus, etiam & Eruditionis famâ celeberrimum; sed è Patrum choro ob hoc ipsum depulsum, quòd Adulterii suspicione percussus fuerat. Pariter & Idacium Episcopum, qui quarto Ecclesiæ seculo scriptis suis ornamentum aliquod addidit; verùm ob turpe illud & horrendum facinus, quo Priscillianum hæreticum occîdi curaverat, exilio justissimo mulctatus est, nè fortasse in posterum debita Patribus honoris insignia vel in nomine suo circumferret. Postremò, si & Ætas & Eruditio & Sanctitas unà confluant, at Orthodoxus de Fide sensus non affulserit, nè sic quidem Patris authoritas acquiritur, nisi Ætati, Eruditioni, Sanctitati, sententia Orthodoxa accrescat. Quod & ipse Gretserus profitetur De jure prohibendi malos libros, cap. 10. *Ecclesia Pater ille dicitur, qui Ecclesiam sanâ doctrinâ alit & pascit*, &c. *Si pro salutari doctrina pabulo*

bulo offerat lolium, & Zizania, & perversorum dogmatum lappas & tribulos, eatenus non Pater est, sed Vitricus, non doctor, sed seductor. Hæc Gretserus, ídque non malé. Exempli causâ paucos proferamus. Primus inter cæteros sit Tertullianus, quia inter primos vitam explevit. Si Ætatem spectes, erat vetustissimus, circa annum à Passione Christi ducentesimum: si Eruditionem, *nihil erat eo viro doctius*, inquit Vincentius; *ingenio tam vehementi, ut nihil sibi penè ad expugnandum proposuerit quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliserit:* eousque beatissimo Cypriano in deliciis, ut nullum sine ipsius Lectione diem prætererit, & dicere ad Notarium suum consueverat, *Da Magistrum*, Tertullianum designans. Et tamen hic tantus & talis, ætate & doctrinâ tam insignis, quia fidei Catholicæ parùm tenax erat, propter Montani dogma & alia Paradoxa non pauca Patris nomen honorémque perdidit; in tantum, ut authoritate ejus in controversia Helvidiana pressus Hieronymus, in has voces eruperit, *Tertullianus non est Ecclesiæ filius:* ostendens tam longè absuisse eum à Patris nomine, ut vix filii servaret, quia
Ca. 5. in Matth. *consequens hominis error scriptis probabilibus detraxit authoritatem*, ut Hilarius loquitur. Proximus à Tertulliano sit Origenes, cujus eodem seculo vita est circumscripta. Quòd si vitæ Sanctitas facit authoritatem, pudicitiâ & patientiâ insignis erat; nam & voluptates fugit, & avaritiam calcavit, & pro Christo sæpius affligebatur, omníque facultate privatus est: si Doctrina & Eruditio, Scripturas memoriter tenuit, & in studio explanationis earum diebus suda-
Hieron. in Catal. vit & noctibus, milléque & ampliùs Tractatus edidit, támque innumerabiles Commentarios, ut nemo nostrûm tanta possit legere quanta ille conscripsit; nam opera ejus, si Epiphanio credimus, ad sena millia librorum ascendunt; adeò ut ex ejus sinu innumeri Doctores, Sacerdotes, Confessores & Martyres exstiterunt. Et tamen hic, hic, inquam, Origenes, Ætate, Eruditione, Sanctitate notabilis, quia à Fidei Orthodoxæ rectitudine in errores dilapsus est, è Patrum numero meritissimò est detrusus; ut non injuriâ Venerab. Beza, in cap. 1. Epist. ad Romanos, postquam se nolle quicquam authoritati Patrum detrahere protestatus esset, hæc subjungit, *Sanè quod ad me attinet, Origenem istum non possum bonâ conscientiâ inter eos Patres collocare quos velim imitari.* Post Origenem succedat Apollinarius, Laodicenus Episcopus, qui sub
Suidas. Theodosio floruit, æqualis Gregorii & Basilii. Si de Eruditione quæras, S. Basilius respondit, eum totum orbem libris suis replevisse; nam præter triginta libros contra Porphyrium, scripsit in Sanctas Scripturas innumerabilia, ut vel ipse Hieronymus jam senex ipsum adire discendi causâ non est dedignatus, sicut ipse testatur in illa ad Pammachium Epistola: si de Sanctitate, multorum suffragiis pientissimus habebatur; nam & exilium sustinuit quòd Arianis assentiri noluit, ut Epiph. Hær. 77. & *eum populi quasi arietem gregis sequebantur*, ut Lyrinensis; καὶ κατὰ τὸν ἄλλον βίον σεμνότατος, καὶ πρὸς ὀρθοδόξους ἐν πρώτῳ ἀριθμῷ ταττόμενος, ut Basilius Epist. 74. ad Occidentales Episcopos scribit. Nihilo secius & hic ipse Apollinarius Sanctorum Patrum laureolam non est assecutus, quòd hæreticæ Sectæ caput fuisset, & Christum docuisset carnem attulisse de cœlo, & rationali animâ caruisse, supplente Divinitate animæ officium. Quamvìs dubium sit, ut Epiphanius loquitur,

an

an ipse ea asseruerit, an discipuli ejus ea de ipso excogitarunt. Potui istis Luciferum Calaritanum, Arnobium, Lactantium, Ruffinum, aliósque adjicere: sed reliquos mitto, si de unico solummodo altero vos admonuero, Eusebium intelligo Emissenum, qui sub temporibus Constantii vixit, nec minùs doctus quàm canus; *Erat enim*, ut inquit Hieronymus, *elegantis & rhetorici ingenii*, atque innumerabiles confecit libros: sed quia Arianæ Sectæ fautor erat, ut Orthodoxus apud Theodoretum in Dialogis loquitur, idcirco extra Patrum rempublicam veteres Orthodoxi eum eliminarunt; utcunque eum divinis laudibus ad cœlum usque Pontificii efferunt: nam à Petro de Natalibus, l. 7. c. 63. in Sanctorum numerum refertur; & à Lindano, in Panoplia, inter sanctissimos Ecclesiæ Patres scriptorésque clarissimos recensetur; & ab Alano, in c. 2. Defensionis Purgatorii, *pius scriptor* vocatur, *& magni nominis:* quem tamen Hieronymus in Chronologia sua, ad annum Constantii decimum, *Arianæ signiferum factionis* appellat, neque pro Patre, sed pro Hæretico censendum. Ad hæc quid nos? Mirum nisi hi de Patribus glorientur; mirum nisi Possevinus eam legem Patribus evolvendis statuat, ut primùm Patris cujusque vitam accuratiùs legamus; mirum nisi Canus discrimen inter Scriptores Ecclesiasticos faciendum esse doceat. O suarum regularum custodes pertinacissimos! Utcunque se res habeat, vel ipsis invitis quàm maximè salutaris est Regula, & Theologiæ usibus optimè inserviens, ut Scriptorum veterum delectus fiat, quò cognoscatur vel ex doctorum Consensu, vel ex antiquorum Testimoniis, vel saltem ex istis Proprietatibus definitivis, quis è veteribus *Pater Sanctus* audire debeat, nè personatis Patribus reverentiæ tantæ nomen tribuatur. Nam si vel Ætatis canities, vel Eruditionis & Sanctitatis præconium, vel Fidei Orthodoxæ professio abfuerit, in sacrum hoc sodalitium nequaquam sunt recipiendi. Non quòd Patris nomine indignum putem quicunque ab Orthodoxa Fide in aliquo vel tantillùm deflexerit; sic enim vacui Catalogi relinquentur, cùm nemo sit ex omnibus istis Divini spiritûs viris qui se possit ab omni aberratione purgare. Fatetur hoc Hieronymus, errasse in fide tam Græcos quàm Latinos Patres; fatentur Pontificii, Bellarminus, Canus, reliqui, errasse eos singulos, quamvìs Deus non permittat errare universos. Sed nos non sumus Sactorum Patrum tam tetrici Censores, non eis hunc honoris titulum eripimus, quòd aliquando & in levioribus titubaverint: imò verò perlibenter largimur, ut omnes è veteribus pro Patribus habeantur qui veritatis Catholicæ aut semper aut plerumque fuere & subtiles exploratores, & assertores eruditi, & fideles custodes, & vindices strenuissimi sanctissimíque; quæ omnia si ad antiquitatem accedant, & optima & sola γνωρίσματα esse credo quibus ab ementiti nominis Patribus veri legitimíque dignoscantur: quæ ipsius Regulæ ratio est præcipua, ut quia nemo omnium hoc honore est honestandus, cujuscunque eruditionis, ætatis, aut sanctitatis fuerit, si à via veritatis sæpius exorbitaverit; idcirco hoc inprimis perscrutari oportet, qui verè & propriè in hoc claritudinis ordine sunt statuendi. Hæc Regula prima.

in Catal.

in Chronol. præfixa Panopl. §. 1.

Ep. ad Pam. & Ocean.

Regula secunda est de Scriptis & Voluminibus, & primam non magis ordine quàm naturâ subsequitur, & sic se habet; Hoc cognito, qui meritò sint *Patres* dicendi, oportet ut qui ad ipsorum studia se confert hoc etiam exploratum teneat, Quæ scripta germana sunt aut γνήσια, quæ dubia & fictitia; ut sic libri authentici ab adulterinis distinguantur, nè assertiones falsas, & ab ipsorum mente & doctrina prorsus alienas, contrahamus. Hæc Sculteti est Regula, à Rivetto & Polyandro altiùs repetita; atque nostrâ est observatione dignissima duabus de causis. Prima est, quia à supposititio scripto non

 minùs

minùs cavendum est quàm ab authore ipso. Esto quòd sumus de nomine certi: si de libro dubitemus, ecquid erit firmum aut stabile? ecquid ullius ponderis in testimonio, si cujus sit nesciamus? imò magìs, quod Pharisæi ad Pilatum, error posterior pejor futurus est quàm prior, & secundæ concoctionis quàm primæ aut major, aut æqualis abortio: quia in suppositititiis nihil est certitudinis, authoritatis nihil, nulli honoris radii, nulla nominis quantumvìs maximi reverentia. Esto Clementis nomen venerandum: at Clementis Constitutiones & Recognitiones non item. Esto, Dionysius, & Hermas, & Linus, & Prochorus sint suspiciendi: at Dionysii Hierarchia, & Hermæ Pastor, & Lini Prochorique historia tantùm non vilescunt, quia fucum Lectori faciunt. Hæc prima causa. Secunda est, quia suppositititiis scriptis plena sunt antiquitatis monumenta. Vix quenquam Sanctorum Patrum novi qui non hanc maximam plagam acceperit; idque tam improbè, ut quò plùs doctrinâ excellat, eò plura inveniuntur volumina ei falsò adscripta. Idem & ipsi Adversarii animadverterunt, & cæterorum nomine Gersonus, Erasmus, Sixtus Senensis. *Ejusmodi*, inquit Gerson. in l. De laude Scriptorum, *ejusmodi protulit ætas nostra corruptores plurimos; unde & prisci Doctores, nominatímque Irenæus, in opusculorum suorum fine subjungunt terribilem Divini nominis obtestationem, ut scripta sua correctè transcriberentur.* Eodem Erasmus modo conqueritur, undique scatere omnia ejusmodi libris falsò celebrium virorum titulo commendatis. Eodem & Senensis, multa in Catholicorum expositorum operibus inveniri pseudepigrapha, adulterina & suppositia, quæ eorum non sunt quorum titulos ac inscriptiones præ se ferunt. Neque id alicui mirum videbitur, si observaverit quòd vel ipso primo seculo interpolatores non paucos Ecclesia sensit, qui perniciosa quædam opuscula sub Prophetarum & Apostolorum nomine venditabant. Sub Prophetarum nomine commentitia nonnulla Athanasius numerat, Adami Revelationem, Prophetiam Henoch, Testamentum Mosis, Orationem Joseph, Danielis somnialia, Sophoniæ Assumptionem, Apocalypsin Eliæ: sub Apostolorum, quamplurima notant *Origenes, Epiphanius, *Ambrosius, * Theodoretus, Augustinus; Evangelium Philippi, quo utebantur Gnostici; Evangelium Jacobi, quo Nazaræi; Acta Sancti Andreæ, quæ Lucius Manichæus jactitabat; Matthæi libros De ortu Mariæ & Infantia Salvatoris, quæ Gnosticorum erant commenta; Evangelium Petri, cujus falsitatem Antiochiæ Episcopus Serapion peculiari libro retegisse dicitur; & Evangelium Thomæ, quo utebantur Manichæi, de quo Cyrillus Hierosolymitanus, *μηδεὶς ἀναγινωσκέτω, Nemo legat*, inquit, *quia non est unius duodecim Apostolorum, sed unius è tribus discipulis pessimi Manetis.* Quod si adeò impudenter in Apostolorum & Prophetarum sanctissima nomina Hæretici involarunt, quantò magìs in Doctorum famam & memoriam qui eos sequebantur, ut sub Orthodoxi nominis melle hæreseων venena faciliùs in vulgus spargerent? Sic olim Ariani literas ad Constantinum scripserunt sub nomine Athanasii; & sub Theodoreti, Eutychiani Epistolam in Cyrillum Alexandrinum jam defunctum. Atque possem facillimè atque nullo negotio infinitis exemplis hoc pleniùs demonstrare: sed res est & prolixior & notior quàm ut à me imposturæ singulæ colligantur. Fecerunt hoc è nostris plurimi; Jamesius in libro Corruptelarum, Cocus in Censura, Mornæus in præfatione operis de Eucharistia, Rivetus in Specimine sacro, nec non doctissimus Raynoldus, & beatæ memoriæ Juellus. Ex istis quæ hactenus dicta intelligimus quòd Patrum scripta sint cautissimè tractanda, cùm sub virorum Sanctorum nominibus commenta sua homines insulsi obtrudere non sint veriti, prudenter id Deo permittente, nè Fidei judices Patres faceremus, qui

Prophetas

* In Luc. 1.
* In proœm. Luc.
* l. 2. Hæret. fabul.

Eusebe. l. 6. c. 10.

Athan. apol. ad Constant. Baron. ad ann. 553.

Prophetas & Apostolos habemus. Quocirca ut hanc secundam Regulam penitiùs intueamur, in duo ista Consectaria animos parumper vertamus; Quàm necessarium sit scripta genuina à supposititiis secernere, & quibus Mediis id demum fieri possit. In istis duobus non intelligentia modò sed utilitas hujus Regulæ secundæ posita est.

Primum est, ut videamus quàm sit necessarium scripta vera ab adulterinis segregare. Ad hoc autem Deus ipse nos ducit, Jer. 15. 19. *Qui educit pretiosum à vili, os meum est*; & Nicena Synodus secunda, Actione 2. *Utique omnem Christianum decet, cùm libros aliquos adulterinos audit aut legit, respuere, nec omnino animum adhibere.* (Tom.5. Epit. Caranza.) Suadent id recta Ratio, & veritatis zelus, & Sanctorum Patrum memoria sanctior, ut & defunctorum memoriæ hunc honorem, & ipsorum vigiliis hanc gratiam rependamus, sive in triumphũ veritatis, sive in pudorem dedecúsque Adversariorum, qui & larvatos Patres fatentur, & nos contumeliis lacerant quòd larvas detrahimus. Revera nescio an quicquam sit apud eos usitatius quàm hujus nos criminis reos sistere in Fidei controversiis, quando Patrum authoritate urgemur, prætendere nos solere, librum esse spurium & fictitium. Rasweydus Jesuita, de Fide Hæret. servanda, c. 17. p. 191. *Commune est Hæreticis omnibus perfugium, cùm evidenti alicujus Patris testimonio revincuntur, clamare librum supposititium, vel apices corruptos.* Idem à Gretsero, idem ab * Harto, idem ab aliis sæpe inculcatur. Unde ab * Anglo-Rhemensibus, *pervulgata omnium Hæreticorum techna* dicitur; & ab * Hardingo, *omnium evasionum miserrima, atque à Doctorum consuetudine alienissima.* (De jure prohi lib. mal. c.6. * In Raynold. c.8. div.3. * In Art.17.34. * Ad Juel. provocat. art. 1.) Ad ista quid nos respondemus? An quod ab Augustino in re non absimili, Civ. l. 18. c. 34. *Verum id esse, atque defensione non egere*, cùm non eorum hominum qui Deo placuerunt reprobetur authoritas, sed quòd ista non credantur esse ipsorum? Ad criminis depulsionem hoc sufficit. Sed & potest etiam in ipsos retorqueri, cùm nihil ipsis sit familiarius quàm hoc ad Veterum testimonia genus responsionis; nè videatur, ut Hardingus asserit, à doctissimorum consuetudine alienum. Ostendit hoc Cocus noster, in præfatione Censuræ, quadraginta plùs minùs exemplis. Liceat mihi unum aut alterum, quod ipse omisit, istis addere, idque ex operibus Bellarmini. In l.4. Bell. De Verbo Dei, c.11. objicitur contra Traditiones Cyrilli testimonium, in Levit. Hom.5. (Art.28.) *Respondeo*, inquit Bellarminus, *Homilias illas in Leviticum non esse Cyrilli, sed Origenis, vel nescio cujus alterius.* Objicitur testimonium B. Epiphanii, ex Epistola ejus ad Joannem Hierosolymitanum, contra cultum Imaginum: *Communior*, inquit, *solutio est, verba illa esse supposititia*, l. 2. de Imag. c. 9. Art. 38. Objicitur ex Dorothei martyris Synopsi locus contra Sancti Petri primatum: *Synopsis illa*, inquit Bellarm. *Dorotheo Tyrensi falsò adscribitur*; l. 2. de Pontif. Rom. c. 2. Art. 27. Sexcenta licet ejusmodi proferre, nisi quod ista sufficiant ad rem quæ præ manibus est demonstrandam, viz. & ipsos Adversarios ad hoc *commune hæreticorum refugium*, ac *pervulgatam technam*, ac *miserrimam evasionem* se aliquando recipere; & præterea ab utraque parte in hac militia exercitata pro re certissima haberi, in nidos aquilinos milvorum pullos aliquando supponi, atq; sub Patrum pellibus authores incognitos interdum delitescere: ut nihil jam magis sit necessarium quàm, secundum Divina monita, pretiosum à vili separare, &, juxta Nicenorum Patrum consilium saluberrimum, libros quosque adulterinos respuere. Hoc Consectarium primum.

Secundum est, ut videamus quibus hoc Mediis fieri possit: & in hac parte magnopere jamdiu eruditi sudarunt, & notas quasdam atque indicia invenerunt ad genuina scripta indaganda, & aliena cognoscenda. Tres notas

Sixtus Senensis, undecim Andreas Hyperius excogitavit, l. 4. De ratione studii Theologici, c. 9. Obser. 3. quas omnes ad multò pauciores possumus redigere: & hoc mei erit operis, non solùm eas ad quatuor vel quinque breviter reducere, sed insuper Regulas huic rei accommodas è notis istis excerpere, & exemplis aptis Regulas singulas, quod ipsi non faciunt, illustrare.

Ex Temporis ratione prima Regula desumitur, atque hæc est; Si fiat in libro aliquo personæ alicujus mentio, aut authoris testimonii qui post ætatem Scriptoris vixerit; si fiat mentio aut rerum gestarum, aut rituum, aut Sectarum nuperiori seculo exortarum, certissimum est eum librum esse suppostitium. Juxta hanc Regulam de multis Antiquorum scriptis judicarunt nostri seculi Doctores. De Canonibus Apostolorum, *quia traduntur nonnulla*, inquit Possevinus, addo *quamplurima*, *quæ Apostolorum temporibus prorsus fuerunt ignota*; & de Sancti Dionysii Hierarchia, quia multa de Templis, Altaribus, Choris, Monachis interseruntur, cùm istis temporibus horum nihil exstiterit; de Historia Abdiæ, quòd libro quinto Hegesippus citetur, qui centum & sexaginta annos vixit post ipsum authorem, qui Christum in carne vidisse perhibetur; de Justini Quæstionibus, quòd de Irenæo & Origene loquantur, recentioris quàm Justinus memoriæ; de Tertulliani De Trinitate, quia nominatim ibi refelluntur Sabelliani, qui ipsius tempore nondum erant cogniti; de Athanasii Quæstionibus ad Antiochum, quòd Epiphanius, Nyssenus, Chrysostomus, Nicephorus, introducantur, Athanasio juniores; de Tito Bostrensi in Lucam, quia Chrysostomus, Cyrillus Alex. Pelusiota, citantur, qui pueri erant, ut Bellarm. in Catalogo, cùm Titus moreretur; de Ambrosii Epistola 82ª, quòd in ea mentio fit Venetiarum, quæ civitas, Possevino teste, post Ambrosii mortem cœpta est ædificari; de Augustini lib. De Spiritu & Anima, quia c. 17. Boetii nomen celebratur: deniq; & de innumeris aliis; ut de Ambrosio & Hieronymo Sixtus Senensis observavit, affictos eis esse libros aliquos in quibus non fragmenta solùm, sed integræ paginæ, Gregorii leguntur, sæpe etiam Gregorii nomine interposito. Ex quibus omnibus patet, hujus primæ Regulæ usum esse multiplicem, cùm tanti referat nosse quo tempore vixerit cujusq; operis author, ne novorum hominum placitis, pro Patribus, à vero abducamur. Est igitur de Temporis computatione prima Regula.

Bell. l. 1. c. 6. de Christo.

Ex Collatione dogmatum & sententiarum secunda Regula est petenda, & sic se habet; Si in suspecto opere error aliquis aut dogma statuatur quod authoris in aliis operibus sententiis repugnat, probabiliter sequitur, aut non esse germanum fœtum, aut corruptum & interpolatum. Secundum hanc Regulam de nonnullis Veterum chartis Theologi recentiores suam non dubitarunt ferre sententiam. De Justini Quæstionibus, quòd Angelum qui cum Jacobo locutus est *Angelum creatum* vocat, cùm in Dialogo cum Tryphone *Angelum increatum* appellet. De Hieronymi Epistola prima ad Demetriadem, Bellarm. ipse in Catalogo, *Non ejus esse*, *sed alicujus Pelagiani.* De Hieronymi Commentariis in tredecim S. Pauli Epistolas, & de Nysseni libris De Philosophia, Sixtus Senensis, *Ipsorum non esse*, *quia Pelagianismum sapiunt.* De Augustini libris qui Hypognosticon inscribuntur, *quia multa reperiuntur ab iis dissentanea quæ in libris suis statuit de Prædestinatione & Libero arbitrio.* De Commentariis in Leviticum, qui Cyrilli nomine excusi, *quia multa in se habent Origenis somnia*, *quæ totis viribus Cyrillus expugnavit.* Ut jam etiam ex his manifestum sit vel secundæ Regulæ usum fore non exiguum, ut & hoc nobis sit familiare, quid quilibet è Patribus de Fidei dogmatis constanter senserit; quia ipsorum gravitati non convenit eodem ore calidum & frigidum efflare. Hæc ex Collatione sententiarum Regula secunda.

Tertia

Tertia ex Linguarum Proprietate ducitur, & ad Græcos potissimùm Patres pertinet, hoc modo; Si in authore Græco-Latinorum vocabulorum censura & explicatio habeatur, suspicio non levis oritur, opus illud germanum esse non posse, cùm à Græcorum Patrum scribendi consuetudine hoc maximè abhorreat. Ex hac Regula de multis Origenis scriptis pronuntiarunt Erasmus & Cocus noster, ea esse adulterina. De Commentariis in librum Job, quòd Græcas voces Latinè interpretetur, *Adamantius, i.e. indomabilis, inflexibilis*; quòd ludat verborum Latinorum similitudine, *Gloriosus Lucianus, quia lucidus vitâ, lucidus fide, proprio nomine aliis lucens*. De Commentariis in Cantica, quòd in Prologo citet Græcos velut alienos; & *verbum Dei apud Græcos masculino genere proferri* asserit, *apud nos*, hoc est, apud Latinos, *neutro*. De Commentario in tres Psalmos, 36, 37, 38. *Suspicor*, inquit Erasmus, *authorem fuisse Latinum:* dixisse potuit, non *suspicor*, sed *scio*; nam in textu Psal. 36. explicando, ostendit quomodo Græcè, quomodo Latinè habeat; & locum explicans Deuteronomii, *ubi*, inquit, *Latinè dicitur, In zelum adduxerunt me, in Græco est, Æmulati sunt*; & rursus, *quod in Latino, Delectare in Domino, in Græco dicitur,* κατατρύφησον, *Deliciare in Domino.* Ut ex istis colligatur, non adeò frequenter, sed aliquando tamen & hujus Regulæ usum desiderari, cùm non sit authoris Græci in hæc Latinorum devia transcurrere. Hæc Regula tertia.

Quarta ex Stylo elicitur & Orationis habitu, sub hoc compendio: Si textura sermonis, & elocutionis forma, & dispositionis artificium à nativo alicujus authoris genio evidenter discrepet; aut certum, aut saltem verisimile est, ejusmodi Tractatum non esse ejus sub cujus nomine producitur. Ad hoc Styli methodíque calculos multorum Patrum scripta Erasmus vocavit, nec non Sixtus Senensis & Bellarminus. De Arnobii in Psalmos Commentariis Sixtus in Bibliotheca sic judicat; *Stylus inconditus, ac sermo innumeris Barbarismis & Solæcismis scatens, palàm arguit authorem magìs ab Arnobio distare quàm cælum à terra.* Et de Hieronymi Commentario in Marcum, *Magìs abhorrent à stylo Hieronymi quàm ignis ab aqua.* De Cypriani libro De Disciplina & Bono Pudicitiæ Espencæus, *Stylus ostendit non esse Cypriani*, Espen.l.3. De Conti.c.13. Eodem modo & Augustinus Ep.48. suum de Cypriani aliquibus profert judicium; *Literæ*, inquit, *illæ Cypriani in quibus error de Baptismo continetur, quásque alii supposititias suspicabuntur, revera Cypriani sunt, quòd stylus ejus habeat quandam propriam faciem quâ possit agnosci.* Adeóque & hujus Regulæ usus est æqualis cæteris: sed non est cujusvis hoc facere, si tantùm mediocriter eruditus fuerit, cùm in uno eodémque authore ea aliquando styli diversitas reperiatur, ut vix sibi similis videatur. At non est desperandum tamen, posse & nos lectionis assiduæ & multiplicis observationis Scalis adjuti, ad hoc judicii culmen ascendere, ut vel ex ipsa argutie, candore, suavitate, gravitate & perspicuitate, quæ cuique Scriptori sunt peculiaria, ipsorum vestigia odoremus. Hæc Regula quarta.

Ultima ex Catalogis & nomenclaturis petenda est, quas de scriptis suis vel authores ipsi vel ipsorum asseclæ composuerint, quæ sic se prodit; Si è Veteribus quisquam, qui suorum librorum indicem scripsit, hujus vel illius libri non meminerit; aut adhuc, si in Catalogis suis temporum testes fideliores vel prætererint ut incognitum, vel rejecerunt ut adulterinum, ex hoc non leve argumentum contexitur, ab authore alio originem suam ducere. Et hæc quidem via optima, de antiquitate ex antiquitate judicandi; unde & hujus beneficio Regulæ usi sunt passim censores singuli in scriptis Veterum, præsertim Augustini, examinandis. Eodem consilio librum De

mirabilibus Sacræ Scripturæ rejicit Bellarminus, aliíque alios; tum quòd eorum in Augustini Retractationibus mentio nulla, tum quòd Possidonius tacuit, qui omnia Augustini collegit. Eodem consilio Erasmus ex Gennadii testimonio Expositionem Symboli Cypriano affictam vendicavit Ruffino; & librum De Persecutione Cypriani nomine insignitum ad Tertullianum remisit, secutus Hieronymum in Catalogo: eodem & alii Constitutiones sub nomine Clementis pro nothis ac reprobis notant, quòd Athanasius hoc faciat in Synopsi (prope finem;) itidem & librum Pastoris, qui Hermæ esse dicitur, pro Apocrypho & falso, quòd Tertullianus sic doceat in lib. De pudicitia. Quocirca ad veritatis profectum hoc maxime conducit, ut in Antiquorum nomenclaturis nos exerceamus; ut saltem his ducibus & Patrum scripta nitori pristino possimus restituere, & injustos possessores à solio non suo dejicere, revera non Ecclesiæ Patres, sed Filios populi. Hæc quinta & ultima est Regula specialis quæ generali secundæ ancillatur, ab Antiquorum scriptis & voluminibus desumpta; Quòd in Sanctorum Patrum scrutinio necessarium sit unicuique, authorum discrimine facto, in librorum & tractatuum discretionem falcem suam immittere; & judicii limâ adhibitâ, tum germanos in suæ dignitatis albo conscribere, tum spuriis nigrum Theta præfigere. De tribus quæ supersunt Regulis in diem proximum cura est agenda.

LECTIO XXXVIII.

AD Regulas in Sanctorum Patrum lectione observandas dies anteacta aditum fecit, atque exitum hodierna est largitura: neque erit, ut spero, quòd nunc me Callipedem aut cunctatorem existimetis, si quinque solummodo regulis ad innumerabilium voluminum iter peragrandum, atque duabus quàm ocyssimè prætervolantibus horulis ad multorum annorum, vixque ætate Nestoreâ conficiendum, negotium, paratos è vobis aliquos aut instructos exhibuero. Quòd si in animo esset distendere paulò longiùs disputationem istam, aut linearum spatiorúmque discrimina pro argumenti amplitudine fusiùs prolatare, nullâ temporis curâ adhibitâ, nullâ mensurâ loquendi, equidem & regulas & horas plures in apparatu absumpsissem. Verùm occurrit mihi illud Quintiliani, *In elementis satius est brevia, sed plena, docendi monstrare compendia:* quanquam revera breve nihil putandum est, quod plenum; cui nihil addi potest, id breve non est: vel ipsa Christi & Apostolorum mensa in Evangelio exemplo esse potest; nam angusta erat simul mensa, & opima; angusta, quia duo tantummodo pisces & quinque panes appositi, opima, quia discumbentium aliquot millia saturata; atque certamine facto inter panes & homines, vincunt panes, superantur homines; opsonia superfluunt, convivæ deficiunt, crescente cibo tam in ore edentium, quàm in manibus ministrantium. Similiter & in hac qualicunque mensa nostra, utcunque sit idem exiguus numerus horarum & piscium, regularum atque panum; non diffido tamen futurum esse ut vel duæ horæ totius vitæ commodis inserviant, & quinque Regulæ velut quinque panes fiant, qui dum franguntur, multiplicantur; ut vel iis solis, velut quinque sensûs communis organis, possimus discernere & veri nominis Patres à falsis, & Patrum libros germanos ab adulterinis, & librorum locos sinceros ab interpolatis, & locorum intelligentiam nativam à coactis & detortis

l. 1. c. 1.

tortis sensibus; si quid fortasse occurrat quod aut intuentibus obscurum, aut tractantibus asperum, aut absonum auribus, aut insipidum palato, aut emunctæ nari exoticum & molestum inter legendum videatur. Hæc Regularum summa, scopúsque in quem collineant; è quibus duas tantùm ad effectum adduximus. Tres reliquæ supersunt inspiciendæ. In earum prima de Jure & merito Nominis disseruimus; déq; Modo dignoscendi Patres veros ab ementitis, desumpto partim à communi utriusque partis Consensu; partim à Veterũ Testimoniis, partim à Proprietatibus legitimis, ex quarũ collectione Ecclesiastici Patris definitio statuatur. In secunda de ipsorum Scriptis & voluminibus disputatum est, déque Modo dijudicandi libros germanos à suppositititiis: ídque vel ex Temporum, si rebus descriptis non conveniant, circumstantiis; vel ex Dogmatum, si quid tale acciderit, repugnantia; vel ex Linguarum, siqua sermonis patrii in peregrinum mutatio fuerit, idiomate; vel ex sono stylóque orationis, & sermonis textura atque artificio; vel denique ex suorum operum Catalogis & nomenclaturis, quas aut ipsi aut scriptores coætanei & sequaces composuerint.

Regula tertia sequitur, è duabus superioribus prosiliens, iísque veluti nexu quodam conjuncta. Prima erat, Ad Lectionem Sanctorum Patrum accessurus oportet priùs ut certò sciat quòd pro Patribus verè habentur quorum suffragiis est usurus; nè pro veritatis testibus magnorum nominum umbras congerat. Secunda, Hoc cognito, qui jure & meritò sunt Patres dicendi, oportet ut hoc etiam calleat, quæ scripta sunt authentica & γνήσια, quæ fictitia & adulterina; nè pro doctrina salutari tractatus & libros deglutiat Orthodoxæ Fidei infestissimos. Jam tertia sic se habet; Hoc cognito, quòd scripta sunt genuina & authentica, oportet ut hoc etiam cognoscat, quòd dicta & sententiæ singulæ, adeóque scriptionis pars quælibet, sincera sit & integra, nihil mutatum, aut corruptum, aut transpositum, nihil furtim ereptum, nihil extrinsecùs additum; nè assertiones à fide & veritate longè aversas non modò ipsis Patribus iniquè affingat, sed ipse simul in animi perniciem incautus absorbeat.

Ut usus Regulæ apertiùs innotescat, de Utilitate ejus inprimis agendum est. Utilitas à Necessitate petenda: Necessitas apparebit à Rationibus quæ ipsam suffulciunt: Rationes in quatuor istis Conclusionibus comprehenduntur.

Conclusio prima; Loci corrupti nulla est vis, nulla authoritas in argumentando; quia quicquid in loco depravato continetur, non est authoris, sed interpolatoris. Et pervulgatum est Juris Civilis Axioma, *Patris nobilitas transit ad legitimos, non transit ad nothos, neque potiuntur nothi privilegiis & dignitate parentum, ut cæteri filii*; ut ex Bartholo Tiraquellus De Nobilitate, c.15.p.102. At verò nullus est magis illegitimus partus quàm ementita sententia; vel ipsa Lex Canonica docet, ex ore Innocentis & Panormitani. *In totum reprobatur dictum testis*, inquit Panormitanus, *siqua falsitas reperiatur in testimonio*. Et adhuc planiùs Innocentius, *Testis, si inveniatur falsus in parte, in nullo creditur*. Quòd si in testimonio forensi, eóque tantùm deposito, sic se res habeat, in testimonio Sacro & scripto multò magis. Quod idem S. Augustinus de ipsa Scriptura non veretur pronuntiare, in illa ad Hieronymum Epistola; *Exitiosissimè*, inquit, *creditur aliquod in Sanctis libris esse mendacium: quia admisso in tantum authoritatis fastigium mendacio aliquo, nulla illorum librorum particula remanebit quæ non utcunque videbitur vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis*. Hæc Augustinus. Atque hanc Augustini rationem Bellarminus ipse fatetur esse firmissimam, l. 1. De Verbo Dei, c. 6. ar. 19. *Si*, inquit, *erratum aliquod in*

Sylvestranus to. 1. p. 321. nu. 6. & to. 2. p. 361. nu. 7.

Ep. 8. ad Hierō.

Scripturis, sive imperitiâ, sive oblivione, sive aliâ quacunque humanâ imbecillitate ab authore committi potuit, quicunque locus proferatur, de eo quæstio esse poterit, an in eo scribendo author non dormitaverit. Hæc Bellarminus. Ex quibus verbis certissimè evincitur, ut si hoc dato per impossibile verum sit de Sacra Scriptura, quæ erroris omnis expers est, & quoad actum & quoad ipsam potentiam; multò magis id certissimè verum erit per possibile & quoad actum de quibuscunque scriptis hominum, quantumlibet sanctorum, quòd admisso uno, sive errore authoris, sive falsarii corruptelâ, etiam totius libri pondus eousque elevatur, ut argumentum solidum & certum subministrare non possit. Quocirca necessarium est, ut antequam ad Patres appellatio fiat, eos non modò eluamus à libris suppostitiis qui aliis gaudent parentibus, verumetiam ut germanos libros Patribus authoribus adscriptos ab introductis corruptelis emundemus; alioquin frustrà in hanc aciem eos producimus, nec testibus illis proficimus, quia loci corrupti nulla vis aut robur in argumentando. Hæc Conclusio prima.

Conclusio secunda; Corruptas esse & depravatas, partim incuriâ Notariorum, partim Hæreticorum fraude, quamplurimas Sanctorum paginas, iisque malesanas sententias à falsariis admixtas, pro indubitato credendum est. Ad Conclusionis probationem non est quòd nostros authores producam; Papistarum suffragia abunde sufficiunt, ex Sixto Senensi, Bellarmino, Possevino, Masio, Erasmo, Ludovico Vive deprompta. Nam revera res est adeò manifesta, ut vel ipsis oculis & manibus Pontificiis, hoc est, tremulis & lippientibus, teneatur; atque habemus eos passim, palàm quidem, sed vix ingenuè, confitentes. De Recognitionibus quæ Clementis nomen præferunt, Bellarm. docet, l.5. De Grat. & lib.arb.c.25. *Fatemur librum Recognitionum corruptum esse & depravatum ab Hæreticis.* De S. Basilii quibusdam Possevinus monet, *E falsatis exemplaribus nonnullos irrepsisse errores.* De Basilii Liturgia Andreas Masius, *Multa in ea mutata, & alia atque alia addita.* De libro ipsius De Spiritu Sancto Erasmus, *Subiit animum meum suspicio, studiosum quempiam, quò volumen redderet auctius, multa intertexuisse vel ex aliis decerpta emblemata, vel ex se reperta.* De Commentariis in Psalmos qui Hieronymo ascribuntur, Sixtus Senensis, l. 4. p. 246. *Sunt qui existimant Commentarios esse Hieronymi, sed ab incerto impostore næniis nugisque innumeris contaminatos:* & Bellarminus etiam, lib. De scriptoribus, *Existimo eos esse Hieronymi, sed non puros.* De Augustini Civitate, quos libros nemo unquam in dubium vocavit, esse in eis temerata & violata nonnulla Ludovicus Vives animadvertit, in l. 22. c.8. *In hoc,* inquit, *capite non dubium quin multa sint addita, velut declarandi gratiâ, ab iis qui omnia magnorum authorum scripta spurcis suis manibus contaminarunt.* Et nè quis Augustino soli id contigisse dixerit, in libro Corruptarum artium primo de reliquis pronuntiat, *Quingentis his annis, ut quisque Veterum scriptorum in studiosorum manibus versatus est, ità ad nos venisse corruptissimum.* Postremò, de Imperfecto opere in Matthæum Bellarminus, De Verbo Dei lib. 4. cap. 11. p. 248. *Author ejus vel fuit Arianus, vel certè ab Arianis opus multis in locis est depravatum.* Rursus, in lib. De Scriptoribus Ecclesiasticis, *Opus imperfectum non videtur esse Chrysostomi; sed cujuscunque sit opus, aut ab hæretico aliquo compositum fuit, aut ab hæretico aliquo corruptum, quamvìs alioqui liber sit doctus & minimè spernendus. Atque credibile est authorem fuisse Catholicum, sed opus illius ab Arianis depravatum.* Hæc Bellarmini censura. Neque absimilis est illa Sixti Senensis, lib. Bibliothecæ quarto, Fæces & sordes, non authoris culpâ, sed hæreticorum fraude, in eos Commentarios irrepsisse; idque triplici argumento: quòd

quòd exemplaria quædam vetusta nihil contineant hujusmodi errorum; quòd quicquid hæreticum est ità sit germanæ lectioni assutum, ut si resecetur, sententia non mutatur; quòd diversis in locis istius libri, Orthodoxam author de Christi Deitate contra Arianos tueatur sententiam. Hæc de Imperfecto opere in Matth. Sixtus Senensis. Quòd si his Pontificiorum censuris ea omnia attexerem quæ à Protestantibus sunt passim animadversa, ab Hubero in Antibellarmino, ab Hospiniano in l. de Sacramentis, inprimis à nostris venerandi nominis Capitibus, Bilsono in l. De Obedientia sive Subjectione Christiana, Mortono in secunda parte Apologiæ, Perkinsio in Præparatione ad demonstrationem Problematis, &, quos pridie commemoravi, Juello atque Raynoldo, in immensum charta excresceret. Sed supervacua est amplior inter tot testes probatio, cùm eandem etiam habeamus & Veterum querimoniam. De operibus Cypriani Augustinus testatur, Ep. 48. ad Vincentium; de Cyrilli monumentis Nicephorus, l. 15. c. 16. depravata esse à Timotheo Æluro; de reliquis Anselmus, in Comment. Epist. secundæ ad Cor. *In libris*, inquit, *Sanctorum Doctorum, quos authenticè legit Ecclesia, nonnunquam inveniuntur quædam prava & hæretica.* Eodem modo Eusebius, Didymus & Ruffinus conquesti sunt, nimirum Clementis, Dionysii, Origenis, Athanasii & aliorum nobilium Doctorum scripta plurima fuisse olim pessimè tractata ab Hæreticis, qui multa in eorum libris vitiarunt, permutarunt, detraxerunt, inseruerunt, ut sub nomine clarissimorum Patrum hæresibus suis fidem conciliarent. Quòd si de depravationum causis quis sit solicitus, Erasmus respondet, eos lucri quæstûsque haud dubiò gratiâ celebrium virorum monumenta contaminasse. Sed illud similius veri est, quod libro primo Corruptarum artium Ludovicus Vives scriptum reliquit; Non ex una radice pullulasse hanc pestem, sed quàmplurimis: alii corrupti sunt codices casu, in aliis situ & pulvere quædam sunt obscurata, alios transcribentium inscitia laceravit, ex uno exemplari in apographos multos veneno transfuso. Et si istæ non sufficiant, accedunt & causæ aliæ, quas ex se facilè prudens lector animadvertat, nonnulla esse quæ negligentia omisit, aliqua quæ imperitia detorsit, alia quæ submovit audacia, non pauca quæ supposuit astutia, multò plura quæ malitia & erroris spargendi prurigo depravavit. Quibus singulis, sive causis sive instantiis, juxta se positis, non est quòd quisquam aut miretur aut dubitet, si in Patrum scriptis aliquando reperiat de quibus & dubitet & miretur, cùm sint in ipsorum scriptis tot ubique paginæ corruptæ & depravatæ. Hæc Conclusio secunda.

Conclusio tertia; Pontificiis solenne est atque familiare utrinque, & inter probandum in locis Patrum depravatis errorum suorum firmamentum ponere, & interdum etiam inter respondendum ad hoc se asylum recipere. Sunt duæ Conclusionis partes, quarum utraque crimen intendit Pontificiis. Prima est, quòd errores suos ex libris corruptis stabilire soleant: atq; nè per calumniam dictum videatur, mittamus longinqua, atque ad authores à me suprà nominatos redeamus. Clementis Recognitiones appello: *Corrupta sunt & depravata ab Hæreticis,* inquit Bellarminus; & tamen ex istis disputant Papistæ: ex Recogn. l. 3. pro Libero arbitrio Bellarminus; ex septimo, pro Ciborum delectu * Peresius; ex decimo, * Hardingus pro Traditionibus. Appello Hieronymi Commentarios in Psalmos, quos *non puros* Bellarminus agnoscit, nugis *contaminatos* Senensis: & tamen ex istis pro immaculata Virginis conceptione Bell. testimonium ducit, l. 4. De Amiss. Gratiæ, c. 15. item Rhemenses in Luc. 2. 28. De Imperfecto opere in Matthæum quid dicam? cujus authorem Arianum putat Bellarminus, aut saltem ab Arianis opus depravatum: & tamen exinde Bellarminus non semel, Coccius sæpissime,

De Gr. & lib. arb. l. 5. c. 25.
* *De Tradit. par. 3. Tit. de Cib. delectu.*
* *Confut. Apol. par. 1. fol. 34.*

ſime, locos producit. Poſtremò, de Baſilii Liturgia quid? quam Maſius & mutatam & auctam dicit à circumforaneis quibuſdam: & tamen ex iſta ſupellectilem ſuam pro Miſſæ Sacrificio, pro Invocatione Sanctorum, pro Tranſubſtantiatione petunt Bellarminus, Valentianus, Pereſius; imò verò & Pereſius præ gaudio exſiliens ob teſtimonium tam luculentum, *Gratias tibi agimus, O magne & ſancte Baſili, quòd tam apertis verbis rem de qua agimus aperuiſti*, & quæ ſequuntur. Sed præſtò eſt Salomonis illud, *Contra vitam ſuam locutus eſt* Pereſius *verbum hoc*: nam in ipſorum capita facilè intorqueri poteſt, *Gratias vobis agimus, Sophiſtarum obliviosiſſimi, quòd eodem ore ad eos libros provocatis, quos alibi aut depravatos aut ſuppoſititios faſſi eſtis*. Non quòd iſtius ſim ſententiæ, aut eâ ſeveritate correptus, ut ob nonnulla corrupta totum opus authoris Claſſici abjiciendum exiſtimem: ſed quòd operculum magniloquentiâ veſtrâ digniſſimum adeptos vos videam, quos in hanc neceſſitatem adduximus, ut fidei veſtræ, fidei Romanæ, fidei Catholicæ, fidei puriſſimæ, in Scriptoribus ac ſcriptis & adulterinis & adulteratis propugnacula ſubſidiáque ſtatuatis. Hæc Concluſionis pars prima.

Secunda non multùm abſimilis; Quòd ipſis etiam in more poſitum ſit, ad hæc reſponſa & argumentorum ſolutiones confugere, ut dicant Locum vel librum citatum eſſe depravatum. Quocirca, ut quod ſuperiùs de ſuppoſititiis demonſtravi, nunc de locis corruptis oſtendam, quàm uſitatum ſit iis has latebras quærere, conſulamus locum unum aut alterum, velut brevia reliquorum libamenta. In Sixti Senenſis Biblioth. l. 6. Annot. 66. adducitur Origenis teſtimonium contra Tranſubſtantiationem, ubi Sacramentum corporis Chriſti vocat *typicum & ſymbolicum corpus*: quid ad hoc Senenſis? *Ego*, inquit, *ut liberè pronuntiem ſententiam meam, ſuſpicor locum fuiſſe ab Hæreticis depravatum*. In Bellarm. l. 1. de Rom. Pontifice, c. 26. Ar. 12. adducitur Euſebii teſtimonium contra Primatum Papæ: quid ille? *Reſpondeo*, inquit, *locum Euſebii ſine dubio eſſe corruptum*. Pariter ad locum ex Gratiano citatum, l. 2. de Concilio, c. 12. Art. 12. *Reſpondeo*, inquit, *Gratianum deceptum fuiſſe ex depravato codice quem ipſe habuit B. Auguſtini*. Nec non ad locum ex Ignatio, ad Philadelphenſes. l. 4. de Sacr. Euchariſtiæ, c. 26. Art. 3. *Reſpondeo, non multùm fidendum eſſe Græcis codicibus, quia multi ſunt in eis errores*. Denique ad locum Socratis, l. 5. Hiſt. Eccleſ. c. 21. qui Romanos jejunare ſolitos dicit tres tantùm hebdomadas ante Paſcha; *Ad locum dico*, inquit, *probabile eſſe codicem Socratis eſſe corruptum, & pro tribus ſeptimanis ſcribendum eſſe ſeptem*, l. 2. De bonis operibus, c. 15. Art. 19. Hæc ea eſt reſpondendi licentia quam ſibi Romanenſes vendicant; quæ magìs quidem ferenda eſſet, niſi quòd nobis eandem non largiantur libertatem: nam nobis id Gretſerus tanquam capitale objicit, quòd quicquid in Patrum ſcriptis non arridet, id aut ſuppoſititium eſſe clamitemus, aut nævum eſſe mentiamur. Quæ querelæ noſtræ contra ipſos pars eſt ſecunda. Et Senenſis, in præfat. l. 5. Lutherum, & Zuinglium, & Calvinum, & è noſtris reliquos accuſat, quòd falſis armis & exuviis induti, hoc eſt, aut confictis aut corruptis Sanctorum Patrum teſtimoniis contecti, fidei integritatem oppugnant: quæ prima querelæ noſtræ pars eſt contra ipſos. Sic in oculis noſtris feſtuca ipsâ trabe grandior eſt, quam in ſuis non animadvertunt. Verùm de hoc nos nunc non diſputamus, num verè & rectè, aut ſemper aut quandoque Proteſtantes vel Papiſtæ hoc modo reſpondeant; hæc, inquam, non nunc diſquirimus. Sed eſto, fac nos hujus verſutiæ unà cum ipſis conſcios fore; non tamen communis ipſis nobiſcum eſt excuſatio. Ad Patres illi ſolent tanquam fidei judices confugere, de Patribus ſolent tanquam de ſuo peculio gloriari, &

De jure prohib. mal. lib. l. 2. c. 6.

& de suppositītiis ac corruptis magìs quàm de germanis & integris. Nos autem, si ex suspecto libro testimonium proferamus, non id facimus nisi coacti, ipsis nos provocantibus, ut suis eos telis sauciemus. Quocirca quantumvìs contra nos non valeant Patres ementiti, at contra ipsos vel maximè valebunt. Quod M. Cicero in Orat. pro Quintio contra Sex. Nævium dixit, *Testimonium tuum, quod in aliena re leve est, id in tua, quoniam contra te est, gravissimum debet esse:* cui & illa Juris notissima Regula astipulatur, *Testem quem quis inducit pro se, tenetur recipere contra se.* Adeò iniquissimum est & Rationi rectæ absonum, ut libros esse corruptos dicant cùm respondent, & cùm opponunt ex ipsis corruptissimis libris (quod apud ipsos est quotidianum) copias suas traducant. Hæc conclusio tertia. *Spec. tit. de Testib. § 10. num. 6.*

Conclusio ultima; Ipsi Pontificii sunt summi Sanctorum Patrum corruptores, qui eorum scripta sæpius aut interpunctionibus suis vitiant, aut expunctionibus mutila & decurtata reddunt. Hæc omnium acerbissima videtur objurgatio; atque ab ea fortasse abstinuissem, nisi impudentissimi commenti aculeo huc me Jesuita Possevinus adegisset. Is in Bibliothecæ suæ l. 5. c.26. de nobis sic loquitur; *Etsi Hæretici aliquando Sanctos Patres laudant, tamen eosdem nunquam ex professo exposuerunt in Scholis, nec libenter aut incorruptè eos unquam ediderunt in lucem, nec unquam in linguas populis ubi versantur cognitas converterunt.* Hem, quot verba, tot oracula; sed Apollinis, nè quid gravius dicam. Nam Primò quòd dicit, *Nos nunquam in Scholis eos exposuisse*, ad nihilum recidit: neque enim nòs culpæ compotes putamus, si Patres è Cathedra aut Pulpitis non interpretemur, qui solis Scripturis hunc honorem deferendum esse censemus. Quòd si sit in crimine ponendum; dicat velim, si eruditis Scholiis Patrum scripta illustrare, si, inquam, non sit eos in Scholis, vel magìs in toto Orbis theatro, exponere. Ecquis autem est qui credit Possevinum nescivisse quàm proficuam in his studiis posuerunt operam, quàm optimè sint de Patribus meriti è nostratibus plurimi, de Gregorio Nysseno Casaubonus, de Nazianzeno Montacutius, de Chrysostomo Boysius & Duræus, de Origene & Cyrillo Humfredus, de Tertulliano Junius, de aliis alii? Hæc Possevinum latere non poterant. Dein quòd addit, *Nunquam nos Patrum scripta in linguas populo notas convertisse*, & procul est illud à vero: nam ut de nostratibus tantùm loquar, Augustini Civitatem & Meditationes nobis vernaculas factas omnes norunt. Etsi hæc sunt hesterna, at illa sunt antiquiora, quòd Eusebii historiam Ecclesiasticam populari linguæ Meredithus Hanmerus mandaverit; quòd Episcopus Cicestrensis, Jo. Skorye, S. Augustini De Prædestinatione & Perseverantia Sanctorum libros duos in nativam nostram linguam transtulerit, idque, ut ille loquitur, *ad Papistarum & Anabaptistarum pudorem, qui Pelagianismum resuscitassent.* Hæc Possevinus fortasse scire non potuit, cæteroquin id nunquam à nostris factum non dixisset. Postremò, quòd asserit *Nos nunquam libenter aut incorruptè eorum scripta in lucem edere*, ejusdem coloris est cum cæteris; multorum enim nomina sunt in procinctu, quæ tamen prætereo, nè videar historiam texere: prætereo Tho. Jamesii *Cyprianum redivivum*, quem integrum Possevinus furtim in Apparatum suum transinovit; prætereo Grynæi Origenem, Vulcanii Cyrillum, Vedelii Ignatium, ut pro omnibus felicissimæ memoriæ Savillius loquatur, qui Chrysostomi opera impensis propriis, eâ characterum elegantiâ, eâ chartarum pulchritudine, eâ typorum fidelitate, eo politissimo librorum ordine, eâ suspectorum operum cautelâ atque censurâ imprimenda curavit, ut Pontificii ipsi quid sanandum aut resecandum sit vix inveniant. Atque post hæc Jesuitam non pudet dixisse, *Nos nunquam incorruptè Patrum volumina in lucem edere?* Quòd

Quòd si nos digni hâc contumeliâ, at illi indigni qui faciant; nam quid est immodestius quàm ut Clodius mœchos, nisi hoc unum, ut Clodius castos? Expromant, si possint, vel tantillum lineæ cujuscunque in quo nos malæ fidei arguant. At verò ipsis nostri non linearum aut sententiarum, sed capitum atque librorum corruptelas, non clàm factas, sed palàm editas ratásque, objiciunt; eásque tot ac tantas, ut omnium vix dies sufficeret enumerationi. Mihi in his temporis angustiis satis sit insigniores aliquot indicasse, plurimis prætermissis. Mitto igitur eas quas in Ignatii, Cypriani, Ambrosii, Augustini, Leonis & Gregorii operibus doctissimus Jamesius observavit, quia manibus omnium conteruntur: at lutulentiores tamen sunt quàm quæ omnibus Tyberis undis eluantur. Mitto quæ à Scriptorum Polemicorum Coryphæo, Daniele Chamiero, nuperiùs sunt notata, præsertim in Græcorum Patrum scriptis, quæ tamen Latinis sunt emendatiora; quia indocti homines magis in Latinis versantur quàm in Græcis, ut de sua ætate Cicero loquitur. Præterea, nihil de Scholasticis dico, qui vix tertium aut quartum quemque locum quem è Patribus proferunt sincerâ fide contrectant aut simplici calamo: quod vel ex ignorantia Græcæ linguæ contigit, cujus erant utplurimùm imperiti; vel fortasse etiam ex negligentia, quòd aliorum operâ usi sunt, & authores ipsos non consuluerunt. Nihil de Decretorum Patrum compilatore Gratiano, qui cùm sæpissime emendatus atque correctus fuerit, adhuc manet corruptissimus: etenim opuscula plurima iis authoribus tribuit quorum non essent, & Veterum Patrum verbis sua sæpe intermiscet, & nomina atque tempora confundit, & testimonia laniat; ut ad hoc Augeæ stabulum purgandum nè Hercules ipse sufficiat. Hæc, inquam, mitto, eò quòd ex solis Indicibus Expurgatoriis quo animo Doctorum lucubrationes evolvant indicare possumus: in quibus non in nuperos aut recentiores solùm efferbuit censura, ut post aliquot secula vix quisquam sciat quid quisquam senserit; verùm in Patres ipsos, tum majores tum minores, carnificinam exercent: ídque non in unum aut alterum, sed in maximam illam Patrum Bibliothecam; nam centum & ampliùs Authores sunt quos in ipsa Bibliotheca vellicant, imò & extra Bibliothecam. A pientissimis Chrysostomi & Cyrilli voluminibus vix novaculas suas retrahunt durissimi Aristarchi. Quòd si quis dixerit, Se non è libri alicujus mole aut textura verborum aliquid expungere (quæ ipsorum est à Gretsero conficta purgatio) *l. 2. de Jure prohib. mal. lib. c. 9.* sed tantùm Indices & editiones ab hæreticis factas, & glossemata, & margines, & annotationes ejicere; ut quæ malè feriati homines è Patrum monumentis assuerunt, corrigantur: Age, videamus an crimini depellendo hæc prætextuum facundia sufficiat. Et hæc duo jam breviter perpendamus, Si non ex Indicibus plurimas Patrum sententias; Si non ex ipso textu aliquas amoveant.

Quòd ad Patrum Indices attinet, hæc spicilegia accipitote, quæ in Expurgatorii Belgici & Hispanici examine cursim annotavi. In Indice Hispanico, ex annotationibus in Epiphanium deleri jubentur ea verba, *Creaturam non adorari:* & in ipso Epiphanii textu leguntur, Hæres. 69. ἡ ἁγία τῦ Θεῦ ἐκκλησία ὐ κτίσμα προσκυνεῖ, *sancta Ecclesia Dei creaturam non adorat.* Ex Hilarii Indice delenda præcipiuntur ea verba, *Alienis meritis & operibus nemo juvatur:* & habentur in textu ipso Hilarii, in Matth. ca. 27. *Alienis operibus ac meritis nemo adjuvandus, quia unicuique lampadi sua emere oleum necesse est.* Ex Operis imperfecti in Matthæum Indice illa delenda, *Nullum hominis bonum esse coram Deo acceptabile:* & habentur in textu, Hom. 13. verbatim, *Nullum hominis bonum acceptabile potest esse ante Deum, cùm nullum bonum liberè homo facere possit*, &c. quæ sequuntur. Ex Hieronymi

Indice

Indice Basileensi delenda damnantur ista, *Fides sola justificat*; *Opera non justificant*; *Imago una tantùm veneranda:* & habentur disertè loci singuli in scriptis Hieronymi; prior in Ep. ad Rom. cap. 10. *Ignorantes quòd Deus ex sola Fide justificat,* &c. posterior in cap. 2. ad Galatas, *Si gentes fides sola non salvat, nec nos; quia ex Operibus nemo justificatur*; tertius in Ezek. lib. 4. cap. 16. *Nos unum habemus virum, & unam veneramur imaginem, quæ est imago invisibilis Dei.* Postremò, ex S. Chrysostomi Indice plura delenda describuntur quàm penè ex reliquis omnibus. Primum est illud, *Deleantur hæc verba, Confitenda Deo peccata, non homini:* & habentur in textu Chrysostomi, hom. 4. De Lazaro, μὴ γὰρ τῷ συνδούλῳ ὁμολογεῖς, &c. *Non enim peccata tua homini dicis, nè te probro afficiat, neque conservo confiteris, nè in publicum proferat; sed ei qui Dominus est, ei qui curam tui gerit,* &c. Iterum & istud, *Deleantur hæc verba, Ecclesia non super hominem, sed super fidem ædificata:* & occurrit in textu Chrysostomi, Hom. de Pentecoste, in illa Salvatoris verba, *Super hanc petram*, Tomo sexto, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ· οὐκ εἶπεν, ἐπὶ τῷ Πέτρῳ· οὔτε γὰρ ἐπὶ τῷ ἀνθρώπῳ, ἀλλὰ ἐπὶ τὴν πίστιν τὴν ἐκκλησίαν ᾠκοδόμησε, *Non dixit Christus, super Petrum, sed, super hanc petram; non enim super hominem, sed super fidem ædificavit Ecclesiam suam, hoc est, super confessionem & super sermones pietatis.* Tertium istud, *Deleantur illa verba, Apostolorum doctrina facilis, omnibúsque pervia; item & illa, Sine Scriptura Divina nihil asseverandum:* & sunt in ipso textu Chrysostomi; prior, Conc. 3. de Lazaro, οἱ Ἀπόστολοι καὶ οἱ προφῆται σαφῆ καὶ δῆλα ἅπαντα ἐποίησαν, &c. *Apostoli & Prophetæ manifesta & clara quæ prodiderunt exposuerunt, velut communes Orbis Doctores, ut per se quisque discere possit ea quæ dicuntur è sola lectione*; posterior in Com. in Psal. 95. ἐάν τι ἄγραφον λέγηται, ἡ διάνοια τῶν ἀκροατῶν σκάζει, πῆ μὲν ἐπινεύουσα, πῆ δὲ παραγραφομένη, &c. *Si quid dicitur absque Scriptura, Auditorum cogitatio claudicat, nunc annuens, nunc hæsitans,* &c. *at Scripturæ testimonium & loquentis sermonem, & audientis animum confirmat.* Postremum illud, *Deleantur hæc verba, Fide solâ justificari, Fidem solam salvare:* & signanter uterque locus occurrit in ipso Chrysostomi textu; primus in Concione De verbis Pauli, *Gloriamur in Afflictionibus*, quæ in Tomo quinto reperitur, οὐδὲν φορτικὸν οὐδὲ ἐπίπονον ἐπιτάξας, ἀλλὰ πίστιν ζητήσας παρ' ἡμῶν μόνον, καὶ δικαίους ἐποίησε, καὶ ἁγίους κατεσκεύασε, *Nullis*, inquit, *onerosis aut molestis mandatis impositis, sed Fide tantùm requisitâ, & justificavit nos, & sanctos reddidit*; secundus in cap. 2. Epist. ad Titum, εἰ γὰρ πιστεύεις τῇ πίστει, τί ἕτερα ἐπεισάγεις, ὡς οὐκ ἀρκούσης τῆς πίστεως δικαιῶσαι; *Si credis fidei, cur alia infers, quasi fides justificare non sufficiat sola?* Quid plura? Satin' nunc res clara est, eos non è marginibus aut Indicibus, sed ex ipso Sanctorum Patrum textu aliqua expurgasse, dum ex Indicibus ea rejiciunt quæ sunt ipsissima Patrum verba in iis paginis ad quas nos Indices dirigunt? Neque est hæc nova vafrities, sed eadem quæ in demutando Legis Decalogo obtigit, cujus Mandatum secundum cùm delere non audeant, compendii prætextu prætereunt: eâdémque arte adversus librorum Indices sæviunt, eò quòd nos Indices ad locos Patrum ducant quibus eorum pessima dogmata refelluntur. Ergò si non graphicè atque apertè, at saltem obliquè & æquivàlenter textum ipsum expurgant. Et hoc solum effugium superest quo ex his laqueis elabantur. Quòd si sic se enatare posse sperant, respondeo cum Chrysostomo in re non absimili, οὐ πρὸς τὴν ἄνοιαν τῶν ἀνοήτων ὁ λόγος, ἀλλὰ πρὸς τοὺς πιστοὺς ὑμᾶς, καὶ πρὸς in Psal. 95.

τοὺς συντρόφους τῆς ἀληθείας, *Non mihi ad amentium amentiam sermo est, sed apud vos fideles, apud vos veritatis collactaneos*; de litigiosis cura minor, si vobis satisfactum fuerit. Utcunque non despero tamen & hoc ostendi posse, quòd non modò obliquè & æquivalenter, sed articulatè & de industria ipsa Patrum scripta detruncant. Ut nihil dicam de S. Antonii Abbatis Sermonibus, qui in Bibliotheca Patrum colliguntur, ex quibus delenda multa Index Hispanicus præscribit; ex Sermone primo præsertim, ubi illa verba leguntur, *eam solummodo naturam quæ increata est colere & venerari didicimus*, Inquisitores reponunt, *Deleatur dictio Solummodo:* Nihil de Hermetis Pastore, aut Eucherii Commentariis in Genesin, aut Melitonis libro de Transitu Mariæ; germani fœtus sint annon, parùm refert: ex Inquisitoris jussu delenda est sententia unica Eucherii, tres sententiæ Hermetis, & aliquot capita Melitonis. De his & ejusmodi suspectæ fidei operibus nihil dico. Videamus quid tanti in ipsos Cyrillus committere potuit, aut author Imperfecti operis in Matthæum, ut in eorum scripta involarent. De Cyrilli in Isaiam Commentariis non solùm ex margine & indice delenda quædam Inquisitores Hispanici decernunt, sed ex textu ipso, tribus in locis. *In capite primo, Ex textu deleantur illa verba, Fidei autem gratiam cùm his qui valde inquinati sunt, tum etiam paulùm morbo affectis, satìs ad emundationem valituram esse, fidem facit Propheta, dicens, Si sint peccata vestra ut purpura, velut nivem inalbabo*, &c. *In cap.*47. *Ex textu deleantur illa verba, Tu verò eò impietatis progressa es*, &c. *In cap.* 51. *Deleantur ex textu illa verba, Sed ubi non haberent timorem Dei in seipsis, nec Jesum per fidem incolam reciperent; habitat enim in cordibus nostris per fidem, sicut scriptum est:* quæ non Cyrilli sunt, sed Apostoli verba, Eph.3.17. Hæc illa gratia est quam Cyrillo Alexandrino referunt. Nec dissimilem authori Operis imperfecti in Matthæum. In editione Parisiensi Chrysostomi nomen præfigitur istis Commentariis, est enim hic titulus, *Sancti Chrysostomi in Evangelium secundùm Matthæum Commentarii diligenter ab Arianorum facibus purgati.* Et quid tum postea? Apparet ex Hom. 49. cujus magna pars deleta est, nimirum à pagina 952, usque ad calcem istius columnæ in folio ductæ. In illo loco, *Abominationem desolationis*, author interpretatur de exercitu Antichristi stante in locis sanctis Ecclesiæ: *fugam ad montes*, provocationem ad Scripturas appellat; *Quia*, inquit, *nulla potest esse probatio veræ Christianitatis, aut veræ Christi Ecclesiæ, aut veritatis fidei, nisi per Scripturas Divinas.* Totus igitur hic locus detrusus est ex opere isto: rationem reddit Bellarminus, lib.4. de Verbo Dei non scripto, c.11. Art.18. *quia totus hic locus ab Arianis insertus est, & propterea è quibusdam codicibus emendatis sublatus.* Ain' verò *sublatus?* quâ manu? Pontificiâ: at illi nè tantillum quidem surripiunt de Antiquorum scriptis. Qua demùm de causa? Pontificiâ: quia Arianas fæces redolet. At dic sodes, & fide non inferiori illâ & Jesuiticâ, sed Cardinalitiâ & infallibili proximâ, h. e. non Jesuiticâ, sed Christianâ; Num ad Scripturas nos recipere est dogma Arianum? aut ex Scripturis fidem & Ecclesiam discernere, dogma Arianum? O pectus! O frontem! An hæc sunt parentalia quæ in Patrum defunctorum memoriam celebratis? An Patrum Veterum Filii dicendi estis, qui hæc facitis? An magìs veteratores, qui quicquid vobis in Patribus non placet expungitis, & Arianum clamitatis? At verò planè contrarium est quod S. Athanasius, Arianorum malleus, de ipsis refert, οἱ Ἄρειοι, inquit,

inquit, καὶ τῶν γραφῶν ἐναντίοι, Athan. Orat. 1. cont. Arian. *Ariani ut hostes Dei, ità & Scripturis Divinis contrarii sunt:* & tamen ex Scripturis fidei dogmata probare Bellarminus inter Arianorum fæces recenset, atque idcirco saluberrimam operis partem eliminandam judicat, præpositâ cautione, Hoc tu, Romane, caveto, Arianum est. ὢ τῆς ἀνευλαβοῦς εὐλαβείας, ut Nazian. Orat. 4. optimè, *O incautam cautionem!* ὢ συνετοὶ ἐν ἑαυτοῖς, καὶ ἐπιστήμονες ἐνώπιον αὐτῶν, ut Epiphanius ad Arianos loquitur, *O homines apud semetipsos sapientes, & suâ opinione eruditi!* Quantò consultiùs Theologi Duacenses: qui Bertrami librum De corpore & sanguine Domini, prohibitum à Clemente 8°, imprimendum curarunt, *Nè fortè*, inquiunt, *hæretici ogganniant, nos antiquitatem pro ipsis facientem exurere & prohibere: cúmque in Catholicis Veteribus aliis plurimos feramus errores, & extenuemus, & excusemus, & excogitato commento persæpe negemus, & commodum iis sensum affingamus, dum opponuntur in disputationibus; non videmus cur non eandem æquitatem & diligentem recognitionem mereatur Bertramus.* Sunt verba Theologorum Duacensium in Rescripto quod in Indice Expurgatorio Belgico in rei servatur memoriam. Næ illi pulchre & fideliter Veteres Patres tractant, qui arbitratu suo fingunt eos atque refingunt, voces, sententias, paginas, cùm visum est, addunt, detrahunt, mutant; surrogant, nè possint veras audire aut reddere voces. Eant igitur, & usque ad ravim declament Sanctos Patres, venerandam Antiquitatem, priscam Ecclesiam, qui Patrum scriptis ut computatorum calculis utuntur, ut nunc minas valeant, nunc obolos: Eant tandem & se Patrum alumnos jactitent, & illud ex Scripturis sæpius vociferentur, *Attendite ad vias, videte & interrogate ex priscis semitis, quæ via bona sit, & ambulate in ea*; rursus & illud, *Nè movetote majorum vestrorum terminos*, scelus est, infidelitas, impietas. Hæc dicant, & suarum legum observatores religiosi, antiquorum dum laudant fidem, prodant suam. Nos corruptores Patrum cum Possevino appellent, ut ipsi falsarii & testamentarii convincantur, qui aquam pro vino, pro gemmis vitrum, pro auro aurichalcum venditant; indicio certissimo quid ab eorum conscientia exspectare debeamus. A Legislatoribus antiquis non imprudenter constitutum accepimus, ut juventutis corruptores capitis periculum subirent; atque Jure Civili cautum esse Andreas Tiraquellus scribit, quòd quicunque sibi nobilitatem falsò assumit, aut scienter honorem sibi indebitum usurpat, pœnâ sacrilegii læsæque Majestatis puniretur. Verbi gratiâ, si se Doctorem appellaverit, cùm non sit, aut se pro milite gesserit, cùm non esset miles. Quòd si pro hoste Reipublicæ habeatur qui juventutis, quantò infestiores habendi qui Patrum simul & corruptores & proditores se præstiterunt? & si læsæ Majestatis crimine teneatur qui forenses honorum titulos mentiuntur, quas pœnas persolvent qui Patrum scripta fœdissimè laniant, ut vel minimam quamlibet veritatis scintillam spongiis suis extinguant; qui & Patrum nomina scriptis suppositiis consuunt, & vulgares homines nobilium Scriptorum titulis coronant, ut ipsos in Patribus Patres vel prudens Lector vix invenire possit? Hæc quarta est Conclusio ad Regulæ tertiæ explicationem deprompta, Quòd cùm manifestum sit, & Patrum scripta plurima corrupta esse atque depravata, & ipsissimos eorum corruptores fore Pontificios; quòd cùm ipsi eorum sint corruptores, non tamen erubescunt & corruptos

Hær. 69.

de Nobilit. c. 13.

 eos

eos sub persona deflere, & è locis corruptis copias suas instruere: Ergò nobis apprimè necessarium est, post verorum Patrum à falsis discretionem factam, & germanorum operum à suppositititiis; necesse est, inquam, etiam & dictorum & sententiarum sive additamenta, sive detrimenta, sive corruptelas perscrutari, nè incerti rerum omnium suspensíque fluctuemus, subdolis Adversariorum sutelis circumventi. Hæc Regula tertia.

Regula quarta superest, etiam & quinta, Quòd hoc cognito, quæ scripta sunt pura & incorrupta, tum demum considerandum est quâ occasione, quibus motivis, quo fundamento, quo spiritu quicquid dicatur; Rhetoricè, an Dogmaticè; obiter, an constanter; ex disputationis ardore, an sedato & pacato animo: quibus omnibus adinventis; ad Scripturæ trutinam sententiæ ambiguæ sunt revocandæ, quæ est omnium Regula Regularum, & prima & ultima. Sed hîc hæret calamus, quia præreptam mihi ansam sentio ista persequendi, & à vobis productiorem diem esse postulandam; atque vix quadrare quæ de duabus horis in duorum piscium similitudine ex Evangelio præfatus sum, cùm duæ horæ non sufficiant huic negotio. Veruntamen est alia Evangelica lectio quæ succurrit; nam quod in S. Matthæo, *duobus piscibus*, id in S. Marco, *pisciculis paucis* confectum miraculum legimus. De hoc præ manibus argumento vos idem cogitate; si non duabus horis prætertapsis, at paucis horulis in posterum id confici posse, si Deus affulserit. Interea verò illud Epist. 247. l. 2. Isidori Pelusiotæ coronidis loco habitote, Δίκαιον οἶμαι ἐπὶ τῶν μεγίστων ὑποθέσεων, &c. *Æquum puto, in magno opere si quis infra materia dignitatem subsidat, aut diem postulet, non impotentiam damnari dicentis, sed veniam potiùs concedi, reputatâ rei magnitudine.* Hâc lege me vobis rursus in novo fœnore debitorem libentissimè addico: det Deus ut qui ex me parùm idoneus sim debitor, ipsius auspiciis fidelis solutor exsistam.

LECTIO XXXIX.

ET nuper, & jamdiu eſt, Viri humaniſſimi, ex quo ſpinoſam hanc, ſed nobilem & fructuoſam, de *novis* & *veteribus* Eccleſiaſticis diſputationem inſtituerim. Diu quidem, ſi longi ſilentii intercapedinem, prætcritíque temporis quæ revocari non poſſunt ſpatia reputemus; hoc certo certius, nihil eſſe diutius illo quod nunquam revertitur: at nuper eſt, ſi orbem obſervemus laborum & rerum in ſe recurrentium, quæ me Divinis auſpiciis huc denuo adduxerunt, de quæſtione priſtina, horâ priſtinâ, coram conſeſſu priſtino, è loco priſtino tractaturum; neque enim quicquam nuperius aut brevius eſt, quàm alicujus ad ſeipſum proſpere factâ reverſio. Veruntamen non hæc ſola eſt ratio, ſed ſupereſt alia, eáque majoris ponderis, & à vobis petenda, quòd *diu* dixerim & *nuper*: nam ſi vos intueor, delicias meas, à quibus aliquantiſper divulſus ſum, diu eſt; nec quiſquam ibit inficias, longum eſſe & vix ferendum ſpatium, ſi vel die uno aut corpus ab anima, aut anima ab amore ſuo ſejungatur; & ego, cum Moſe, per tres integros Menſes aſpectu veſtro orbatus delitui: viciſſim nuper eſt, imò nuperrimè, ſi è memoria veſtra, theca fidiſſima, præteriti operis rationes repoſcam; quia novi vos ſingulos, quæcunque ſuperiùs in hoc argumento dicta fuerint, tam facilè mecum poſſe recognoſcere ac ſi herì aut nudiustertius eſſent agitata. Ergò à vobis eſt, Auditores, & à veſtræ præſentiæ beneficio ortum, quòd hoc in ſe diuturnum ſilentium mihi hodie quàm breviſſimum & nuperrimum videatur: cùm vos videam ſanos ſoſpitéſque jam denuo conveniſſe, eâque animi alacritate, ut poſſim vel in ſolis frontibus veſtris, abſque chartæ adminiculo, priores illos qualeſcunque de his *novis* & *veteribus* conceptus noſtros aptè & numerosè relegere, iiſque velut auditor frui, dictantibus vobis. In vobis video ubi olim diſputatio terminata eſt; in vobis pariter unde nunc hujus novi progreſſûs fila ſunt ducenda. Hem, gratulor vobis hanc novam provinciam, quòd à mea me moleſtia liberatis, quòd partes meas agatis, & quæ me velle, quæque ad me pertinere noviſtis, ea curare velitis, dum mihi jam prælectores eſtis & monitores, adeóque duces ordinatim ad ulteriora procedendi. Enimvero ingrati crimine arguendus eſſem, ſi ad hanc me cogitationem non ſtatim accingerem, ut poſſim vos remunerari quàm ſimillimo munere, vel magìs idem reponere. Quocirca accipitote jam tandem debitiſſimam veſtræ & benevolentiæ & memoriæ uſuram, & permittite (quæ ſola ſupereſt compenſatio) ut renovato curſu eaſdem legendi vices vobis jam poſſim rependere: quod ſi vobis placitum fuerit, ego non refugio, verùm incunctanter id acturus ſum, ſi priùs redivivo opere indicavero quid actum ſit; ídque non tam ex meis repetendo, quàm ad vos & memoriæ veſtræ fidem provocando.

Inprimis hoc probè meminiſtis, quo ordine & quibus paſſibus ad Regulas in Sanctorum Patrum ſcriptis volvendis obſervandas deventum ſit. E Chriſti verbis janua eſt patefacta, qui ad *novorum* & *veterum* ſcrutinium Scribam Evangelicum relegat; ſive illa fuerint *nova* & *vetera*

 purè

purè Divina, five purè humana, five etiam mixta & Ecclefiaftica. De Divinis & humanis jamdudum egimus; in Ecclefiafticis nunc verfamur. Hæc totius negotii radix, unico fuffulta axiomate, Tractatori Sacro neceffarium fore, ut in utriufque ætatis Scriptoribus verfatiffimum fe præbeat, quò poffit utrinque Fidei & Religionis dogmata vel diftinctiùs explicare, vel firmiùs ftabilire. Hæc vos memoriâ tenere ultro arbitror. Deinde & illud æquè meminiftis, quòd ex hac radice rami quamplurimi fubnafcantur; De Patrum & Neotericorum jugi lectione, De ufu etiam & authoritate in Theologiæ dogmatibus pertractandis. Quæ omnia ad duo Capita revocavi; De *novis* & *veteribus* refpectu Perfonarum, & De *novis* & *veteribus* refpectu Rerum. In vetuftate & novitate Perfonarum quatuor expendenda propofui: Quæ utriufque Natura fit & Definitio; Quæ Cautelæ Regulæque utriufque lectioni infer-viant; Quæ vera & propria utriufque in fidei argumentis vis atque authoritas; Quàm iniquæ Pontificiorum in Orthodoxos calumniæ circa utrofque. In vetuftate & novitate Rerum quinque: In quantum & quo modo Antiquitas veritatem adjuvet; In quantum Novitas præjudicat; Vetuftas quid addat errori; An Pontificii ritè Antiquitatem fibi vendicent; An nobis juftè objiciant Novitatem. Dicite, annon & hæc fponte in mentem veniunt? Nullus dubito. Poftremò & illud vos puto meminiffe, quòd ex iftis novem Quæftionibus primam folummodo ad exitum adduximus; quæ eft de Natura & Definitione Patris Catholici: In altera, quæ eft de Cautelis & Regulis, adhuc hæremus. Definitionis hæc fuere fpicilegia; Qui ætatis Patrum cancelli ftatuendi? Quæ ratio Nominis? Quæ Proprietates definitivæ? Quæ caufæ reliquos omnes poft ipfos pro Recentioribus habendi? Quæ denique cura ad optimorum è Recentioribus delectum faciendum eft adhibenda? Quòd ad Regulas fpectat, eas quinque conftituimus. De Jure & merito nominis primam; in qua fufiùs differuimus, De Modo dignofcendi Patres veros ab ementitis, defumpto partim à communi partis utriufque Confenfu, partim à Veterum Teftimoniis, partim à Proprietatibus legitimis, ex quarum collectione Patris Ecclefiaftici definitio ftatuatur. De ipforum Scriptis & voluminibus fecundam; in qua de modo egimus dijudicandi libros germanos à fuppofititiis: atque hoc vel ex Temporum, fi rebus defcriptis non conveniant, circumftantiis; vel ex Dogmatum, fi quid in iis tale occurrat, repugnantia; vel ex Linguarum, fi quæ à fermone patrio deflexio fuerit, idiomate; vel ex fuorum operum Catalogis & Nomenclaturis; vel ex Orationis Stylo fermonifque artificio, qui color eft cujufque & quafi habitus nativus ex quo dignofci poterit. De Patrum dictis & fententiis tertiam; in qua de locorum corruptelis nonnulla propofuimus, quid agendum, quid cavendum, quid ftatuendum; five id incuriâ Notariorum contigerit, five Hæreticorum fraude irrepferit, five Pontificiorum Expurgationibus invaluerit; qui cùm fint & noviffimi & apertiffimi Corruptores, non tamen erubefcunt & corruptos eos fub perfona deplangere, & è locis corruptis copias fuas inftruere. Hic rerum textus, hæc trium primarum Regularum Oeconomia; in his remigandi labor intermiffus, atteftante veftrorum omnium memoriâ.

Ad quartam nunc Regulam properandum eft; quæ quia à prioribus catenatim dependet, rerum ordo poftulat ut eam unà cum prioribus jam denuo recenferem. Prima hæc fuit; Ad lectionem Sanctorum Patrum acceffurus oportet priùs ut certò fciat, quòd pro Patribus verè habentur quorum fuffragiis eft ufurus: nè pro Veritatis teftibus, magnorum nominum

minum umbras congerat & terriculamenta. Secunda; Hoc cognito, quinam jure & meritò Patres sunt dicendi, oportet ut hoc etiam calleat, quæ eorum Scripta authentica sunt & γνήσια, quæ fictitia & adulterina: nè pro doctrina salutari, Tractatus & libros deglutiat Orthodoxæ fidei infestissimos. Tertia; Hoc cognito, quòd scripta sunt genuina & authentica, oportet ut hoc etiam cognoscat, quòd dicta singula & sententiæ, adeóque scriptionis pars quælibet sincera sit & integra, nihil aut mutatum, aut corruptum, aut transpositum, aut furtim ereptum, aut extrinsecùs additum: nè assertiones à veritate Christiana aversas aut ipsis Patribus affingat, aut in se trahat.

Jam quarta, quæ nunc enucleanda est, sic se habet; Hoc cognito, quòd scripta eorum sunt pura & incorrupta, & sententia quælibet de qua est controversia sincera & integra, tum demum considerandum est quis loci cujusque sit sensus nativus & proprius; quâ occasione, quibus motivis, quo fundamento, quo animo & spiritu unumquodque dicatur: utrùm Rhetoricè, an Dogmaticè; si Dogmaticè, utrùm obiter, & quasi per transennam, an deditâ operâ & ex professo; si ex professo, utrùm præcipitanter, ex impetu mentis & ardore disputationis, an sedato & pacato animo: si sedatè, utrùm dubiè & hæsitanter, an fidenter & Categoricè; si fidenter, utrùm ex certa scientia proprióque judicio, an ex credulitate nimia & fide aliôrum; denique, si ex certa scientia, utrùm aliquando sententiam mutaverint, aut in causa varii fuerint, an in ea potiùs uno judicii tenore constanter permanserint. Hæc Regula quarta, in majus nunc dilatanda, quamvìs in se sit paulò productior. Nam revera quot in se habet verba, tot etiam Regulas. Fundamentum Regulæ in hoc uno est positum, Quòd cujusque sententiæ pondus valórque non in verbis, sed in sensu, neque in legendo, sed in intelligendo est statuendum; ut is solus authorem hunc vel illum pro se habere dicatur, qui cum verbis veraces suos sensus expromit: alioqui si tantillum à sensu exorbitet, nihil efficiet, quia loci perperàm intellecti nulla vis est neque authoritas. Hoc Clem. Alexandrinus Stromateων septimo de Hæreticis quibusdam observavit; *In proferendis*, inquit, *Scripturis*, τοῖς ὀνόμασι μόνοις προσανέχουσι, τὰ σημαινόμενα ὑπαλλάττοντες, *vocabulis solis adhærent, mutatis significationibus*, οὔθ' ὡς λέγονται γινώσκοντες, οὔθ' ὡς ἔχειν πεφύκασι χρώμενοι, *neque quomodo usurpata sint cognoscentes, neque utentes iis pro eorum natura.* Quòd si Hæretici Scripturæ verbis utentes Scripturas non proferunt, quia à sensu deflectunt; revera neque illi dicendi sunt Patres producere qui in Patrum testimoniis gloriantur, nisi ipsorum authorum mentem sensúmque attigerint. Hoc Regulæ fundamentum: ex hoc fundamento necessitas Regulæ manifestò emergit. Est autem Necessitas duplex.

Prima, quia in omni genere Scriptorum aliquando, & in beatorum Patrum monumentis sæpissime, plurima passim occurrunt quæ non ità sunt accipienda ut primâ fronte verba sonare videntur. Sæpenumero de iisdem rebus sermones miscent quæ nunc sunt controversæ, sed sensu longè alio. Quis enim nescit quòd de Sacrificio, de Memoria Sanctorum, de Pœnitentia, de Matrimonio, de Consecratione calicis, de Signo crucis, de Reliquiarum honore, effusè loquuntur Patres, sed aliâ mente quàm hodie Pontificii? Ergò cautelâ opus est ad veram eorum mentem percipiendam. Hæc Necessitas prima.

Secunda est, quia solenne est Adversariis in Patribus citandis sonum reddere, non sensum, vocabula arripere, & amittere sententias; & cùm

de re nihil respondeant, de nominibus & vocabulis invidiam nobis & laborem conflare conantur, verbis in contrarium sensum distortis. Quæ quidem præstigiæ velut lusorium nomen statim transeunt, si in authoris mentem attentiores simus, & sensum in lucem proferamus. Hæc Utilitas secunda. Ergò regula, ut videtur, est apprimè necessaria: neque ausim meam dicere; est enim ipsissima eadem quæ à Sancto Augustino redditur, De Genesi ad literam, lib. 1. cap. 21. *Cùm Divinos libros legimus*, inquit Augustinus, *in tanta multitudine intellectuum qui de paucis verbis eruuntur, id potissimùm deligamus quod certò apparuerit eum sensisse quem legimus.* Neque diversa est illa quæ à Chemnitio traditur, Oratione de lectione Patrum; *Ad lectionem*, inquit, *illorum accessurus oportet priùs ut sciat, quid in singulis sit præcipuum & quasi emineat; tum demum, qui cavendi sunt scopuli, ubi minùs commodè sunt locuti, & quâ occasione incommodiùs dicta illis exciderint.* Hæc ille: Nos verbis aliis, sed eâdem significatione, Oportet in iis legendis, singularum partium nexum argumentíque sensum attendere, ætates, tempora, occasiones, loquendi formulas, modos pronunciandi, accuratè cogitatéque distinguere. Quod ut explicatiùs fiat observandum est, quòd Sex sunt distinguendi modi huic negotio maximè accommodi, quorum ductu & ad intellectum & ad praxin usúmque Regulæ faciliùs pertingere possimus. Hos ego hoc ordine vestro judicio meditationíque submitto. In Patrum scriptis quædam reperiuntur Figuratè dicta, quædam Dogmaticè; hæc Distinctio prima: Deinceps, quædam obiter & in transcursu, quædam ex composito; hæc secunda: Rursus, quædam ex impetu animi & ardore disputationis, quædam animo sedato & sobrio; hæc tertia: Adhuc, quædam dubitativè & hæsitanter, quædam confidenter & Categoricè; hæc quarta: Porrò, quædam ex certa sua scientia, quædam ex credulitate nimia & fide aliorum; hæc quinta: Postremò, quædam diversimodè, mutatione in contrarium factâ, quædam constanter uno judicii tenore; hæc sexta & ultima. Hi sunt sex modi enunciandi, seorsim à me & sigillàtim inspiciendi; nam religio est hæc tanta incuriosè & quasi levi brachio transigere.

Primus igitur modus enunciandi, qui solus est hodie perlustrandus, ad Theologica rhetorica prospicit: hinc Distinctio prima, inter Figuratè dicta & Dogmaticé: hinc Inquisitio prima, An ex Figuratè dictis legitima desumatur argumentatio: & hinc Regula prima, quæ sic se habet, In Patrum scriptis legendis, necessariò discrimen pònendum est inter ea quæ Declamatoriè & ea quæ Didacticè dicuntur: est enim hoc scriptoribus singulis commune, quod Quintilianus, lib. 10. cap. 1. animadvertit, indulgere ipsos aliquando ingeniorum suorum voluptati; & de Patribus omnes fatentur, discinctiùs eos in Concionibus loqui quàm in Controversiis agitandis; eò quòd in Polemicis & Dogmaticis cautiores sunt, in Homiliticis verò, cùm securiores sint, rhetoricantur vehementiùs, majoríque amplificationum licentiâ utuntur, aliquando ad favorem aliorum aucupandum, aliquando ad affectus excitandos, aliquando ad excutiendum torporem. Nec tamen unius classis est ista licentia, sed latè patens & multiplex. Sunt enim quædam locutiones Allegoricæ, quæ sensum involucris tegunt: in his eminet Origenes, cujus magna quidem eruditio, sed minor authoritas, quia omnes partes Divinæ Legis in Allegorias transformavit; ut de eo Hieronymus dixerit, *Laudo Interpretem Origenem, non Dogmatistam.* Et meritò quidem; vix enim quisquam est inter omnes Veteres, quod sciam, cujus testimonium non præferatur testimonio Origenis vel ob hoc ipsum, quia licentia ejus in affectandis Allegoriis non

non longè distat à temeritate. Secundò, sunt quædam locutiones Hyperbolicæ, aliæ Panegyricæ, nonnullæ aurâ Poeticâ lascivientes, quæ veritatem non tam tegunt quàm transcendunt: ejusmodi multa occurrunt apud S. Chrysostomum, & Greg. Nazianzenum, & Græcos Patres penè universos; quorum tam est plerumque libera & profusa oratio, sermóque adeò floridus, ut lectoribus non sit facile mentem & sensa ipsorum capere, sed sæpe cum flumine orationis etiam sententiæ diffluunt, & tam altè dogmata submerguntur, ut vix ullâ operâ sint expiscanda. Imò & ad ipsos Latinos quod attinet, quamvis ipsorum oratio sit magis aspera multóque compressior; at & illi tamen iisdem flosculis paginas suas non rarò vestitas exhibent: quod in uno Hieronymo patescit, qui quamvis nihil Homiliticè scripsit, sed tantùm opera ad lucernam elaborata edidit; attamen in illo adversus Helvidium sive libro, sive Epistola, excusans quædam incommodè dicta, apertè de se fatetur, *Rhetoricati sumus, & in morem Declamatorum paululùm lusimus.* Quid igitur? Num ejusdem erunt apud nos in disputando roboris declamatoria dicta cum iis quæ trutinâ Scholasticâ librata sunt atque expensa? Absit: nè ipsi quidem Pontificii patiuntur, Senensis, Stapletonus, Bellarminus: consulamus singulos. Imprimis Sixtus Senensis, lib. 6. Biblioth. Annotat. 152. dum sermones aliquot Sancti Chrysostomi expendit, in quibus Auditores suos ad Sacrorum voluminum lectionem cohortatur, ad hanc distinctionem se recipit, *Concionatorum verba*, inquit, *non sunt semper eo rigore accipienda quo primùm ad aures Auditorum perveniunt: multa enim Declamatores per hyperbolen crebrò enuntiant & inculcant, vel occasione locorum, temporum & personarum adducti, vel affectuum impetu & orationis cursu rapti; & hoc Chrysostomo contigit*, & quæ sequuntur. Hæc Senensis. Et similiter Stapletonus, Tomo operum primo, in Relectione Controversiæ quintæ, qu. 3. art. 4. ad locos aliquot ejusdem Chrysostomi, qui à nostris pro lectione Scripturarum adducuntur, eòdem se confert: *Respondeo*, inquit, *quòd quæ à Patribus pro Concione ad populum dicuntur, non ità pressè & propriè & juxta dogmaticam veritatem accuratè dici solent, sicut alia quæ disputando & commentando scribunt: sed sæpe probabiliter, & moraliter, adeóque populariter, Oratorum more, multa dicuntur, quæ ad regulam Scholasticam exacta minùs firma & solida inveniuntur; quod in S. Chrysostomo, qui maximus orator & amplificator erat, sæpissime observare licet.* Hactenus Stapletonus. Postremò & Cardinalis Bellarminus in ejusdem perfugii clientelam compluries se recipit. Lib. 1. de Christo, cap. 6. cùm objiceretur Procopii quædam sententia, *Procopius*, inquit, *melior Rhetor fuit quàm Theologus*: & lib. 2. de Missa, cap. 10. Chrysostomi authoritatem dicentis, *Melius esse non interesse Sacrificio, quàm interesse & non communicare*, sic eludere conatur; *Dico*, inquit, *Chrysostomum hoc per excessum, ut quædam alia, esse locutum, cùm solùm hortari cuperet homines ad frequenter & dignè communicandum*: & lib. 2. de Verbo Dei, cap. 16. ad locum quem Chemnitius è Chrysostomo profert pro Scripturis à Laicis legendis; *Respondeo*, inquit, *verba Chrysostomi quæ in Concionibus proferebat semper accipienda juxta mentem ipsius, & occasiones quibus ad ea dicenda adducebatur: sciebat enim cum iis se agere qui talibus amplificationibus indigerent ad desidiam excutiendam.* Hæc Bellarminus, non quæro quàm appositè: fatendum est enim, apud Chrysostomum non pauca reperiri hyperbolica; quod utinam Adversarii ipsi constanter observarent, qui nunc, cùm sibi commodum videtur, hoc se clypeo defendunt; & non urgerent illa altera Chrysostomi pro vita Mona-

stica;

stica, quam immodicis & falsis laudibus ornare videtur; & adhuc altera in mysterio Eucharistiæ ὑπερβολικώτατα, *ipsum vides, ipsum tangis*, & ejusmodi: utcunque de hoc inter nos convenit, occurrere sæpiuscule apud Patres has figurativas formulas, quæ non sunt istius momenti atque illæ quæ ad regulam Scholasticam exactæ fuerint. Satis est res clara, habemus enim pro nobis & testimonia & consuetudines Adversariorum. At ista si non sufficiant, ecce ipsi Patres suffragantur, Hilarius, Augustinus, Theodoretus, qui ipsi huc respexerunt, cùm de Patrum scriptis quid sentiendum sit docuerunt. Hilarii locus habetur in Psal. 63. *Sunt quædam*, inquit, *Allegoriæ, quæ quamvis sunt imperitæ, at quia ex pia mentis affectu procedunt, culpâ carent: sed tamen inferioris notæ sunt quàm ea quæ diligentiùs exacta, & meditatione seriâ excogitata sunt.* Ex Augustino Martinus Chemnitius locum designat, lib. 1. con. Julianum, quòd cùm Pelagiani valde jactabant Chrysostomum secum facere, quia de Libero arbitrio & Peccato originis interdum non satis propriè loquebatur, Augustinus hoc modo respondet, *Sententiam Chrysostomi sumendam esse non ex Homiliarum declamationibus, sed ex illis locis ubi propriè loquitur & ex professo.* Ex Theodoreto præstò est locus, Dialogo tertio, ubi Eranistes rectissimè urget, ὅτι ἀποδεικτικῶς, οὐκ ἀποφαντικῶς, χρὴ λέγειν τῆς ἐκκλησίας τὰ δόγματα, *Non satis est, neque oportet*, inquit, *Ecclesiæ dogmata proponere asseveranter, sed demonstrativè*; & paulò pòst multò clariùs, οὐ κανόνα ποιοῦμαι δογμάτων τὰ πανηγυρικῶς ἐν ταῖς ἐκκλησίαις λεγόμενα; *Non ego regulam dogmatum ea duco quæ in Ecclesia Panegyricè & Declamatoriè dicuntur.* Summa est, ipsos Sanctos Patres, quando sibi libertatem in Allegorias & Hyperbolas & Panegyrica exspatiandi plùs nimio indulserunt, parùm dextrè aliquando locutos. Quæ sola Regula si nobis in promptu fuerit, aditum nobis non minimum aperiet ad quamplurima ab ipsis incommodiùs dicta commodâ interpretatione sananda. Quod duobus istis exemplis patebit, uno à Votis, altero ab Invocatione Sanctorum petitis. Exemplum prius est de Votis Sanctis nuncupandis; pro istis strenuè pugnant Adversarii, & ex Prudentio & ex Paulino copias suas adaugent. Prudentii locus habetur in hymno de S. Hemiterio & Chelidonio, *Illitas cruore sancto nunc arenas incola Confrequentant obsecrantes voce, votis, munere.* Paulini locus est in Natali secundo, de Sancto Felice,

Oratio de leg. Patribus.

Coràm vota tibi, coràm mea corda dicavi;

& in quarto,

Annua vota tibi remeant, simul annua lingua Debita ——

Ad hæc quid nostri? Inter alia responsa, vel illud non est in postremis, quòd Poetarum ista sunt testimonia, apud quos magnus solet esse vocabulorum abusus. Et meritò quidem, neque enim longè sunt petenda exempla: nam idem Paulinus in Natali tertio, eundem Felicem *Deum* non veretur appellare,

Roma Petro Pauloque potens rarescere gaudet
Hujus honore Dei:

quod nullo modo à blasphemia excusandum foret, nisi sub licentiæ poeticæ velo obtegatur. Atque hoc Bellarminum non fugit, quem ipsum loco alio non puduit Prudentii versus alios eâdem fideliâ dealbare: habetur lib. 2. de Purgatorio, cap. 18. ubi ad locum Prudentii qui innuere videtur Ecclesiæ suffragia damnatis prodesse, in hymno De novo lumine Paschatis Sabbatici, *Ad hoc*, inquit Cardinalis, *nihil aliud dico, nisi more poetico lusisse Prudentium.* Eccum solutionem Bellarmini, *more poetico lusisse*

fisse Prudentium; justam an injustam, ipse viderit: neque nos hoc ei vitio vertimus; tum quia ibi nostra non agitur causa, tum etiam quia elegantiorem poetam fuisse Prudentium quàm Theologum nemo ibit inficias. At non deest tamen quod regeramus, Non instinctu poetico, sed ex animi sententia, locutum eò in loco, quamvìs imprudenter, Prudentium: & verba ipsa demonstrant, non lusum, sed errorem fuisse, sive temporis, sive hominis, sive utriusque. At in Prudentii & Paulini illis alteris, de Votis dicandis, inesse genii poetici aliquid vel ipsa phrasis arguit poetis Ethnicis non inusitata, qui amicis suis & patronis mortuis votorum honores & solennia se præstituros in omnibus suis Panegyricis ex usu loquendi pollicentur. De Exemplo primo satis. Secundum est de Invocatione Sanctorum, pro qua multa colligunt Adversarii è Nazianzeno, Nysseno, Hieronymo. Ego locum unum aut alterum ex eorum scriptis libabo. Nazian. Oratione in laudem Sancti Athanasii, Athanasium mortuum sic alloquitur; *Tu è supernis propitius nos respice, & populum hunc sanctum dirige, & cum teipso statue:* & Orat. in Sanctum Basilium, *Tu sacrum & Divinum caput nos cælitus inspicias, carnisque stimulum à Deo nobis ad disciplinam datum aut precibus tuis sistas, aut persuadeas ut forti animo feramus.* Greg. Nyssenus Orat. in S. Theodorum, *Tu, O beate, ades; ubicunque fueris, sive in sublimi æthere habitas, sive in Angelorum choros cooptatus Domino adsistis, veni ad hos qui te honorant,* &c. Postremò, Hieronymus in Epitaphio Paulæ matris, in extrema Orationis parte, sic ludit; *Vale, O Paula, & cultoris tui ultimam senectutem orationibus juva. Exegi monumentum tuum ære perennius, quod nulla destruere possit vetustas; incîdi Elogium sepulchro tuo,* & quæ sequuntur. Ad hæc quid nos? Annon est plano planius Apostrophas esse motúsque rhetoricos? An aliter fuissent Cicero aut Demosthenes locuturi? Quid ego vobis illud simile memorem Ciceronis, lib. 5. in Verrem, *O lex Porcia, legésque Semproniæ! O graviter desiderata, & aliquando reddita plebi Romanæ tribunitia potestas!* aut illud pro Milone alterum, *Vos tumuli Albani atque luci, vos,* inquam, *implore atque obtestor, vósque Albanorum obruta aræ, Sacrorum populi Romani sociæ atque æquales?* Quid ego hæc vobis ad nauseam usque obtrudam? nota satìs sunt omnibus, pueris etiam & sciolis, quòd nihil Oratoribus seculi, quòd nihil Scripturis Sacris, quòd nihil Patribus usitatius: videbis eos, ex gliscente illa de Sanctorum Intercessione persuasione, frequentes ad Sanctos in Panegyricis suis Apostrophas dirigentes, vel magìs vibrantes, & tanquam præsentes compellantes; quos tamen viri pii non aliter alloquebantur, nisi ut Oratoribus moris est, cùm incaluit dicendi studium movendíque auditores. An ex his oratoriis motibus quisquam est qui Theologicè stabiliri putat mortuorum Invocationem? Ergò æquè concludat & Pascha invocari, & omnes gentes populósque à Greg. Nazianzeno. Nam Orat. secundâ in Pascha, sub finem, eodem schemate usus & ipsum Pascha alloquitur, ὦ πάσχα τὸ μέγα, τὸ ἱερὸν, & quæ sequuntur; *O Pascha, magnum, inquam, & sacrum Pascha, totiúsque mundi piaculum (te enim quasi vitâ præditum alloquor)* & ità deinceps: & Orat. primâ in Julianum, ad omnes gentes sermone converso, sic exordia ducit; *Audite hac, omnes gentes, auribus percipite, omnes qui habitatis terram; omnes enim quasi ex edita quadam & mediterranea specula magno ac sublimi præconio appello: Audite populi, tribus, linguæ, homines omnes cujusvis generis & ætatis, tam qui nunc estis, quàm qui post eritis; atque, quò latiùs præconium pateat, omnis Cælorum virtus, omnes Angeli,* & ità præterea. Ex istis facile est observare, non alio modo Sanctos & Angelos invocasse Gregorium, quàm eodem

dem quo tribus, & linguas, & populos, & nondum natos, formulâ nimirum desumptâ ex penu quo abundabat rhetorico: etenim ex omnibus Patribus ipse erat qui triumphabat in Panegyricis. De ipso hoc fuit vetustatis judicium, λαμπρότατον αὐτὸν εἶναι ἐν τῷ πανηγυρικῷ. Quòd si quis ejusmodi ῥητορείας pro solidis argumentis admittat, næ ille sibi malè consulit, neque bene de Ecclesia meretur. Nam si in ipsis Sacris Scripturis Regula teneat, quòd Theologia Parabolica vel Symbolica non est argumentativa; in Patrum scriptis multò magis tenebit, quòd locus Panegyricus, aut Hyperbolicus, aut Figurativus non concludit. Propterea necessariò inter Figuratè & Dogmaticè dicta discrimen est faciendum. Est igitur hæc prima Distinctio; & hic primus pronunciandi Modus, observatione vestrâ dignissimus, de Patrum Figuratè dictis, satis, ut arbitror, agitatus.

Atque ei jam finis imponendus esset, nisi quòd videam etiam huc referri posse & alia multa vocabula à Patribus aliquando abusivè & vix Grammaticè usurpata: à quibus tamen Pontificii sæpissime disputant, nudo vocabulorum sono abutentes, ut idem videantur cum Patribus dicere, cùm longè dicant aliud. Ergò non abs re erit & ista quoque attexere, Instantiis paucis è Controversiis Theologicis excerptis. Instantia prima erit de nomine *Missæ*, quod tantùm non adoratur à Papistis; nomen, ut dicunt, antiquissimum: neque nos negamus antiquum nomen fuisse, & in usu loquendi, & fortassis circa quartum seculum; verùm in sensu Pontificio nequaquam. Quod spectat ad Sacrificium Missæ pro vivis & mortuis, hoc novum esse dicimus: quod spectat ad nomen *Missæ*, sive pro eo sumatur quod fiebat ante Sacramentum, à Catechumenis dimittendis; sive etiam pro eo quod fiebat post absolutum Sacramentum, à dimittendo populo cum benedictione; hoc antiquum asserimus, sed non antiquissimum. Ergò frustrà est quòd pro Missa Patres introducunt loquentes, quia ipsi sensu alio accipiunt quàm Patres, eóque satìs abusivo. Hæc Instantia prima, de *Missæ* vocabulo. Secunda erit de nomine *Sacramenti*, quod in sua generica significatione pro quocunque arcano Sacro, aut signo arcani Sacri, à Patribus sumitur, ut & *mysterii* vocabulo, sed sensu improprio, æquipolleat: & usitatè apud Patres ad Pœnitentiam, Unctionem, aliásque solennes ceremonias refertur. At verò cùm Pontificii contendunt, Sacramenti definitionem illis aliis quinque competere præter Baptismum & Eucharistiam, non in generica, sed in contracta & specifica & propriissima significatione resumunt: quo sensu strenuè pernegamus, Pœnitentiam, Matrimonium, & tria reliqua à veteribus *Sacramenta* appellari. Ergò authoritates quas consuunt ad pompam faciunt aliquid, ad rem ipsam nihil. Hæc Instantia secunda. Tertia erit de *Libero Arbitrio*, quo non est aliud inter Patres nomen frequentius: Anne putas in sensu Pontificio? Nihil minùs. De eo Patres multa disputant, non omnes eodem modo: nam alii de ipso agunt ut oppositum est Fato & Naturæ; ut doceant, homines nec Fato, ut Ethnici, nec Naturâ, ut Hæretici multi dixerunt, esse bonos aut malos: alii ut oppositum est Involuntario & Coacto; in quibus sensibus Patres rectè statuunt Arbitrii libertatem, quia aliter Voluntas esse non potest, nisi sit à coactione libera. Attamen istorum neutrum ad Pontificium sensum vel tantillum, quorum plurimi arbitrium hominis ità esse ad bonum malúmque liberum definiunt, ut utrumque habeat in sua potestate. Hoc autem Veteres non asserunt, sed opponunt: Verum esse, libero arbitrio hominem velle bonum; falsum esse, eum liberi

beri

beri arbitrii viribus velle bona. Ergò inutiles sunt loci è Patribus congesti, quia nihil quod sit in quæstione efficiunt. Hæc Instantia tertia. Quarta est de vocabulo *Satisfactionis*, à Patribus aliquando καταχρηστικῶς usurpato; ut *satisfacere* sit idem quod vitam mutare in melius, aut peccata exstirpare, aut à peccatis discedere. Quemadmodum in rebus seculi, honori satisfit alterius cùm pro probris laudes restituuntur, cùm pro odio amor succedit, aut pro furto beneficium: sic cum peccatis, quibus Deus offenditur, virtutes succedunt, & impiam vitam pia sequitur, *satisfactio* potest dici sensu improprio. In hunc modum Patres interdum se expediunt, sic explicante Augustino, sive Gennadio potiùs, lib. de Ecc. Dogmatibus, cap. 54. *Satisfactio pœnitentiæ est causas peccatorum excidere, nec eorum suggestionibus aditum indulgere.* At de Satisfactionibus in hoc sensu sumptis Adversarii non disputant, sed de pœnarum à Deo impositarum compensationibus per Satisfactiones vicarias & arbitrarias; quæ quidem à mente Patrum significatio est remotissima, si modò, ut æquum est, ex suis scriptis phrases sunt interpretandæ, & ex suorũ usu Authorũ. Hæc Instantia quarta. Quinta est de δουλείας vocabulo, à S. Augustino, ut aiunt, primùm in distinctionis alteram partem redacto & adinvento. An Papistarum sensu creditis? Minimè gentium. Nam Augustinus Servitutem distinguit in Servitutem Religionis, i. e. latriam, & Servitutem Charitatis societatísque, i. e. δουλείαν: illi Cultum Religionis in Duliam & Latriam; quod alienum est à Sancti Augustini sententia. Hæc Instantia quinta. Postrema est de vocabulo *Meriti*, quo usi sunt Ecclesiastici Scriptores notione impropriâ; ut *mereri* idem sit quod *adipisci, consequi, obtinere:* sic solet usurpari à Latinis Patribus (nam inter Græcos vix occurrit) aut omnibus, aut plurimis. Ab Augustino sæpissime: in Psal. 105. *Unam stillam dives ille non meruit*, i. e. obtinuit; & c. 16. de Prædestinatione & Gratia, *Dura cervix in illo populo, qui de servitute decem miraculis meruit liberari*, i. e. liberationem est adeptus. An verò dicendum est ea vel obliquè spectare ad Condignitatem Papistarum, ipsi judicent. Possum huc accumulare vocabula *purgandi*, *sacrificandi*, *suffragia pro mortuis vovendi*, & centum ejusmodi, quibus hæc ætas sequior abusa est ad suas pravissimas sententias statuminandas. In quibus omnibus, si præter nudum verborum sonitum nihil attendas, videbuntur Patres à partibus stare Pontificiorum: si rem ipsam, distantia erit manifesta. Non quòd in nudis verbis sumus superstitiosi; sed quòd ipsi vel syllabam quamcunque solent mordicus è Patribus arripere, si pro se facere videatur, quamvìs vix unum veri consensûs apicem habuerit. Quocirca mittamus eos aliquando ad alvearia propria, nam in Patrum summitatibus vix video cur se nidificare glorientur. Quanquam quid dixi *alvearia? cavernas* dicendum esset, cùm fucos magis quàm apes imitentur, è Patribus melimela quæ ipsi non finxerunt furando, torquendo, adulterando; neque apibus quicquam affine habeant, nisi quòd æris sono & verborum tinnitu ad Patres confugiunt; quâ vocum larvâ detractâ, in vacuum omnia cedunt. Nam si se ità res habeat, ut quæ sunt dicta Allegoricῶς minorum sint in disputationibus virium: ædepol ea quæ Catachresticῶς dicuntur, cujusmodi sunt *merendi, satisfaciendi, purgandi, sacrificandi* vocabula, omnino nullarum erunt, ad eos potissimùm usus ad quos ab Adversariis obtorto collo (dicam an manu?) describuntur. Et de Figuratè dictis hæc sufficiat monuisse; neque enim in animo erat ad hæc usque spatii hunc primum enuntiandi modum produxisse, nisi mihimetipsi, quamvìs serò, persuasissem; ex istis raptim decerptis duci vos posse ad altiora & plura ejusdem farinæ perscrutanda; atque hæc interea non esse prorsus inutilia. De reliquis postmodum videbimus.

LECTIO XL.

OPusculorum Aristotelis decantata est & nota omnibus distributio, quòd duo librorum genera conscripserit: unum eorum quos vocavit ἐξωτερικοὺς *extraneos*, seu *populares*, quòd ad vulgi captum accommodati essent; alterum eorum quos ἀκροαματικοὺς appellant Interpretes, quasi quis dicat *auscultatorios*, quia & à Discipulis majori cum attentione audiendi, & à Magistro majori curâ & intentione erant enarrandi. Atque illud etiam accedit, quòd ipsi moris erat Exotericæ disciplinæ exercendæ vespertinum tempus dare, Acroamaticæ matutinum, cùm vegetius ingenium, quasi Musarum primùm apertis januis, vividiúsque nitebat. Ad res Theologicas si quis transferat, non erit nullius utilitatis. Nam in Sanctorum Patrum monumentis utriusque generis lucubrationes prudens lector facilè observabit: librorum suorum aliquos calamo magis populari & quasi vespertino fuisse conscriptos; cujusmodi sunt Homilitica scripta, & Panegyrica, Sermonésq; hebdomadatim habiti ad populum; & in his, Oratorum more, quàm laxissimis habenis multa declamatoriè & profusiùs dicta reperiuntur, quæ pro firmis & solidis vix reputanda erunt, nisi commodâ interpretatione sanentur: nec quidem mirandum est, si cùm in istis laborem posuerint vespertinum, nutare aliquando & dormitare videantur. At verò sunt libri alii enucleatiùs exquisitiúsque figurati, & intentissimâ curâ acti; & istius notæ sunt scripta Dogmatica singula, tam Didactica quàm Polemica, sed inprimis Polemica: in his non modò prudentia, sed pietas exigebat ut se quàm cautissimè gererent, Hæreticorum alioqui ferulâ & severissimo magisterio castigandi. Quocirca & nos in hac quarta de Lectione Patrum Regula tradenda, inter utriusque generis tam dicta quàm scripta discrimen necessariò faciendum esse die præsentiæ novissimo demonstravimus; quando ad Sex enuntiandi Formulas, sive distinguendi Modos, examen quartæ Regulæ, si meministis, revocavimus, eósque hoc ordine proposuimus. Quòd in Patrum scriptis quædam reperiuntur Figuratè dicta, quædam Dogmaticé: hæc Distinctio prima. Rursus, quædam obiter & in transcursu, quædam ex composito: hæc secunda. Deinceps, quædam ex animi impetu & ardore disputationis dicta, quædam animo sedato, deliberato & constituto: hæc tertia. Adhuc, quædam dubitativè & hæsitanter, quædam fidenter & Categoricé: hæc quarta. Porrò, quædam ex certa sua scientia, quædam ex credulitate aliqua & fide aliorum: hæc quinta. Postremò, quædam diversimodè, mutatione in contrarium factâ, quædam constanter unóque judicii tenore: hæc sexta & ultima.

De primo distinguendi Modo, primâque Formula, superiori die uberiùs egimus, ex ipsorum Patrum testimoniis, ex Adversariorum praxi & consuetudine, ex Instantiis & Exemplis non paucis, quæ distinctionis tum Utilitatem tum Necessitatem ostendunt digitis omnium nutibúsque notabilem. Vultis denuo totius rei Summam? Accipitote in istius Propositionis compendio; In Patrum sive scriptis legendis, sive testimoniis proferendis, necessariò discrimen est statuendum inter ea quæ Dogmaticè, & ea quæ Declamatoriè aut Figuratè dicuntur. In Exotericis scriptis præcipuus Regulæ usus cernitur, quia in his plurimæ occurrunt locutiones Allegoricæ, aliæ Panegyricæ, quædam aurâ Poeticâ lascivientes, in quibus sæpe personam induunt; denique, aliæ Hyperbolicωs, aliæ Catachresticωs pronuntiatæ, ut patet

patet in *Merendi*, *Satisfaciendi*, *Sacrificandi*, *Purgandi* vocabulis: quæ omnia non sunt istius ponderis, ut aut ab iis argumentum firmum duci, aut in iis dogma aliquod fidei statuminari possit; nisi quis putet periti Architecti esse in floribus aut unguentis columnas & fundamenta domûs ponere, & non magis in lignis & saxis, quæ sola sufficiunt oneri sustinendo. Et tamen ex istis clausulis Pontificiis solenne est pro Votis suis, & Meritis, & Satisfactionibus, & Purgatorio, & Invocatione Sanctorum, & Sacrificio Missæ, & Reliquiarum cultu disputare, vocularum sono sibi mordicus arrepto, cùm ab ipsorum Authorum sensibus quàm longissimè distent. De primo distinguendi Modo hactenus.

Secundus nunc sequitur, De iis quæ obiter, & iis quæ ex professo à Patribus dicuntur; hæc Distinctio secunda: hinc Inquisitio secunda, An ex cursim & obiter dictis legitima prodeat argumentatio: hinc Regula secunda; In Patrum Scriptis si quæ obiter dicantur & in transitu, iis jus Testimonii legitimi non est tribuendum; sed iis tantummodo quæ ex consulta opera & ex destinato pronuntiarunt. Quæ ut apertior fiat, & Usus & Ratio Regulæ sigillatim sunt inspicienda; in duobus istis vis ejus tota vertitur.

Quod ad primum spectat, in Polemicis est Usus Regulæ rarior, crebrior in Didacticis: quia in iis paucissima reperies extra causam, sed omnia, aut saltem plurima, ad medullam rei spectantia; in his, lacunas aliquas repletas locutionibus deviis & inopinatis, ut ex hac triplici Scriptorum classe palàm patebit.

Primò, Sunt è Veteribus nonnulli, qui argumenti quod tractandum susceperant cutem tantummodo summam attigerunt, in sanguinem & viscera non introspexerunt; ut inter alios Lactantius Firmianus, qui ipsum caput Christianitatis doctrinæque Evangelicæ, de præcipuo Christi beneficio propitiatorio, aut non intellexisse, aut ex destinato omisisse videtur. Etenim in Institut. l. 3. & 6. de institutione Christiana ex professo differens, de Legis Justitia multa eáque expressè disputat, at Justitiæ Fidei obiter tantùm recordatur. Pariter & in l. 4. de Passionis Christi merito agit ex composito, *Ostendam*, inquit, *qua de causa in terram venerat Christus*, c. 18. *Venio ad ipsam Passionem*, c. 16. Et quid tum postea? Revera hoc tantùm asserit, Christum ideo in mundum venisse, ut nos Verbo & Exemplo suo ad virtutem invitaret; ideóque passum, ut exemplum patientiæ præberet. *Venit*, inquit, *ut religionem sanctam transferret ad gentes*, c. 11. *Venit ut converteret homines ab impiis & vanis cultibus, ad colendum verum Deum*, c. 14. *Venit ut vitæ dux, ut justitiæ magister, ut homines parendi necessitate constringeret*, c. 24. Hæc & similia ubique occurrunt studiosiùs elaborata, cùm tamen mysterium magnum nostræ per mortem Christi Justificationis non nisi tractim, & molli brachio, & extremis, ut dicitur, digitis perstringat. Hæc Classis prima.

Secundò, Sunt è Veteribus alii, qui argumenti tractandi medullam ipsam & sanguinem eruere solent, sed dictis extraneis multis interpositis, & digressionibus ex obliquo factis: quod solenne est Sancto Chrysostomo, qui sæpe aliud agit quàm quod destinarat agendum; quod ipsum vir doctissimus Isaacus Casaubonus in Gregorio Nysseno & Hieronymo observavit. Qui quidem ambo, utcunque cùm de peregrinatione Hierosolymitana seriò & simpliciter agunt, eorum sententiā disertè refellunt qui putabant plus aliquid gratiæ & Divinæ virtutis Hierosolymis inesse, quàm aliis locis ubi Verbum Dei prædicatur: at verò cùm agunt non ex professo, sed obiter &, ut ipsi Patres loqui solent, οἰκονομικῶς, tum quidem in duriores sermones excurrunt,

& ipsius fidei partem in hoc videntur constituere, si quis ibi adoret ubi pedes Domini steterunt. Hæc Classis secunda.

Postremò, Sunt è Veteribus alii, qui quamvis ad hæc πάρεργα & obiter dicta rarissimè deflectant, at securiùs tamen quàm par erat laxiúsque locuti sunt, non quidem torpenti animo, sed ob hoc ipsum, quòd nondum motas disputationes aut Adversarios exortos sentirent. Hoc de scriptis Hilarii & Ambrosii in causa Pelagiana Augustinus agnoscit, (*l. 1. cont. Jul. Pelag.*) negligentiùs paulò locutos eos de peccato Originali & Libero Arbitrio, Pelagianis nondum litigantibus. Idem de Clementis & Dionysii Alexandrini aliquibus confitetur Hieronymus, l. 2. Apol. adversus Ruffinum: Cùm eos Ruffinus dixerat in Arianum dogma dilapsos; *Fieri potest*, inquit Hieronymus, *ut vel simpliciter erraverint, vel alio sensu scripserint, vel à librariis imperitis eorum scripta corrupta sint, vel saltem antequam in Alexandria, quasi dæmonium meridianum, Arianismus nasceretur, innocenter quædam & minùs cautè locuti sunt, & quæ non possunt perversorum hominum calumniam declinare.* Postremò, & (*in c. 6. Joan. Annot. 20.*) idem de Sancto Chrysostomo & Cyrillo Toletus Cardinalis; *Chrysostomus*, inquit, *& Cyrillus dicunt, posse hominem per seipsum dignum se facere gratiâ; & Filium Dei dignis hominibus revelatum iri: éstque hæc doctrina non illorum tantùm, sed aliorum Doctorum, maximè Græcorum, qui libero Arbitrio multum tribuebant, nondum Pelagianâ hæresi tunc grassante, maximè Chrysostomi temporibus.* Hæc ille. Ex quibus omnibus simul sumptis apparet veritatem Regulæ in confesso esse, & usum etiam ipsius in legendis Patribus maximum, nè obiter & supinè dictis ea authoritas tribuatur atque iis quæ deliberatè & consultâ operâ scripserunt. Hæc de Usu. Ratio regulæ sequitur; est autem duplex.

Prima, quia cedere oportet obiter dicta iis quæ ex industria recensentur: quíd enim est *loqui obiter*, nisi occasionaliter, & leviter, & neglectim, & tumultuariè, & in transcursu? τὸ πάρεργον Græci appellant, h. e. exile dictum & perfunctorium; ὡς μικρόν τι τῶν ἀναγκαίων, ut Hesychius; παρέργως loqui, h. e. ὀλιγώρως, dicente Suida, languidè & perfunctoriè; quod tunc accidit cùm quid improvisò ad susceptum opus accedit, vel, ut Budæus loquitur, *cùm quid per digressionem fit & per excessum ab opere proposito.* Ergò, obsecro, quæ causa est cur παρέργως aliquid dicere sit languidè dicere & perfunctoriè? An verò est alia quàm quòd operis πάρεργα minore curâ fiunt quàm ipsum opus? minoris igitur sunt pretii, & minoris authoritatis. Vel illud Proto-
(*l. 14.*) genis apud Strabonem documento esse potest. Protogenes, inquit Strabo, cùm Satyri speciem in tabula politissima arte pinxisset, adjunxit ex abundanti columnam quandam juxtà positam, & perdicem columnæ insidentem: Suspensâ tabulâ, statim in perdicem prætereuntium oculi sunt conversi, ut illius admiratione Satyrus, quanquam opus elaboratissimum, negligeretur; nimirum in perdicem solam digitos intendebant singuli, ad hanc perdices cicures afferebant, quæ mox, ut dicitur, adversus picturam positæ, quasi vivam vidissent, pippiebant. Hoc cùm Protogenes animadverteret, indignatus apud imperitam plebem magis perdicem esse admirationi quàm ipsum Satyrum propter quem perdix appicta est, perdicem è tabula statim delevit, vel ob hoc ipsum, ὅτι τῷ ἔργῳ πάρεργον, & principali accessorium prætulissent. Quòd si in operibus teneat, quod Arist. Eth. 1. dicit, Prudentis non esse τοῖς ἔργοις τὰ πάρεργα anteponere, ὅτι ἐν τῷ ἔργῳ τὸ ἀγαθόν ἐστι καὶ τὸ εὖ: equidem & in sententiis Patrum tenebit, Obiter dicta necessariò cedere debere dictis enucleatiús. Hæc Ratio prima.

Secunda est, Quia obiter dicta Patres sæpe corrigunt secundis suis cogitationibus, & dictis ex constituto. Hoc quomodo constabit? Duobus modis, Exemplis & Testimoniis.

Quod

Quod ad Exempla attinet, inter multa duo sufficiant, unum ex Hieronymo, alterum ex Greg. Nysseno sumptum; utrumque de Hierosolymis adeundis, & honoribus istis locis deferendis. Inprimis ex Hieronymi scriptis disputant Rhemenses, in Matth. c.28. Annot. primâ, nec non & Coccius, in Thesauri Tom. 1. l. 5. Ar. 17. Videamus illi an fide bonâ; & quibus affectibus hac de re Hieronymus locutus est, an obiter, an ex professo. Inprimis Ep. 27. c. 3. laudat Paulam Hieronymus, quòd loca cuncta Hierosolymis magno ardore ac studio circumivisset, & lapidem Resurrectionis osculata esset. Deinde, Ep. 154. ad Desiderium scribens, eum hortatur, ut per occasionem locorum Sanctorum se quoque inviseret, his verbis; *Hortor vos & precor per Domini charitatem, ut nobis vestros tribuatis aspectus, & per occasionem locorum Sanctorum, tanto nos ditetis munere. Certè si consortia nostra displicuerint, adorasse ubi steterunt pedes Domini pars fidei est, & quasi recentia Nativitatis, Crucis ac Passionis vidisse vestigia.* Hæc Hieronymus satis apertè, pro locis Sacris visitandis. Hoc tantùm restat, ut inquiramus an hæc ex constituto scripserit Hieronymus & didacticè, annon magìs cursim & οἰκονομικῶς, quatenus proposito suo serviebant, vel ad Paulam laudandam, vel ad Desiderii aspectum adipiscendum. Hoc quomodo constabit? Scilicet ex altera ad Paulinum Epistola, de Institutione Monachi: nam in hac ad Paulinum idem magnus Doctor multus est & vehemens adversus illos qui Credentes locorum diversitatibus, non fidei merito, ponderabant. Ipsius verba sunt, *Nè quicquam*, inquit, *fidei tuæ deesse putes, quia Hierosolyma non vidisti; nec nos idcirco meliores existimes, quòd hujus loci habitaculo fruimur. Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est.* Quæ igitur causa discriminis? Num à se discrepat Hieronymus? pars fidei est ad Desiderium; pars fidei non est ad Paulinum? Nihil minus: sed ratio diversitatis est, ut Casaubonus observavit, quòd illa ad Desiderium, pro visitandis, obiter scripserit & οἰκονομικῶς· hæc ad Paulinum, de non visitandis, διδακτικῶς & ex professo: sed ea est Papistarum iniquitas, ut illa ad Desiderium ubique ostentent, quæ redundanti calamo exarata sunt; istorum ad Paulinum apud eos omnino mentio nulla, quæ tamen sunt ab eo Dogmaticè & velut ex Cathedra determinata. Nobis sufficit, quòd dicta Didacticè obiter dictis præponderant. Hoc exemplum primum.

Secundum è Gregorio Nysseno desumitur, nempe ex Epistola ad Olympium. Ex illa Epistola idem Coccius pro iisdem itineribus testimonium ducit, eò quòd Gregorius ibi ad monumentum Christi peregrinationem memoret; aitque porrò, (quod Coccius præteriit) κατ' εὐχὴν se profectum esse Hierosolyma, h. e. votivum iter instituisse. Imò adhuc apertiùs, idem Gregorius in altera ad Eustathiam, Ambrosiam & Basilissam Epistola, ulteriùs hac in re progreditur, & non obscurè videtur innuere, ingentem esse ad credendum doctrinæ Christianæ, adeóque ad bene vivendum, prærogativam, si quis oculis corporeis loca illa vidisset ubi Christi conversationis in terris vestigia visebantur; nam loca illa appellat γνωρίσματα τ͂ δεσπότου φιλανθρωπίας, κ̀ σημεῖα, κ̀ σύμβολα, κ̀ ὑπομνήματα præsentiæ Christi in terris; sicut Patres alii, *μελέτας πρὸς ἀρετὴν, κ̀ γυμνασίας πρὸς θεοσέβειαν, exercitationes & quasi irritamenta ad pietatem.* Ad hæc tanta támque magnifica quid tandem est respondendum? aut responsum nobis quis suppeditabit? Certè idem Greg. Nyssenus, qui sui interpres & optimus & certissimus. Consulendus est igitur alter Nysseni Liber, sive Epistola quam ad amicum scripsit expresse & nominatim De Hierosolyma abeuntibus: nam in hac Epistola, cùm animadverteret vir pius, suum & sui similium exempla ab idiotis in necessariam fidei legem trahi, quasi priorem sententiam revocans,

planissimè profitetur, se ex occasione profectionis in Arabiam à Synodo imperatæ Hierosolyma deflexisse; & quia Arabia esset locis Hierosolymitanis contermina, & ut istarum Ecclesiarum motus & perturbationes componeret. Imò verò, quod adhuc majus, in hac posteriùs scripta epistola eorum sententiam disertè refutare contendit, qui putabant plus aliquid gratiæ & Divinæ virtutis Hierosolymis inesse quàm aliis locis inter Christianos; οὐκ ἔςι, inquit, μέρος εὐσεβείας, οὐ μακάριον ποιεῖ, οὐκ ἔςι πρὸς τὴν βασιλείαν εὔθετον, *Non est pars pietatis, non efficit beatum, non est ad regnum conducibile, ea loca vidisse.* Etiam & hoc annectit, Hierosolymis Cappadociam longè esse anteponendam. Quæ igitur ratio diversitatis, cùm Gregorius ille scriptor fuerit sui, si quis alius, ubique similis? Rationem reddit Casaubonus, eámque clarissimam, in Annot. suis super Greg. Nyss. Ep. ad Basilissam, p. 82. Quòd in illa ad tres mulieres Epistola non est simpliciter locutus, neque διδακτικῶς, verùm cursim & οἰκονομικῶς ea adducens quæ proposito suo servirent; propositum autem illi erat hanc Epistolam scribenti, Hierosolymitanos acriter castigare propter ea vitia quæ inter illos deprehendebat; quæ reprehensio ut æquis auribus acciperetur, benigniùs cum illis agit, & aliquam eis super omnes Christianos prærogativam concedit: At in illa ad amicum Epistola, ubi locis istis detrahit, ex professo & διδακτικῶς hanc quæstionem tractandam suscepit: neque est hæc inconstantia, sed mentis suæ commodior explicatio. Atque hæc ità esse, tempus scribendi & titulus ostendunt; nam & posteriùs scripta est hæc ad amicum Epistola, & titulum in fronte præ se fert, Περὶ τῶν ἀπιόντων εἰς Ἱεροσόλυμα. Hoc exemplum secundum. De Exemplis satis.

Testimonia videamus.

Testimonium primum à Sancto Augustino desumitur, qui hâc ipsâ ratione B. Cyprianum martyrem ab hæreseos vindicat crimine, Ep. 48. ad Vincentium: in qua, cùm Cypriani authoritate urgeretur, non dubitat hoc modo respondere; *Cyprianus*, inquit, *aut non sentit hoc, aut hunc quasi nævum candidissimi pectoris cooperuit ubere charitatis, aut postea correxit in regula veritatis.* Hoc testimonium primum ex Augustino.

Secundum à Claudio Mammerco petitur, Episcopo Viennensi, qui hâc ipsâ responsione duorum errorum crimen à Sancto Hilario depellit; unius, quòd nihil incorporeum creatum dixerit; alterius, quòd nihil doloris Christum in Passione sensisse affirmaverit: *Hæc*, inquit, *erat beati Hilarii opinio; sed quoniam ità est, ut hujus opinionis vitium virtute Confessionis aboleverit, sic sustinet reprehensionis stylum, ut non patiatur detrimenta meritorum*, l. 2. de Statu Animæ, & Bibliothecæ Patrum tomo quarto. Adhuc & hæc ipsa est ratio quâ se purgare aliquando S. Augustinus conatur, l. 2. de Bono perseverantiæ, c. 21. *Non egometipse*, inquit, *meipsum in omnibus sum secutus*; unde & Retractationum libros edidit, in quibus priores suas sententias multas mutavit, revocavit, emendavit, correxit. Denique & hæc quoque est ipsissima ratio quâ ipsi Pontificii nostrorum è Patribus testimonia tanto nixu eludere satagunt. Ad *obiter dictum* se vertit Bellarminus; ad *securè* Salmeron Jesuita. Contra Justificationem per Fidem solam agit Salmeron Jesuita; in quo Articulo, cùm observaret eandem solius fidei exceptionem in Veterum scriptis disertissimam & usitatissimam haberi, quam hodie animosissimis declamationibus in nobis exagitant damnántque hodierni Papistæ, & tanquam recentissimam traducunt, uniúsq; Lutheri germanissimum fœtum; respondet Salmeron hoc modo, *Quòd*, inquit, *Basilius, Ambrosius, Hilarius, Eusebius, Theophylactus, Bernardus; per solam fidem homines justificari dixerint; hoc Patrum dictum catholicè est intelligendum, & ad bonum sensum trahendum*,

bendum, quòd liberiùs aliquando Patres & securiùs loquebantur. Salmeronis verba sunt, in Ep. ad Galat. Disput. 10. Vicissim Bellarminus, l. 4. de Christo, c. 6. cùm contra novos Arianos pro Divinitate Filii Dei argumentatur, atque ipsi locum adducerent ex Procopio, verba illa Sancti Pauli, primo ad Colossenses capite, sic interpretante, *Omnia per illum condita sunt*, h. e. *renovata, & in integrum restituta*; *Respondeo*, inquit Bellarminus, *solum hoc dixisse Procopium, qui tamen non interpretatur hanc Epistolam, sed obiter, cùm scriberet in Genesin, unam allegavit ad suum propositum sententiam ex hac Epistola, non respiciens quid praecederet aut quid sequeretur.* Hæc Bellarminus, sufficiens hoc esse responsum existimans, quòd locum Procopius *obiter* & in transcursu tetigisset. Ut hæc omnia in unum fasciculum colligam; Videtis, opinor, ex istis quæ disseruimus, quod sit Sanctorum Patrum de obiter dictis judicium, quæ Adversariorum de iisdem in unum conspirans sententia, quòd recta Ratio & prudentia rerum Theologicarum agendarum astipulentur, diligentes nos esse oportere in obiter dictis ab iis quæ deliberatiùs dicuntur secernendis: nisi quis velit umbram corpori, & accessorium principali, & τῷ ἔργῳ πάρεργον, & Protogenis Satyro perdicem æquare; nisi quis putet rosam fuisse aut gemmam, quicquid è Patribus quispiam pede pervio calcaverit, aut oraculum, quicquid iis fortuitò & incogitanter exciderit: quâ conjecturâ vix aliud majus specimen reddi potest aut infirmæ mentis, aut ingenii in errorem se præcipitantis. Et de secundo Distinguendi Modo hæc dicta sufficiant.

Ad tertium accedo, de iis quæ ex Judicio, & iis quæ ex Præjudicio aliquo Patres sunt locuti; hæc Distinctio tertia: hinc Inquisitio tertia, An ex dictis cum Præjudicio aliquo peti possit satis validum Testimonium: hinc Regula tertia, In Patrum scriptis, si quæ ex impetu mentis, aut ardore disputationis, aut præjudicio aliquo excidisse reperiantur, pro firmissimis & sanctissimis testimoniis non sunt reputanda, sed ad ea solummodo quæ sedato & sobrio animo dixerunt est provocandum: & à superiore quidem Regula in hoc discrepat, quòd prioris usus præcipuus est in Didacticis, hujus verò in Polemicis scriptis; in quibus multa non obiter, sed ex professo tractantur, quæ tamen non sunt eâ tranquillitate mentis composita, ut vel pro authoris sententia, vel pro intemeratis suffragiis habeantur.

Duo autem sunt ad plenam Regulæ intelligentiam breviter eventilanda: Quòd ab istis motibus Patrum sententiæ nonnullæ interdum promanarunt; &, Quòd inter hæc & illa Scriptores tum veteres tum nuperi discrimen semper vel maximum posuerunt.

Quod ad primum attinet, nemo est in Veterum scriptis vel mediocriter versatus qui ibit inficias, prudentes istos doctrinæ Catholicæ Antistites indulsisse aliquando, ut ingeniis suis, ità etiam & affectibus, amoris, zeli, nè dicam etiam fervoris & iracundiæ. De affectu Iracundiæ si loquamur, deferbuisse eos aliquando Hieronymus erit documento, qui quamvìs præclarè multis in locis de Tertulliano sensit, at cùm in controversia Helvidiana authoritate ejus premeretur, præcipiti calami lapsu in has voces erupit, *De Tertulliano nihil amplius dico quàm Ecclesiæ hominem eum non fuisse.* De Amoris affectu si quis dubitet, recognoscat quæ scripserunt de Orationibus pro mortuis: nam benignius est dicere, eos ad humanos affectus magìs inclinasse quàm fundamenta impetiisse pietatis. De ipsorum aliquibus Augustinus asserit, Eos ipsos qui crederent omnes pœnas fuisse purgatorias, benevolentiâ quadam erga mortuos deceptos fuisse, pro affectibus suis dura quæque mollientes; in Enchirid. c. 112. & de ipso Sancto Augustino Philippus Melanchthon, modestè illum aliquando lapsum, & velut filiali affectu (fatente seipso) *Tom. 3. Oper. p. 1067, 1070.*

seipso) cùm de amicis & charissima matre Monica cogitaret. Nam in l. Confess. 9. c. 13. his verbis instituit orationem pro Matre mortua; *Inspira, Domine Deus meus, inspira servis tuis, fratribus meis, ut quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ, meminerint cum affectu pio parentum meorum.* Hæc Augustinus. Similia leguntur apud S. Ambrosium, in l. De Obitu Valentiniani; de Gratiano & Valentiniano sic loquitur, *Nulla dies vos silentio præteribit, nulla vox non donatos aliquâ precum mearum contextionè transcurret.* Etiam & de obitu Fratris, *Tibi nunc, Omnipotens, ejus innoxiam commendo animam.* Postremò, de obitu Theodosii, *Da requiem perfectam servo tuo Theodosio*, &c. Perspicuum est esse has preces pro defunctis, & magni quidem affectûs; sed tamen affectûs. Unde hoc patebit? Facillimè; evincam eos fuisse puros putos affectus: eò quòd & Augustinus cùm pro Matre, pariter & Ambrosius cùm pro aliis vel oraret, vel orandum diceret, iis omnibus actu præsentem beatitatem astruunt. Consulamus loca. De Valentiniano Ambrosius, *Non dubitamus de meritis Valentiniani, sed credimus quòd ablutus ascendit:* similiter de Fratre, *De istius beatitudine nequaquam dubitare debemus:* nec non de Theodosio, *Manet in lumine Theodosius, & Sanctorum cœtibus gloriatur:* atque de Matre sua idem fuit Augustini judicium. Ad quid igitur orationes fundunt pro iis quos norunt in beatitudinem receptos? Nempe hoc fuit quod dixi, lapsus Dilectionis, amoris error, & affectûs tenerioris exuberatio. De Amoris affectu patet.

Postremò, de Zelo quo inter disputandum usi sunt infinita possunt produci; eorum multos, utcunque in Eristicis cautiores erant, at sui oblitos aliquando, causæ defendendæ calore nimio agitatos.

Observat hoc ipsum, atque id ingenuè fatetur, Sixtus Senensis, in præfat. l. 5. Bibliothecæ; *Ardebant interdum*, inquit, *Veteres illi tanto sinceræ pietatis & Catholicæ defensionis ardore, ut dum unum errorem omni virium conatu destruere annituntur, sæpe in alterum oppositum errorem vel deciderint, vel decidisse videantur; agricolarum more, qui incurvum teneræ arboris stipitem corrigere volentes, immodicâ nonnunquam attractione modum excedunt, plantámque ipsam in contrariam diversámque deducunt formam.* Neque difficilis erit negotii exempla proferre. Ego duobus contentus ero; Hieronymi & Augustini.

Apol. ad Fab. t. 9. & Resp. ad Febricitantem, t. 9. & De conscrib. Epist. in excmp. suas. to. 1.

In Hieronymo ardorem hunc observavit Erasmus non uno in loco; *Violentus*, inquit, *est Hieronymus cùm pugnat: pugnans adversus Jovinianum, iniquior videtur matrimonio; adeò miratur virginitatem, ut non absit à matrimonii contumelia, útque ab Episcopis Orthodoxis ad palinodiam invitatus sit. Denique contra secundas nuptias tam vehemens, ut in eo reperiantur illa verba quæ in Tertulliano sunt damnata.* Tandem & illud addit, *Quòd si in meis scriptis reperirentur de matrimonio dicta quæ leguntur apud Hieronymum, Theologi clamarent, blasphemum me esse in Ecclesia Sacramentum.* Hæc Erasmus de Hieronymo.

De S. Augustino si quis cognoscere velit, audiat ipsos Pontificios, quid de S. Augustino Jacobus Sadoletus Cardinalis & Corn. Mussus in scriptis reliquerint. Sadoleti hæc verba sunt, l. 3. Ep. 5. ad Fredericum Fregosium; *De libero Arbitrio*, inquit, *& de Gratia, ego & Pelagium graviter accuso, & Augustino non usquequaque assentior; nimiùm enim extremè ex contraria parte is diversam mihi causam videtur defendisse.* Hæc Sadoletus. Neque Mussi sunt verba absimilia, in c. 5. ad Rom. p. 270. *Non vos moveat*, inquit, *Augustinus vel tantillùm; est enim hoc illi peculiare, ut cùm aliquem expugnat errorem, tantâ vehementiâ illum exaggeret, ut alteri errori opposito ansam præbere*

bere videatur: cùm Arium insectatur, videtur favere Sabellio, cùm Sabellium, Ario; cùm Pelagium, Manichæis; cùm Manichæos, Pelagio. Ergò sermones ex dicendi causa librandi sunt. Hæc ille, non quæro quàm apposité. De prima parte Regulæ satis, Quòd acri & concitato impetu Patres interdū in extrema usque inter disputandum ferebantur, ipsis se, ipsis fatentibus Adversariis. Jam verò hoc concesso, ex parte prima pars altera Regulæ nemine trahente secutura est, Quòd familiare est Theologis monumenta Veterum Patrum excutientibus, discrimen vel maximum statuere inter ea quæ ex impetu, & ea quæ ex mente tranquilla prodeunt. De Greg. Thaumaturgo sic S. Basilius sensit, Ep. 64. quæ est ad Doctores Ecclesiæ Neocæsariensis: Cùm Thaumaturgi dictum quoddam ei objiceretur, qui in expositione fidei dixisset, Patrem & Filium ἐπινοίᾳ μὲν εἶναι δύο, ὑποστάσει δὲ ἕν, *juxta mentis considerationem duos esse, hypostasi verò unum*; S. Basilius respondet, hoc dictum esse à Thaumaturgo οὐ δογματικῶς, ἀλλ' ἀγωνιστικῶς, h. e. *non dogmaticè, sed contentiosè*, dum zelo magno adversus Ælianum ferebatur. Neque discrepant quæ ab eodem Basilio de Dionysio Alexandrino scribuntur, Ep. 41. ad Maximum philosophum; *De Dionysio hæc nostra est sententia*, inquit, *Non omnia ejus laudamus, sunt quæ prorsus etiam damnamus. Is primus impietatis Anomæanæ, quæ nunc obstrepit, seminaria præbuit: causam verò hujus non puto animi malitiam esse, sed quòd vehementer cupit obluctari Sabellio. Quocirca soleo illum plantatori similem æstimare, qui dum impietati Afri se opponit acriori impetu, venenatæ plantæ curvitatem correcturus, ità immoderatè illam retorsit, ut imprudenter in malum oppositum præceps abiit, nimio contendendi studio.* Hæc de Dionysio Basilius. Mitto veteres. Ad Pontificios accedo, ut ostendam & ipsis etiam usitatum esse ad hoc sæpius asylum confugere. Josephus Acosta, l. 2. De Christo revelato, c. 20. hoc modo respondet ad authoritatem Hieronymi à nostris adductam contra tralationem Græcam Septuaginta Seniorum, in multis eos erràsse, & alia dubiis protulisse sententiis: sic, inquam, Acosta respondet; *Si*, inquit, *importunos mordacésq; canes à se depellens vir sanctus, tantisper in editionem Septuaginta invectus est, donandum est egregio Christi militi, qui in medio certamine positus, ardore feriendi Adversarios premit etiam interdum socios. Sic Virginitatis oppugnatores insectans, iniquior est Matrimonio; & Episcoporum quorundam fastum carpens, Presbyteros videtur gradu æquare.* Hæc Acosta. Post Acostam, alter Jesuita prodeat Salmeron; & ipse quoque in Commentariis suis super Paulinam ad Galatas Epistolam nonnulla Sanctorum Patrum pro sola fide dicta sic conatur eludere: *Ex Patribus*, inquit, *constat, tres gravissimos errores fuisse olim ab hæreticis excitatos; contra hos cùm eo tempore eundum esset obviàm à Patribus, rectè solam fidem sine operibus prædicabant.* Post Salmeronem Sixt. Senensis numeretur; l. 5. Bibl. Annot. 101. *De Chrysostomo*, inquit, *dicendum est, sicut Annianus in præfat. Commentariorum in Matthæum observavit, Chrysostomum interdum naturæ nostræ vires plùs æquo extulisse, ex contentione disputandi cum Manichæis & Gentilibus, qui hominem asserebant vel naturâ malum, vel fati violentiâ ad peccandum compelli.* Post Sixtum Hardingus huic classi est cooptandus, Art. 12. l. 10. *Causa*, inquit, *ob quam Tertullianus Christi verba isto modo est interpretatus ea fuit, quòd aliquantò vehementiùs Marcionem hæreticum urgeret: quemadmodum sæpenumero Patres in ipso disputationis æstu quædam loca tractare solent non ad accuratam verborum significationem, sed eam potiùs viam sequuntur quæ ipsis ad refutandum Adversarium commodissima visa fuerit. Ergò prudentiâ opus est, neque eodem judicio legenda sunt quæ ἀγωνιστικῶς scripserunt, & quæ δογματικῶς ediderunt.* Post Hardingum coronidis loco accersantur Auratus & Pighius,

Verba hæc non reperiuntur in Præfat. Anniani.

ghius, qui in illa magna de libero Arbitrio controversia, Augustini dicta singula, uterque iisdem verbis, sic enituntur excutere; Pighius, cap. 3. l. 2. De lib. Arbit. Auratus Paradoxo 48. *Non est quòd Augustinum dicant Adversarii* (nos intelligit) *suis patrocinantem erroribus : is enim observentem disputationem Pelagii & Cælestii vehementiùs gratiam attollit, quasi videatur elevare arbitrium hominis, eo quidem consilio quod sequuntur ii qui curva lignorum ad rectitudinem conantes reducere, ea ultra rectitudinem flectunt, & incurvant in oppositum.* Verba sunt Aurati Pighiique; prorsus quasi uterque unum eundémque spiritum à Senensi traxissent, qui Præfat. in l. 5. Biblioth. magno ardore Augustinum ferri solere & ipse observavit: *Divus*, inquit, *Augustinus, dum toto spiritûs ac verborum ardore pro defensione Divinæ gratiæ pugnat adversus Pelagianos, in alteram quasi foveam labi videtur, minúsque interdum tribuere quàm par sit liberæ hominis voluntati.* Hæc illi. Ex quibus certissimè conficitur, & in hos animi motus Patres aliquando raptos; & ad hæc quoque responsa adactos eruditos viros interdùm fuisse.

Potui obiter perversitatem ingenii Papistici observare, qui in Augustini scriptis contra Pelagianos evolvendis excessisse modum bonum illum Patrem calumniantur: quod omnino dicere debebant potiùs de disputationibus contra Manichæos. Nam verisimilius est, vehementiorem eum fuisse & inclinatiorem in liberi Arbitrii partes, cùm contra Manichæos qui Naturam, quàm in Gratiæ, cùm contra Pelagianos scriberet qui Gratiam criminabantur: tum quia contra Manichæos scripsit juvenis, in ipsis initiis, antequam erat Presbyter, contra Pelagianos non nisi Episcopus, & ætate jam provectior; tum etiam quia contra Manichæos multa retractavit, contra Pelagianos nihil. Sed non est meum ista nunc persequi: sufficit, si tantum lucis ex istis hauriamus quod argumento præ manibus inserviat, Inesse aliquando etiam animis cœlestibus iras istas, neque mentis solius motus, sed elocutionis. Adeò verum est de Veritate quod Veritatis scurra Lucianus de animo hominis dixit, in Dialogo qui Nigrinus inscribitur; Est scopo similis Veritas, cui intendunt sagittarii in hac vita multi, qui plenas quidem pharetras variis atque omnis generis orationibus habent, cæterùm non omnes certò jaculentur ac destinata feriunt: sed alii præ imbecillitate virium, & quòd laxiore nervo jaculantur, ad scopum usque non perveniunt, sed soluto impetu sæpenumero in medio cursu deficiunt ac decidunt; alii nervo nimiùm intento, vehementiori quàm satis est impetu telum emittunt, & præ vehementia ictûs scopum non feriunt, sed transvolant. In istis autem legendis idem nobis faciendum est, quod militem nescio quem Alexandro respondisse ferunt, *Provoco*, inquit, *ab Alexandro irato ad Alexandrum pacatum*: & nos quoque revocare nosmetipsos oportet à Sanctorum Patrum acerbiùs dictis & vehementiùs, & cum iis conferre quæ, semoto præjudicio, mente tranquilliori pronuntiarunt. Erit hoc modo via facilior ad ipsorum verissimos sensus indagandos; si utrosque loquendi modos non negligamus expendere, & in postremis hisce aut solummodo aut potissimùm acquiescere. Hic tertius Modus distinguendi, De iis quæ ex Judicio, & iis quæ ex Præjudicio & ardore disputationis Patres sunt elocuti. In quibus agitandis video me vos diutiùs detinuisse: sed largiendum est aliquid otio secuturo; nam divulsum à vobis me sentio duabus prælegendi vicibus proximè insequentibus, temporis tyrannide: non quòd ego mihimetipsi hanc silentii licentiam arripiam, de festis diebus intercalandis, etenim si certò scirem vos adfuturos neque manum neque pedem retraherem; sed loci consuetudo id postulat, aut magis imperat, ut cùm die proximo Urbis solennia ad ludos, & post proximum altero Ecclesiæ decreta ad preces vos vocent, etiam & nos vel inviti consentiamus.

sentiamus. Quapropter & de istis leviusculis obiter vos monuisse nostri putavimus officii, præsentiam nostram usque ad diem ab hodierno tertium non esse exspectandam, cùm dies prima Reipublicæ devovenda sit, secunda Ecclesiæ.

LECTIO XLI.

MEnsuram orationis non tam à dicente quàm ab audiente petendam esse Philosophorum divinissimus Plato dixit: eò quòd & in colloquendo, juxta Interrogantis animum respondere, & inter disputandum, juxta Respondentis sensum argumentari unumquemque deceat; cæteroqui impossibile est ut disputatio in commodum cedat, nisi quælibet sententia, velut pila, à feriente ad capientis manum rectissimis lineis dirigatur. Et revera in Colloquiis congressibúsque Scholasticis observatio Regulæ solennis est & universalis, cùm nihil sit magis iniquum aut absonum quàm proprios nostros sensus sequi, quando aliis percontantibus aut dubitantibus est satisfaciendum. Similiter & in Authorum scriptis evolvendis non minor est Regulæ usus, sed terminis transpositis: utcunque enim in Colloquiis non solventis sed quærentis sensus est consulendus; at verò in Patrum testimoniis librandis planè è contrario se res habet, ad ipsos, de ipsis cùm agitur, est recurrendum; neque à legente, sed à scribente sermonis mensura est haurienda: quia habet de suo quilibet Scriptor consilium aliquod quò exoptat assequi, & ad suos, non nostros, sensus calamum collineat; à quibus si tantillùm vel lector vel appellator deflexerit, non jam ampliùs authoris dicendum est quod profert testimonium, sed suum, neque suffragatoris, sed recitatoris. Et tamen hoc ipsum in Patribus citandis apud Pontificios jam vetus est, & in multis fidei controversiis usitatum, nè dicam quotidianum; dùm se eximium Antiquitatis consensum adeptos putant, si ex veterum monumentis sententiolas aliquas libaverint, quantumvis eas sæpius è primis finibus subdolè dimoveant, atque ad alia planè instituta, de quibus Patres nunquam somniarunt, sinistrorsum contorqueant; ut quod sanctissimus Psaltes de inimicis suis dixerit, Psal. 56. 6, 7. *Toto die*, inquit, *contorquent verba mea, & observant vestigia mea, ut insidientur animæ meæ*; pariter & de ipsis absque omni calumniæ nota dici potest, cùm nihil ab iis intentatum relinquitur quò veritati possint insidias nectere. Et illud in postremis non est statuendum, quòd Patrum scripta pro libitu fingant atque refingant, nunc addendo, nunc detrahendo, mutando, surrogando, lacerando, ad suas novitates flectendo; in hoc hostibus pejores Davidicis, quòd Patrum verba contorqueant, & vestigia non observant. Adeò est ipsis familiare voces Sanctorum prætexere & sensus corrumpere, ut novam ἐλεγκτικὴν comminisci necessarium foret, Aristoteli nunquam cognitam, quâ Sophistarum præstigias & nuper inventas homonymias, non tantùm vocibus & sententiis suis, sed ipsorum Patrum testimoniis suffixas, rescindere possimus & irritas facere. Quòd si quis à me temere hoc & per contumeliam dictum putet, recognoscat quæ de tribus primis distinguendi Modis superiùs eventilavimus; & tam multis exemplis imbutus facilè confitebitur, consuêsse eos quàm sæpissime & Declamatoriè dicta urgere pro Dogmaticis, & obiter dicta pro judicatis, & contentionis impetu elapsa pro Sanctissimis

ctissimis Patrum scitis atque decretis: quod quàm sit delirum & ab honore Patribus debito alienum, ex tribus anteactis Regulis videre est.

Quòd in Patrum scriptis excutiendis, dictis Hyperbolicis & Panegyricis legitimi Testimonii jus non debetur, sed tantùm Dogmaticè & Didacticè enuntiatis. Hæc fuit prima Regula.

Quòd in Patrum scriptis distinguendum necessariò est inter ea quæ obiter aut in transitu, & ea quæ consultâ operâ & ex professo tractarunt; nec quod ex illis, sed quod ex his tantummodo elicitur, probandum est testimonium. Hæc secunda.

Quòd in Patrum scriptis non ea quæ ex impetu mentis, aut ardore disputationis, aut præjudicio aliquo dixerunt, pro suffragiis validis sunt reputanda; sed ad ea quæ sedatâ & compositâ mente dixerint est recurrendum. Hæc tertia Regula. Atque hactenus decursum est.

In hac tertia Regula progrediendi ansa erat dissoluta. Accedendum nunc est ad quartum distinguendi Modum, De iis quæ dubitativè & hæsitanter, & iis quæ Categoricè & confidentiùs Patres sunt loquuti; sit hæc Distinctio quarta: hinc Inquisitio quarta, An ex ambiguè & hæsitanter dictis firmitatis spectatæ suffragium peti possit: & hinc Regula quarta, quæ sic se habet, Quandocunque contigerit ut ex consensu Patrum veritatis sacræ rationes ætatúmque decursus sint examinandi, acri magnóque judicio opus est, ut sententias dubias & pendulas ab apertis & disertioribus secernamus; quò ipsorum mentem non examine scrupuloso, sed rerum ipsarum soliditate, libremus: quia illa sola pro exploratis habenda sunt quæ positivè Patres & asseveranter tradiderunt. Ut Regula manifestiùs teneatur, disquisitionem ipsius ad aliquorum Theorematum limam revocabo. Sunt autem hæc tria Theoremata.

Primum, De nonnullis fidei Dogmatibus incertè aliquando Patres esse locutos.

Secundum, Ex incertis istis firmum Testimonium non posse deduci.

Tertium, Hæc ipsa incerta, qualia qualia fuerint, solere Pontificios inter disputandum ultro citróque pro se obtrudere & venditare.

Exordiar à Theoremate primo; Quòd in Sanctorum Patrum voluminibus occurrant nonnunquam fluctuantes quædam & ambiguæ dicendi formulæ, etiam cùm graviores fidei quæstiones excutiunt, ut quamplurimis exemplis facilè potest ostendi. Ego uno aut altero contentus ero, omittam cætera. Ex Athanasio prima Instantia ducitur, è libro De communi Essentia Patris, Filii, & Spiritûs Sancti. In istius libri Sectione antepenultima agit ex professo Vir Sanctus de operibus Angelorum in Cœlis, quo modo erga Deum, quo erga homines se gerant; atque hoc quidem signanter pronuntiat, Eos quotidiano cantu laudes Dei personare: illud alterum de Precibus pro humana salute, non nisi dubio mentis indicio. Verba ipsius hæc sunt, τῶν ἐπουρανίων δυνάμεων ἔργον τοῦτ' ἐστιν, ὕμνος ἄληκτος, καὶ ἔρως ἄπαυστος τῆς μεγαλοπρεπείας τοῦ Θεοῦ· τάχα δὲ καὶ εὐχὴ ἔμπονος ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν, *Opus supercœlestium potestatum hoc est, hymnus irremissus, & amor incessabilis erga majestatem Dei; τάχα δὲ, fortasse etiam & obsecratio continua de nostra salute.* Numquid potuit vir doctus consideratiùs quicquam eloqui? Vide quàm solicitè & religiosè de Hymnis Angelicis articulatè concludit, buccinare ipsos semper & assiduè Divinæ Majestatis præconia. Quæ ratio? Quia Scriptura astipulatur. De Precibus pro hominum salute in terris militantium timidè & hæsitanter, *Fortassis etiam.* Quæ ratio? Quia Scriptura tacet. Hæc Instantia prima.

Secunda erit è Gregorio Nazianzeno, de duobus Fidei dogmatibus, De Statu

Statu non baptizatorum infantium, & De Defunctorum notitia quam habent eorum quæ geruntur in terris. De Statu infantium non baptizatorum loquitur Gregorius, Orat. quartâ, quæ est De Baptismo: atque inprimis agit de ordinibus salvandorum verbis demonstrativis; τρεῖς γὰρ οἶδα τάξεις τῶν σωζομένων, *Tres*, inquit, *classes esse scio eorum qui salvandi sunt, Servi, mercenarii, filii:* postea de ordinibus non baptizatorum agens, verbis id exprimit dubitabundis; *Alii*, inquit, *donum agnoscunt, sed contemnunt, & illi graviores pœnas luent: alii negligunt tantùm, & illi leviùs puniendi, sed puniendi: alii nè accipere quidem possunt, ut infantes morte præventi*; καὶ τοὺς μὲν ἡγοῦμαι μήτε δοξασθήσεσθαι, μήτε κολασθήσεσθαι, *& hos existimo neque glorificandos, neque puniendos*, ὡς ἀσφραγίστους μὲν, ἀπονήρους δὲ, *utpote neque signatos, neque malos.* Viden' discrimen? De viventibus certò discernit, οἶδα, *Novi ità esse*; de infantibus mortuis dubitanter loquitur, ἡγοῦμαι, *existimo*, vel, ut Nicetas reddit, *quantum opinione assequor, nihil certi affirmans, sed privatam tantùm opinionem proferens, & eam opinionem solam.* Locus alter est de Notitia quam habent Sancti mortui eorum quæ inter nos geruntur in Ecclesia; & quatuor sese offerunt loci. Primus in Oratione tertia, quæ prima est adversus Julianum; *Audi hac, Constantii magni anima*, εἴ τις αἴσθησις, *si quis mortuis sensus est.* Alter in Oratione vicesima, quæ est In laudem Basilii magni; *Et nunc quidem ille in cœlis est*, inquit, κἀκεῖ πὰς ὑπὲρ ἡμῶν, ὡς οἶμαι, προσφέρων θυσίας, *illic etiam, ut existimo, sacrificia pro nobis offerens, & pro populo preces fundens.* Tertius Orat. 19. quæ est In laudem patris sui mortui; πείθομαι δὲ, inquit, & quæ sequuntur, *Et ego mihimetipsi persuadeo quòd nobis nunc quoque magìs deprecatione suâ prodest quàm priùs doctrinâ: quia Deo magìs appropinquat, & Angelici ordinis dignitatem est consecutus*; εἰ μὴ τολμηρὸν τοῦτο εἰπεῖν, *si non hoc audax dictu sit.* Postremus in Orat. undecima, quæ est In laudem sororis suæ Gorgoniæ; *Satìs novi*, inquit, εὖ οἶδα, *satìs novi, O mulierum præstantissima, quòd gloriâ cœlesti frueris*, & quæ sequuntur: εἰ δέ τις σοὶ καὶ τῶν ἡμετέρων ἐστὶ λόγος, &c. *quod si quoque & nostrarum rerum ratio aliqua sit, atque hoc præmii sanctis Animis Divinitus contingit*, τῶν τοιούτων ἐπαισθάνεσθαι, *ut ista sentiant, nostram quoque accipe orationem, multorum loco Epitaphiorum.* Ecquis verò est qui ista aut legit aut audit, qui tot suspensa & nutibunda verba queat non animadvertere? De Gorgoniæ beatitudine audacter proloquitur, εὖ οἶδα, *probè novi:* de Gorgoniæ autem, & Basilii, & Constantii, & patris vel precibus, vel scientia, profert tantùm tenues suppositiones & conjecturas; ὡς οἶμαι, εἴ τις αἴσθησις, εἴ τις ἡμετέρων λόγος, εἰ μὴ τολμηρὸν εἰπεῖν, *ut puto, si quis mortuis sensus, si qua nostrorum cognitio, si non dictu audax fuerit.* Quæ ratio? An verò alia nisi illa, quia nutabat animo, καθάπερ ἐν τριόδῳ γενόμενος· utpote qui Scripturam in alteram partem inclinare non ignorabat, Eccl. 9.5. *Viventes noverunt se esse morituros; mortui verò nihil noverunt, neque eis pars ulla in seculo, aut in iis quæ fiunt sub Sole?* Hæc Instantia secunda, ex aliquibus Nazianzeni deprompta.

Tertia est ex Augustino, de duobus controversis Capitulis. Primum est De B. Virginis Deiparæ immunitate à peccato. Habentur hac de re Augustini verba, in lib. De Natura & Gratia, cap. 36. De reliquis universis hominibus disserit ibi Augustinus, & pertinaciter affirmat, Nullum quantumvìs justum & sanctum potuisse in hac vita sine pec-

cato vivere: sed tum demum addit, *exceptâ Sanctâ Virgine, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quaestionem. Indè enim scimus quòd ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit eum quem constat nullum habuisse peccatum.* O singularem prudentiam incomparabilis viri! Neque ait, neque negat fuisse Mariam absque omni peccato; nihil in utramvis partem asserit, sed tantùm nolle se de ea re quaestionem movere: & quidem non ipsius Mariae habitâ ratione, sed in honorem Christi: neque hoc sensu, quasi putaret laedi honorem Christi, si Maria dicatur fuisse obnoxia peccato; sed aequum existimans, honori quem Christo debemus & illud etiam adjicere, nè de Matris ejus peccatis garrire fusiùs aut loqui gestiamus. Quae certè mens vel maximè laudanda in Augustino: nec facilè nobis aut ulli Christiano in aliam partem eundum esset, nisi importuna Adversariorum superstitio ab hac aurea mediocritate in alterum extremum se praecipitasset, & obstreperâ suâ nugacitate etiam pios solicitasset, ut non jam errori subitaneo, sed apertae Idololatriae sese opponerent; & praeter Christum neminem à peccato liberum, cum ipso Augustino contenderent, ut mox videbimus. Hoc Capitulum primum. Secundum est de poenis Purgatoriis, in quibus tam varius est Augustinus, adeóque, Homeri verbis, ἐπ' ἀμφοτέρω πόδας ἴζει, ut vix quicquam certi statui possit de ipsius sententia. Etenim interdum Purgatorias aliquas poenas post hanc vitam futuras affirmare videtur; ut in lib. 2. de Genesi, cap. 20. & diversis aliis locis, quos recitare non omittunt Pontificii: sed aliàs tamen revocat in dubium, & per ambages progreditur; ut quaestione primâ ad Dulcitium, *Tale aliquid*, inquit, *etiam post hanc vitam fieri, incredibile non est; & utrùm ità sit quaeri potest, & aut inveniri, aut latere, Nonnullos fideles per ignem quendam purgatorium, quantò magis minúsve bona pereuntia dilexerunt, tantò tardiùs citiúsque salvari.* Quae totidem verba repetuntur in Enchiridio ad Laurentium, cap. 69. Quid quòd & de harum poenarum tempore non fuit certus, neque utrùm pertineant ad intervallum inter mortem & resurrectionem ausus est definire? nam in cap. 26. libri 21. De Civ. Dei, haec verba habentur, *Post istius sanè corporis mortem, donec ad illum Resurrectionis diem ultimum veniatur, si hoc temporis intervallo Spiritus defunctorum quorundam ejusmodi ignem dicuntur perpeti, sive ibi tantùm, sive hìc & ibi, sive ideo hìc ut non ibi concremantem ignem transitoriae tribulationis inveniant; non redarguo, quia forsitan verum est.* Ecce Augustini διστιγμὸν, *Non est incredibile; Utrùm ità sit quaeri potest; Si dicuntur perpeti, non redarguo; Fortasse verum est:* sic prorsus quasi animo fluctuans, atque affirmandi & negandi pugnâ oppressus esset, mentem nunc huc, nunc dividit illuc, & in incerto relinquit. Neque mirandum quidem est si de isto Animarum post mortem statu vacillarit, quia neque ulla est experientia, nec quicquam ex Scriptura quod faveat, & conjecturae sunt incertissimae. Mittamus igitur exempla, nam hoc Capitulum secundum est postremae Instantiae. Quanquam potui istis & id genus alia annumerare non pauca; nempe ejusdem S. Augustini judicium lubricum de baptizatorum infantium Sanctificatione, & de Suffragiis martyrum, in lib. De cura pro mortuis, cap. 16. *Quaestio ista*, inquit, *vires intelligentiae meae vincit; res est altior quàm ut à me possit attingi, abstrusior quàm ut à me valeat perscrutari.* Potui etiam & illud S. Bernardi attexere, Ser. 5. super Cantica, de Angelicis corporibus, An corpora habeant,

beant, &, Utrùm corpora ipsis sint naturalia, &, An sint animalia, sicut homines, &, Quomodo corpora mutent. Quæ omnia suspenso judicio perstringit, & præterit; *Nolo ut hac à me requiratis; videntur Patres de hujusmodi diversa sensisse, nec mihi perspicuum est unde alterutrum doceam, & nescire me fateor.* Potui adhuc & illud Origenis adjicere, Hom.3. in Cant. De Sanctorum cura in posteros; *Sed & omnes Sancti*, inquit, *qui de hac vita decesserunt, si dicantur curam gerere salutis nostræ, & juvare nos precibus suis, non erit inconveniens:* & in Jos.cap.13. *Ego sic arbitror, quòd adjuvant nos orationibus suis:* & lib.2. in Ep. ad Rom. paulò post initium, apud Bell. lib. De Beat. Sanctorum, l.1.c.20.p.735. *An aliquid pro nobis agant, habetur inter occulta Dei, & inter chartulæ non committenda mysteria.* Ad extremum & illud Sancti Basilii potui coronidis loco adducere, qui Ser. 25. qui est De humana Christi generatione, de perpetua Mariæ Virginitate adeò hæret & nutat, diu animo in diversa versato, ut conjici vix possit quid magis sentiret. Verba ejus sunt; *Quòd dicitur*, inquit, *Josephum non cognovisse Mariam, donec peperit filium suum primogenitum*, τοῦτο τὴν ὑπόνοιαν παρέχει, *suspicionem hoc generat, eam fortasse posteaquam generationi Dominicæ servierat, tum demum nuptialia opera viro non denegasse. Ego verò, quamvìs non necessarium putem perpetuam ejus virginitatem asserere, nec contra doctrinam pietatis negare; attamen nè hoc eorum qui Christum amant offendat aures, quòd Dei genitrix aliquando desierit esse virgo, propterea relinquo*, ὡς ἀπολυπραγμόνητον, h. e. *ut rem non curiosiùs inquirendam.* Enimvero mirari satìs non possum piissimum simul eruditissimúmque Patrem Basilium, in re tam magna, quæ ab omnibus sanctissimè recepta est & credita, & à Concilio œcumenico Constantinopolitano decreta, & contraria ut hæretica damnata, de re, inquam, tam magna tam ambiguum fuisse, ut in promptu non haberet quid diceret, aut utrum definiret. Utcunque, si exemplis reliquis & hoc annectatur, Theorematis primi dilucidationi quàm aptissimè inservit, Hæsitanter Patres & dubiè aliquando de mysteriis fidei locutos. Neque opus est plura exempla contexere, nè videar in re confessa perdere operam: perspicuum enim hoc est, & constans inter omnes. Quod superest, Ambiguitatis causam si indagare potero, satìs erit opinor abunde factum huic primo Theoremati.

Consult.8.c.6.

Tres verò Ambiguitatis causæ reddi possunt, Modestia, Prudentia, Timor. In Quæstionibus perplexis & difficilibus agitandis, Prudentia exigebat ut cautè & circumspectè loquerentur; in Quæstionibus peregrinis, & tum primùm motis, Modestia; in alternatim disputatis, Timor displicentiæ, & utriusque partis reverentia: quod ipsum vel in uno Aristotele, reipublicæ philosophicæ coryphæo, observare est, qui in magìs arduis Naturæ Rationísque secretis rimandis ab istis verbis solet sæpenumero Paragraphos suos exordiri, δοκεῖ δέ, φαίνεται δέ· prorsus nè videretur ingenio & sententiæ propriæ superbè nimis indulsisse si, velut Doctor è Cathedra, quæstiones asperas, neque ante se excogitatas, pertinaciter determinasset. Pari modo & è Patribus plurimi timidè & hæsitanter in aliquibus sunt & arbitrati & locuti, justissimis de causis. Primò, Quòd absque ullo prævio ductore intentatum antea iter aggressi sunt, primíque glaciem scindentes viam posteris ad penitiùs scrutandum aperuere. Hinc orta illa verecundia loquendi, ἡγοῦμαι, ὡς οἶμαι, apud Gregorium; τάχα δέ, apud Athanasium; *Ego sic arbitror*, apud Origenem; *Fortasse ità est, Incredibile non est, Non redarguo*, apud Augustinum.

Secundò, Quòd in multis quæstionibus Scripturæ ducatu carebant; quod firmamentum si ad disputationes nostras à revelatione Divina non accedat, nihil potest esse in Religionis mysteriis aut firmum, aut constans, aut certò cognitum; sed quæcunque dicuntur, sunt *tantùm humani cordis suspiciones*, ut Augustinus loquitur. Hinc natæ istæ ἐπανορθώσεις, sermonúmque suorum quasi correctoriæ formulæ, εἰ γὰρ ἔξεστι, εἰ μὴ τολμηρὸν εἰπεῖν, *Si non sit dictu durum*, *Si non me fallit animus*, apud Nazianzenum; *Si dicatur, non erit inconveniens*, apud Origenem; *Non est incredibile*, apud Augustinum. Tertiò, Quia dissonantias multas observarunt in Veterum defunctorum scriptis, & in coætaneis etiam suis discordantes sententias; propterea commodius consultiúsque putabant, velut in æquilibrio, quasi calamo Delphico, verecundè transcurrere, nè partium studio rapi viderentur. Quod ipsum Augustinus de se profitetur in sua ad Januarium Epistola, *Multas fuisse receptas & communes præsumptiones, quæ propter nonnullarum vel sanctarum vel turbulentarum personarum scandala devitanda, improbare liberiùs non auderet.* Nec non & de eruditis aliis idem animadvertit Epistolâ quæ est ad Hieronymum 28. *Eos aliquando medio quodam modo se gessisse, ut magìs acceptabile esset singulis quod scriberent; atque hoc non simulatè, sed congruenti societate & observantiâ fecerunt, neque mentientis astu, sed compatientis affectu.* Hinc natæ illæ verborum tergiversationes, *Nullam habere volo quæstionem*; *Utrùm ità sit, quæri potest*; *Quæstio vires meas vincit*; *Altior est quàm quæ possit attingi*, apud Aug. & S. Basilii istæ, *Mitto* ὡς ἀπολυπραγμόνητον, *Mitto* διὰ τὸ μὴ καταδέχεσθαι τὴν ἀκοήν, *quia non est curiosiùs inquirendum, quia auribus parco*, & ejusmodi. Quæ omnia & Prudentia excogitavit, & Modestia interposuit, dum in dubitationis lubrico animus vacillabat. Quocirca multum interest & scire quòd hoc se modo Patres interdum gesserint, & observare quæcunque sic acta fuerint, & secernere ab indubitatis si quando occurrant. De Theoremate primo hæc dixisse sufficiat, Misceri aliquando in Patrum scriptis fluctuantes illas & ambiguas loquendi formulas. In secundo & tertio futurus sum paulò contractior.

Est ergò Theorema secundum, A perplexis & intricatis locutionibus locísque in utramque partem propendentibus firmum aliquod testimonium non potest deduci. Est satìs ex se clara Propositio, adeóque omnibus in confesso, ut proposuisse sit probasse. Innititur autem huic fundamento à Jure petito, Quòd *in Attestationibus semper requiruntur verba certa, aperta & expedita:* unde & istæ Juris Regulæ, *Testis æquivocum dictum non probat*; *Testimonia ambigua rectè impugnantur*; *Conjectura est tantùm semiplena probatio*; *Testis si varia proferat, suspectus est & invalidus*; *Testis obscurè dicens iterum est interrogandus.* Quæ singulæ si in Forensibus valeant, multò magis in Theologicis, his præcipuè de causis. Primò, Quia anceps dictum judicium anceps subindicat & mentem incertam. Secundò, Quia anceps dictum lectorem remittit ancipitem, & dubium animi consiliique incertissimum: adeò necesse est ut fluctuet qui in humeros extollitur fluctuantis. Postremò, Quia non incertitudinis modò plenum est, sed periculi, si ambigua pro concessis & dubia pro certis deglutiamus. Hoc illud est quod S. Apostolus non obscurè innuit, in 1 Cor. 14. 8. *Si incertum sonum tuba dederit, quis apparabitur ad bellum? Imò verò*, inquit Chrysostomus, *non modò non apparabitur, sed in extremum veniet periculum.* Atque in spirituali bello non minùs tenet, dicente Primasio; ado

do & in Theologico. Hoc illud ad quod Salvator noster discipulos suos cohortatur in Evangelio, *nè sint suspenso animo*, Luc. 12. 29. μὴ μετεωρίζεσθε, inquit, *nè pendeatis animi*, velut aeris impressiones, quæ motu dubio modò huc modò illuc inclinant: & si in rebus seculi cavendum sit, in rebus fidei multò magis. Hoc ipsum quod de se S. Paulus profitetur, 1. Cor. 9. 26. *Ego igitur sic curro, non ut in incertum*, οὐκ ἀδήλως, h. e. *non dubiè, aut titubanter: sic pugno, non quasi aera verberans*, h. e. οὐ μετεωρίζω, non quatior, motu non feror aereo, non ventis cedo. Denique, & hoc ipsum de quo Romanos admonet, c. 14. ver. 1. *nè circa dubias disputationes se fatigent*; διακρίσεις διαλογισμῶν appellat, eleganti vocabulo, h. e. varias & perplexas disceptationes, ad quas cùm quis venerit, incertior discedit, inter ambages, velut inter scopulos marinos, agitatus, in quos si impingat, moritur; si fluctuet, mergitur: adeò vel tantillum distat inter ancipitium & præcipitium.

Ex istis satis, opinor, intelligitis, quàm sit præposterum plenúmque periculi, nedum perfidiæ, ad conjecturas & suspiciones confugere cùm veritatis causa decernitur. Quòd si ex istis non innotescat, neque adhuc satìs edocti simus, at saltem à voce Salvatoris in Evangelio discamus. Equidem non multas reperio voces ambiguas à cœlesti illo ore effluxisse: at una tamen occurrit, cap. 21. Evangelii secundùm Joannem, vers. 22. ubi Petro interroganti de dilecto discipulo, *Hic autem quid faciet?* respondet Christus, *Si velim eum manere donec veniam, quid ad te?* Sermonem esse dubium nemo ibit inficias: nam & hypotheticè instituitur, *Si velim*; & sciscitativè, *Quid ad te?* An verò vos fugit quantæ in Ecclesia rixæ, quàm dissentientes ex hoc dicto ambiguo ortæ sunt sententiæ? quod ipse tamen Evangelista de quo locutus est Christus versu sequenti exposuit, *Non dixit ei Jesus, Non morietur, sed, Si velim ut maneat:* & tamen vel hinc magnæ excitatæ discordiæ; dicentibus nonnullis Joannem naturalem obiisse mortem, ut Tertullianus, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus; aliis, non naturali ductu eum fuisse mortuum, sed à Trajano occisum, ut Theophylactus; aliis, mortuum fuisse, sed eodem surrexisse die, & in cœlos fuisse translatum, ut Nicephorus, lib. 1. cap. 35. aliis, non omnino fuisse mortuum, sed ad finem usque seculi unà cum Henoch & Elia victurum, ut Hippolytus in lib. De Consummatione seculi, & Dorotheus in vita sancti Joannis. Quòd si de re nihili, certè ad nos nihili, ex unica Christi ancipiti locutione, eâque dilucidè ab ipso sancto Joanne explicata, tot dissidia emanarunt: an existimandum est, ex dubiis decisionibus Fidei Ecclesiæ nihil impendere discriminis? aut committendum est, ut in Fidei Articulis discernendis istis incertorum testimoniorum fluctibus inhæreamus? Propterea operæ pretium vobis erit, illúdque quàm maximum, Auditores, hiatus illos & sanioris doctrinæ lacunas cognoscere, observare, cavere, posséque à solidioribus testimoniis secernere. Neque id hortatu meo, sed cujusvis seculi Theologorum unanimi consensu. Inprimis, inter Veteres Hieronymus hoc observavit, in Apologia ad Pammachium pro libris suis adversus Jovinianum, cap. 4. *Plura sunt*, inquit, *genera dicendi; & inter cætera, aliud est γυμναστικῶς scribere, aliud δογματικῶς: in priori vaga est disputatio, argumentamur ut libet; in sequenti aperta frons & ingenuitas necessaria est. Aliud autem est quærere, aliud definire: in altero pugnandum est, in altero docendum.* Deinde, inter Mediæ ætatis Scriptores Otho Frisingensis, Episcopus idem & Historiographus, quanquam non noster, at non ineruditus tamen, de S. Ambrosii

dictis aliquibus sententiam suam ferens, hoc ipsum inculcat, lib.4. Chronologiæ suæ, cap.18. *Considerandum est*, inquit, *& quid, & secundùm quid loquantur authores; quid opinando, quid asserendo, quid ex magnitudine doloris semet consolando.* Denique, & in nostro seculo non desunt qui astipulantur, iique magni nominis Papistæ, Catharinus & Bellarminus, unà nobiscum, ut ex ore Adversariorum veritas magìs elucescat, juxtà hac de re sentientes. Catharini hæc sunt verba, in lib. De certitudine Gratiæ, Assert. 13. *Non*, inquit, *quodcunque Pontifices in suis Decretis enuntiativè aut opinativè magìs quàm decisivè loquuntur, illud haberi debet quasi decisum aut determinatum, ut ipsi attestantur: tantum interest inter opinionem & sententiam authoris.* Bellarminus etiam, de Pontifice Rom.lib.4. cap.14. ad repugnantiam Cælestino tertio & Innocentio tertio objectam, cùm Cælestinus scripserit per hæresin solvi matrimonium, & Innocentius contrarium decreverit, ad repugnantiam sic respondet Bellarminus, *Neutrum aliquid de ea re certi statuisse, sed utrumque quod sibi probabilius videbatur respondisse: & multa præterea esse in Epistolis Decretalibus quæ sunt solùm opiniones Pontificum de re quam declarant, quæ non faciunt eam esse de fide.* Hem ipsum Bellarminum ad hoc asylum fugientem, privatam opinionem non ullarum esse virium; quantò minùs frigidas conjecturas, quæ cùm à scribentis mente pendula proruperint, legentis magìs pendulum animum dimittunt, &, arundinis instar quassatæ, innitentis manum non modò non sufferunt, sed perforant? Atque de Theoremate secundo hactenus, Quòd de incertis Patrum testimoniis certi nihil colligi potest, quódque istis Lectori non est immorandum: sed de Articulis fidei tum consulendi sunt cùm articulatè loquuntur.

Theorema tertium succedit, & sic se habet; In controversiis fidei tractandis ab ambiguis & perplexis Sanctorum Patrum dictis Pontificii creberrimè argumentantur, & istis sepimentis tremulis castra sua munire, & ex istis perforatis doliis vacuas aquâ cœlesti conchas adimplere conantur. Quàm iniquè & vaferrimè hoc ab illis agatur palàm est: at omnes non vident tamen, quia non est una vafrities; in multas se diffindit semitas & vix indaganda vestigia. Sunt autem tres potissimùm Calles in quibus flexuosos eorum tractus possumus odorari & persequi: tres, inquam, Tractus aut Semitæ, in quibus, prous res postulat, gradiuntur.

Semita prima est Reticentiæ, quando dubios locos occultant, nè appareat fortasse Patres in hac vel illa quæstione fluctuasse. In controversiarum Coryphæo Bellarmino, & antiquorum nominum Thesaurario Coccio, animadvertere potestis. Pro Sanctorum de rebus nostris cura & solicitudine ex Origene quinque testimonia profert Coccius, t. 1. lib. 5. art. 4. at loci Origenis palmarii, in cap. 2. ad Romanos, apud eum omnino nulla mentio. Quæ ratio? Nimirum quia dixit Origenes *haberi ea inter occulta Dei, & inter chartulæ non committenda mysteria.* Pariter & ex Nazianzeno eadem de re idem Coccius quatuor contexit locos: at de Oratione prima adversus Julianum nè gru quidem. Quæ ratio? Nempe verba illa impedimento erant, εἴ τις αἴσθησις, *si quis mortuis sensus est.* Denique t. 2. lib. 7. art. 5. pro Purgatorio loca quinque profert ex Augustino: at locum illum in Enchiridio ad Laurentium, & qu. primâ ad Dulcitium, sicco pede transilit. Quæ ratio? Quia dixerat Augustinus, *Incredibile non esse*; & *Utrùm ità sit quæri posse.* Similiter & Bellarminus, lib. De Sanctorum beatitudine, c. 18. S. Augustinum nobis obtrudit,

obtrudit, unà cum Greg. Nazianzeno, ut Sanctorum curam & preces pro hominibus astruat: at verò locos dubios Nazianzeni, & illum Augustini alterum, in cap. 16. libri De cura pro mortuis, non tangit. Quæ ratio? Præstò est: dixerat Augustinus *quæstionem illam vires intelligentia sua vincere, & abstrusiorem esse quàm ut possit scrutari.* Hæc Semita prima.

Semita secunda est Impudentiæ, quando dubios locos pro certis ostentant, expunctis vel amputatis vocibus quæ incertitudinem significant. Ain' verò, *amputatis?* fieri non potest. Imò obsigno tabulas. Bellarm. De Sanctorum beatitudine, lib. 4. cap. 18. & Coccius, t. 1. lib. 5. art. 4. uterque pro Sanctorum Suffragiis verba Greg. Nazianzeni describunt, & uterque lacerant. Ex Orat. ejus 19. (decimam quartam Bellarm. vocat, sed falsò) ex oratione, inquam, decima nona, quæ est de obitu patris sui, *Non dubito*, inquit Gregorius, *quin nobis nunc magis precibus proficiat quàm priùs doctrinâ, εἰ μὴ τολμηρὸν τοῦτο εἰπεῖν, si non hoc audax dictu sit.* Uterque hanc hæsitationis formulam tacent fide pessimâ; scil. nè Sancti Patris suspensum animum lector videret, sed his præstigiis occæcatus pro certis incertissima arripiat. O proruptam audaciam, quæ in ipsa ambigua Patrum testimonia involat! De certis quid sunt facturi? Quasi nos tam desides arbitrentur, & ad loca Patrum pensitanda adeò pigerrimos, ut sine omni examine, quicquid ipsi inculcant pro integerrimis & concessis simus accepturi. Hæc Semita secunda.

Semita tertia non simplex est, sed mixta, & Reticentiæ & Impudentiæ vepribus strata, quando quæ pro se faciunt dubia proferunt, & quæ contra se sunt certissima ut nunquam dicta occultant. Exempli gratiâ, ex Augustino disputat Coccius to. 1. lib. 3. art. 1. pro B. Virginis immunitate à peccato; ostendit eam omni peccato caruisse ex loco Augustini, in lib. De Natura & Gratia, cap. 36. qui suprà est à me notatus. Affirmat eo in loco Sanctus Pater, *nolle se, cùm de peccatis agitur, propter honorem Domini, ullam habere velle de B. Virgine quæstionem*: hoc Coccius urget, neque id ipsi vitio vertimus, quanquam locus sit jejunus & aridus, nihil evincens. Sed hoc interea magnæ perversitatis signum esse dicimus, quòd cùm uni loco, cujus nulla certa in alterutram partem est assertio, mordicus hæreat, reliquos omnes prætereat in quibus tam disertè contrarium docuit Augustinus. Nam dicat, obsecro, quomodo evadet vim istorum verborum, ex Augustini libro De Perfectione justitiæ? *Quisquis*, inquit, *vel esse vel fuisse aliquem putet (excepto uno Mediatore Dei & hominum) cui necessaria non fuit remissio peccatorum, contrarius est Divina Scriptura. Quisquis autem dicit, post remissionem peccatorum ità justè quenquam hominum vixisse in hac carne vel vivere, ut nullum omnino habeat peccatum, contradicit Apostolo Joanni.* Hæc ille: quibus non video quid possit regeri; nam negatio universalis exceptionem non admittit, & addita Christi exceptio illam universalem esse confirmat: *Excepto*, inquit, *uno Mediatore*; præter Mediatorem nè uno quidem, non ipsâ Sanctissimâ Virgine. Ergò locus assertorius loco ambiguo suppetias fert: neque illis ullus prætextus jam superest ex Augustino hac de re disputandi, cùm illud certissimum sit quod in re alia Pontificiorum non minimus Estius dixerit, in quartum Sentent. D. 4. f. 18. *Ambigua Patrum dicta non posse præjudicare apertissimis eorum sententiis, sive in suam sive in nostram partem propensiores fuerint.* Interea ipsi dum incerta jactant,

& certiora illa insalutata prætereunt, hoc ipso experimento manifestissimè produnt, quantâ temeritate Patres nobis objiciunt, dum aliquando ad figuratas locutiones se recipiunt, ut Apostrophas, & Prosopopœïas, aliásque figuras perorandi, ad figuras & formas orandi torqueant; aliquando ad locutiones ancipites, ut hoc artificio superstitiones suas specie aliquâ pallient. Sufficit ipsis, si vel umbram aliquam assertionis è Patribus eruere possunt. *Opinor*, *Arbitror*, *Existimo*, sunt verba in ipsorum Philosophia demonstrativa: *Fortasse sic*, *Potest ità esse*, *Non quaro*, *Non redarguo*, *Non est inconveniens*, *Non est incredibile*, *Si non sit dictu durum*, *Si non me fallit animus*; vel hæc ad stabiliendam sententiam sufficiunt, his armis accincti gloriantur. At verò Theologi norunt, de fidei dogmatibus hoc modo non loqui Ecclesiam: sed istis potiùs formulis se expedire, *Credimus*, *Scimus*, *πιςὸς λόγος*, *Sermo certus & acceptione dignus*, *Veritatem dico in Christo*, cum Apostolo; *Firmissimè crede*, *Nullatenus dubites*, *Tota Ecclesia dicit*, *Reprobus qui non dicit*, cum Augustino. Quæ singula, quantúmvìs majoris sunt confidentiæ quàm ut de omni pronuntientur quæstione Theologica: at majoris non sunt quàm ut jure exigantur cùm fides controvertitur Christiana. Quòd si istis tam grandis fiduciæ accentibus consignentur Patrum testimonia quæ in nos vibrant; age, non resilimus, non gravamur audire, non temere repudiamus, sed honore quo par est, humano optimo, suscipimus, prosequimur, exosculamur. At ad illa altera quod spectat nutantia & semivocalia Testimonia, nudis opinationum & suppositionum foliis tecta, ingenuè profitemur, non eousque nobis cordi esse ut multùm moveant aut fidem imperent: cùm de hoc simus indubii, quòd locus dubius, & de hoc æquè certi, quòd voculæ incertæ in legitimorum Suffragiorum classes non sunt recensendæ. Et de ambiguè & hæsitanter dictis, qui est quartus distinguendi Modus, hactenus. In dictis ex nimia Credulitate & fide aliorum curam proximam collocabimus.

LECTIO

LECTIO XLII.

QUàm studiosa & diligens circumspectio tum in tradendis tum in hauriendis sanctioris doctrinæ monitis unicuique adhibenda sit, inter multas alias quibus referta est passim Sacra Pagina cohortationibus, vel illud Sancti Pauli ad Timotheum consilium non est in postremis statuendum; Ep. 1. cap. 4. ver. 15. *Attende tibiipsi & doctrinæ tuæ:* enimvero cùm verba pensiculatiùs considero, non possum satis aut mirari aut prædicare prudentiam Apostoli; quòd cùm animadverteret Pastorem Evangelicum duplicem in se personam, & discentis & docentis, sustinere, ad attentionem etiam duplicem Apostolus excitet, ut possit & sibi cavere & doctrinæ, & utrinque utrique. Si docentis vices subeat, opus est ut attendat sibi & doctrinæ quam aliis instillat; si discentis, ut caveat sibi & doctrinæ quam ab aliis excipit: illinc nè alios à pietatis tramite deducat, hinc nè ipse deducatur. Hæc omnia sunt in hoc uno verbo, *Attendito:* ὃ βραχὺ ἐστι καὶ ὃ μέγα παράγγελμα, ut optimè Basilius, *& breve est & magni momenti præceptum*, cujusvis sortis hominibus salutare. Si veritatis venator sit, attendere debet nè sacra præda fugiat; si in scientiæ semita viator, attendere debet nè quà vel ad dextram vel ad sinistram deflectat; si fidei Architectus, attendere debet quid & quo pacto ædificat; denique, si infirmus in fide fuerit, sive robore valentior, sive in instituentium magisterium cooptatus, sive in ordine audientium, per omnem vitam ad hoc vocabulum recurrere debet, ὥσπερ τινὰ ἀγαθὸν σύμβουλον, ut ille loquitur, *velut fidum monitorem & consiliarium*, cujus ductu in hoc tam spinoso dissentientium capitum seculo noxia à salubribus quasi per vestigia discernere possit, & singula tam solerti examine excutere, ut non facilè errorum laqueis irretitus ex improviso capiatur. Quod certè meliùs fieri non potest quàm si pervigili & inconnivo oculo singula circumspiciens, semper & ubique, & in legendo & in audiendo & in dicendo, dicti Apostolici memor fuerit, *Attende tibi & doctrinæ*. Propterea & ego, Auditores, non vos tantummodo, sed meipsum quoque soleo ad aureum hoc dictum Apostoli sæpius revocare, ut ipsius utrique simul tenaces esse possimus observantissimique; vos in audiendo, ut attendatis, pro candore vestro, & mihi & vobis; ego, pro officio, in dicendo, & mihi & vobis: uterque in Patrum scriptis legendis, ut insomnes animæ oculos circumferamus, quibus quæ dextrè, quæ secùs dicta fuerint, (quod aliquando accidit) usquequaque collustremus; cùm sit, ut Basilius loquitur, δυσθήρατος ὁ τῆς ἀληθείας λόγος, *difficilis venatu veritatis sermo*, καὶ ῥᾳδίως ἐκφεύγει τοὺς μὴ προσέχοντας, *& facilè fugit ac præterlabitur non attentos.* Præsertim cùm in aliquibus Patrum scriptis tot transennæ ac angiportus reperiantur, per quos, nisi attentio aderit, dictorum sensus facillimè possunt evolare. Has ego vobis transennas detegere & aperire, & in singulis quid præsertim attendendum sit, quâ potui fide & studio ostendere enixus sum: videlicet, quòd attendere ipsis oportet, si non aliquando plùs nimiò rhetoricentur; si non motu & concitatione animi in extrema ferantur; si non, velut in transitu, cursim nonnulla & immediatè percurrant; denique, si non aliquando etiam de rebus gravissimis ambiguè

Hom. Attende tibi.

Basil. ibid.

ambiguè & hæsitanter loquantur. Hæ quatuor sunt è sex illis transennis, vel enunciandi Modis, quos solos ad exitum perduxi; de Figuratè dicta discernendo à Dogmaticis; & obiter dicta à constitutis; & contentionis impetu elapsa à consultioribus; & dubitativè pronuntiata ab apertis & Categoricis.

Pergendum nunc porrò est ad quintum distinguendi Modum, de iis quæ ex certa sua scientia Patres scripserunt, & iis quæ fide facili & credulitate aliorum: nam & istis quoque attentio aliqua est necessaria. Estque hæc Distinctio quinta: atque hinc Inquisitio quinta, An eadem authoritas Patribus debeatur in iis in quibus alios sequuntur, libenter se credulos præbendo, atque in iis quæ ipsi prudentes & scientes pro comprehensis & exploratis habebant: hinc Regula quinta emergit, quæ sic se habet; Non fides eadem habenda est omnibus Sanctorum Patrum testimoniis, cùm neque ipsi eâdem fide eodémque scrutinio usi sunt in omnibus quæ exarata reliquerunt. Interdum videre eos licet cujusvis verbi pensitatores subtilissimos, nihil asserentes nisi quod oculis animísque perlustrassent, & ad lancem priùs negotiosissimè exegissent: interdum verò præsumptas ex loquendi consuetudine opiniones secuti sunt, nec non imperitorum hominum populares rumusculos, in quibus non erat difficile labi vel ipsâ facilitate credendi. Esto hæc, inquam, Regula quinta; quæ si productior videatur, si potero, arctiùs contraham, in sua quælibet frusta secando; & ut omnibus vestigiis indagatam exhibeam, ad tres istas Demonstrationes quæcunque dicenda sunt revocabo.

Quòd Veteres aliquando oscitantiùs sunt locuti, præsumendo nonnulla ità esse ut vulgò ferebantur: Hæc prima Demonstratio, quasi Regulæ Introitus.

Quòd ex ejusmodi præsumptis sententiis testimonium firmum non deducitur: Hæc secunda Demonstratio, quasi Regulæ Appendicula.

Quòd Pontificii sæpius ex istis, præsumptis & solâ credulitate suffultis sermonibus non unam aut alteram, sed multas, eásque momenti maximi, controversias & stabilire & definire moliuntur: Hæc ultima Demonstratio, & quasi Regulæ extrema linea, sigillatim post cæteras suo ordine excutienda.

Exordiar à prima, Quòd Antiqui Doctores etiam de rebus Fidei nonnunquam indiligentiùs sunt locuti, eò quòd & præsumptis sui temporis opinionibus in Dogmaticis, & præsumptis etiam vulgi narrationibus in Historicis, minimo examine facto, mordicus adhærebant. Hunc dixi Regulæ introitum, sive ostium, utroque cardine vertendum & illustrandum, tum in iis quæ ad Historiam, tum in iis quæ ad Dogmata pertinent.

De Historicis cura minor, cùm res manifestò teneatur. Atque id ipsum florentissimæ memoriæ Whitakerus observavit, ad Campiani rationem sextam, Plerumque usuvenire, ut temporum illorum vitiis Historici imbuantur quorum temporum historias perscribunt. Quanquam quid Whitakerum memorem, cùm nemo sit vel è Pontificiis pudore ac temperantiâ moderatior, qui hac in re nobiscum non conspiret, Fuisse eos animis ad rumoribus credendum inclinatioribus quàm tantæ gravitatis & prudentiæ viros decebat? De Gregorio Turonensi Baronius profitetur, to. 1. sub anno 109: nimiæ simplicitatis virum eum fuisse, & multa facilè admittentem, sæpiúsque fallacissimo aurium sensu deceptum:

eandém-

eandémq; de ejus ingenio censuram facit Hilduinus Abbas, in Rescripto suo ad Ludovicum, quod habetur apud Surium, To. 5. Octob. 9. istis verbis; *Parcendum est simplicitati viri religiosi Gregorii Turonensis Episcopi, qui multa aliter quàm se veritas habeat æstimans, non calliditatis astu, sed benignitatis & simplicitatis voto, auditu & autumatione deceptus, literis commendavit.* Hæc Hilduinus de Gregorio Turonensi. Pariter & in Gregorium alterum, Magnum intelligo, eodem modo Melchior Canus animadvertit, lib. 11. Locorum Theolog. c. 6. *De Beda*, inquit, *atque Gregorio jure fortasse ac verè dicere possum, non ingenio solùm, sed vulgo interdum eos indulsisse; cùm ille in Anglorum Historia, hic in Dialogis, quædam miracula scribat vulgò jactata & credita, quæ hujus seculi Aristarchi incerta esse censebunt: imò verò & ego ipsorum historias probarem magis, si severitati judicii curam in eligendo majorem adjunxissent.* Hæc Canus de Gregorio & Beda. Nec de iis solis, sed & de aliis ipsorum coætaneis, eodem capite; *Utcunque*, inquit, *homines graves atque severi non solent inanem vulgi sermonem aucupari: attamen negare non possumus, viros aliquando gravissimos, in Divorum præsertim prodigiis describendis, sparsos etiam rumores & excepisse & scriptos etiam ad posteros retulisse. Quæ quidem in re aut sibi, aut fidelium vulgo nimiùm indulgebant, quòd populum sentiebant non tantùm ea facilè miracula credere, sed impensè etiam flagitare: ideóque signa nonnulla prodiderunt, non quòd ea libenter credidissent, sed nè deesse fidelium votis viderentur.* Hæc Canus. De Historicis igitur comperta res est, ipsis attestantibus Adversariis.

De Dogmaticis nunc idem est demonstrandum, etiam in istis exorbitasse aliquando Veteres, dum alii alios, rebus ipsis non expensis, nimiâ credulitate sequebantur. De Ambrosio & Hilario sic censet Augustinus, *Eos paulò negligentiùs in aliquibus locutos.* De Clemente & Dionysio Alexandrino Hieronymus, *Innocenter eos quædam & minùs cautè dixisse*, l. 2. Apol. adver. Ruffinum. De aliis alii. Non meum est singulos percurrere; quoniam de singulis eorum lapsibus non ago, sed de iis solis quos ex credulitate exortos est probabilius. Neque de id genus omnibus; non omnino de inter nos & Adversarios controversis, an lapsus fuerint, sed de ex utraque parte concessis & agnitis. Quatuor autem produco Instantias. *l. 1. con. Jul. Pelag.*

Instantia prima erit De rebaptizandis ab Hæreticis baptizatis. Negant Papistæ illud fieri debere, negamus & nos: at S. Cyprianus id sæpius docuit, & acerbissimè defendit rebaptizandos esse, atque socios habuit non paucos; aliquot Concilia Africana, ut in Enchiridii cap. 1. Costerus; tria Carthaginensia Concilia, ut in Disput. 51. ad Rom. * Salmeron; multos Asiaticos & Africanos Episcopos, ut ex Eusebio Bellarminus ostendit, lib. 1. de Sacramentis, cap. 26. Quæ verò lapsûs ratio? Proculdubio nimia credulitas, quam Antecessoribus suis singuli præstiterunt. *Secutus est*, ait Bellarminus, *prædecessorem suum Agrippinum Cyprianus; Cyprianum reliqui Africæ Episcopi.* Hæc Instantia prima. *Cost. p. 67.* **in Rõ. 5. D. 51. circa finem, Sec. Neque mirum esse debet.*

Secunda erit De pœna dæmonum. Docent Papistæ, puniri dæmones Gehennæ ignibus etiam nunc, ante diem Judicii; & nos idem docemus: at verò Justinus, Irenæus, Epiphanius & Oecumenius contrarium docuerunt, igni sempiterno tradendos quidem dæmones esse in die Judicii, nondum tamen traditos, referente Bellarmino, lib. 1. De Sanctorum beatitudine, cap. 6. art. antepenult. Quæ ratio? Quæ verò alia nisi hæc, nimia credulitas, quâ aliquid contagii à seculi in quo vixerant consuetudine

suetudine traxerunt, dum alii aliorum vestigiis insistebant, neque ad recognitionis calculos quæ semel imbiberant revocabant? Hæc Instantia secunda.

Tertia erit De defunctorum animis ex hac vita migrantibus. Contendunt Pontificii, solutos corpore piorum hominum spiritus, qui purgatione nullâ indigent, admitti statim ad fruendam beatitudinem, quæ in clara Dei Visione sita est; & hoc nos magis contendimus, quia nè ipsum Purgatorium excipi dicimus; utrinque, inquam, in hoc convenimus, Animas sanctas statim post suam è corporibus dissolutionem illico ad cœlos migrare: at Veteres longè aliter; etenim Clemens Romanus, Tertullianus, Origenes, Irenæus, Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Bernardus & alii contrà tenuerunt, Animas non frui Visione Dei ante diem Judicii, citante Sixto Senensi, lib. 6. Biblioth. Annot. 345. Quæ ratio? Annon hæc, nimia ad credendum propensio? Solvat hunc nodum ipse Senensis, in præfat. ad lib. 5. Bibliothecæ; *Innumera Veteres*, inquit, *pro temporum, locorum, & personarum opportunitate scripserunt, unde & interdum decepti:* & lib. 6. Annot. supradictâ, *Bernardum hac in causa grato ac benigno affectu excusandum arbitror, ob ingentem numerum illustrium Ecclesiæ Patrum qui ante ipsum huic dogmati authoritatem suo testimonio visi sunt præbuisse.* Nempe in hoc totum vertitur, quòd Bernardus & reliqui antecessores suos in opinione præsumpta, nullâ aut quàm exiguâ trutinatione factâ, subsequebantur. Hæc Instantia tertia.

Bell. de Beat. Sanct. l.1.c.1.

Quartam Isaacus Casaubonus suppeditabit, vir doctus & non sine præfatione honoris nominandus, De causa constitutiva mortis aliarúmque afflictionum quæ viris justis hîc solent contingere. Agnoscunt Pontificii afflictiones omnes & mortem ipsam juxta Divinum consilium Sanctis evenire, dicente Scripturâ, *Dominus dedit, & Dominus abstulit*; & nos idem agnoscimus: at verò Casaubonus in Annotat. suis in Gregorii Nysseni ad tres fœminas Epistolam, animadvertit, nonnullos Græcorum Patrum persæpe malorum quæ accidunt causam τὸν φθόνον, hoc est, *invidiam*, statuere; huic suas afflictiones, huic charorum suorum mortes, huic adversa omnia accepta ferebant: quæ quàm sit malesana, & doctrinæ Christianæ saltem in speciem repugnans sententia, nemo non videt. Casauboni est Observatio: ego rationes & exempla attexere conabor. Videamus ergò quæ ratio aut origo fuerit hujus loquendi formulæ. An illa est, quòd abstractum pro concreto, *Invidiam* pro *Invido* & maligno humani generis hoste, posuerunt? Certo certius; nam sic Scripturam Sacram loquentem habemus, Matth. 13.28. ὁ ἐχθρὸς ἄνθρωπος, hoc est, ὁ φθονερὸς ἄνθρωπος, *inimicus homo*, sive *invidus*, hoc est, Diabolus: quia, ut Phavorinus optimè, ἔχθος ἐστὶ τὸ μῖσος, καὶ ἔχθημα τὸ μίσημα, καὶ ἐχθρὸς ὁ πρότερον φίλος ὤν, καὶ ὕστερον καταστὰς εἰς ἔχθος· sicut ipse Diabolus, nostri amicissimus futurus ex creationis dono, postea ex peccato suo invidiosissimus evasit. Sic etiam sæpius loqui solent & Patres, & satìs propriè, cùm de malo culpæ agunt. Chrysost. in cap. 28. Geneseως, ῥίζα τοῦ φόνου ὁ φθόνος, *homicidii radix invidia*; hoc est, invidus Spiritus: & Sermone in illud Evangelii, Collegerunt Judæi Concilium, τοῦ θανάτου γεννήτωρ φθόνος, *mortis pater invidia*: & rursum de Juda, ὁ προδότης τῷ φθόνῳ κινούμενος, *proditor Judas impulsus invidiâ, laqueo vitam finivit.* Similiter & Greg. Nyssenus, in l. De Vita Mosis, ὁ τοῦ θανάτου πατὴρ φθόνος, ἡ πρώτη τῆς ἁμαρτίας εἴσοδος φθόνος, *Mortis pater invidia, primi peccati janua invidia, qua nos exterminavit à Paradiso, & repulit à ligno Vitæ.* Etiam & Greg.

Hom. 54.

Greg. Nazian. Orat. 21. quæ est In S. Athanasium, de S. Job. loquens, ἀγὼν ἦν ἀρετῆς καὶ φθόνου, *certamen erat virtutis & invidiæ.* Rursus de Ecclesia, *Author turbarum Ecclesiæ invidia*, i.e. invidus Spiritus. Hæc omnia illi satis præclarè & orthodoxè, cùm de peccato loquerentur; nam reverà peccati origo non aliunde est quàm ab invidia diaboli. At illa altera ipsorum dicta pejoris sunt notæ quàm ut facilè digerantur; quòd idem loquendi genus usurpant cùm loquuntur de suorum mortibus, & id genus aliis calamitatibus: quæ tamen omnia à Deo solo ordinantur, quo non jubente, nè pilus quidem capitis deperit; & tamen ipsi hæc quoq; ad invidiam referunt. Nyssenus in Orat. funebri, de Placilla Imperatrice, uxore Theodosii, quæ in Thracia diem suum clauserat, *Illinc*, inquit, videlicet è Thracia, *hoc bonum abripitur, illic* ὁ φθόνος ἐκώμασεν, *invidia adversus imperium grassata est, & nobis eam sustulit:* & Orat. consolatoriâ in funere Pulcheriæ, Theodosii & Placillæ filiæ, *Nostis*, inquit, *teneram hanc columbam, nitidis pennis volucrem, quæ in nido regio nutriebatur, ut ex oculis nostris evolaverit, ut eam repentè de manibus nostris* ὁ φθόνος ἀφήρπασεν, *invidia rapuerit.* Eodem modo & Nazianzenus in laudatione Cæsarii fratris, quæ est Oratio decima, de se & illo sic loquitur; *Eramus ambo, matri cùm simul conspiceremur, par quoddam desiderabile*, ἡ νῦν κακῶς ὑπὸ τοῦ φθόνου διαλυθεῖσα, *licèt nunc par sumus malè ab invidia dissolutum:* & Ep. 30. quæ est ad Eudoxium Rhetorem, super ejusdem Cæsarii obitu, ἥρπασεν ἡμῶν ὁ φθόνος τὴν συνουσίαν *nobis vitæ consuetudinem invidia abripuit.* Ex quibus omnibus apparet, usitatum illis fuisse mortis causam in invidiam & livorem resolvere: quod neque piorum aures ferunt, & ipsorum etiam pietati nullatenus congruebat; quippe & ipsi satis norunt, ut vitæ, sic mortis potestatem in Dei manibus positam, eandémque supremam majestatem quæ suos servat in corpore, è corporis ergastulo ad seipsum cùm sibi placuerit transferre. Quæ igitur ratio hujus locutionis, ut videtur, impiissimæ apud piissimos Scriptores? An potest quis aliam comminisci, quàm quòd eam ex antiqua Ethnicorum loquendi consuetudine, aut nimis creduli, aut non satis perspicaces, hauriebant? Quis enim ignorat phrasin ipsam & sonare & sapere gentilitatem? Solebant Scriptores Ethnici deos sibi malignos & invidos fingere, & malorum suorum causas in deorum invidiam torquere. Hippothoontis vox est apud Stobæum, Ser. 38. φθόνος θεοῖς χάκιστος· & Euripidis in Oedipo, φθόνος ἀπώλεσ' αὐτόν. Notum est & illud Herodoti, φθονερὸν τὸ θεῖον· etiam & illud, φθόνος δ' ἀπέστω καὶ Νέμεσις. Ab istis igitur ad Patres derivata est durissima locutio, quæ rectiùs dissimulatur quàm affectatur, & religiosiùs condonatur viris alioqui magnis quàm imitanda proponitur: adeò facillimum est Sanctis viris non cogitantibus & malè sentire, & cùm bene sentiant se malè exprimere, dum non attendant quid mali furtim serpat à præsumptis illis parúmque libratis sive loquutionum sive dogmatum exemplaribus; cùm revera etiam hoc modo inter cæteros in Ecclesiam irrepsit τὸ περιττὸν καὶ καλλιγλωττισμένον τῆς Θεολογίας, ut Gregorius loquitur, *multa superflua & verbosa dogmata*, partim ex contactu temporum, partim ex credulitate personarum, partim ex immediato amplexu rerum ipsarum, dum propter personas ad tempora, & propter tempora ad res ipsas, piâ, sed prodigâ, credulitate vix opinati ferebantur. Mallem enim in hac inevitabili quâ constringor necessitate ut aliqua causa lapsûs referatur, mallem, inquam, ad frontis infirmitatem & animi remissionem tantorum Siderum deliquia reducere, multò magis quàm ad perversæ & seductæ mentis vel pravitatem vel cæcitatem: cùm pro minima omnium aberratiuncula Credulitas reputetur, atque pro errore magis quàm culpa Ciceronis arbitrio sit dijudicanda. Quo- Or. 21.

circa in prima parte Regulæ, tot locorum Instantiis & Adversariorum consensu confirmata, hucusque processisse sufficiat; Impegisse in aliquibus Veteres illos eruditionis Antistites huic incogitantiæ atque credulitatis pessulo, eóque titubasse. Hæc Demonstratio prima.

Demonstratio secunda ad nos ipsos spectat, Non esse eandem fidem aut authoritatem istius sortis testimoniis tribuendam, atque illis quæ ex notitiâ sua judicióque limato deliberatiùs Patres scriptis mandarunt. Hæc Regulæ Appendicula, in cautelam addita; quæ fortasse effugerat, nisi Possevinus in Bibliothecæ suæ l. 16. c. 13. monuisset. *Qui ad veteres historias legendas accedit*, inquit Possevinus, *hâc primâ cautione muniendus est, ut nihil indè concipiat ex quo tepescat in Christiana pietate ac religione Catholica Romana.* Scilicet! Hæc eorum solicitudo summa, nè quid è Veteribus lectores hauriant quod religioni Romanæ præjudicet: at ego putaram, non ad Romanam fidem Patres, sed ad Patres Romanam fidem esse exigendam; & sui oblitus Jesuita cautionem interserit, nè quid è Veteribus excerpamus quod Romanensibus non placeat. Permittamus eis ut aliquando se prodant: sed tamen hanc ipsius syngrapham in aliam quæ magis frugi erit commutemus, hoc modo;

Qui ad Veteres, sive Historicos sive Dogmatistas, legendos accedit, oportet ut caveat nè eâdem observantiâ eos pedetentim sequatur cùm se rumoribus duci patiantur, ut cùm ex propria conscientia, justâ æstimatione factâ, loquantur. De veritate & necessitate Regulæ non est quòd ambigatis; etenim vel ex Juris Civilis consilio hanc prudentiæ partem addiscere potestis: Jurisperiti sic definiunt, *Testimonium de credulitate firmiter non valet*; &, *Testimonium de auditu non probat*; &, *Testimonium de propriis sensibus proferendum est, non de alienis.* Quòd si tam cautè ipsi civilis subsellii judicia tractent, quantò magis nos, qui in causa Fidei pro Tribunali Divino consistimus? Absit ut ex rumoribus, aut famæ calculis, aut vulgi auditu, Religionis firmamenta ducamus: cùm & ipse Salvator in Evangelio, ut se legitimum testem veritatis probaret, ex scientia sua se loqui asserit, Joan. 3. 11. *Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur*; & dilectus discipulus, ut se fidelem testem evinceret usquequaque, certissimis omne genus demonstrationibus verba sua reddit munitissima, 1 Joan. 1. 1. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, id testamur & annuntiamus vobis.* Viden' ut omni ex parte inexsuperabilibus præsidiis vallatum, & editissimis verborum tumulis circumseptum testimonium præstruit? *Quod fuit ab initio*, nè species & imagines rerum nuperarum se proferre lectores somniarent. Dein, *Quod audivimus*, scil. per Prophetas, per Baptistam, per ipsum Verbum incarnatum; & in plurali, *Quod audivimus*, nos duodecim Apostoli, & 70 Discipuli, nè Aurium tinnitu decipi unum posse objicerent, si seipsum in singulari nominasset. Adhuc, *Quod vidimus oculis nostris*, quasi non ad aures solùm sed oculos provocare vellet; & oculos proprios, & oculos utrosque, nè rumoribus frigidis rem transigi suspicarentur. Denique, *Quod perspeximus, & contrectavimus*, ut omnem sensuum, eorúmq; & externorum & internorum, consensum indigitaret; ὃ ἐθεασάμεθα, h. e. quod quasi in theatro summa cum diligentia & admiratione atque delectatione vidimus, quasi rem in spectaculo positam Deo, Angelis, Hominibus ad intuendum. Hoc illud est quod annuntiamus, hoc illud quod omni cognitionis genere, revelationis, rationis, sensuum, experientiæ testamur; & non testamur modò, sed contra omnem hostium repugnantiam protestamur. *Hoc*, inquit, *testamur & annuntiamus vobis.* Nunc verò si quis causam rogitet, cur hos verborum ictus & fulmina

iterúmque

iterúmque iterúmque Apostolus duplicaverit? non dubito has duas reddi posse: Ex parte sui, ut ostenderet hæc se mysteria non levi consilio aut animi creduli vitio vel didicisse, vel docuisse: Ex parte nostrî, ut suo exemplo nos commonefaceret, nè inter rumorum fluctus aut super credulitatis arenam ædificii fidei columnam statueremus; sed & ex visis in lectione Verbi, & ex auditis in prædicatione Verbi, & ex contrectatis in suavissimis Spiritûs intus loquentis palpitationibus accuratam credendorum dimensionem faceremus. Nimirum & huc nos ducit cohortatio Sancti Pauli, 1 Thess. 5.21. *Omnia probate, quod bonum est retinete:* quibus verbis Christianos omnes, sive, ut Clemens loquitur, πνευματικοὺς, *spirituales* omnes affatur, ut Strom. 1.
ex veritate omnia dijudicent, πότερον δοκεῖ, ἢ ὄντως ἔχεται τῆς ἀληθείας, *utrùm vera fuerint quæ recipiant, an videantur solúm:* non ut omnia diglutiant raptim, καὶ ἀνεξετάστως, sed ut exquisitè æstiment, μετ' ἀκριβείας, Chrysostomi verbo; *ut sint*, inquit Hieronymus, *probati nummularii,* qui nummum Ep. 132.
adulteratum, nec signatum, nec figuram Cæsaris habentem, reprobare possint; qui autem Christi faciem claro præfert lumine, in cordis sui marsupium recondant. Hinc est quod S. Chrysostomus, Concione suâ in quatriduanum Lazarum, Tomo operum 5°, illa Dei verba, Gen. 18.20. *Dixit Dominus, Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est: descendam, & videbo an fecerint secundùm clamorem qui venit ad me, & si non, sciam;* hæc, inquam, verba Chrysostomus scitissimè in documentum nostrum retorquet, velut ad imitationem nostram pronuntiata; *Descendam, & videbo an sit secundùm clamorem; hoc est quasi dixisset, Rumor quidam ad me pervenit, sed accuratiùs volo rursus re ipsâ experimentum capere: non quòd ignorem ego, sed homines à me doceri volo* μὴ ἁπλῶς τοῖς λόγοις προσέχειν, μηδὲ πιστεύειν εὐχερῶς, *nè temere verbis fidem adhibeant, aut facilè credant, sed postquam accuratiùs omnia æstimaverint, tum demum ut credant.* Eadem de causa in alio Scripturæ loco audimus, *Nolite credere omni spiritui, sed probate spiritus,* 1 Joan.4.1. & Ecclesiastici 19. 16. *Nolite credere omni verbo.* Quæ ratio? Ad manum est ex Chrysostomo, οὐδὲν οὕτως ἀνατρέπει τὴν ζωὴν, ὡς τὸ ταχέως πιστεύειν τοῖς λεγομένοις, *Nihil ità omnem vitam hominum evertit, ac si statim iis quæcunque passim dicuntur fidem adjungant.* Proinde non opus est ut illud Siracidis urgeam, Eccles. 19. 4. *Qui citò credit, levis est corde:* quanquam & hoc credulitatis damnum vix facilè potest resarciri, si signum duntaxat fuerit animi nugatorii & erratici. Verùm ecce majus multò incommodum; non signum tantùm errantis animi est, sed causa, unde & S. David in Psal. 119. vers. ult. errantem animum Ovis similitudine describit, *Erravi sicut ovis; quære servum tuum:* est enim Ovis, ut nôstis, animal & maximè sequax & maximè simplex, ideóque errabundum quia sequax, & sequacissimum quia simplicissimum. Ità se res habet in animo; nihil aut simplicitate sequacius, aut sequaci & volatili ingenio simplicius: hoc aliud incommodum; sed nec hoc totum. Ecce adhuc majus; *Evertit omnem vitam,* inquit Chrysostomus. Prudenter *omnem* dixit, ut & naturalem, & civilem, & spiritualem vitam sub unius vocabuli compendio intelligeremus: etenim & tranquillitatem animi perturbat, quæ pars suavissima vitæ; & integritatem famæ violat, quæ pars vitæ altera; & mentis judicium debilitat, & spei anchoram suffodit, & fidei firmitatem diruit, & erroribus universis portarum claustra reserat, ut quid credat vix quisquam sciat, si rumorum aucupiis res Religionis peragantur. Quòd si hæc à me gratìs dicta quis existimet, respondeat & doceat quâ aliâ clave aperta sit inter Papistas Superstitionis janua nisi nimiæ Credulitatis; aut ex quo fonte manarunt ad posteros tot in Papatu, anilia dicam, an puerilia? commenta, nisi ex Credulitate.

 Dicite

Dicite ex quo utero prodierunt tot ementitæ revelationes & fictorum miraculorum tam numerosa progenies. Ex Credulitate. Aut unde, obsecro, fieri potuit, ut adeò invalesceret vel Cultus Imaginum, vel defunctorum Invocatio, vel honor tam indebitus Reliquiarum, vel Pietati gravis Traditionum & rituum turba, nisi meretrici purpuratæ novitatibus gravidæ Credulitas obstetricasset? Verône hæc dicam an mendacio Demonstratio quæ sequitur tertia attestabitur. Interea nè inanis & confusa videatur defensio, liceat mihi uno aut altero experimento rem palàm facere, quantum incommodi ex credula dogmatum receptione oriatur. Alterum erit è P. Lombardo, alterum è Damasceno depromendum; quorum ille Sententiarum Theologicarum inter Latinos compilator fuit, hic inter Græcos.

Primum est ex Lombardo, De Sacramentorum numero. Lombardus primus omnium septem Sacramenta numeravit, l. 4. dist. 2. cùm antea nullus esset, in sensu saltem generico, Sacramentorum certus numerus, propter vocabuli homonymiam. Quòd Lombardus primus hoc fecerit Georgius Cassander, in Consultationis Artic. 13. ostendit his verbis; *Non temere quemquam reperias ante P. Lombardum, qui certum aliquem & definitum Sacramentorum numerum statuerat; ad quem sequendum, mysterium numeri septenarii in Divinis literis celebratissimi posteros induxisse videtur.* Hæc Cassander. Imò & Adversarii ipsi non inficiantur: nam primò Coccius, qui hanc sibi studii Theologici partem imposuerat, neque indiligens erat in colligendis dictis Veterum, nè unum quidem è Patribus proferre potuit testimonium ad eum numerum explicitè confirmandum; neque id tentat quidem. Deinde Valentianus disertè fatetur, Sacramenta septem Patres simul non numerare, nè aliquo in loco. Postremò & Bellarminus, quamvìs id invitus faciat, attamen non diffitetur, dum dicit, l. 2. De effectu Sacramentorum, c. 24. *Non debere nos ab iis petere, ut è Scripturis aut Patribus nomen septenarii numeri ostendant: quia Patres, etsi non junctim numerent septem Sacramenta, at sigillatim de singulis statuere.* Quid quòd & ipse, cùm omnia tentasset, non ultra quadraginta abhinc annos ætatem septenarii numeri protendere potuit? *Magister*, inquit, *Sententiarum, & omnes indè Theologi, septem esse Sacramenta tradiderant*, l. 2. De effic. Sacram. c. 25. Ergò hoc nunc pro concesso ponitur, Septem Sacramentorum numerum universæ Antiquitati fuisse incognitum, donec Lombardus introduxerat. Et quid indè mali est exortum? Revera non angustum aliquod malum, sed latè patens & interminata contagio: nam à Lombardo ad Scholasticos dogma est traductum, qui omnes, excepto uno aut altero, Magistro tenaciter adhærebant. A Scholasticis derivatum est ad alios Theologos, & hinc ad Concilia transiit: nam primò, in Concilio Florentino Eugenius quartus hunc numerum definivit; *Sacramentorum veritatem*, inquit, *sub hac brevissima redigimus formula, ut nova Legis septem sint Sacramenta.* Deinde, post Florentinum Concilium Tridentinum arripuit, & Anathema denuntiavit quibuscunque septem negantibus, *Si quis dixerit aut plura aut panciora esse quàm ea septem, Anathema sit*, Sess. 7. Can. 1. Postremò, post Tridentinum Decretum exortæ sunt acerbissimæ illæ & tantùm non mortiferæ dissertationes de præciso septenario numero Sacramentorum; ut nunc si singula colligamus, non ex radice alia pullulasse hanc nuperam stirpem comperiemus quàm ex hac delira Credulitate, quâ se Magistro suo devinctos Scholastici sentiebant, ut suspicerent defenderéntque ipsius omnia, velut Apollinis Parisiensis Oracula: adeò se propensos præbent in hujus Magistri verba jurare, &, sicut pulli, ad hujus Galli cantum recinere. Hoc Exemplum primum.

l. de Numero Sacram. c. 1.

Alterum prodit è scriptis Joannis Damasceni. Ille in Oratione De fidelibus

delibus defunctis, confidenter affirmat, Falconillæ paganæ fœminæ animam orationibus S. Theclæ ab Inferno fuisse liberatam; & orationibus Gregorii Dialogi, (sic enim à Græcis, ob Dialogorum libros quos conscripsit, vocabatur) Gregorii, inquam, Dialogi orationibus, liberatam ab Inferno animam Trajani Imperatoris: & ad majorem rei incredibilis fidem addit, audivisse inter orandum hanc cœlitus Dei vocem Gregorium, *Ecce preces tuas audivi, & Trajano ignosco. Quódque istud*, inquit, *verum sit, Oriens totus atque Occidens testantur.* Hæc illa sunt Damasceni deliria dicam, an somnia? quæ vel meminisse animus horreret, nisi me huc ratio Argumenti perduxisset: cùm vix quispiam sit qui singula quæ exinde nata sunt incommoda valeat recensere. Nam primò, istarum fabularum fæcibus Ecclesia Græca est corrupta, quæ eas ex ipsius scriptis in suum Euchologium transtulit, ut videre est c. 96. Euchologii; ibi sic habemus Sacerdotem orantem, *Ut voluntate tuâ Theclam primam martyrem exaudisti pro matre sua idolorum cultrice orante, & veniam ipsi concessisti, & quemadmodum Trajanum per intentam servi tui Gregorii Dialogi intercessionem flagro solvisti; exaudi etiam nos te orantes*, &c. Hoc primum incommodum, in Ecclesia Græca. Deinde, & non multò inferioris notæ & aliud hinc denatum in Romana Ecclesia, in qua dici vix potest quàm se torqueant Pontificii ut huic Damasceni prodigio succurrant commodâ aliquâ interpretatione; ídque satagunt valde dissidentibus sententiis. Inprimis, Melchior Canus, l. 11. c. 2. Loc. Theol. historiam simpliciter improbat ut *confictam*; & Soto, in 4 Sent. d. 45. qu. 2. art. 2. *historiam esse* dicit *creditu durissimam*: deinde, ipse Bellarm. l. 2. de Purgatorio, c. 8. quamvìs huc propendeat, addit tamen, *Si historia defendi debeat, oportet dicere, Trajanum non fuisse damnatum absolutè ad inferos, sed solùm punitum in inferno, secundum præsentia ejus demerita, & suspensam sententiam propter prævisas B. Gregorii preces.* Ad hæc, Tho. in 4. Sent. dist. 45. qu. 2. probabilissimum putat, animam Trajani liberatam solùm à pœnis Inferni usque ad diem Judicii, ac deinceps cruciandam cum cæteris. Abulensis verò aliter, Qu. 57. in 4. lib. Regum, *non eum immediatè ex inferis ad cælum transiisse* dicit, *sed priùs corpori unitum, vixisse quamvìs ignotum in terris, & postea baptizatum sanctitate & pænitentiâ suâ vitam æternam meruisse.* Porrò Joannes Diaconus, citante Bellarmino, adhuc aliter; *non liberasse eum ab inferno Gregorium, sed id solum obtinuisse, ut in inferno exsistens ignis pænam non pateretur.* Postremò, nam istis nugis vereor nè fatigatos vos redderem, Alfonsus Ciaconius adhuc aliter; etenim ille, homo omnium audacissimus, non est veritus etiam pro hac historia Apologiam scribere, & validis, ut putavit, argumentis pro verissima vindicare, ídque morosissimâ eloquentiâ. Næ ille suo dignissimam patrocinio causam egit, & aut Romano calamo celebrandam, aut nullo; neque nostri est prohibere quò minùs suâ laude fruatur, si non de nativo stercore crabrones contra se etiam de suis irritasset: de nobis meliùs meruit quàm ut increpemus; imò est potiùs in quo gratias agamus, cùm exinde nonnihil dederit quod præsenti quàm aptissimè inserviat Argumento. Sunt igitur duo quæ ex istis præmissis elicimus Consectaria.

Primum, Quòd multorum malorum rivuli ex unius pravi Dogmatis defensione ebulliant, cùm non habeat error ubi conquiescat, neque modum noverit, ut se intra suos terminos contineat: picis instar, si tangamus, inficit, si contrectemus, polluit; quid dicam si volutemus? Hoc ipsum Abulensi, Bellarmino & Scholasticis contigit, dum se Damasceni fabulis immiscuerunt: vix dictu credibile, quot lites, & jurgia, & querelæ concitatæ, eæque inter uterinos & collactaneos; quot artes, quot figmenta, quot portenta opinio-

num excogitata, ut amasii sui possent ineptias quoquo modo defendere. Nam respondeant mihi velim, an ipsa astutia exquirere potuit honestam aliquam Damasceni excusationem, ut pro purgando ipsi se tam miserè excruciarent. Dicant denuo, annon est pejor morbo medela quam ex aliis figmentis contexunt: *in inferno eum esse, sed absque tormento*, dicit unus; *ab inferno liberatum usque ad diem judicii*, alter; *ex inferno ad terras translatum*, alter, *& baptizatum, & incognitum, & redivivo merito in cœlos evectum*. O theologiam! ô quisquilias! ô spectra ipso deteriora prototypo! Obsecro, quæ ratio hujus anxietatis, ut in Damasceni gratiam seipsos adeò involverent? Opinor illam fuisse, Quòd imaginum strenuus assertor fuerit Damascenus, atque pro iis tres Orationes scripserit. An non æquum est ut ei vicissim hunc defensionis honorem rependant gratissimum pecus Pontificii, qui ipsi Imagines non ut unam Helenam, sed multas, adorant & venerantur? Hæc potest esse una ratio. Opinor & illam fore alteram, Quòd cum Purgatorio Infernus sit conterminus, sperabant igitur istius de Inferno dogmatis defensione se suum de Purgatorio facilius creditu efficere posse. Nam quis est è Papistarum plebe tam mentis inops, qui non similius veri arbitrabitur, posse suis precibus unam animam liberare piissimum Gregorium ab Inferno, quàm Hildebrandum aliquem aut Alexandrum suis veneficiis tot animarum fasciculos è Purgatorio? De Inferno, cùm sit, potest esse aliqua, quamvis malesana, conjectura: de Purgatorio, ut de non ente, nulla. Ergò necesse fuit ut Damascenum defenderent: nam si ipsi non crederent, seipsis quomodo sunt credituri? neque enim est corvus corvo similior, quàm illius figmento hoc suum, nisi quòd illud in fabulam transiit, hoc in dogma fidei; atque illud explosum evanuisset nisi ex hoc ipsorum speciosas istas rationes invenisset quibus revivisceret, ex uno absurdo multis germinantibus. Hoc Consectarium primum.

Secundum est, Quòd erroris seminarium magnum sit officiosa Credulitas, sive ipsum Lombardum & Scholasticos, sive Damascenum & sectatores ejus spectemus. Si Lombardum, ausim ad ipsos provocare, quantâ credendi temeritate rapiantur Scholastici, ut omnia ejus vestigia & sequantur, & vindicent, & promoveant: si Damascenum, res ipsa loquitur, & ipsum in hanc sententiam fidei levitate evectum ut aliis crederet, & alios eâdem credulitate ut ipsi fidem adhiberent, eósque tam Latinos quàm Græcos. Quippe quòd totius Orientis lumen tunc temporis Damascenus habebatur, vir eruditione clarus, & persecutionis prætextu clarior, & restitutæ manûs miraculo clarissimus. Hinc orta Credulitas, ut Orthodoxum putarent quicquid Damascenus dixerit, & defendendum quicquid vel dictantibus aliis pronuntiaverit. Sic impetu fluminis in erroris gurgitem incauti remiges tracti sunt, sequentibus primores suos posteris, donec quæ ex populari rumore fabula nata, rumore etiam, sed eruditiori, eóque pejori, inter Theologos recepta & continuata foret. Hæc radix totius negotii, hoc incrementum, hæ causæ, & primæ originis in Damasceno, Credulitas; & defensionis inter Pontificios, Credulitas; & propagationis ad Græcos, Credulitas: adeò tantum, adeò tantillum distat inter ejusdem matricis denominativa, ut cùm Creditio & Credulitas ad fidem ambæ prospiciant, nescio quâ abstractione eveniat ut sensibus disjungantur; cùm fides non habeatur nisi credendo, certè non periclitatur nisi creditando. Neque hæc temere loquor: nam Creditio ad fidem pertinet, Credulitas ad opinionem; Creditio verbo Divino nititur, Credulitas humano; illa Scripturis Sacris, hæc vulgi rumoribus; illa auræ cœlestis est halitus, hæc popularis; ex illa firmissimum testimonium elicitur, ex hac quod vires aliquas habeat nullum. Hæc secunda

De-

Demonstratio, quam Regulæ Appendiculam dixi, Nullatenus esse credendum iis Veterum suffragiis quæ ex rumoribus credendi levitate hauserunt. Ad Demonstrationem tertiam accedendum esset si temporis angustiæ permitterent, quas jam vereor effluxisse, ut quod in Thesi palàm fecerim, ostenderem etiam in Hypothesi; Quòd istis præsumptis & solâ credulitate suffultis sententiis Pontificii sæpius abutuntur ad stabiliendas multas maximi momenti controversias: sed alterius horæ expensam hæc ultima Regulæ pars in se sola postulabit; quocirca ad proximam præsentiam remittenda est.

LECTIO XLIII.

AB ambiguis Patrum dictis ad ea quæ ex Credulitate interdum nimia loquebantur ut passus ultimus, ità & rectissimus fuit itineris & profectûs nostri in celeberrimo hoc de Patribus legendis argumento: ídque sive in Res ipsas, sive in rerum Incommoda, sivè in Ordinem à me priùs positum, oculos retorqueatis. Si in Ordinem, magna est inter quartum & quintum distinguendi Modum propinquitas: sunt enim adeò vicini ut nihil interveniat. Sed postquam de testimoniis constiterit, Ea Categoricè & apertè, non hæsitanter, fuisse prolata, sequitur ut in hoc cura proxima statuatur, videre an ex certa sua scientia, vel magìs fide aliorum, hoc vel illud de quo quæritur loquebantur. Rursus, si in Res ipsas, est etiam inter eas aliqua, quanta ferè potest esse inter terminos dissentaneos, affinitatis conjunctio: namque cùm Infidelitas & Præsumptio sint ipsa extrema inter quæ Fides incedit, sequitur ut gradus istis extremis contermini sint mentis Ambiguitas & Credulitas; nam Ambiguitas ad Infidelitatem inclinat, Credulitas ad Præsumptionem. Denique, si in rerum Incommoda, etiam & hoc respectu sese mutuò sequuntur, quia utraque contra veram fidei certitudinem pugnat; Ambiguitas mentis à sinistris, Credulitas à dextris; Ambiguitas citra, Credulitas ultra fidei scopum jaculando: Ambiguitas est velut fidei abortio, Credulitas superfœtatio; Ambiguitas nihil certò suscipit, Credulitas avidissimè omnia; Ambiguitas non amplectitur quod oportet, Credulitas amplectitur quod non oportet; illa humi repit, hæc ad summitates attollitur: utrinque periculum, illic nè subsidat animus, hîc nè præcipitetur. Ergò sicut in illa, secernenda esse dixi hæsitanter dicta ab asseveratis; ità & in hac, nimiâ facilitate præsumpta à scitis & exploratis, quæ cùm diversâ fide ab authoribus scripta fuerint, perabsurdum est si eâdem fide cum cæteris in veritatis testimonium à lectoribus cooptentur. Hæc Regulæ quintæ summa, à quinto distinguendi Modo translata; quam ut penitiùs enucleatam redderem, ad tres Demonstrationes examen ejus revocavi: Quòd Veteres aliquando, & in historicis & in dogmaticis, oscitantiùs sunt locuti, præsumendo nonnulla ità esse ut vulgò ferebantur: hæc Demonstratio prima, superiùs exsoluta. Quòd ex ejusmodi præsumptis sententiis, quæ à rumúsculis animísque ad credendum propensioribus natæ sunt, testimonium firmum & legitimum non deducitur: hæc Demonstratio secunda, quâ, simul cum prima, pridie defunctùs sum.

Postremò, Quòd in hac Credulitatis basi pars magna religionis Pontificiæ statuminatur, quódque ipsorum Theologis in more positum ex istiusmodi nutantibus testimoniis disputare, & maximas fidei controversias definire:

Hæc Demonstratio tertia, uberiùs nunc discutienda. De qua dum disseruero, satìs intelligo non defuturos quibus audax & temeraria Propositio videatur, vix aut probanda nobis, aut ferenda Adversariis; & illis fortassis scrupulum moveat, istis stomachum: sic in ipso limine Quæstio optima hæret, duobus confossa præjudiciis. At ista me non retardant quò minùs progrediar; cùm satìs sciam quantum intersit inter dicere & demonstrare, quódque aliud sit per calumniam, aliud cum veracissima fronte loqui. Quocirca aut argumentis evincam, aut cedam, attestante mihi indubitanter Conscientiâ, quòd eam causam susceperim quæ & absque calumnia dici, & quàm exiguo negotio probari potest: sin minùs, pudebit in posterum ex hoc sanctissimo loco vos aut contemplari aut alloqui, quos tamen hactenus expertus sum benignos Auditores, & nunc appello æquissimos Judices. Sunt autem duo præcipua Capita Demonstrationis: Quòd pars magna religionis Pontificiæ hâc Credulitatis columnâ nitatur; hoc primum. Quòd ad hæc incerta & tremula, atque credulitate solâ suffulta, Patrum suffragia pro multis doctrinæ suæ dogmatibus stabiliendis sæpissime Papistæ confugiunt; hoc secundum caput Demonstrationis.

Quæ duo si in diversa prospicerent, ordinis ratio exigeret ut in utroque sigillatim operam collocarem; sed quia à se mutuò pendent, consultius puto, & brevitati quam ambio congruentius, in eadem inquisitionis lance utrumque simul expendere. Atque revera si Syllogisticis rationibus transigenda res esset, paucissimis absolverem: sed aurium quarundam mollitudo vix ferre potest contractum hoc genus, & in breve coacta lemmata; ut mihi jam mediâ viâ sit incedendum, Syllogismorum formis sepositis, vigore retento. Sint igitur hæc tria Demonstrationis sustentacula.

Primum hoc esto; Quæcunque religio Scripturæ Sacræ judicium in rebus fidei reformidat, & in humano judicio conquiescit, ea non principiis certis & Demonstrationibus indubitatis, sed solâ opinione & præsumptione & credulitate nititur: Si doctrina Papistarum sit ejusmodi, Roma subacta est. Sunt autem duæ Propositionis partes. Prima, Quòd præsumptionis nimiæ est in rebus fidei Scripturæ judicium refugere. Quæ ratio? Præter alias, illa una firmissima; quia cùm veritas Christiana sit supernaturalis, adeò ut neque sensu, neque experientiâ, neque ratiocinatione in scientiam venire possit, necessaria est revelatio, eáque non ab hominibus, sed à Spiritu Sancto; illa autem revelatio est sola Sacra Pagina. Extra hanc vagari non possumus, nisi animis dubii & hæsitantes, cùm extra hanc omnia sint infirma & titubantia; hæc sola Demonstrationes indubitatas præbet;
Aug. De bono Viduit. c.1. *hæc sola est*, ut inquit Augustinus, *quæ doctrinæ nostræ regulam figit*; imò
Beda in Matth. *unica est*, inquit Beda, *credendi pariter & vivendi regula præscripta*; τῆς πίστεως
& citatur à ἄγκυρα καὶ ἔρεισμα, ut Athanasius in Synopsi ἀπόδειξις; πάσης δυνάμεως λογι-
Gratiano, Caus. κῆς, ἰσχυρότερος, ut Nazian. loquitur, tertiâ in Julianum; denique, Cle-
8. q. 1. Can. ult. mentis judicio, πασῶν ἀποδείξεων ἐχεγγυοτέρα, μᾶλλον δὲ ἡ μόνη ἀπόδειξις, Clem. Strom. 7. h. e. *certissima est & fortissima & sola fidei demonstratio.* Quanquam non opus est à me verba transferri, nam Petrus de Aliaco Cardinalis, qu. 1. in 1 Sent. art. 3. apertissimè id præstitit; *Principia Theologica sunt ipsa Sacri Canonis veritates, quoniam ad ipsas fit ultimata resolutio Theologici discursûs, & ex eis primò singulæ Conclusiones Theologicæ deducuntur.* Hæc prioris partis ratio.

Pars Propositionis posterior hæc est, Quòd credulitatis nimiæ est in humano judicio in rebus fidei conquiescere. Quæ ratio? Inter alias illa, quia & fallere & falli potest humanum judicium, ergò ineptum est ad certitudinem generandum, etiamsi ex quibusvis sanctissimis doctissimisque coagmentetur.

agmentetur. *Argumentis & testibus indigent omnia humana dicta*, ut Salvianus optimè; & *Auditorum cogitationes claudicantes relinquunt*, ut ante Salvianum Chrysostomus, *nunc annuentes, nunc hæsitantes*; *interdum sermonem ut frivolum aversantes, interdum ut probabilem recipientes.* Hæc posterioris membri ratio. *Salv. l. 3. De providentia. Chrys. in Ps. 96.*

Ex quibus si Assumptio statuatur, res erit extra omnem dubitationis aleam: quia Pontificii in causa fidei decernenda & Scripturæ judicium aspernantur, & in humano judicio se sistunt. Quòd Scripturæ judicium fugiant, habemus Ratisbonenses apertè profitentes, in illo Colloquio, *Non est norma aut sola aut unica, non est judex omnium controversiarum*; & Lorichium Jesuitam adhuc pertinaciùs, in Fortutitio, Hær. 5. De Scriptura, *Impossibile est, ut sit judex dubiorum de fide ac religione Christiana.* Deinde, quòd in humano judicio se sistant ex loco non uno apparet, sed innumeris; quamvìs diversimodè se explicant. Nam interdum has fidei definitiones referunt ad Traditionem Ecclesiæ, ut Cordubensis; interdum ad Patres & Concilia, ut Caranza & Pighius; interdum ad judicium Doctorum & Pastorum Ecclesiæ præsentis, ut Stapletonus, & Canus, & Bellarminus; (*Per Ecclesiam*, inquit Stapletonus, *magistros & pastores intelligimus*) aliquando ad solum scrinium pectoris ipsius Papæ, qui ipsemet, sive solus definiat sive cum Concilio, omnium dogmatum Judex est statuendus, ut Caranza, Hosius, Bell. l. 3. De verbo Dei, c. 5. & l. 4. De Pontif. Rom. c. 1. Istis hoc modo ab ipsis definitis, annon necessariò sequitur primum eorum principium esse Credulitatem, istis non dubiis modò sed falsissimis Axiomatibus innixam, Ecclesiam Romanam non posse errare, aut Romanum Pontificem falli, aut Conciliabula ab eo convocata in quopiam decipi? Quòd falsa sint Axiomata res ipsa loquitur; cùm certissimum sit non modò errare potuisse, sed etiam turpiter errasse. Quòd debilia sint fundamenta adhuc apertius, quòd contrariis cervicibus sæpe inter se pugnent, & sibimetipsis impingant; aliquando Concilia Conciliis: Ancyranum & Trullense Clericorum conjugia probant & confirmant, Elibertinum, Can. 36. & Arelatense secundum interdicunt; Concilium Nicenum secundum pro Imaginibus decernit, Elibertinum eis aditum præcludit. Et, ut in commune dicam, *Possunt*, inquit Augustinus, *Episcoporum literæ per Concilia reprehendi, & Concilia Provincialia per plenaria & œcumenica corrigi, ipsáque plenaria priora posterioribus emendari.* Deinde aliquando & Traditiones contrariantur Traditionibus: nam Ecclesiæ omnes Asiaticæ festum Paschatis 14. die Lunæ, antiquâ quadam traditione adductæ, celebrabant, teste Eusebio, Hist. l. 5. c. 22. reliquæ per universum Orbem Ecclesiæ alium morem observabant, eúmque ex consuetudine, ut jactabant, Apostolica. Passum esse Christum anno ætatis trigesimo docuit Tertull. cont. Judæos, c. 8. consentiente Clemente Alexandr. Strom. 1. at Irenæus disertis verbis asserit, docuisse Christum ultrà quadragesimum aut quinquagesimum annum, l. 2. c. 39. idque traditione à Joanne Apostolo derivata.

Cord. Ar. 2. c. 8. Car. in 1. Controversia. Pig. Contr. 3.

Trull. Con. Ca. 13. Anc. Con. Can. 10.

Aug. de Bapt. l. 2. c. 3.

Postremò, & aliquando etiam Romani Pontifices Pontificibus aliis contraria decernunt: Tridentini contrarium Gelasio, in diminutione Calicis; Innocentius tertius Cælestino, in Matrimonio fidelis & infidelis. Sic Nicolaus primus docuit, Baptismum à Judæo collatum in nomine solius Christi esse ratum, apud Gratianum de Consecrat. d. 4. Pelagius & Zacharias contrà: idémque observat Jacobus Almani De authoritate Ecclesiæ, c. 10. de Nicolao 3° & Joanne 22°, quorum unus judicialiter determinavit, Christum & Apostolos nihil habuisse in communi aut proprio; alter oppositum. Quibus omnibus pensitatis satis constat, firmamenta infirma illa Axiomata fore, *Cham. T. 1. p. 85. Alf. Castro l. 1. de hær. c. 4.*

fore, Ecclesiam Romanam, aut caput ejus Papam, aut Papâ moderatore Pastorum solenniorem consessum, falli aut decipi non posse: nisi ostendere possint è qua parte cœli sanctiora hæc oracula descenderint, ut sciamus an pro Apostolorum decretis, an magis pro audaculorum volitantibus præsumptisque sententiis sint habenda. Quod Christus ad Pharisæos, *Baptisma Joannis de cælo erat, an de hominibus?* si de cœlo, non de hominibus; si de hominibus, non de cœlo, est necessaria disjunctio: Ergò si hæc omnia ab hominibus & ex humani ingenii officina eruperint, absque omni dubitatione sequetur, quodcunque ex istis principiis exsurgens ædificium non certitudine firmâ, sed solâ credulitate fulciri. Quid enim est in præcisa sua notione Credulitas, nisi nimia ad incertis credendum pronitas & inclinatio? si quis rumores vulgi velut dicta prudentum, aut, quod majus est, testimonium humanum velut Divinum excipiat & amplectatur. An verò ipsi aliud agunt, dum regulam fidei dogmatum non à Scriptura Sacra, sed à Papa Pastorúmque suorum cœtu intrepidè mutuantur? nisi quis tam inops mentis sit & nullius frontis homo, ut dicat, decisiones Romani Pontificis non esse decisiones hominis, aut judicium pastorum judicium hominum: quod simulac apparuerit, sanctissimè pollicemur nos nostram voluntatem ipsorum sententiæ libenter adscripturos; at interea ad aliud caput revocare non possumus quàm sublestæ Credulitatis. Hoc assertionis sustentaculum primum.

Secundum hoc sit; Quæcunque religio fidei implicitæ cæcæque obedientiæ jugum suis filiolis imponit, ea intra Credulitatis cancellos alumnos suos detinet, neque ad fidei πληροφορίαν ascendere aliquando permittit. Si doctrina Papistarum sit ejusmodi, cedant necesse est in hac de Credulitate disputatione, & digitum tollant. Propositionis ratio ex ipsa nominis notatione manifesta erit; nam Credulus Græcè ταχυπειθὴς dicitur, ὁ ταχὺ ἐμπιστεύων, ut Septuaginta, Eccles. 19. 4. qui rebus omnibus facilè temeréque fidem habet, & se cujusvis judicio, rebus non exploratis, fidenter committit: qualis, inter alios, Hegiæ filius apud Suidam fuisse dicitur, qui quòd moribus ad idiotismum inclinaret, quódque erat ob vulgarem simplicitatem ad rumoribus credendum propensior, dictus est εὐπειθής, quasi ad obsequendum fidémque tribuendam proclivis. Adeóque non solùm ad res fidei, sed ad mores actionésque hominum usus vocabuli protenditur: & istorum utrumque in Propositione recensetur, quòd discipulos suos Pontificii utroque sensu *Eupithios* præstant, & in rebus Divinis, & in humanis; & in agendis, Voto obedientiæ, & in credendis, Fide illâ implicitâ. Ego utriusque specimen aliquod exhibebo. Inprimis quod ad Fidem implicitam pertinet, non opus est multos authores producere: neque illud nisi obiter tantùm monere, Non sic nos contra implicitam fidem differere, quasi nihil prorsus vellemus nè ab infirmis quidem ignorari; sunt enim mysteria multa quæ tutiùs submissione sensûs creduntur, quàm excutiuntur, ut explicitè & perfectè sciantur; proinde submissionem hanc quæ Deum respicit, piam agnoscimus, & non suggillandam: at illam sensûs submissionem quæ in nudo Ecclesiæ nomine acquiescit, & cognitionem omnem etiam τοῦ ὅτι excludit, inanem & frivolam esse contendimus, & ineptæ Credulitatis notâ inurendam. Eam Lorca & alii è Scholasticis sic distinguunt, *quòd explicita sit credere aliquid distinctè & in seipso, implicita credere aliquid confusè & ut in alio inclusum; hoc est, quatenus singulare in universali, & determinatum in indeterminato includitur:* & hoc quidem non malè, neque ei litem intendimus. Sed Aquinas præterea implicitam statuit, Fidem minorum in fide majorum contentam, in 2ª 2ª, qu. 2. art. 6. ad 3um. *Minores non habent fidem implicitam in fide majorum, nisi quatenus majores adhærent doctrinæ Divinæ:*

In 2ª 2ª qu. 2. art. 5.

&

Et Porretta in Cajetanum sic explicat, in 2ª 2æ, qu. 2.art. 6. Corollario primo; *Propriissimè loquendo, Minores habent suam fidem implicitè in fide Ecclesiæ universalis, non in fide aliquorum particularium hominum.* Atque hanc audacter dicimus eam fidem esse quæ fidei naturam prorsus destruit. Eam Franciscus Cordubensis *votivam fidem* appellat: statuit enim ut contradistinctos terminos, *explicitè credere, & in voto credere*; quod non aliud est quàm potentiâ credere, & hoc non aliud nisi nondum credere, sed tantùm velle credere; quo nihil est magìs absurdum, quàm distinctionem Fidei ponere, cujus alterum membrum non sit fides. Post Cordubensem eam Altenstaig, in verbo Fides, significantiùs paulò explicat; ut implicita fides sit habitus credendi, sed sine actuali assensu, itaque à cognitione separata, adeò ut credi dicantur hâc ratione etiam res prorsus incognitæ, quæque in mentem nunquam venerint, nimirum quia credantur in Axiomate quodam universali, quod ipsum fide teneatur explicitâ. Exempli gratiâ, si quis credat Ecclesiam Catholicam, (nam hoc illis solenne est) eundem statim credere quicquid illa credat, sive credendum tradat. Quapropter nè diutiùs vos detineam in re nihili, hæc est illa fides quam plebi suæ Pontificii obtrudunt, & ut probandam defendunt. Sic Thomas ipse statuit, 2ª 2æ, qu. 2. art. 6. *Minores, qui significantur per Asinos, debent in credendis adhærere majoribus, qui per Boves significantur.* Locum producit ex Gregorii 2° Moralium, c. 25. sed perperàm, non enim sunt verba Gregorii: Gregorius in eo loco, super illa verba S. Job. *Boves arabant, & asinæ juxta pascebantur*, sic ad moralem sensum verba detorquet; *Simul se asinæ cum bobus reficiunt, quia prudentibus tardiores conjuncti eorum intelligentiâ pascuntur.* Inter hæc verò Gregorii & Thomæ quamplurimum interest, si quis dicat, *Simplices à prudentibus doceri*, quod Gregorius, & *simplicium fidem in prudentum fide contineri*, quod Thomas asserit. Sed nec Thomas solus, nam Hosius Cardinalis in l. 3. super prolegomena Brentii, acerrimè defendit, optimum esse in agone mortis ad hanc fidem implicitam nos recipere: Verba ejus sunt, *Cùm anima venit à corpore separanda, tum quidem tutissimum est exemplum sequi Carbonarii cujusdam, ex quo cùm vir doctus quæsivisset quid crederet, Symbolum recitavit; cùm rursus interrogaret quid præterea crederet, respondit, Quod Ecclesia credit Catholica; & cùm ille, Quid credit Ecclesia? Quod ego, inquit, credo: & sæpius alteri interroganti circulo hoc usus Carbonarius, nil aliud respondit quàm se credere quod Ecclesia credit, & Ecclesiam credere quod ipse crederet.* Porrò & Hosius hoc addit, *eundem virum doctum ægrotantem postea cum Satana disputasse, & ad hunc Carbonarii circulum, velut ad asylum omnium tutissimum, confugisse, atque plus in eo præsidii quàm in omni Scripturarum exercitatione invenisse.* Hæc Hosius. Ex quibus liquet quantum honoris fidei implicitæ deferant, quantum momenti & ponderis in eo statuant; dum non ad indoctam plebeculam, sed ad ipsos paulò eruditiores protendunt. Quod utinam Thomas observasset, qui *Boves & Asinos, majores & minores in Ecclesia* interpretatus est. Cur enim Asinis ignorantiam assignat, & non Bobus? Esto, majores sunt Boves, sed doctiores quis censeat? Cur non ergò conclusit, *tam majores quàm minores decere fidem implicitam?* nam & huc usque Hosius progreditur. At verò nos aliis principiis imbuimur, explicatam Divinarum rerum cognitionem à nobis fidei naturam exigere: unde & Apostolus Petrus, Ep. 1. c. 3. suos hoc modo cohortatur lectores, *Estote semper parati πρὸς ἀπολογίαν, ad respondendum cuilibet petenti rationem ejus spei quæ est in vobis*; nè sitis Boves aut Asinæ, aut fidei carbonariæ opinione tumidi, sed apti & parati & instructi ad tuendam veritatem. Nam *absurdum est*, inquit Chrysost. *posse medicum accuratè pro sua arte contendere,* &

& textorem, & coriarium, omnésque artifices, & Christianum non posse rationem reddere fidei suæ. Quòd si quis quærat quos fidei Articulos Chrysost. intelligat: habemus ipsum eos annumerantem, Ser. de Bapt. Christi; *De anima*, inquit, *de corpore, de immortalitate, de regno cœlorum, de gehenna vos docui; nec non de Dei longanimitate, de indulgentia, de pœnitentia, de baptismo, de remissione peccatorum, de hominis natura, de Angelis, de diaboli fraudibus, de hæresibus.* ταῦτα γὰρ καὶ πολλῷ πλείονα τούτων τὸν Χριστιανὸν εἰδέναι χρὴ, *Siquidem ista & multò plura nôsse Christianum oportet, horúmque omnium reddere rationem iis qui sciscitantur.* Eapropter Pontificii insignem fidei injuriam faciunt, dum ad has Credulitatis angustias relegant; quæ certè si non sit Credulitas dicenda, necesse est ut aliam ejus definitionem excogitent hactenus inauditam: nam si Credulitas sit levis & facilis assensus iis præstitus quæ ipsi nesciamus, non jam Credulitati proxima Fides implicita erit, sed eadem, cùm in se cæcitatem & ignorationem habeat, & non nisi in fide aliena fidem. Egregiam verò fidem, quæ in hoc vertiginoso circuitu circumrotatur, *Ego credo quod Ecclesia credit, & credit Ecclesia quod ego credo!* Egregiam fidem, quæ & rationem, & cognitionem, & ipsam fidem evertit! Certè si hæc sit *fides* dicenda, quid superest quàm ut is dicatur ambulare qui sedet, & scire qui nescit, & credere qui non credit, & fide agi qui nubilo Credulitatis turbine circumfertur? Atque hæc illa sunt quæ ad primum Propositionis specimen pertinent, Quòd Pontificiorum doctrina in Credulitate statuminatur quantum ad fidem implicitam.

Accedamus jam tandem ad cæcæ obedientiæ Votum; nam & in hoc non minor est Credulitatis vertigo. Utcunque Papistæ multa protestentur similia sententiæ Catholicæ, ut se sentire ostendant, Nemini peccatum jubenti esse obediendum: tamen cùm ad rem ipsam ventum est, ei cujus sunt partes obediendi nullas esse volunt judicandi; atque hanc appellant *perfectam sui abrenuntiationem*, quando Superioris voluntatem, quæcunque ea fuerit, exsequendam quis pollicetur, ídque ἀνεξετάστως, nè minimâ quidem factâ disquisitione. Ex tribus ipsorum authoribus, iísque non ultimi nominis, rem totam denudabo, Quo nomine appellent, & Quibus legibus hanc Obedientiam constringant.

De Nomine, Cardinalis Cusanus eam *irrationalē* appellat, l.6. Exercitationum, Sermone, *Respice, Domine, de cœlo & vide*; *Obedientia irrationalis*, inquit, *est consummata & perfectissima obedientia, quando obeditur sine inquisitione rationis, sicut obedit jumentum domino suo.* Maffæus & Ribadeneira, ex Ignatio, *cæcam obedientiam* vocant; scil. ut ego conjicio, quia claudit oculos, nè quis magis in eo quod præcipitur disquirat, quàm cæcus in itinere per quod deducitur. Imò non mea est conjectura, sed ab ipsis reddita interpretatio. Maffæus, l.3. vitæ Ignatii, c.7. *Ad sapientem hanc sanctámque stultitiam cæca, ut ipse appellabat, obedientiæ, suos, interdum etiam fictis rebus, erudiebat.* Ribadeneira, libri quinti cap. 4. *Dicebat Ignatius duo esse Obedientiæ genera, unum imperfectum, alterum perfectum, & omnibus absolutum numeris. Imperfecta obedientia malè oculata est, perfecta sapienter cæca. Illa judicium suum de imperatis rebus sibi servat: hæc judicium proprium non habet, sed judicium judicio, & voluntatem voluntati Superiorum suorum subjicit.* Hæc sufficiant de Nomine.

Quòd ad Leges ipsius spectat, Cusanus eas hoc modo circumscribit. *Per obedientiam quam facis Præposito, etiamsi præceperit alia quàm debuerit, sententia Pastoris ligat te, etiamsi injusta fuerit. Ad te non attinet cognoscere quòd sententia sit injusta, nec conceditur tibi ut non obedias, si tibi injusta videatur: nulla enim esset obedientia, si in tuo arbitrio esset de sententia Pastoris judicare,*

judicare, an illi esset obediendum. Si in districto Dei judicio dixeris, Domine, obedivi tibi in Præposito, hoc tibi sufficiet ad salutem, etiamsi Præpositus rationem sit Deo redditurus. Hæc Cusanus. Neque Maffæus discrepat; sic enim ille de Ignatio, *Romano Pontifici*, inquit, *cujus in verba præcipua sacramento juraverat, ità erat præstò, ut ad ipsius nutum se paratum exhiberet quocunquè proficisci, etiam navigium ascendere planè exarmatum, clavo, malis, velis spoliatum, mari ventísque sine ulla dubitatione committere.* In qua ejus sententia cùm vir quidam primarius prudentiam requireret; *Imò*, inquit, *prudentia est imperantis, non obedientis: Superiorum jussa examinare est arrogantia: Non obedientis nomine dignus est, qui Superiori cum voluntate judicium quoque non submittit: denique, qui ad Superioris nutum voluntatis propensionem, non etiam judicii consensionem accommodat, is altero tantùm pede intra religionis septa versatur.* Hæc Maffæus. Verùm Ribadeneira adhuc copiosiùs rem prosequitur, loco suprà à me posito. *Hanc*, inquit, *obedientiam Ignatius rectissimam dixit, & omnibus expletam numeris, quâ velut captivamus intellectum, & id rectum credimus quodcunque sit à Superioribus præscriptum; illam quæ rationes exquirit, non nomen obedientiæ mereri.* Et paulò pòst, *Ità me instituam quasi corpus mortuum, quod neque voluntatem neque sensum habet; nec aliter quàm parvulam quandam statuam, quam quoquoversum velis haud repugnantem vertas. Imò talem me præstabo qualis est baculus in manu senis, ut me ad arbitrium suum utatur, ut ad omnia paratus sim ad quæ mea me religio uti velit, nihilque recusem quod sit imperatum; quia debeo devotionem meam omnem in obedientia collocare.* Hactenus Ribadeneira. Hæc ego prolixiùs descripsi, ut in hoc chartarum suarum speculo vivissimam ipsorum sententiæ imaginem, orísque habitum & oculos, si quos Cæca Obedientia habeat, & omnia lineamenta possitis intueri: eóque libentiùs, quia alioquin nullo loco inveni distinctè Papistas suam hac de re sententiam profiteri. Eam Bellarminus nudè nominat, & indefinitè commendat, quasi cum iis negotium habeat qui omnem omnino exuerint; cùm tamen non nisi de Monachorum agat obedientia. Propterea Cusano, & Maffæo, & Ribadeneiræ debitores nos agnoscimus, quòd nos hanc disciplinæ suæ partem edocuerint. In quibus hæc præsertim annotanda. Primò, Quòd de Obedientia agant non Deo, sed homini præstanda: nam Deo absolutè & simpliciter obediendum, ità ut Obedientiæ ratio sola sit Dei authoritas voluntásque, nemo Orthodoxus negabit. Secundò, Quòd de Obedientia loquantur homini præstanda, quamvìs non ea imperet quæ ipse à Deo acceperit; sed si suos varios animi motus expresserit, sive seriò, sive joco & tentamenti causâ. Tertiò, De Obedientia homini exhibenda, qui nullum imperandi jus habeat, nisi sponte ab ejus voluntate qui se ei subjiciat: cùm Magistratui tam Civili quàm Ecclesiastico morigeros nos reddere Scriptura Sacra passim præcipiat. Quartò, De Obedientia sic agunt, ut prudentiæ & discretioni locum nullum relinquant; & discrimen nullum statuant, aut inter homines supremi & infimi ordinis, aut inter homines & Deum ipsum: adeò ut non tantùm propter Deum obediendum sit, quæ ratio obtinet in omnibus legitimis dignitatibus; sed etiam eodem modo eodémque rigore homini obtemperandum quo Deo ipsi. Postremò, De Obedientia agunt ità cum bruta stupiditate conjuncta, ut rationis, & judicii, & inspectionis, & examinis omnes partes pessundent; de Obedientia, inquam, quæ unumquodque, sive licitum fuerit sive illicitum, sine discrimine absorbeat. Esto, sit Obedientia *irrationalis*,

tionalis, ut Cusanus; esto *cæca*, ut Ignatius; etsi aliud præcipiat quàm debeat, etsi mandatum injustum videatur, *etsi injustum fuerit*, ut rursus Cusanus; etiamsi nocivum fuerit, seipsum gerat ut pecudem, Aquinatis fortasse Bovem aut Asinam, imò ut stipitem, ut statuam, fortasse nè fidei, quam dixi, obedientia deesset carbonaria; denique ut corpus mortuum, sine sensu, sine voluntate, sine judicio: non refert cognoscere, non oportet expendere, non oportet quicquam recusare; sed oportet credere, oportet submittere, & sine dubitatione peragere: & *hæc est rectissima, hæc consummata, hæc suis numeris expleta obedientia*, ut rursus Ignatius. Ergò dicite, Auditores, annon hæc magna est ad insaniam proclivitas? annon ad incertitudinis præcipitium desperata & præpropera festinatio, ut vel in ambiguis subdubitare aliquid turpitudinis genus sit & inobedientiæ? At Scriptura Sacra nos sanctiùs instituit, ut ab illicitis caveamus; ut cæcis ducibus obsequio cæco non pareamus; adhuc, nè similes simus statuis artificis manu conflatis; adhuc, ut probemus spiritus, nec cuivis facilè credamus; & ut exploremus omnia, & quod bonum est retineamus; adhuc, ut Deo nostro rationabile obsequium præstemus, Rom. 12. Aliter, quid laudis in Deum, quid utilitatis in nos ipsos redundabit? εἰ γὰρ ἀλόγως πιςεύσω, καὶ μὴ ἐξετάζω, τί κέρδος ἕξω; ut Theodoretus optimè: si credam sine judicio, nec inquiram quid deceat, quid Deo gratum, quid veritati consonum, aut pietate dignum, quid commodi lucrabor? Postremò, Scriptura Sacra nos cohortatur, ut unusquisque in scientia animæ suæ confirmetur, Rom. 14. 5. ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω, hoc est, *in sententia & consilio suo plenissimè certus esto*: νοῦς enim eam animæ partem significat per quam de rebus propositis & cognitis judicamus; & πληροφορεῖσθαι plenam significat certitudinem veritatis. Sic in Luc. 1. Titus Bostrensis observat, cùm Evangelista scripturum se dicat περὶ τῶν πεπληροφορημένων, *significat hoc verbo*, inquit Bostrensis, *se ea literis commissurum, non quæ incertâ aliorum relatione didicerat, aut solâ humanâ fide acceperat; sed quæ exploratè nôrat, perfectéque reipsa assecutus fuerat.* Similiter & in eundem locum Lucas Brugensis, πληροφορεῖσθαι, *si ad personam referatur, est ità certiorem de re aliqua fieri, ut nulla restet dubitatio; si ad rem, significat ità certis testimoniis esse comprobatam, ut de ea ambigi non possit, nec ullis ampliùs opus sit probationibus. Significat rem plenissima fidei, certò creditam, & firmiter receptam, & prorsus certificatam, seu, ut ità dicam, certioratam.* Hæc Brugensis. Conferamus hæc invicem, Ignatii & Cusani axiomata cum Scripturæ locis. *Cavete ab illicitis*, dicit Scriptura; *Obtemperate, quamvis sit illicitum*, Cusanus: *Cæco obsequio cæcos duces non sequimini*, Christus; *Cæca obedientia est perfectissima*, Ignatius: *Nè sitis similes jumentis insipientibus aut statuis*, Propheta; *Seipsum gerat ut pecudem, ut statuam*, Ignatius: *Præstate rationabile obsequium*, S. Paulus; *Obedientia irrationalis est perfectissima*, Cusanus: *Explorate omnia, & quod bonum est retinete. Nè credite omni spiritui, sed probate spiritus*, Apostolus; *Jussa examinare est arrogantia, non meretur nomen obedientiæ*, Ignatius: *Unusquisque confirmetur in scientia animi sui*, Apostolus; *Obedite sine inquisitione rationis, judicium proprium nè habitote*, Cusanus & Ignatius. Quàm bene conveniunt! Ecquis enim affirmabit his Scripturæ regulis aut Fidem implicitam aut Cæcam Obedientiam congruere? Ex Fide implicita aut Cæca Obedientia nemo certus esse potest, sed incertus animi & suspensus. Ex

in Discept. ascriptis Athanasio, Tom. 2.

Cæca Obedientia aut Fide implicita spirituum exploratio, aut probatio doctrinarum non conficitur: quia exploratio nulla sine judicio; judicium absq; discretione nullum; discretio in cæca, & irrationali, & implicita, aut fide aut obsequio, nulla. Cùm igitur ista discretionem tollant, etiam & judicium suffocant; & cùm judicium suffocent, etiam & explorationem amoliuntur; & ubi exploratio nulla est, stultitia dominatur, & gradus summus præsumptæ, ut mollissimè loquar, Credulitatis. Hoc Propositionis specimen secundum, Quòd utrinque suos *Eupithios* reddant Pontificii, & in credendis & in agendis; & per consequens, quòd non est ala pernicior ulla, quâ ad hanc dignitatis altitudinem se evexerunt, quàm Credulitas populi. Et de secundo Demonstrationis sustentaculo satis.

Tertium hoc sit, Quæcunque religio fictis miraculis & ementitis revelationibus doctrinam suam nè decidat circumcingit, ea in Credulitate populi præsidii magnam partem collocat: Si Pontificii hoc faciunt, erit hoc tertium desperatæ causæ trophæum, à quo vix possunt salvo pudore discedere. Quid enim est aliud Credulitas, quàm rumoribus & figmentis hominum servas aures & vectigales præbere? Aut quæ miraculorum revelationúmque quas jactant mater, nisi rumor & susurratio famæ? Et ipsis tamen familiare est, confictis hisce miraculorum revelationúmque rumoribus non modò plebi stuporem incutere, ut avidiùs quicquid ipsi propinant deglutiant; sed & nobis etiam, quos purgatiorum narium Adversarios ducunt, eadem in controversiis agitandis magnâ animi fiduciâ obtrudere non erubescunt. Quòd si id genus fabulas nudè tantummodo recitarent, non video quo se modo purgarent, at minus tamen esset: istud autem neutiquam ferendum, quòd nugas has ad dogmata sua stabilienda producunt. Nam largiamur hoc ipsis, quod sæpius inculcant, eas pias fraudes fore ad faciendum populum; an putant ad viris doctis & rerum subsistentium sedulis indagatoribus satisfaciendum solida esse argumenta? Hoc igitur restat, ut videamus quàm usitatè hoc faciant, & nullo frontis aut mentis pudore. Et de Revelationibus primùm, deinde de Miraculis.

Quod ad Revelationes attinet, vix esse me puto recensendo ad quot dogmata confirmanda eas sæpissime proferunt. Inprimis pro honore & sanctitate Missæ adducitur illud ex Petro Damiano, Epistolâ decimâ libri primi; Narrat Damianus, à Principe Beneventano visum Angelum quendam super caput Presbyteri cujusdam qui lapsus esset in luxuriæ peccatum, aquæ spongiam exprimentem, & totum ejus corpus tergendo purgantem dum Missarum Solennia celebraret: expletis autem mysteriis, eâdem spongiâ rursus compressâ, omnes sordes quæ priùs erant abstersæ refundentem. Eja, fabula lepida, & Thuscis digna tabellis! Quare autem hoc? Nempe ut honor summus Missæ deferretur, nè putaret fortasse quis indignum Sacerdotem non conficere. Affine est illud apud Petrum Cluniacensem, lib.1. De Miraculis, cap.24. pro summa dignitate Conciliorum. Affirmat Petrus, Guidonem Episcopum Gebennensem apparuisse cuidam Presbytero proficiscenti ad Synodum, & significasse, se precibus ejus Concilii eruendum à tormentis quæ post obitum suum passus esset: *Noverint autem*, inquit, *me ad agendam pœnitentiam Cluniacum iturum, & indè ad eandem peragendam Hierosolymiam transiturum.* O novum Theologis scrupulum, post mortem pœnitentiam agi; post mortem peregrinationes suscipi! Ipsi viderint. Quare autem hoc? Nimirum ut eâdem fabulâ ad Conciliorum sanctitatem & Peregrinationum merita honor non exiguus accederet: His annectatur

tur illud Othonis Frisingensis, qui pro authoritate Romani Pontificis stabilienda ad Apparitiones confugit. Chron. lib. 7. cap. 32. *Legati*, inquit, *Armeniorum cùm adessent Papæ Missam celebranti in dedicatione Ecclesiæ B. Petri, viderunt splendido fulgore radium Solis super caput Papæ coruscare, & in eo duas columbas ascendentes & descendentes. Hæc respicientes, divina prorsus putarunt, eòque promptiùs in sedis Romanæ obsequium iverunt.* Neque absimile est illud quod Martinus Polonus & Vincentius Bellovacensis de Benedicto octavo referunt, eum post mortem apparuisse Episcopo cuidam nigro equo vectum, & dixisse se malè quidem torqueri, non desperare autem de misericordia Dei si sibi adjutorium præberetur: itaque rogare se Joannem successorem suum, ut pauperibus distribueret certam pecuniam à se in theca quadam relictam. Sed quid ego istis immoror? Consulamus Bellarminum ipsum, quem sæpius habemus hâc utentem militiâ, ut multis instantiis patebit.

Instantia prima erit De potestate & valore Indulgentiarum; pro quibus argumentorum suorum caput quintum constituit in Revelationibus, lib. 1. De Indulgentiis, cap. 3. Verba ejus sunt, *Quintò probatur ex Divinis testimoniis revelationum. Sancta Brigitta, vidua sanctissima, ab ipso Christo non semel est admonita de indulgentiis maximis quæ sunt Romæ: Et S. Franciscus Divinâ revelatione indulgentiam à Domino, & ab ejus Vicario Romano Pontifice, obtinuit pro Ecclesia sanctæ Mariæ de Angelis:* & lib. 2. cap. 20. addit, *Per hanc historiam tria Catholica dogmata confirmantur, unum de Indulgentiis, alterum de Pontifice maximo, tertium de Confessione.* Hæc Instantia prima.

Secunda erit de Purgatorio: pro eo Bellarminus ex Apparitionibus disputat, lib. 1. De Purgatorio, cap. 11. *Quarta*, inquit, *ratio sumitur ab apparitionibus animarum, quæ se in Purgatorio esse renuntiaverunt: quas apparitiones cùm viri gravissimi retulerint, non immeritò veras fuisse credimus; rideant licèt Lutherus & Magdeburgenses. Sic anima Paschasii apparuit S. Germano Episcopo, & ejus precibus liberata est; & anima Vitalinæ Virginis precibus Sancti Martini, idque apparendo significavit. Sic B. Malachiæ defuncta ejus soror, cùm adhuc in pœnis purgatoriis esset, apparuit, & tandem frequenti Eucharistiæ oblatione liberata est.* Mitto exempla reliqua, pro quibus authores producit Gregorium Magnum, Greg. Turonensem, Bedam, Bernardum, Anselmum. Consimile est illud quod de Benedicto octavo Baronius refert, Eum per speciem nocturnæ Visionis Joanni Portuensi Episcopo apparuisse, & se à Purgatorio liberandum beati Odilonis venerabilibus meritis significasse. *Ad ann. 24. seculi 11.* Denique ejusdem farinæ sunt illa omnia quæ à Coccio in Tomi primi lib. 5. Artic. 9. colliguntur, ut probet defunctorum animas viventibus aliquando apparere, & ignota quædam revelare; eâdem fide quâ Romulum Senatores, cùm ipsi eum de medio sustulissent, in cœlum remeasse dicebant, & Julio Proculo augustiore formâ apparuisse, & ut pro numine se acciperent mandasse. Nam ista quis non videt quò tendant? viz. ut causæ miseræ vel quoquo modo suppetias ferant, fabulis, spectris, somniis: quæ si relegerit quispiam, non ipse sideratus, mirum ni absque Monitore statim imposturam olfecerit. Interea nullum est argumentum aut minùs dignum Theologo, aut magis à veritatis tramite alienum, ut cuivis facilè innotescet, si placeat ista Quatuor exinde observare.

Inprimis, Quòd improbatur à Deo ipso hæc veritatis à mortuis

discendæ ratio; Isa. 8.19. *Nonne populus à Deo suo requiret? pro viventibus mortuos? Ad Legem & testimonium:* & Luc. 16. *Habent Mosen & Prophetas.* Deinde, Quòd mortuorum Revelationes ad documentum nostrum Scriptura nullas exhibet, ætas Ecclesiæ Scripturis proxima nullas: ab ea autem ætate quò remotiora tempora fuere, eò maximè Apparitiones jactaverunt; & quidem modestiùs primò, postea laxatis frænis & refractis omnibus repagulis adeò turmatim irruperunt, ut cohiberi non possent. Tertiò, Quòd pro iis dogmatibus Apparitiones adducunt quæ paulatim obtrudebantur præter Scripturam: qui mos nullus fuit in iis rebus quæ ex Scripturis sunt testatissimæ. Nam nemo unquam ut Trinitatem probaret, aut Incarnationem, aut Resurrectionem, aut similia, solicitandam sibi putavit defunctorum quietem. Semel tantùm Resurrectionis causâ septem dormientes somniati sunt, atque hi non mortui, sed tantùm dormientes: pro Papæ Primatu, pro Indulgentiis, pro Purgatorio, vix ulla dies animabus redeuntibus vacavit: alioqui moturos se Inferos non crederem, nisi cùm se Superos flexuros sperare desiissent.

Postremò observandum, Quòd in ipsis narrationibus tam procul à communi sensu recedunt, ut neque veri neque verisimilis rationem ullam teneant: & tamen facillimæ fidei vir Bellarminus apertè dicere non erubescit, lib. 1. De Purgat. cap. 11. *Credendum esse eas veras fuisse, quia viri gravissimi retulerunt*; & denuo, *Non esse credibile tam sanctos viros aut decipere voluisse, aut ipsos deceptos fuisse.* Ain' verò, *neque decepisse, neque deceptos, quia viros sanctos, quia viros gravissimos?* At verò de iisdem Bellarmini testibus, Gregorio & Beda, Canus non dubitat utrumque pronuntiare, lib. 11. Loc. Theol. cap. 6. *Negare non possumus viros aliquando gravissimos*, attende, *gravissimos, in Divorum prodigiis describendis sparsos rumores excepisse, & sibi & vulgo nimiùm indulsisse.* Adhuc, *Signa nonnulla Sanctorum memoriæ prodiderunt sancti & eruditi viri*, audin'? *Sancti & eruditi viri, non quòd libenter credidissent, sed nè deesse fidelium votis viderentur.* Adhuc, *Caveat Theologus, nè sibi persuadeat omnia quæ magni authores scripserunt undique esse perfecta:* tum, *Nominatim de Beda & Gregorio eadem dicere possum.* Hem, mulus mulum non fricat, sed calcat: *Credendum iis*, inquit Bellarminus, *quia sancti erant & gravissimi viri*; Canus, *Erant sancti & gravissimi viri, at levis fidei tamen: Credibile est neque deceptos, neque decepisse*, Bellarminus; *Sparsos rumores exceperunt, & sibi & vulgo nimiùm indulserunt; prodiderunt ea quæ non crediderunt, nè fidelium votis deessent*, Canus. Quanquam quid ego hac in re Canum opponerem? Potui pro Revelationum ejusmodi vanitate Pererium, Maldonatum, Delrio, Suaresium, Jesuitas omnes, loquentes inducere; sed Salmeronis uno aut altero loco contentus ero. Ille in 1 Joan. 1. in illa verba, *Charissimi, nolite credere omni spiritui*, Disp. 25. apparitiones istas res lubricas fore & periculosas illis mediis demonstrat. *Augustinus*, inquit, *lib. 10. Confessionum, misericorditer se esse liberatum asserit à curiositate Visionum & Signorum. Deinde Bonaventura scribit, toto conatu repellendam esse Visionem vel Revelationem orationibus, & corporis macerationibus, & increpatione suiipsius acri ac vehementi. Porrò, ex revelationibus Priscillæ delusus Tertullianus, probare volebat animam esse corpoream. Denique Carthusiastæ, & fanatici inter Anabaptistas, ac Welfendiani, negligentes Scripturas vehementer Apparitiones & Revelationes expetunt.* Sunt hæc omnia Salmeronis: quibus consentaneum est &

 illud

illud Roffensis, cap. 1. con. captivitatem Babylonicam Lutheri, *Revelationes ejusmodi plerumque fallere, plerumque à malo Spiritu prodire:* quibus non video quid melius aut aptius regeri possit contra illud Bellarmini, *Credibile est, Credendum est.* Propterea in istis claudatur hæc prima pars, de Credulitate Revelationum, disputationis. Ex ea verò aditus apertissimus patet ad alteram, de Miraculis; cùm in istis non minimum suorum dogmatum robur statuunt Pontificii, soléntque ex istis sæpius quàm ex Apparitionibus argumenta confingere. Atque nè aut frustrà, aut levem ob causam accusare eos videar in re tanti momenti, excerpam nonnulla exempla breviter ex iis quæ sparsim ad intuitum publicum obtulerunt in diversis fidei controversiis.

Caput primum erit, de Paparum dignitate, pro qua confirmanda recitantur nonnulla à Platina, Luitprando, Polono. Luitprandus, lib. 1. cap. 8. de Formoso Papa, quem pessimè Sergius tertius tractaverat mortuum, (nam & ejus Acta resciderat, & corpus sepulchro detractum capitéque truncatum in Tiberim projecerat; de Formoso, inquam) sic scribit; *Quantæ authoritatis quantaque religionis Papa Formosus fuerit, hinc colligere possumus, quoniam dum à piscatoribus postmodum esset inventus, atque ad Sancti Petri Ecclesiam deportatus, ecce eum Sanctorum quædam imagines in loculo positum venerabiliter salutarunt: & hoc à religiosissimis Romanæ urbis viris persæpe audivi.* Hæc Luitprandus de Formoso. De Leone quarto Platina, tantæ eum sanctitatis fuisse, ut & basiliscum serpentem è fornice S. Luciæ virginis expulerit; & incendium magnum, quod diu per domos Saxonum & Longobardorum vagatum, Divi Petri Basilicæ tandem appropinquabat, signo Crucis extinxit. De Joanne vigesimo Polonus, quòd cùm eum ægrotantem Cardinales multi dignum esse negabant qui in Ecclesia S. Petri sepeliretur, ob multas cædes quibus sacerdotium fœdasset: hoc Papa audiens, *Cùm mortuus fuero*, inquit, *corpus meum ante fores Ecclesiæ sistite, januas seris & vectibus obfirmate; & si voluntate Divinâ porta se pandant, corpus meum inferte; sin minùs, facitote prout vobis visum fuerit.* Attendite, factum ut jussit; turbo Divinitus non solùm portas aperuit, sed etiam magno fragore usque ad parietem eas deportavit. Elegantissimè hæc pro suorum honore Pontificum magnâ calami fiduciâ jactitant, qui certè vereor nè jam pridem periisset, nisi miraculis istis fuisset commendatus. Quòd si hæc Romæ facta, velut in Palatio Susan, in reliquis Papatûs provinciis quid putas perpetratum? Equidem inaudita, stupenda. Sed mihi non vacat ea calamo describere, nè videar historiam texere: satis erit eorum Capita digito indicasse. Est igitur

Caput secundum de Voto Obedientiæ. Pro eo stabiliendo ad Miracula se recipiunt Bellarminus & Coccius. Coccius lib. 4. To. 2. Art. 5. nonnulla recitat è Dorotheo, Simeone Metaphraste, Severo Sulpitio, & Gulielmo Averno. Bellarminus, lib. 2. de Monachis, cap. 21. ex Gregorio, Cassiano, & Sulpitio Severo. *Accedant*, inquit, *postremò miracula, quæ Deus ad confirmandam obedientiam Monasticam non rarò ostendit. Scribit Sulpitius Severus, Duo vobis referam incredibilis obedientiæ admodum magna miracula*, & quæ sequuntur. Illud optimè, quòd dixit *Incredibilis:* nam Unus eorum quos recitat, jussu Abbatis, in clibanum ardentem absque noxa insiliit; Alter virgam aridam longè petitâ aquâ tamdiu irrigavit, donec tertio demum anno viresceret; Alter super aquas ad Abbatis imperium ambulavit. Quis credat? Hoc Caput secundum.

Tertium erit de Confessione Auriculari. Ex Miraculis ad eam promovendam

vendam Alanus Copus disputat, lib. 2. Dial. cap. 28. Atque insuper quartam rationem Bellarminus instituit, lib. 3. De Pœn. cap. 12. *Quarta,* inquit, *ratio peti potest ex Miraculis, quibus variis temporibus Deus testatus est veram esse fidem illam quam Ecclesia Catholica de Confessione habet.* Exempla profert, de Angelo, aut homine incognito nescio quo, qui visus est latronis cujusdam peccata delere eo ordine quo ipse confitebatur, ex Joanne Climaco; de Josberto, viro nobili, qui linguæ usum amiserat, & S. Bernardi precibus ad loquendi facultatem redactus, in hoc ipsum ut peccata sua confiteretur; de aliis, ex Damiano, Cluniacensi, & Bonaventura. Sic nihil est tam absurdum cui firmando non suppetunt examina Miraculorum; neque fictas falsásque historias pro veris jactare erubescunt etiam tum cùm de veritate agitur Confessionis. Hoc caput tertium.

Quartum erit de Transubstantiationis negotio: pro quo Baronius, To. 12. ad annum 1192. ex Helmodo Abbate, de Sacerdote quodam narrat, qui puellæ ægrotanti cùm viaticum daret, ecce aqua in qua digitos lavit in sanguinem versa est, & in fundo vasis caro cruenta reperta. Sed parùm hoc est ad illa à Bredenbachio, lib. 1. Sacrarum Collationum, & Galetio, in lib. De vera præsentia corporis Domini, & Roffensi, in Præfat. lib. 3. cont. Oecolampadium, & ipso Bellarmino conquisita: vix enim quicquam est ad Eucharistiæ vel partem aliquam spectans, quod non ostentat miraculis confirmatum. Pro verborum tacita submurmuratione, unum ex Sophronio profert, lib. 2. De Missa, cap. 12. Pro unius Speciei ritu, quatuor: unum ex Gulielmo Bernardi coætaneo, de Monacho qui panem deglutire non potuit; ex Alensi alterum, de patinæ concavo sanguine profluente ex ipsa hostia repleto, cùm Monachi quidam utramque Speciem postulassent; de sanguine ex fractione panis manante, tertium, ex Surio; de pane in lapidem converso, ex Sozomeno, quartum. Hæc omnia in lib. 4. De Sacram. Eucharistiæ, cap. 21. & 24. Postremò, pro corporali præsentia, novem: de pane in carnem converso, ex Paulo Diacono primum, lib. 2. De Sacram. Eucharistiæ, cap. 32. alterum è S. Bernardo, cap. 37. ex Bredenbachio, Waldensi & aliis, septem, lib. 3. cap. 9. inter quæ unum est inprimis observandum, quod ab Antonio de Padua descripsit, de jumento famelico, cui cùm ad convincendum hæreticum ab Antonio objectum esset hinc hordeum, indè hostia consecrata, & Antonius dixisset, *In nomine Creatoris tibi præcipio, animal, ut confestim venias, & hostiam reverenter accipias*; hem, dictum factum, jumentum hordeo neglecto ad hostiam accurrit, caput inclinat, curvat genua, suo modo adorat, & sic hæreticum refutavit. Plaudite, Bellarminus recensuit, hâc veritatis præfatione præpositâ, *Confirmatur hæc doctrina à miraculis, qualia hæretici nec à Deo nec à dæmone extorquere potuerunt.* Hoc Caput quartum.

Postremum erit de Reliquiis & Imaginibus Sanctorum. Pro Reliquiis miracula multa colligit Franc. Lucas Castellinus in Elucidario Theologico, cap. 7. puncto tertio, nec non quarto & quinto. Bellarm. etiam lib. 2. De Reliquiis Sanctorum, cap. 3. *Cultus*, inquit, *earum probatur ex miraculis factis ad reliquias; quæ certè non fierent, si Deo cultus earum non placeret.* Pro cultu autem Imaginum quamplurima congerit, lib. 2. De Imaginibus Sanctorum, cap. 12. & pro signo Crucis, cap. 28. *Miracula*, inquit, *sine numero per Crucis figuram effecta referri possunt.* Hoc caput ultimum: quanquam possunt & istis adjici illa quæ in lib. 2. De Sacram. Confirmationis, cap. 6. excerpit, ad Chrismatis Sacramentum roborandum;

borandum; & illa etiam quæ ex Theodoreto, Ambrosio, Gregorio, Augustino aliisque adducit, ut probet, hoc modo Sanctos testatos esse se preces viventium audire, ac posse & velle juvare. Quæ omnia præterquam quòd iniquum est ea præter authorum mentem & sententiam ad sua heterodoxa dogmata à Papistis contorqueri, etiam & illud est iniquissimum, quòd nullum statuant miraculorum fingendorum modum; vix enim locus ullus est ubi non jactantur dæmoniaci liberati, sanati claudi, quid non? nam & istis se omnem movere lapidem posse putant. Hæc argumentorum pars magna quâ aditum faciunt universo Orbi dementando; hæc religionis pars major, quâ si nos agi patiamur, haud erit quo à brutis & fungis distemus; hæc imposturæ pars maxima, tam frugifera ut miraculorum plus ferè sit quàm muscarum. Hei mihi, quid suprá? præstò est: Hæc seges maxima Historicorum, Vincentii Bellovacensis, Jacobi de Voragine, Petri de Natalibus; hæc Commentatorum, præcipuè Cornelii à Lapide; hæc Postillatorum, inprimis Bernardini Senensis; hæc Sermonariorum ad pascendam plebem mensa destinata: nam raró Concionatorem invenias, cujus loquentis ad populum non sunt hæ partes præcipuæ, ut magno miraculorum sonitu patulas simplicium aures verberet atque attonitas dimittat. Ut quod de nobilibus mulieribus Juvenalis, Sat. 6.

Instantem regi Armenio Parthôque Cometen
Prima videt; famam, rumorésque illa recentes
Excipit ad portas: quosdam facit isse Niphatem
In populos, magnóque illic cuncta arva teneri
Diluvio, nutare urbes, subsidere terras,
Quocunque in trivio cuicunque est obvia narrat:

& quod de mercatoribus Atheniensibus Lysias, Orat. 21. qui ut annonam flagellarent cariúsque venderent, falsa quædam comminisci solebant, & in vulgus spargere, aut naves in Ponto periisse, aut à Lacedæmoniis esse captas, aut Emporia esse clausa: haud aliter ipsi, ut annonam, imò ut zizania sua vendant, quocunque sub axi miracula confingunt; & tamen longè infrequentiora sunt in hoc Orbe miracula quam in illo altero quem *Novum* appellant; ibi vix tussiunt, aut ructant, aut stertunt Jesuitæ sine insigni aliquo miraculo, quasi vix essent Prophetæ in patria. Sed quorsum Orbem universum percurro? Recolamus in honorem martyrii Jesuitici Garneti spicam ab Eudæmone Joanne celebratam, & in externas regiones, sanctarum instar reliquiarum, deportatam; fortasse nè obedientiæ irrationali, & fidei carbonariæ, & subterraneis apparitionibus straminea quoque miracula deessent. Tacuissem, si reliqua in quibus gloriantur melioris notæ putarem: nam & istis omnibus meritò æquiparare possumus quod, ni fallor, Tacitus de Vespasiano scribit, eum lumen cæco, gressúmque claudo restituisse; & quod Val. Maximus de Virgine Vestali cribro aquam hauriente; & quod de Augure quodam Cicero, qui novaculâ cotem abscidit: nam & ipsos Pontificios, si quos alios, meruisse in hac parte existimo qui cotis præmium reportarent. Quapropter in illos Augustini illud contra Donatistas rectissimè vibremus, paululùm mutatis vocabulis, *Qui istis fictis prodigiis abutitur ad doctrinæ fidei confirmationem, magnum est ipse prodigium.* Etenim concedatur, quod non inviti facimus, non omnia miracula à Veteribus descripta figmenta fuisse: at multa sunt quæ ipsius verisimilitudinis limites transvolant; neque se interfuisse aut scivisse authores dicunt, sed tantùm audivisse. Sed esto, sint verissima: at non sunt in argumenta dogmatum detortis

detortis interpretationibus trahenda. Esto miracula multa Deum per imagines, per Sanctorum reliquias operatum esse: num igitur sequitur Imagines aut Sanctorum reliquias esse adorandas? Esto extinxisse incendium Leonem quartum, aut super alterius Papæ caput fulgorem cœlestem coruscasse: num idcirco singuli pro indubitatis fidei Judicibus habendi? Quòd si aliunde satìs sit argumentorum, cur ad miracula fugiunt & revelationes? Aut si miraculis Veterum sit aliqua authoritas fidésque tribuenda, cur suis & nuperis nos onerant, quæ Monachi gerulifiguli non nuntiant tantùm, sed fingunt? Ædepol quicquid de illis alteris dicatur, de istis nuperis dici potest quod Melchior Canus, homo ad credendum segnior, de Legenda Aurea, lib. 11. cap. 6. *In illo libro*, inquit, *miraculorum monstra sæpius quàm vera miracula legas. Qui eum scripsit, homo erat ferrei oris, plumbei cordis, animíque parùm severi & prudentis.* Hæc Canus. Neque aliud sentire possibile est è Papistis nasutiores: sin minùs, quid rei est quòd non audeant pro veris astruère, cùm ad rationem reddendam vocantur? Opinor, quòd satìs norunt istis aranearum telis vix capi posse nisi stupida & exilia ingenia. Certè nos non invidemus eis hunc Miraculorum tumultum, sed libenter concedimus ut sint ista miracula istius Ecclesiæ nota aut decima, ut Bristous, aut cum Bellarmino undecima, vel, si placet, centesima tandem. Sed mirari satìs non possumus adeò istis auditiuncularum spectris fascinatos viros doctos, ut ad probanda sanctissima fidei dogmata tam fide levi divulgata quæque ex rumoris aura famæque scrinio arripiant, quam tamen tam ficti tenacem norunt quàm veri nunciam. Summa est, si hanc sibi licentiam indultam velint, ut & ficta pro veris venditent, & ex fictis atque ementitis copias suas Theologicas instruant: æquum est ut & nobis hanc saltem libertatem vicissim rependant, ut quod res est liberè dicamus, Religionem Pontificiam non super firmitudinis petram, sed super arenam Credulitatis esse superstructam: & dogmatum multorum tegulas super Miracula & Revelationes, quæ ultima; & doctrinæ disciplinæque parietes super Cæcam obedientiam Fidémque implicitam, quæ media; & totam fabricam super labilem lubricámque Papæ & Doctorum sententiam, quæ prima pars Demonstrationis nostræ: & hæc idcirco, quia in Miraculis & Revelationibus nihil est judicii certi, in Fide & Obedientia cæca nihil judicii proprii, in humana sententia nihil judicii supremi & infallibilis, adeóque nihil quod firmum Fidei principium sit, sed solius Credulitatis. Hæc Demonstratio tertia Regulæ quintæ; Quòd ex his dictis Veterum tremulis Pontificii disputent, & in hoc paludoso Credulitatis solo fundamenta suæ religionis jaciant; quod solum si auferretur, tota domus suis sedibus convulsa in profundum præceps est ruitura. Hactenus de quinto distinguendi Modo, in quo præsentium laborum meta est statuenda, quæ sola erit hujus tædii Apologia: neque enim de vobis dubitare possum, quin quòd in meam gratiam, pro candore vestro, hanc temporis postremi excusationem libentissimè estis admissuri.

LECTIO XLIV.

A *Novorum veterúm*que consortio ad Sanctorum Patrum hospitia quo pacto instituti nostri ratio diverterit, vix quenquam vestrûm latere posse existimo, Auditores. In tradendis Regulis cura prima erat collocata, quarum adminiculo possimus è reconditis Veterum scriptis pulchriora quæque vel ad usus nostros faciliùs haurire, vel ad veritatis vindicias commodiùs transferre: & quidem ex quinque destinatis Regulis quatuor jamdudum vobis expedivimus. In distinguendis loquendi formulis quæ ubique non sunt uniusmodi & simplices, sed sæpe dispares & multiformes, defixa est cura proxima, ídque tam effuso stadio, ut ad sex distinguendi Modos eventilandos tot dies integri vix sufficerent; neque hujus me tædii pœnitet, si vobis non injucundum fuerit. Libenter patior in Argumenti nobilis medio tam necessario diutiùs hærere calamum: cùm vix quicquam sciam quod magìs spectet ad thematis alicujus vel investigationem, vel perspicuitatem, vel etiam ornatum, quàm rerum singularum concinnè facta distinctio. Hoc non à Philosophis modò observatum in flexuosis artium scientiarúmque semitis delineandis, sed ab ipso rerum omnium Conditore, quando prima posuit infantiæ mundi fundamenta. Post definitiones rerum distributionem aliquam legimus eum unoquoque die fecisse; & naturas singulas non minùs distinguendo quàm creando formasse: prorsus quasi omnia creando distinxisset, & distinguendo creasset. Non opus est ut altiùs repetam, quod neminem fugit, quàm politè singula in propriis sedibus prudens Opifex disposuit, ut nulla dies esset quæ non aliquâ distinctionis notâ enitesceret. Etenim & lumen à tenebris divisit, & lumen à lumine, & aquas ab arida, & aquas ab aquis, & dies à noctibus, & dies à diebus: & nè quid indistinctum superesset, & contraria à contrariis divisit, & similia à similibus; dum animantia universa tam pulchrè in certos ordines sejunxit, ut ad proprias classes singula se statim reciperent, quadrupedes ad suas, volatilia ad suas, reptilia ad suas: scilicet, nè quis putaret ad ornatum & perfectionem suam aliter deduci mundum posse, quàm singula à singulis distinguendo. Quòd si hanc οἰκονομίαν in prima aurora temporum, quando nihil implicatum aut tortuosum fuerat, supremus ordinis Administrator tam religiosè servaverit, ídque in æternam Divinæ sapientiæ laudem meritissimò cesserit: non est quòd ego nunc reprehensionis morsum metuam, qui ad proventum in Sanctorum Patrum libris faciendum sex distinguendi Modos, paulò longiùs quàm volui, in hexaemeron usque prolataverim; præsertim cùm via sit perplexa, & dissimilibus loquendi formulis intertexta. Sunt enim quædam dicta Patrum obscura & caliginosa, figurarum involucris tecta, clariora alia, atque lucis instar micantia. Huc pertinet prima Distinctio, ut Figuratè dicta secernantur à propriis & Dogmaticis: hoc primæ diei opus, Divisio lucis à tenebris. Deinde sunt quædam dicta fluida & lubrica, & nubium in morem ambiguè pendentia; certiora alia, & instar terræ immobilia. Huc Distinctio secunda est referenda, ut Dubitativè dicta disjungantur ab Assertoriis & firmis: & hoc secundæ diei opus, *Congregentur aquæ ut appareat arida.* Rursus, sunt

ſunt quædam obiter, & quaſi ex improviſo obrepentia; quædam ſignanter & ex profeſſo dicta. Iſtis Diſtinctio tertia eſt adaptanda, ut ſurreptitia & in tranſcurſu dicta iis cedant quæ deliberatiùs dicuntur. Rurſus, ſunt quædam dicta volatica, præſumptis aliorum ſententiis innixa, & rumuſculorum pennis elata; alia ex certa ſua ſcientia penſiculatiùs examinata, & exploratiùs cognita. Ad hæc Diſtinctio quarta erit neceſſaria, ut quæ ex Credulitate nimia & alata fide hominum Patres dixerint ab exploratis & cognitis ſeparentur, horúmque magiſterio ſubjiciantur. Adhuc, ſunt quædam humanum ingenium redolentia, quæ ex impetu mentis & ardore diſputationis ipſis excidiſſe conſtat; at alia judicio magìs ſobrio, velut ex tranquillæ mentis Sabbatiſſimo, Diviniore ſpiritu pronuntiarunt. Et iſtis Diſtinctio quinta eſt adaptanda, ut ea quæ calente animo ex præjudicio aliquo dixerint cum iis quæ pacatiore mente ſcripſerunt conferamus; & ab iſtis ad hæc altera provocemus. Poſtremò, ſunt quædam dicta diſcordia ſecúmque pugnantia; quædam conſtanter prolata, unóque judicii tenore: quæ utraque ad hodierni examinis trutinam ſunt revocanda. Nam de quinque prioribus modis fuſiùs eſt diſputatum, & ſinguli ad ſuos exitus perducti: de figuratè dicta diſcernendo à dogmaticis; & obiter dicta à conſtitutis; & contentionis impetu elapſa à conſultioribus; & dubitativè pronunciata ab apertis & Categoricis; & nimiâ facilitate concredita à ſcitis & exploratis. Uſque ad hanc lineam decurſum eſt, ultrà non potui ſermonem protollere. Quocirca nunc tandem redintegrato curſu, ad ultimum diſtinguendi Modum accedendum eſt; ut de iis videamus quæ vel conſtanter, vel repugnanter Patres locuti ſunt. Hæc, inquam, Diſtinctio ſexta: hinc Inquiſitio ſexta, An ex diſcrepanter dictis firmitatis ſpectatæ teſtimonium peti poſſit: hinc Regula ſexta,

Quotieſcunque contigerit ut ad ſententias Patrum dogmatis alicujus definitio eſt dirigenda, oportet ſedulò exquirere, Utrùm & una omnium, & conſtantiſſima ſingulorum mens fuerit; hoc eſt, an firmi propoſito ſteterint, an non magìs varii erant, aut à ſe invicem, aut à ſeipſis: quia illa ſola pro placitis & decretis Patrum habenda ſunt in quibus ſibi conſentanei fuerant, non facto uſpiam à ſententia ſua receſſu. Ut pleniùs Regula teneatur, diſquiſitionem ipſius ad duas iſtas Quæſtiones revocabimus. An ſi reperiantur aliquando apud Patres ejuſmodi contraria & ſecum digladiantia dogmata, firmitatem habeant in cauſa veritatis; hæc Prima. Quæ via tutiſſima præfiniri poteſt inter hos contrarietatum anfractus ambulanti, nè à Fide Orthodoxa imprudens declinaret; hæc Quæſtio ſecunda. In iſtis duabus Diſtinctionis hujus medulla vertitur, vel magìs anima ipſa. Ego pertentabo aliquid in ambabus partibus; ut ſi non exquiſitas dedero, efficiam ſaltem nè quis dixerit eas non inquiſitas fuiſſe.

De veritate Aſſertionis eſt Quæſtio prima, An ſolida & legitima ſit aſſertio, reperiri in Patrum ſcriptis ejuſmodi contraria & ſecum rixantia dogmata; ità ut non modò alii aliis, ſed ipſi ſibi quandoque contradicant, dum in uno loco aiunt quod in alio priùs negarunt, & vice verſâ. De qua ſi liberè quod ſentio dicerem, quæſtionem doctis ingratam auribus fore confitendum eſſet, & fortaſſe ſubodioſam, & prætereundam magìs quàm refricandam, nè Capita tam veneranda inter ſe committere videamur: ſed quoniam res ipſa efflagitat, cúmque ipſos Pontificios habeamus in hac parte non teſtes modò, ſed Patrum delatores; age, Papiſtas introducamus loquentes, ut audiamus ſaltem quæ ipſorum ſit de hac quæſtione ſententia;

tentia; hæcque nostra sit excusatio, quòd in argumento importuno ex ipsorum apparatu supellectilem nostram mutuamur.

De primo quæstionis membro, Quòd sibiipsis Patres in aliquibus contrariantur, testes duos solummodo produco, Bellarminum & Alfonsum; illum in Ambrosium, utrumque adversus Hieronymum censorium supercilium distringentem. De Ambrosio locus est Bellarmini, lib. 1. De Baptismo, cap. 3. existimasse Ambrosium, lib. 1. De Spiritu Sancto, cap. 3. *ratum esse Baptisma in nomine Christi exhibitum, licèt de Patre & Spiritu Sancto taceatur; quia*, inquit Ambrosius, *quod verbo tacetur, exprimitur fide:* at in cap. 40. l. De iis qui mysteriis initiantur, dixisse contrarium, *Tres testes in Baptismate unum sunt, quia si unum horum detrahas, non stat Baptismatis Sacramentum.* Pariter & de Hieronymo Bellarmini hæc sunt verba, lib. 3. De Rom. Pontif. c. 6. sect. 5. Cùm nostri ex Hieronymo disputant, locum illum Malachiæ 4. de missione Heliæ prophetæ non posse de Heliæ persona intelligi; hæc est Bellarmini responsio: *Ad Hieronymum dico, eum etsi in commentario Malachiæ non putavit Malachiam loqui de vero Elia, tamen in commentario Matthæi contrarium sentire ac docere.* Hæc Bellarminus. Similiter & Alfonsus à Castro, lib. 6. Adversus Hæreses, Tit. Episcopus, sub finem tituli, haud absimilem contradictionem in eodem Hieronymo animadvertit: quòd super Epistolam ad Titum, c. 1. *idem esse asserat Episcopum & Presbyterum*; at in fine Epistolæ ad Euagrium contrarium doceat, *Episcopos & Presbyteros in Novo Testamento idem esse quod Aaron & filii ejus in Veteri. Ex quibus verbis patet*, inquit Alfonsus, *B. Hieronymum sibiipsi in hac parte minimùm constare; quia si hoc est in Ecclesia Episcopus quod in Lege Veteri Aaron, & hoc Presbyteri quod filii Aaron, convincitur indè, quòd ex ipsa institutione Divina Episcopus sit quovis Presbytero major, quoniam Aaronis Sacerdotium majus erat quàm filiorum ejus.* Hæc Alfonsus de Hieronymo. De S. Augustino potui idem ostendere, qui ingenuè de se profitetur, l. 2. De bono perseverantiæ, c. 21. *se non seipsum secutum esse in omnibus.* Potui & de aliis; sed honoris gratiâ intermitto, ut istis solis adhæream quæ Pontificii evulgarunt: si hoc unum priùs inter eundum cursim monuero, quòd in forensibus sanctum est, & in Theologicis debet esse sanctissimum, *Testem pugnantia dicentem fidem non facere*; & rursus, *Testem non debere admitti si sibiipsi contradicat.* In promptu est ratio; quia cùm veritatis natura una est & simplex, in contrarietatibus exsistere non potest, sed ex una parte subesse falsum necesse est ubi contraria dicuntur. Atque de primo hactenus, cùm de eo parciùs loquantur Pontificii, Quòd Patres ipsi sibi.

De secundo verò diu multúmque scriptitarunt, Quòd alii aliis soleant contradicere; ídque non modò in dogmatibus, sed in locorum Sacræ Scripturæ interpretationibus. Examinemus utrinque, & in utraq; parte calculos suos ponamus. De Interpretationibus, pro reliquis sufficiant Bellarmini spicilegia. Locus primus erit ex l. 5. De Grat. & lib. Arbitrio, c. 2. in illa verba S. Pauli ad Rom. 2. 14. *Gentes naturaliter quæ Legis sunt faciunt. Duæ sunt*, inquit, *hujus loci explicationes à Veteribus indicatæ: una eorum qui referunt hæc verba ad Christianos ex Gentibus conversos, scil. Origenis, Ambrosii, Augustini, Fulgentii; altera communior & verior, Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti, Oecumenii, Cypriani, Hieronymi, qui dicunt hæc de gentibus qui Christum ignorabant esse intelligenda.* Secundus est ex libro De Ecclesia milit. c. 4. Art. 11. in illa verba 2 Tim. 2. 20. *In magna domo sunt vasa aurea & argentea, & lignea & fictilia. Respondeo*, inquit Bellarminus, *varias hîc esse Veterum expositiones: nam per vasa lignea & fictilia Cyprianus intelligit infirmos fideles, Augustinus & Ambrosius hæreticos; & nomine*

mine Domûs Latini Patres Ecclesiam, Græci non Ecclesiam sed mundum. Tertius est ex l. 1. de Rom. Pont. c. 12. in illa verba, Matth. 18. 18. *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata in cælo,* &c. *Una est expositio Origenis,* inquit Bellarminus, *qui contendit, non tradi hoc loco Ecclesiasticam potestatem, sed correptionem fraternam; hæc non est valde probabilis: Alia est expositio Theophylacti, qui ad eos verba refert qui injuriam patiuntur, qui tunc ligant quando injuriam retinent, tunc solvunt quando remittunt; hæc non est usque adeò vera: Tertia Hilarii, Hieronymi, Augustini, Anselmi, qui loqui Dominum dicunt de potestate clavium, quâ ligantur vel absolvuntur peccatores.* Quartus ex l. 4. De Sacramento Eucharistiæ, c. 10. §. 9. in illa verba Salvatoris, NON BIBAM DE HOC GENIMINE VITIS, DONEC ILLUD BIBAM NOVUM IN REGNO DEI. *Non obstat,* inquit, *quòd aliqui Patres ea verba de calice Eucharistiæ exposuerunt: nam alii, qui magis ex professo rem tractarunt, contrarium docuerunt.* Postremus est ex l. 1. De Pontif. c. 16. in illa verba Gal. 2. 14. ubi Paulus dicit se Petro in faciem restitisse: *Scio,* inquit Bellarminus, *Clem. Alexandr. non Petrum Apostolum, sed quendam alium à Paulo reprehensum dicere; scio etiam Hieronymum & alios multos existimare, non verè, sed simulatoriè Petrum reprehensum: sed probabilior est Augustini sententia, eum seriò fuisse reprehensum.* Sexcenta ejusmodi, & quidem ex uno Bellarmino, produci possunt: sed ista satis esse puto ad demonstrandum, Quòd in Sacræ Paginæ interpretatione Veteres Veteribus sæpe è transverso stabant; nunc unus uni, nunc unus pluribus, nunc plures pluribus; & idcirco pro certa interpretandi regula statui non possunt. Ratio, quia inter contrarias regulas discentis animus non modò dubius relinquitur, sed attonitus, & à se divulsus, quid faciat, quò inclinet nescius: Si sequor Augustinum, contraria docet Chrysostomus; si Chrysostomum, aliò vocat Ambrosius; si universos, Cyprianus & Hieronymus se interponunt. An erit certitudo regulæ ubi rectitudo desideratur? An rectitudo erit ubi contrarietas intercurrit? Quòd si objiciant, levioris momenti loca ista Scripturæ fore, atque dissentire Patres inter se, non litigare; inane est & irritum, cùm nemo ignoret quàm vehemens erat & contentio & dissensio Hieronymi & Augustini de unico istorum locorum, qui est de reprehensione Petri à Paulo. Et præterea, nemo non occæcatus non videt quòd ex istis locis singulis maximæ fidei controversiæ pendeant. Nam ex illo ad Rom. 2. Pontificii disputant pro bonis operibus infidelium, quia Gentes quæ Legis sunt faciunt: & ex illis alteris, Matth. 18. & Galat. 2. nostri non minùs acriter Primatum Petri impugnant; & quia Petrus non fuit ἀνυπεύθυνος, cùm Paulus ei in faciem restiterit; & quia cæteri eâdem potestate imbuti erant quâ Petrus, cùm Christus omnibus dixerit, *Amen dico vobis; quæcunque ligaveritis,* &c. Quòd si adhuc opponant, se non particularem aliquorum, sed communem omnium Patrum unanimémque intelligentiam pro interpretandi regula statuere: non magis exinde proficiunt; tum quia paucissimi sunt præsertim ex locis controversis pro quibus adduci potest Veterum unanimis consensus; tum quòd & ipsi interdum profitentur discedere se debere à consensu Veterum, & sæpicule etiam discedunt. De aperta professione audiamus Cajetanum, in Gen. 1. *Nemo detestetur novum Scripturæ sensum ex hoc quòd dissonat à priscis Doctoribus, quamvis sit à torrente Sacrorum Doctorum alienus; non enim alligavit Deus expositionem Scripturarum priscis Doctoribus.* De apertissima praxi videamus reliquos; non enim est infrequentia. Sic Bellarm. De Pontif. l. 3. c. 12. discedit à consensu multorum Veterum in explicando illo Genes. 49. *Dan coluber in via.* Sic Vasquesius in 3^{am} Thomæ, disp. 146. c. 3. in explicando illo ad Heb. 6. *Impossibile est*

eos qui semel illuminati sunt, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam. Sic Did. Stella, in Luc. 10. 21. super verbum CONFITEOR; *Omnes Sancti Doctores sic, ego autem aliter: nam Pygmæi Gigantum humeris impositi plus vident quàm ipsi Gigantes.* Supra omnes verò Maldonatus Jesuita, cui nihil solennius quàm unanimem Patrum expositionem elevare, & omnibus contraire. In commentario super Matth. 16. 18. in ea verba, NON PRÆVALEBUNT, &c. *Horum verborum non mihi videtur esse sensus quem omnes, præter Hilarium, quos legisse memini authores putant:* & vers. 19. in ea verba, QUODCUNQUE SOLVERIS SUPER TERRAM, ERIT SOLUTUM IN COELIS, *Non ego sic Petro dictum ut aliis Apostolis interpretor; etsi video omnes authores præter Origenem in eadem fuisse sententia:* & præterea in locis innumeris. Rationem reddit, in vers. 12. Evangelii Joannis, c. 3. *Fateor me præter voluntatem meam in novam interpretationem rationibus majoribus compelli:* perinde ac viro bono in animo fuisset unanimem Patrum interpretationem non rejicere, nisi præter voluntatem suam, & quasi invitò, & non nisi majoribus rationibus impulso. At hoc quàm falsum sit, patet ex plurimis istius libri sectionibus, in quibus passim legere est hæc verba, *Ego sic arbitror; Ego sic intelligo; Non assentior iis; Malo ego credere; In nullo eorũ acquiesco; Arrogantis non est à tot támque gravibus authoribus dissentire.* Nempe non erat in causa major ratio, sed major invidia, vel ipso se judice, in Joannis 6. 62. ad verba illa, QUID SI VIDERITIS FILIUM HOMINIS ASCENDENTEM UBI ERAT PRIUS? Contra Patres inquit, *Non nego me hujus interpretationis authorem neminem habere: sed hanc eò magis probo quàm illam Augustini & cæterorum, alioqui probabilissimam, quòd hæc cum Calvinistarum sensu magìs pugnet, quod mihi magnum est probabilitatis argumentum.* Egregiam verò pietatis laudem, quæ à Patrum sententia dissentire cupit tantùm in odium Protestantium! An hoc est invitum trahi? an hoc, rationibus majoribus compelli, contra probabilitatem, contra communem consensum, idcirco Patribus adversari, ut Protestantibus adversetur? Non ampliùs jam in Patrum consensu glorientur, cùm & ipsi consensum deserant; & inter Patres non reperiant, quando interpretum munere funguntur. De Patrum in interpretandis Scripturis repugnantia abunde.

Idipsum nunc demonstrandum in Dogmaticis; nam in his non minùs eos dissentientes habemus: cujus iterum locupletissimus testis est Bellarminus, in libris potissimùm De Sacram. Baptismi, De Rom. Pontifice, & De verbo Dei. In l. 1. De Baptismo, c. 3. ostendit, Ambrosium, Bedam, Bernardum, Hugonem statuisse, *in forma Baptismi denominationem unius tantùm personæ sufficere:* at contrà, Dionysium, Justinum, Origenem, Athanasium, Basilium, Didymum, Nyssenum, Chrysostomum, Nazianzenum, Damascenum, Theophylactum, Tertullianum, Cyprianum, Hieronymum, Augustinum, Fulgentium, Leonem, Gregorium, *Non esse ratum Baptismum nisi tres exprimantur personæ.* In l. 1. De Pontifice testatur, *Patres Græcos peccatum in facto Petri agnovisse, ob quod reprehensus est à Paulo:* contrarium verò tenere plerosque Latinorum. In l. 1. De Verbo Dei, c. 7. affirmat, *Melitonem, Athanasium, Nazianzenum, librum Esther extra Canonem posuisse; at reliquos omnes de Divina ejus authoritate consentire:* & c. 19. *Patres Græcos de Apocalypsi dubitasse, contra communem consensum Latinorum; & Latinos de Epistola ad Hebræos, contra Græcorum communem sententiam:* & l. 2. c. 6. *Hieronymi sententiam fuisse, LXX Interpretes in versione sua in quibusdam errasse; at Justinum, Irenæum & reliquos alterius sententiæ fuisse.* Denique & istis possunt attexi & alia id genus non pauca: *Quòd Hilarius Judam dicit cum reliquis Apostolis non sumpsisse Eucharistiam, neque Sacramenti distributioni*

tioni interfuisse; cùm Augustinus & plerique alii in adversum ferantur. Quòd Origenes, Tertullianus, Ambrosius statuunt, Christum aperto matris utero more aliorum infantium natum esse; cùm è Patribus plurimi refragentur. Quòd Justinus, Irenæus, Chrysostomus, Cyrillus, Epiphanius, Athanasius, Theodoretus, Cyprianus, Tertullianus, Ambrosius, Hieronymus, Circumcisionis vim nullam aliam fuisse docuerunt, nisi distinguendi Israelitas à gentibus: verùm Augustinus, & eum secuti Gregorius, Beda, Rupertus, Hugo, valuisse eam docent adversus peccatum Originis, sicut nunc Baptismus. Sed quid ego singula meditor recensere, cùm una aut altera contrarietas testimonii authoritatem minuat, nè pro certissimo habeatur? vel illa juris Axiomata argumento esse possint, *Testes contrarii non valent; Testibus inter se repugnantibus absolutè & simpliciter non adhibetur fides.* Quod ipsum de Patribus verbis aliis Bellarminus non dubitat prædicare, l. 4. De Sacramentis, c. 10. sect. 9. *Non possumus*, inquit, *ex Patrum sententiis aliquid certi colligere, quando inter se non conveniunt*; & lib. 4. De verbo Dei, cap. 11. sect. 12. *Ex consuetudinibus contrariis nihil certi statui potest.* Quòd si nulla ab ipsis trahatur definiendi certitudo cùm non conveniunt, equidem non maximam & firmissimam certitudinem suppeditabunt etiamsi conveniant; & quia potuerunt non convenisse, & quia paucissima sunt dogmata nunc controversa in quibus junctim omnes conveniunt. Propterea videant Adversarii ex his quomodo se laqueis exuant. Certè ego non capio quâ vi aut quibus artibus se possunt explicare, quominus temeritatis, nè quid gravius dicam, arguantur, si fidei certissimum judicium navigio commiserint hàc, illac, contrariis motibus, vel suo ipsorum judicio, fluctuanti. Etenim de ipsa Scriptura Sacra meritò quæstio esse poterit, si contraria in se aut repugnantia contineret: sed propter hoc ipsum est certa regula, & non modò certa sed sola, quia, ut Epiphanius loquitur, Hær. 73. τὰ ῥήματα τῆς γραφῆς οὐκ ἔστιν ἀλλήλοις ἐναντία, *Scripturæ verba nunquam sunt contraria, quantumvis imbecillioribus repugnare videantur.* Ast verò hominis, quamvis sanctissimi & sapientissimi cujuscunque, dicta & scripta non item. Mortalium nemo est qui non labi potest, quia nemo est qui non potest sibiipsi contradicere: ut nihil jam excogitari potest iniquius quàm, quod Adversarii satagunt, istis columnis fidem concredere, & istis discrepantiis veritatem alligare, summo cum discrimine veritatis. Quòd si fortasse regerant, se in Patrum definitionibus non acquiescere, nisi cùm omnes simul consenserint, nugas agunt. Nam primò, res est impossibilis Patres ut quis consulat omnes, aut omnium ut exploret sententiam. Quâ demum lucernâ? nam vix centesimam partem in libris superstitem habemus; & pauciores illos, quorum in libris superest sententia, dicant, num possunt singuli fideles eos quotquot sunt evolvere, ut hoc solum teneant quod ipsi unanimiter senserint? Deinde autem res est, si sic loqui liceat, ludicra; nam Pontificii ipsi non faciunt. Quoties, quæso, ipsi hunc ipsum consensum rejiciunt, respuunt, explodunt? Exemplorum magna est copia. In Concilio Florentino definitum est, & verè, Quòd Justorum animæ ante diem Judicii Visione Dei fruuntur: at apud Veteres longè latèque patebat contraria sententia; apud Tertullianum, Irenæum, Origenem, Chrysostomum, Theodoretum, & quos non? fatente Stapletono, in Defens. Ecclesiast. Authorit. l. 1. c. 2. s. 1. Pari modo, disertissimum edictum est trium Conciliorum, Constantiensis, Basileensis, Tridentini, contra Communionem sub utraque specie: cùm tamen Patrum unanimis consensus aliò ferebat, fatentibus Adversariis. Ejusdem farinæ est illud Pererii, in Rom. 8. Disp. 12. *Græci Patres*, inquit, *nec pauci Latinorum, arbitrati sunt causam prædestinationis esse præscientiam vel*

 operum,

operum, vel fidei, idque in scriptis suis prodiderunt: at nullius negotii est ex multis Scripturis contrarium ostendere. Et illud Cani, l. 7. Loc. Theol. c. 1. *Sancti omnes qui in ejus rei mentionem inciderunt, uno ore asseverarunt, B. Virginem in peccato originali conceptam: & cùm nullus Sanctorum contravenerit, infirmum tamen ex omnium authoritate argumentum ducitur; quin potiùs contraria sententia in Ecclesia Romana probabiliter & piè defenditur.* Denique & illud Salmeronis, Disp. 51. in Rom. 5. *Contra hanc*, inquit, *quam objectant de Maria conceptione multitudinem, respondemus locum ab authoritate esse infirmum:* & paulò pòst, *Pauperis est numerare pecus:* & adhuc, *Quilibet senex est laudator temporis acti:* &, *Doctores quò juniores, eò perspicaciores:* & tandem, *Respondemus ex verbo Dei, Exo. 1. 23. In judicio plurimorũ non acquiesces sententiæ, ut à vero devies; cùm Augustinus respondeat Donatistis, signum esse causæ à veritatis nervo destitutæ, quæ soli multorum authoritati, qui errare possunt, innititur.* Hæc Salmeron. O vocem præclaram, neque ore indignam Orthodoxo, in nostram gratiam editam, in suum dedecus! Ecquæ vox honestior fingi potest vel illâ Salmeronis, *In judicio plurimorum non acquiesces, ut à vero devies*; vel illâ Cani, *Infirmum ex omnium Patrum authoritate argumentum ducitur*; vel illâ alterâ Pererii, *Græci & Latini Patres sic arbitrati sunt, sed malè, quia contrariantur Scripturæ*; vel illâ denique Cajetani, *Non alligavit Deus expositionem Scripturarum priscis Doctoribus?* Nimirum hi illi sunt qui communem sententiam Patrum semper & ubique sequuntur: at nunc cùm ad restim res penè redierit, Symphoniam multorum & penè omnium nobis exprobrant, indignabundi foràs extrudunt, &, si diis placet, quia Scripturæ adversatur. Ergò, dum ad hoc consensûs χρησφύγετον se recipiunt, fumos vendunt, & obductâ nebulâ insipientium oculis imponunt, cùm & ipsi consensum maximum, quando pro se non facit, naso adunco suspendunt, ut *infirmum*, ut *nervis destitutum*, ut *causæ profligatæ indicium.* Ex quibus omnibus nos nostrámque causam quàm potuere accuratissimè tutati sunt. Nam ex istis dictis suis quæstionis primæ pars utraque palàm provenit. Et sæpe Patres sibipsis contrariari; & quia contrariantur, pro certa fidei dogmatúmque regula statui non posse cùm dissentiunt, eò quòd etiam cùm consentiunt sunt perincerta. Ex istis primæ quæstioni satisfactum puto, de veritate assertionis, Quòd reperiuntur inter Patres, tum in Commentariis tum in Controversiis, pugnantes sententiæ; quódque idcirco non sufficiunt ad Fidei definitiones præstandas.

Accedo ad secundam, quæ est de Usu assertionis, aut via remedii; Quæ via tutissima præstitui potest inter hos contrarietatum anfractus incedenti, nè à fide Orthodoxa recedat. Non quòd mearum virium sit viam in re tam ardua præscribere: sed tantùm consilium meum do, ut Apostolus inquit. Et revera huic parti libentiùs me trado quàm alteri quæ præcessit, quia semper gratius est medicamenta tractare quàm morbos: præsertim cùm multi sunt tam nauseantis stomachi, ut quia nonnulla dicta Veterum impingunt invicem, eapropter fastidiunt omnia. Quo hominum genere quid est inconsultius, qui integros favos mellis propter fæces aliquas inhorrescunt: cùm magis vir prudens suum judicat esse non aspernari prorsus, sed decoquere & percolare, de hoc certissimus, quòd per colum transmissa ad dulcedinem suam redeunt, & rubigine exesâ splendescunt? Quocirca pro concesso hoc supponendum est, quòd Doctores Sancti, ut cum cautela legendi, ità cum candore censendi sunt: ut si quid in iis fortasse inveniatur quod paulò duriùs sonat, quódque specimen habet vel erroris vel contrarietatis, non statim opus totum est abjiciendum, authórque ipse damnandus, quia sunt in pulcherrimis corporibus nævi quidam; sed remedia sanantia sunt excogitanda,

tanda, quibus duriùs dicta molliantur, & in contrarium spectantia concordia fiant, ídque commodâ aliquâ interpretatione, quæ neque vim vocabulis faciat, neque discedat à veritate, & in communem sensum aliorum Patrum inducat. Sunt autem Remedia duorum generum; Remedia simpliciter necessaria, & Remedia adjuvantia, quæ non universaliter tenent, sed plerumque.

Remedia simpliciter necessaria inter Pontificios duo reperio, sed falsò sic constituta. Primum est in Conciliis: Si multi sigillatim contrarientur, at non multi junctim simúlque congregati. At hoc non sufficit: Concilia sunt media adjuvantia, non suprema; quia legimus contrariis cervicibus sæpe inter se Concilia pugnasse. Pro Conjugio Sacerdotum Ancyranum Concilium stabat, Concilium Neocæsareense contrá. A Concilio Niceno damnatur Arius, ab Hierosolymitano absolvitur. In Constantinopolitano sub Leone 3° Imagines sunt à templis eliminandæ, in altero Constantinopolitano sub Irene restituendas eas & venerandas esse decernitur. Postremò, in Concilio Basileensi Papa Conciliis inferior statuitur, in Lateranensi superior; testante Bellarmino, l. 2. De Conciliis, c. 17. s. 11. *Lateranense ultimum*, inquit, *sub Leone* 10°. *Sess.* 11. *disertè & ex professo docuit Pontificem esse supra omnia Concilia, & reprobavit contrarium decretum editum in Concilio Basileensi.* Hæc cùm ità sint, manifestum est, primum eorum remedium in Conciliis positum non esse Catholicon, quòd multi junctim non contrariantur. Secundum est in Romano Pontifice: Si multi contrarientur, at unus non potest; nam Papa est Pater Patrum, & omnium dogmatum Judex, qui solus nec potest sibi contradicere, nec fas est ut ei contradicatur. At hoc remedium fallax est & ψευδέγγραφον; non simplex, sed nè adjuvans quidem; adeò non indubitatum, ut nè remedium quidem: ídque & de jure, quia solitarius doctor non habet authoritatem idoneam; & de facto, quia Papam Papæ, & Papam sibi habemus interdum contrarium. Quòd Papa sibi, Gregorii historia ostendit, qui primò causam de Cœlibatu Sacerdotum magno cum ardore promovit: cæterùm ubi postea ex piscina quadam allata plus quàm sexies mille infantum capita vidisset, Decretum de Cœlibatu tantæ cædis causam confessus, cœptis destitit, & Decretum damnavit. Historiæ notitiam Magdeburgenses curarunt, Centuriâ 4. c. 10. sed exstat prototypon apud orthodoxographos Latinorum authorum, To. primo, in Epistola Udalrici Episcopi ad Nicolaum Papam; atque Æneas Sylvius mentionem ejus facit, & argumentum exponit, l. De moribus Germaniæ, p. 1053. Deinde, quòd Papa Papæ contrarietur, testes habemus supra unum aut alterum è Pontificiis. Inprimis id observatum est à Fasciculo Temporum; *Adrianus tertius*, inquit author, *statuebat, ut Imperator se nullo modo intromitteret de summi Pontificis electione:* sed Leo octavus directè contrarium statuit postea. Et hoc quidem verissimè, nam exstat Leonis Constitutio apud Gratianum, Dist. 63. quâ concessit Othoni primo & successoribus ejus, ut eligant & ordinent Romanum Pontificem. Idem observat Jacobus Almaini De Authorit. Ecclesiæ, c. 10. de Nicolao 3°. & Joanne 22°. quorùm unus determinavit judicialiter, *Christum & Apostolos nihil habuisse in communi nec proprio*; alter oppositum. Idem observare est de Nicolao primo & Zacharia Papa, quorum ille, *Baptismum in solius Christi nomine collatum ratum esse* docuit; hic negat: apud Gratianum De Consecrat. Distin. 4. Idem denique de Cælestino & Innocentio 3°; nam Cælestinus 3° definivit, *Per hæresin ità matrimonium solvi, ut liceat ei conjugium aliud inire cujus prior conjux in hæresin lapsus sit; exstátque definitio hac in antiquis Decretalibus*, inquit Alfonsus, l. 1. de Hær. c. 4. at contrarium edoctum esse ab Innocentio

Cham. To. 1. p. 86.

l. 4. de Pontif. Rom. c. 14. §. 3. nocentio 3°, Bellarminus observat. Hæc cùm ità se habeant, secundum eorum remedium non valet. Unde igitur est remedium simplex petendum? Dicam brevì, Remedium simplex & absolutum est sola Scriptura Sacra; ad hunc Lydium lapidem discrepantia Patrum loca sunt redigenda; & ad hanc nos tutò recipere possumus, dissidentibus cæteris universis: quia illa sola contrarietate nullâ implicatur; solius Scripturæ est prærogativa, ut per omnia sibi cohæreat, sui que similis exsistat; ejus solius privilegium, ut non habeat ἐναντιολογίαν, *nihil repugnans aut discrepans*, nihil discors aut dissonum, vel in toto, vel in partibus. In reliquis rebus omnibus contrarietas indicari potest; ὁ κόσμος ἅπας ἐξ ἐναντίων συνέστηκεν, ut in Psal. 44. Chrysost. loquitur: in mundo majori eminet, & in mundo minori; in Paradiso Scripturarum non apparet. Apparet aliquando diversitas aliqua, quia diversimodè loquitur; sed optimè rursus S. Chrysost. *Chrys. Ser. in Paralyt. 10. 5.* ἕτερόν ἐστι διαφόρως εἰπεῖν, ἕτερον ἐναντίως, *aliud est diversè narrare, aliud contrario modo. Quod diversum est, distinctam solet habere rationem*, inquit Ambrosius: *Ambr. l. 2. De Pænit. c. 2.* quod contrarium est, seipsum impugnat. Diversitas ad ornatum facit, habetur igitur in Scripturis: contrarietas falsiloquium notat; & propter hoc quia in Sacra Pagina nihil falsum, nihil potest esse contrarium, non dogma dogmati, non dictiuncula dictiunculæ adversa; sed in omnibus & singulis amicissimâ copulâ ità conglutinata est, ut in unius libri, & unius verbi, & unius Canonis, & unius veritatis titulum atque communionem coalescat. Esto igitur solum Remedium simplex & absolutum.

Remedia Adjuvantia ad duo Capita reducuntur; Remedium contrarietatis quæ est in uno, & quæ est in multis.

Remedia contrarietatis, si in multis contingat ut alii contrarientur aliis, ad hæc duo Capita revocari posse puto, ad Remedia Rerum, & Personarum. Remedium respectu Rerum unum est, Ut loca contraria prudenti conciliatione ad concentum redigantur. Hoc autem fieri potest, si lector utrumque seriò perpendat, & examinatis verborum ponderibus, dictis inhæreat, & circumstantias quasque inter se conferat. Hoc illud est quod monet Augustinus, l. 1. de Trin. *Videndum est*, inquit, *prudenter & piè, quid, secundùm quid, & propter quid dicatur*: ratio est, quia sæpe una eadémque meta à diversis proponitur, cùm viæ ad metam ducentes sint dissimiles; ut in Cyrillo & Theodoreto videre est, inter quos, etsi uterque rectè senserit de fundamento, tamen atrox pugna oborta est, quia non idem uterque in explicatione secutus est. Cyrillus, in refutatione Nestorii, ad personæ Christi unionem respexit; Theodoretus, in refutatione Eutychetis, naturarum proprietates consideravit. Si circumstantias lector libraverit, unum sentiunt Cyrillus & Theodoretus. Hoc igitur est remedium quod dixi Rerum, ut ex circumstantiis res ipsæ, si fieri possit, concilientur.

Remedia respectu Personarum duo sunt, ex duabus istis Regulis demonstranda.

Regula prima, Cùm inter Patres sententiæ repugnantes se produnt, paucioribus plures sunt præferendi, si cætera paria fuerint; neque enim æquum est, ut cùm singulorum eadem sit authoritas, relictis pluribus pauciores sequamur: non quòd sim nescius, unius labii sententiam Orthodoxam vel maximæ multitudinis judicio corrupto esse anteponendam, & præstabilius multò esse appendi ac librari suffragia quàm numerari: sed cæteris, aio, paribus, paucitati copiam ad probabilitatis argumentum prævalere; quia oculorum visus certior quàm oculi. Sic pluris habendum est quod à Doctoribus multis asseritur quàm quod à solitario; pluris quod in Conciliis statuitur quàm quod in Scholis; pluris quod in Concilio universali quàm quod

quod in Provinciali: quia multorum oculi circumlustrant & penetrant quò unus visu pertingere nequeat. Hæc regula prima.

Regula secunda, Quando inter Patres contrarietas dogmatum agitatur, si numero pares fuerint, meliores & antiquiores sunt potiùs sequendi. *Antiquiores* voco, qui majorem ætatis canitiem habent. Non quòd existimem accidere non posse ut posterior videat quod prior non vidit; sed quòd in ordine temporum antiquiores plerumque sunt puriores, quia propiores fontibus. Esto, novitas sit oculatior, at antiquitas castior. Nemo eruditorum ibit inficias, prima tempora posterioribus præjudicare, & Doctores primis proximos esse purissimos; unde in Decretis legimus, *Quando in aliquibus Conciliorum gestis discors sententia invenitur, illius Concilii magis debet teneri sententia cujus antiquior exstat authoritas*, Decret. D. 50. Ergò distinguenda sunt tempora, quia vix quisquam est ex optimis scriptoribus cui non aliquam seculi in quo vixerit contagio labeculam addidit; dum unicuique innatum est sui temporis ritibus favere, quibus innutritus est: *πᾶν σύντροφον γλυκύ*, ut Euripides optimè. Quod in Leone, Gregorio, Bernardo, Damasceno videre est, qui singuli torrente temporum acti in nonnulla heterodoxa infeliciter impegerunt: ut amentis esset Gregorium cum Cypriano, aut cum Ambrosio Leonem, aut Bernardum cum Augustino, aut Damascenum cum Basilio ullatenus comparare; cùm istorum singuli scripserint incipiente jam Antichristi tyrannide, & seculo ex cumulatis Monachorum superstitionibus conjurato. Rursus, *meliores* cùm dico, eos intelligo qui saniores & sanctiores: quod ipsum inter Juris regulas recensetur, Ut inter testes semper fides major habeatur nobilioribus; *Testibus*, inquit Lex, *duobus nobilibus plùs creditur quàm pluribus plebeis & rusticis*. Hinc illa vox Augustini de seipso, *Omnia sua scripta non esse paria uni Epistolæ Cypriani*; & illa Hilarii de Synodis, adversus Arianos, *Quia gravis est authoritas Veterum, si contraria invicem senserint, debemus tanquam judices probare meliora*. Similia passim occurrunt in Bellarmini scriptis. De Lino, l. 2. de Rom. Pontif. c. 9. s. 4. *Si Lini historia est nullius authoritatis, quomodo potest indè refelli sententia Ambrosii?* De Tertull. l. 1. De bon. op. c. 5. art. 1. & l. 3. de Euchar. c. 6. ar. 59. *Tertulliani non magnifacienda est authoritas quando contradicit aliis Patribus*. Et de Damasceno, l. De Gratia primi hominis, c. 15. *Jo. Damascenus sic putat, sed gravior est authoritas S. Basilii & S. Augustini*. Sic omnes confitentur, Si numero pares, gravioribus & antiquioribus magìs adhærendum. Hæc regula secunda, adeòque Remedia contrarietatis si in multis contingat.

Sequuntur Media contrarietatis in uno, quando in uno eodémque contingit ut quis sibi contradicat. Hæc quatuor sunto, in istis quatuor Regulis comprehensa.

Regula prima, Literale dictum præstat Allegoricæ: unde sequitur, ut si una pars contrarietatis sit in locutione figurativa, altera in propria, illa pro sententia Patris habenda est quæ propriè enuntiatur, & secundum hanc figurativa est corrigenda. Insignis est Regulæ usus in controversia de Cœna Domini; quia passim occurrunt in Patribus figurativæ formulæ de corpore & sanguine Domini, quæ tamen si per proprias explicentur, evincunt contrarietatis nihil inesse in diversis loquendi formulis: quia *visibilia Symbola interdum appellatione Corporis & Sanguinis honorantur*, ut Theodoretus loquitur, interdum verò propriis nominibus insigniuntur; & panis corpus dicitur, & panis *panis*. Huc facit illud Augustini, l. 3. De Doctr. Christiana, c. 26. *Locum unum exponere per alium ejusdem Scripturæ clariorem, optima interpretatio est*. Hæc regula prima.

Regula secunda, Ex impetu aut casu dictum cedit iis quæ deliberatè proferuntur: unde sequitur, ut si una pars contrarietatis sit fortuita vel præpropera locutio, non statim nigrum Aristarchi Theta est ei præfigendum; sed, quâ fieri possit lenitate, trahendum est ad ea quæ alibi deliberatiùs scripserunt. Ratio est, quia obiter & festinanter dictum quasi non dictum putandum est: & Patres, etsi non dominentur fidei nostræ, ut omnia ab iis dicta adorentur; tâmen non sunt aut absque præfatione honoris amovendi. cùm obliquè, aut penitus amovendi cùm repugnanter loquuntur, si modò vel minimus aditus pateat dicta in concordiam reducendi. Huc accedit quod à Bellarmino ipso notatum est, l. 2. De Sacram. Euchar. c. 37. *Ut si ipsi se non explicent, tunc oportet ex verbis apertis nonnullorum Patrum exponere ea quæ videntur obscura & dubia in aliis Patribus:* addo, ex iis præcipuè qui eorum æmuli & sequaces erant; nam hi sæpius verba illorum graviora producunt, obiter dicta prætereundo. Sic optimus Chrysostomi interpres Theophyl. quia Epitomator; Basilii Epitomator Ambrosius in opere sex dierum; Gregorii, Paterius; Augustini, Eugippius; Isidorus omnium: denique S. Prosper Augustini non Epitomator, sed assertor & vindex, qui paucis verbis nervosiùs & rotundiùs multò complexus est quæ ab Augustino scripta sunt fusiùs. Hæc igitur Regula secunda, Ut obiter dicta consultioribus cedant.

Regula tertia, Sæpius dictum anteponendum est ei quod semel aut rariùs dicitur: & quia dicti repetitio est confirmatio; & quia quod diversis locis asseritur, evolutiùs & commodiùs plerumque exprimitur; & quia quæ sæpius repetita sunt, loca cum locis conferendi occasionem subministrant, ut veram obscurorum expositionem ex perspicuis eruere possimus. Hujus Regulæ usus non mediocris in controversia De impletione Legis, de qua multa è Chrysostomo citantur pro parte affirmativa, Legis impletionem possibilem fore; Hom. 8. de Pœnit. οὐκ ἐπέταξεν ἀδύνατα· Hom. 18. in Matth. μὴ ἀδύνατα εἶναι νομίζωμεν τὰ ἐπιτάγματα· neq; nos imus inficias: sed & hoc est adjiciendum, quòd sæpius pro parte negativa se præstat Chrysostomus; Hom. 17. in Rom. οὐδεὶς νόμον ἐπλήρωσε· & rursus, οὐδενὶ γέγονε δυνατόν. Quibus inter se collatis & expensis nulla erit contrarietas: quia Lex & de jure est possibilis, & de facto impossibilis impletu; non impossibilitate physicâ, in sua natura, sed morali, ex nostra impotentia: quod in locis posterioribus Chrysostomi innuitur, ad quæ priora sunt revocanda. Hæc Regula tertia.

Regula postrema, Posteriùs dictum præponderat illis quæ priùs dicuntur, ut teneris annis ætas maturior: quia sicut robur est juvenum, ità in senibus prudentia eminentior; juvenilis ætas ad errandum est inclinatior, senilis ad corrigendum aptior. Exempli gratiâ, de libero Arbitrio dissimilia sunt scripta Augustini: cùm scripsit de eo juvenis, antequam erat Presbyter, nondum judicio confirmatus, nonnulla temere effudit, quæ postea, cùm esset Episcopus & ætate provectior, revocavit & correxit. Hinc ortum est quòd Patres sæpe sententias suas ætate maturiori retexerunt. Quod in Augustino inprimis laudandum, qui cùm in suis voluminibus manifestos quosdam errores cerneret, ex quibus hostes Ecclesiæ arma adversus ipsam depromebant, ipso adhuc superstite, dignatus est vir sanctissimus libros Retractationum emittere in publicum, per quos errorum materiam tolleret: & ante Augustinum, Berillum Bostrenum Episcopum idem fecisse Hieronymus refert, in l. De Scriptoribus. Eòque ipse Hieronymus alludit in illa ad Pammachium & Oceanum Epistola; *Si mihi creditis*, inquit, *Origenistes nunquam fui; si non creditis, nunc esse cessavi: si non creditis erranti, credite correcto.* Hæc Hieronymus. Verùm Augustinus instar omnium esse potest, qui quod ad hanc

rem

rem spectat, ut ipsius verbis utar, præ omnibus & *primas partes habuit Sapientiæ, & secundas Modestiæ:* sic autem de suo hoc retractandi consilio loquitur in septima ad Marcellinum Epistola; *Romanus maximus author Tullius eloquii de se dicit, quòd nullum unquam verbum emisit quod revocare vellet: quæ laus quamvis præclarissima videatur, tamen credibilior est de nimiùm fatuo quàm de sapiente perfecto. Etenim ab hac ego excellentia tam longè absum, ut si nullum verbum quod revocare vellem protulero, fatuo sim quàm sapienti similior. Illius quippe scripta summâ sunt authoritate dignissima, qui nullum verbum, non quod revocare non vellet, sed quod revocare deberet, emisit.* Et paulò pòst, *Si aliquid vel incautius vel indoctius, quod reprehendatur, à me positum est, non est mirandum, sed potiùs ignoscendum, atque gratulandum, non quia erratum est, sed quia improbatum: si enim mihi Deus quod volo præstiterit, ut omnium librorum meorum quæcunque mihi displicent colligam; tunc omnes videbunt quàm non sim acceptor personæ meæ,* & quæ sequuntur. Hæc Augustinus. Ex quibus liquet, hoc Sanctis Patribus familiare fuisse, ut si quid erratum esset, receptui canerent, ut saltem vel hoc modo consonantia scriberent, contraria per modum retractationis scribendo. Quid enim est Retractatio nisi dicti correctio & emendatio, etiam & mutatio? si mutatio, cessat esse quod fuit. Hæc Summa, Falsum retractatum non ampliùs falsum est, sed verum; Contrarium revocatum non est contrarium, sed idem; neque jam decernitur distinctio duorum, sed unius conciliatio. Quid addam suprà? Si cesset distinctio, cesset igitur & de distinguendi modo disputatio: & quartæ Regulæ hic finis erit, Hoc cognito, quòd Patrum scripta de quibus agitur sunt pura & incorrupta, & locus qui controvertitur sincerus & integer, tum considerandum est quis loci sensus sit, & quo animo ac spiritu dicatur; Rhetoricè, an Dogmaticè; obiter, an deditâ operâ; sedatè, an impetu mentis; dubitativè, an Categoricè; fide bonâ, an fide aliorum; constanter, an repugnantibus sententiis.

Postrema Regula superest; Quòd positis his omnibus, quòd Dogmaticè, & consultò, & sedatè, & Categoricè, & ex fide sua, & constanter idem Patres dixerunt, tum demum ad Scripturæ normam est redigendum. Hæc Regula regularum, die sequenti illustranda, si Deus affulserit.

LECTIO

LECTIO XLV.

IN omnibus negotiis, & præterea præceptis ac consiliis, necnon cautelis & regulis, si multa sunt quæ geruntur, est semper principale aliquid quod eminet cæterísque antecellit. Nec mea solius est observatio, sed facilè potest esse vestra, vel cujusquam, si velit vel in ipsius Dei aut in Sanctorum hominum in agendo & loquendo prudentiam oculos conjicere. De operibus Dei, ex quibus totus mundus constat, si loquamur, opinor non esse obscurum, quòd cœlum, & terram, & elementa, & animalia, stirpésque omnis generis, quasi minoris pretii spectacula, & solummodo utensilia nostra, priùs condiderit; & post omnia, hominem, ὥσπερ δὲ μέγα καὶ τίμιον χρῆμα, ut Nyssenus optimè, velut magnum quoddam miraculum, totius & Summam, & summum dominum Universitatis. De mandatis Dei, quibus totus mundus repletus est, res magìs est in confesso; quòd sicut multa, eáque omnia magna, mandata constituerit, ità unum supra omnia maximum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Hoc caput, & idea, & mensura reliquorum, luminare majus, præceptum Solare, à quo reliquæ velut stellæ lumen suum mutuantur. Sic utrinque, & inter mandata & inter opera Dei, est aliquid quod eminet. Ad Apostolos quod attinet, pro cæteris S. Paulus documento esse potest; nil ei magìs est usitatum, quàm inter bene vivendi monita, quæ passim tradit plurima, unum aliquod magnum interserere quod eminentius sit cæteris. 1 Cor. 14.1. *Æmulamini spiritualia*, μᾶλλον δὲ, *magìs autem ut prophetetis*; hoc illud est quod eminet: ad Gal. *6*, 10. *Dum tempus habemus, operemur bonum erga omnes*, μάλιστα δὲ, *sed maximè erga domesticos fidei*; hoc illud est quod eminet: ad Coloss. 3.12. *Induite, sicut electi Dei, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam*, ἐπὶ πᾶσι δὲ, *super omnia autem hæc, Charitatem habete*; hoc rursus illud est quod eminet. Ad eundem modum & ego, Auditores, pro Patrum scriptis ad fidei controversias commodissimè applicandis regularum fila ducturus, ad extremum usque ex omnibus regulis maximam reservandam curavi, ut esset saltem in exitu quæ emineret. Hanc autem Regulam, quam dignitate appello maximam, esse ordine quintam & ultimam non opus est vobis nisi in transcursu recensere. Accepistis primam, De jure & merito nominis; Quòd ad lectionem Patrum accessurus oportet ut sciat pro Patribus meritò habendos quorum suffragiis est usurus. Dein, De eorum scriptis & voluminibus secundam; Quòd, hoc cognito, quinam sunt meritò Patres dicendi, oportet ut hoc etiam calleat, quòd eorum scripta γνήσια sunt & authentica, non fictitia & ementita. De dictis & sententiis tertiam; Quòd, hoc cognito, scripta esse genuina & sua, oportet ut hoc etiam cognoscat, quòd ipsæ sententiæ, adeóque scriptionis pars quælibet sit sincera & integra, non mutatione aliquâ depravata. De enuntiandi modis quartam; Quòd, hoc etiam cognito, sententias quaslibet quæ proferuntur integras esse & incorruptas, tum demum considerandum est, Quis sententiæ cujusque sensus sit nativus & proprius, quo animo, in quem finem, quâ loquendi formulâ evolarit; Rhetoricè, an Dogmaticè; obiter, an deditâ operâ; sedatè, an ex mentis impetu & præjudicio; dubitativè, an Categoricè; à fide bona, an nimia credulitate; constanter, an repugnanter atque discordantibus inter se sententiis. Postremò, De efficacia & validitate ultimam, quæ nunc enucleanda est, quæ sic se habet;

Nyss. de Hominis Opificio.

His

His omnibus adinventis, Quis author fuerit, quo sensu dixerit, concessóque quòd Dogmaticè, & apertè, & consultò, & sedato animo, & ex fide sua, & constanter idem sit locutus; nè sic quidem desistendum, sed post hæc omnia, ad Sacræ Scripturæ normam accuratè est revocandum: ut si huic rectitudini conforme fuerit, retineatur; sin minùs, ut authori suo, quasi infirmitatis humanæ tessera, relinquatur. Hæc, inquam, Regula est quæ inter omnes eminet, regula & suprema & summa, cùm non possit dari aliqua aut supra ipsam, aut post ipsam. Hâc positâ, reliquas facile est ad plenitudinem & perfectionem suam perducere: hâc non positâ, disquisitiones aliæ irritæ sunt, & ad nihilum recidunt. Utriusque partis rationem à Salviano Massiliensi eleganter habemus depictam, l. 3. De Gubern. Dei, sive, ut alii scribunt, De Providentia; *Alia omnia*, inquit, *id est, humana dicta, argumentis ac testibus egent: Dei autem sermo ipse sibi testis est; quia necesse est, quicquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum sit testimonium veritatis.* Hæc Salvianus. Ut regulæ certitudo manifestior fiat, ad duas Propositiones quæ dicenda sunt redigam; ostendámque quòd sit & à Scripturis Sacris regula tradita, & à Patribus ipsis sæpius agnita, quando de suis aut aliorum libris loquuntur. Ex duabus istis duæ quas dixi Propositiones oriuntur.

Propositio prima ex Scripturarum testimonio deducitur; & huic soli dies hodiernus est devovendus. Sic autem se habet; Quòd sententiæ & dogmata Sanctorum Patrum ad Scripturæ sacræ trutinam sunt revocanda, & si cum hac consenserint recipienda, rejicienda si ab ea dissonantia fuerint, Scriptura & testatur, & hortatur diversis in locis. Mitto locos alios, & duobus solis adhærebo, quorum alter est Argumentativus, alter Hortatorius.

Inprimis de loco Argumentativo est agendum; & habemus ad Gal. 1.8. *Etiamsi nos, aut Angelus è cœlo evangelizet præter id quod evangelizavimus vobis, Anathema esto:* & deinde vers. 9. veritus Apostolus nè hæc grandia minutè dixisset, ejusdem rei repetitionem facit sub alio nomine, ut quasi duplicatis sigillis confirmatiorem redderet, *Sicut antè diximus, etiam nunc iterum dico, Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, Anathema esto.* In promptu est ingeminationis ratio ex Commentariis S. Chrysostomi, ἵνα μὴ νομίσῃς θυμοῦ τὰ ῥήματα εἶναι, ἢ ὑπερβολικῶς εἰρῆσθαι, ἢ κατὰ συναρπαγήν τινα, & quæ sequuntur, *Nè putares ea verba ab ira profecta esse, aut juxta hyperbolen magnificentiùs quàm pro re dicta, aut impetu cursúque sermonis raptim excidisse; repetit eadem, ostendens sese judicio loquutum, & quod priùs animi consilio decrevisset.* Quòd autem Sanctus Pater asserat, *non esse locutionem hyperbolicam*, id molliùs est accipiendum, & ad dicti consequentiam referendum. Nam in illa revera nulla est hyperbole, ut si vel Apostolorum vel Angelorum quisquam hoc fecerit, exsecrandus esset: at si ad antecedens referamus, est quædam superjectio sermonis, & quasi excessus hyperbolicus, cùm nec in Apostolos nec in Angelos cadat, ut à veritate in Scripturis tradita recedere possint. Hoc S. Hieronymus observavit, posse verba hyperbolicè accipi, cùm sit impossibilitatis suppositio ut aut Angeli aut Apostoli in tradenda fide titubent, qui Divinitus firmati erant. Neque hoc ipsum Chrysostomum prætériit; nam in Homilia De Pastore & ove, Tom. 6. ultro fatetur, ejusmodi amplificatione S. Paulum usum fuisse quæ omnem fidem excederet: δῆλόν ἐστι, inquit, ὅτι ὑπερβολῇ κέχρηται ὁ θεῖος Παῦλος, *manifestum est quòd per hyperbolen loquitur*; nam satis novit nihil tale Angelis bonis contingere posse, ὅτι ἐν ἀγγέλοις ἀπλανὴς ἡ ἀλήθεια, fixa est in eis veritas absque aberrationis periculo. De Modo enuntiandi hæc prælibanda erant, nè dicti Apostolici vigor nos fugeret,

in Gal. 1.

fugeret, qui maximi est momenti ad rem quæ præ manibus est illustrandam. Sunt autem tria Consectaria quæ exinde sponte suâ profluunt.

Consectarium primum; Pro erroneo reputandum est nulliúsque in rebus fidei ponderis quicquid Sacris Scripturis adversatur. Ex istis verbis colligitur, *Si præter id quod accepistis, anathema esto.* De vi Præpositionis παρὰ non contendo; utrùm idem valeat quod *Præter*, an quod *Contra*: satìs novi Ambrosium nunc interpretari, *Si contra*, nunc, *Si aliter*; sed bis utitur vocabulo *Aliter*, semel duntaxat voce *Contra*. Et sic Hieronymus etiam, *Si Aliter*; & Tertullianus, *Si Citra quod accepistis*; & Augustinus, *Si præterquam quod accepistis*: imò verò & Chrysostomus, quem Theophylactus & Oecumenius sequuntur, non dubitat has formulas accuratè distinguere; οὐκ εἶπεν, Ἐὰν ἐναντία καταγγέλλωσιν, ἀλλὰ κἂν μικρόν τι εὐαγγελίζωνται παρ' ὅ, *Non dixit, Si contraria annuntiaverint, sed si vel minutissimum quid evangelizaverint præter id quod acceperant.* Verùm hæc ego non urgeo: esto *præter*, esto *contra*; quia si est contra, est præter: & fatendum est scopum Apostoli esse, eos perstringere qui contrariam doctrinam promulgabant; & contractiùs non potuit percellere quàm vocabulo *Præter*, quod contrarium omne in se comprehendit; & acerbiùs non potuit quàm Anathematismo: *Prorsus ut moneret*, inquit Basilius, *horrendam, & detestandam, & abominandam*, ὡς βδέλυγμα τῷ Θεῷ, *esse doctrinam omnem quæ Scripturis contrariatur.* Et potuit quidem mitiùs ad lenitatem propensior Apostolus se explicasse; *Si quis contrà docuerit, errat, illuditur, fallitur*: at ille non sic, sed cum indignatione & zelo, *Si contrà docuerit, Anathema esto: Ut ostenderet*, inquit Ambrosius, *non leve peccatum esse, sed maximum, & vix ullo piaculo purgandum, si quid contrà doceatur*; *Alioqui*, inquit Chrysostomus, *seipsum & Angelos non anathematizasset*, εἰ τὸ πρᾶγμα ἀκίνδυνον ᾔδει, *si non periculi plenum existimasset.* Hoc Consectarium primum; Non modò erroneum est, sed exsecrandum, quicquid in rebus fidei Sacris Scripturis adversatur.

De Præscript. c.29.

in Is. 2.

Consectarium secundum sequitur, & hoc est; Ut exquisitè sciamus an hæc vel illa sententia Scripturis per omnia congruat, non aliter discerni potest nisi collatione factâ cum ipsis Scripturis. Ex illis Apostoli verbis Conclusio assurgit, *Si evangelizaverit præter id quod accepistis*: & sic ratio procedit; Si nihil admittendum quod est Scripturæ contrarium, ergò ad Scripturæ amussim necessariò est exigendum, ut dijudicari possit an sit contrarium. Hoc illud est quod S. Joannes præcipit, Ep. 3. vers. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nè recipite eum domum*; sit vobis neque persona neque doctrina grata; utramque discutite sedulò, opponendo os ori, & vocem voci, & lineam lineæ, & sententias sententiis. Hoc illud ipsum quo nihil S. Paulo familiarius. Sic Act. 26. 22. cùm suæ rationem doctrinæ sub Agrippæ oculis reddere vellet, ad Scripturas se confert, *Nil aliud dicimus quàm quæ Moses & Prophetæ dixerant futura.* Quæ ratio? Nimirum ut ad hoc scrutinium eos quasi manu suâ duceret, ut doctrinam ejus probarent ex Scriptura; quæ sola κριτήριον ἀσφαλὲς τῆς ἀληθείας, ut Nyss. loquitur. Sic 1 Cor. 15. 3. de maximis Articulis fidei disserens, de Passione & Resurrectione Domini, Scripturarum umbraculis se tegit; *Illud tradidi vobis quod accepi, Quòd Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas, & quòd sepultus est, & quòd resurrexit tertio die secundum Scripturas.* Quæ putas ratio est ejusdem toties reiteratæ atque instauratæ sententiæ, *secundum Scripturas*, & *secundum Scripturas*? A Lyrano ratio redditur, Prologo primo in Biblia; *Sicut in philosophia veritas cognoscitur per reductionem ad prima principia: ità & in iis quæ à Sanctis Doctoribus traduntur veritas fidei cognoscitur per reductionem ad Scripturas Canonicas.*

l. cont. Eunom.

Sed

Sed multò apertiùs à Sancto Basilio, lib. 2. con. Eunomium; *Non alia justior est inquirendi ratio*, inquit, *quàm singulis cum iis quæ nos Spiritus Sanctus docuit comparatis*, τὸ ἐκείνοις σύμφωνον καταδέχεσθαι, ὃ δὲ ἐναντίως ἔχοντι ἀπιστεῖν, *admittere quicquid eis consentaneum, contrariis verò fidem nullam adhibere, sed dirâ exsecratione transfigere.* Quòd autem Pontificii opponunt, Non locum hunc S. Pauli ad Galatas de Scripturis solis intelligi, ad nihilum redit; & quia ea omnia scripta sunt quæ Paulus evangelizavit, & quia Veteres hunc ipsum locum de Scripturis apertissimè interpretati sunt. August. lib. 3. Contra literas Petiliani, cap. 6. *Si quis evangelizaverit, præterquam quod in Scripturis Legalibus & Evangelicis accepistis.* Athanasius in fragmento de Incarnatione Verbi, quod citatur à Cyrillo, primo De fide ad Reginas; εἴ τις παρὰ ταῦτα ἐκ τῶν θείων γραφῶν διδάσκει, *si quis præter hæc quæ sunt ex Scriptura docet, eum anathematizat Ecclesia.* Basilius in Summa moralium, reg. 72. cap. 1. ex hoc loco docet, Auditores Sacrarum Literarum obstringi examinare ea quæ traduntur à magistris; & quæ sunt σύμφωνα γραφαῖς recipere, ἀλλότρια verò rejicere. Denique super omnes Chrysostomus, qui ex professo hunc locum interpretatur, ídque ad populum: & ille disertiùs cæteris ad Scripturæ commendationem eum facere contendit; & quidem tantò magnificentiùs quàm in Evangelio locus alter de Lazaro, quantò Angeli de cœlis venientes præstant mortuis resurgentibus. Verba ejus sunt, *Sub persona Abrahæ Christus ostendit, se velle majorem fidem adhiberi Scripturis quàm resurgentibus mortuis, cùm dicit, Habent Mosen & Prophetas; si eos non audiant, è mortuis resurgentes non audient. At Paulus etiam Angelis è cælo descendentibus eas præfert; si Angelus è cælo aliud quicquam evangelizet.* Patet igitur quòd de Scripturis loquitur Apostolus; & quia de Scripturis, sequitur quòd in hac sola statera aliorum Doctorum dogmata sunt appendenda. Hæc de Consectario secundo, In rebus fidei hominum doctrinas & opiniones ad examen Scripturarum esse redigendas. *in Gal. 1.*

Consectarium tertium hoc est, In toto rationalium creaturarum ambitu istius dignitatis aut excellentiæ nemo reperitur, cujus scripta aut dicta ab hac Sacra explorandi Regula libera esse debent; non si ejusmodi sit qui in prima Doctorum & Patrum classe sit numerandus. Ex illis Apostoli verbis deducitur, *Si nos, si angelus, si quisquam.* Inprimis, non loquitur de Angelicis hominibus, sed de Angelicis spiritibus; ideo ait, *Si Angelus de cælo; quia*, ut inquit Chrysost. *sacerdotes etiam Angeli dicuntur:* at nè quis putaret de his Angelis verba fieri, additâ particulâ, *De cælis*, supernas Virtutes indicavit, ut sciamus eum non de Angelis Ecclesiarum, sed de Angelis Throni hoc pronunciasse. Secundò, non loquitur de Angelis solis, sed de seipso & aliis Apostolis: nè quis eum sibiipsi aut fratribus favisse putaret, seipsum primùm exsecratur, *Si nos*, hoc est, sive ego, sive cæteri Apostoli; *ut ostenderet*, inquit Chrys. ὅτι ἀξίωμα προσώπων οὐ προσίεται, ὅταν περὶ ἀληθείας ὁ λόγος ᾖ, *Non personarum dignitas recipitur, quoties expenditur veritas.* Postremò, non de seipso solo loquitur, sed de quibuscunque Doctoribus, *Si quisquam*, in hoc uno verbo universitatem hominum comprehendens; nè quis se ab hoc scrutinii magisterio immunem arbitretur. Nam si nè Paulo quidem obedire oportet si quid dixerit proprium, si quid humanum; rursus, si ipse Paulus voluit ut quæ ipse prædicaret cum Scripturis conferrent; opinor de Patribus nemo est qui ibit inficias, non modò æquum aut utile esse, sed maximè necessarium, ut in eorum sententiis pensitandis sedulam operam collocemus. Quo- *ibid.* *ibid.* *Chrys. De Pastore & ove, Tom. 5.* *Id. Ho. 2. in poster. ad Tim.*

cunque

cunque modo argumentum instituatur, vis consequentiæ nos apprehendit. A majore ad minus sequitur Negativè: Si voci Angeli de cœlis novum fidei dogma dictantis absque Scripturarum collatione non sit credendum, multò minùs hominibus. Rursus, à suppositione impossibilitatis ad possibile sequitur Affirmativè: Si hoc dato per impossibile verum est de Apostolis, qui in scriptis suis errare non potuerunt; multò magìs id erit verum per possibile de quibuslibet scriptis hominum aliorum, quantumlibet sanctissimorum & doctissimorum, in quibus aberrationes non paucæ inveniuntur. Ut omnia summatim constringam, duo sunt quibus vis argumenti nititur. Fundamentum primum à Tertulliano statuitur: *Id verius quod prius; id prius quod ab initio; id ab initio quod ab Apostolis.* (4. Cont. Marc.) Ratio fundamenti hæc, Quæcunque post primum recensentur, ea ad primum sunt collocanda, & ex primo metienda, quia ratio regulæ & mensuræ est in primo aliquo & summo: at in Patrum scriptis illud primum & summum non habetur, sed semper est aliquid & ultrà & suprà petendum. Exempli gratia, In Bernardo aut Damasceno objicis mihi quòd hoc vel illud legitur: non sufficit, est plus ultrà, erant ante Damascenum Patres alii. Pergis, At est in Augustino aut Ambrosio: non sufficit, est plus ultrà, erant ante Ambrosium alii. Adhuc, In Cypriano, Tertulliano, Irenæo, Justino, Ignatio: non sufficit, est plus ultrà, erant ante illos Apostoli: & indubitatum est illud Hieronymi, in Psal. 86. *Quamvìs sanctus, quamvìs disertus sit aliquis post Apostolos, non habet authoritatem.* Denique, In S. Paulo, aut Petro, aut Evangeliis legitur: sufficit, est nihil ultrà, hi primi fidei Doctores, Divinitus ad id munus inspirati, ad quos donec veniatur tranquillum spiritum ducere non possumus; ad quos si veniatur, abunde animus habet in quo conquiescat. Hoc fundamentum primum. Secundum, Quæcunque obliquitatem aliquam aut in se habent aut habere possunt, ea necessariò ad rectitudinis lineam revocari debent, ut cognoscatur an rectà fuerint: at verò absoluta rectitudo in solis Scripturis eminet. De Sanctis Patribus certissimum est, Eos & errare potuisse, & aliquando non leviter errasse. Errasse eos in aliquibus scribit Bellarm. lib. 3. de Pontif. c. 3. s. 2. & lib. 3. De Verbo Dei, c. 10. Art. 16. & ante eum Roffensis advers. Lutherum, in Confut. Procem. p. 42. Et nos quoq; aliquoties errasse Patres non diffitemur, erant enim homines, sicut & nos; & ante utrosque S. Hieronymus, Ep. ad Pammach. & Oceanum, *Erraverunt in fide tam Græci quàm Latini, quorum non est necesse proferre nomina.* Quid quòd res ipsa loquitur? nemo enim est nescius quàm latè sparsa sunt ista dogmata, de millenario regno Christi, de non puniendis dæmonibus pœnâ gehennæ ante diem Judicii, de animis ad Visionem Dei non recipiendis ante diem Resurrectionis, de baptizatos ab hæreticis rebaptizando, de infantibus baptizatis non salvandis absque Eucharistia; & id genus alia. Hinc Conclusio emergit, Ut quod est falsum & fallibile mensura rectitudinis non statuatur, cùm in eo mens non possit quiescere. Esto, hoc vel illud dixit Gregorius; non est absoluta certitudo, quia errare potuit: aut Hieronymus; neque hìc certitudo habetur, quia errare potuit: similiter & in cæteris. Quid igitur faciendum? Revera quod S. Augustinus monet, lib. 2. con. Cresconium, cap. 31. *Ad Sacras Scripturas nos oportet recipere, secundum quas de cæteris literis vel fidelium vel infidelium liberè judicemus:* & quod Chrysost. in Opere imperfecto, Hom. 49. *Fugiendum,* inquit, *est ad montes, montes autem sunt Scripturæ Sacræ, sine quibus nulla potest esse probatio vera Christianitatis; præter quas non est apud alios refugium aliquod Christianorum fidei veritatem cognoscere volentium.*

lentium. Non simpliciter apud Angelos, quia etsi mutabiles non sunt, at creaturæ sunt; supremi ordinis spiritus, sed servi tamen & ministri, & longè inferioris notæ quàm vox Spiritûs Sancti: non omnino apud homines, quia & creaturæ sunt & mutabiles, ii qui errare possunt, ii qui sæpius errarunt: non apud utrosque, vel junctim, vel sigillatim; quia quod de Angelis per suppositionem dicitur, de hominibus positivè est intelligendum: si simile quid Divinæ veritati prædicaverint, sunt ad Scripturas trutinandi; si contrarium, sunt ex Scripturis anathematizandi, *Etiamsi Angelus*, inquit Paulus, etiamsi Apostolus, etiamsi quisquam. Hæc de primo Apostoli loco, quem dixi Argumentativum.

Accedo ad secundum, qui est Hortatorius: occurrit ex 1 Thess. 5. 20. *Prophetias nolite spernere; Omnia probate, quod bonum est retinete.* Quibus verbis jubentur fideles non solùm singula explorare quorum usus aliquis esse possit: sed etiam sic explorata secernere, & iis solummodo adhærere quæ salutaria fuerint. Huic autem loco similis est alius ex 1 Jo. 4. 1. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, an ex Deo sint.* Prorsus quasi verbum ex S. Pauli ore arripuisset, adeò ad idem scrutinium, eandémq; veritatis investigationem, eodémque fervore animi alumnos suos excitat quo Paulus suos: nè vellent ταχέως καὶ εὐχερῶς πιστεύειν τοῖς λεγομένοις, ut Chrysost. loquitur, hoc est, *nè nimiâ frontis infirmitate aut levitate animi aliorum verbis temere fidem adhibeant*; sed postquam omnia accuratiùs æstimaverint, tum demum ut credant. Et quidem in se uterque locus est perfectæ cumulatæque virtutis; at impletiorem multò explorandi formam exhibent si hoc modo conglutinentur, Nolite omni spiritui in omnibus credere, sed probate omnia, an ex bono & Divino Spiritu proficiscantur: sin minùs, respuite; si sic, iis tenaciter adhærete. Sunt igitur quinque Consectaria quæ ex locis sic inter se junctis emanant.

Consectarium primum, Ad officium hominis Christiani spectat, acri magnóque judicio doctrinas quas in Veterum scriptis traditas observaverit examinare, & pensiculatiùs expendere. In verbo *Probate* continetur; quod non tam est cohortantis vocabulum quàm imperantis, ut patet ex contextu, in quo præcepti rationem habet quodcunque recensetur: & illud, *Indesinenter orate*, est præceptum; & illud etiam, *In omnibus gratias agite*, præceptum: porrò & illa singula, *Spiritum nè extinguite*, *Prophetias nè spernite*, ejusdem authoritatis præcepta: & post hæc sequitur, *Omnia probate.* Nè quis ἀδιάφορον fortasse putet, aut utramque in partem vergens, officium hoc probationis doctrinarum non inter utilia duntaxat & fructuosa numeratur, nedum inter media aut indifferentia, sed inter simpliciter necessaria, quæ prætermitti nec debent nec possunt absque summo veritatis discrimine: quia quod Cassiodorus, Instit. Divin. lib. 6. sect. 24. de dubiæ fidei scriptoribus dixit, *Origo sævissimi erroris est in suspectis authoribus amare totum*; id ipsum de probatissimis dici potest, *Erroris alicujus periculo non caret in optimis authoribus deperire omnia.* In ipsa Philosophia periculosum, vereor nè in Religione exitiosum videatur. Quod ad alias res spectat, satìs supérque cauti sumus nimiúmque diligentes; nemo est qui victum, aut equum, aut pannum, aut domum empturus est, qui non explorandi priùs diligentiam adhibet quantam possit maximam. Dicite, annon pudet in minutioribus istis oculatissimum se quemque gerere, & in potioribus cæcutire? Enimvero turpe est, si ea quæ in vestimentis sordida & in

 cibis

cibis noxia sunt repellere possumus; in sermonibus verò ac scriptis Doctorum, quæ animam exornant & nutriunt, nullam omnino rationem habeamus, sed, torrentis in morem, quicquid est obviàm contrahamus.
Phil.1.10. Heb.5.14. Propterea ut S. Paulus & Philippenses & Hebræos alloquitur, *Hoc oro, ut omni cognitione exundetis*, εἰς τὸ δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα· *ut exercitatos sensus habeatis* πρὸς διάκρισιν, id est, *ad discretionem boni & mali:* similiter & ego vos, Auditores; Obsecro, inquam, neque enim ausim dicere Jubeo: sed est tamen qui jubet, qui cordis inspector judéxq; omnium est. Quid hæsitamus? Quid moras nectimus? Deus imperat, ut sciamus nos huic officio vel maximis vinculis obstrictos fore; Deus, inquam, imperat, ut in scriptis auxiliaribus trutinandis unusquisque se cautissimum præbeat, quò faciliùs & veritatem invenire, & inventam retinere possit. Hoc Consectarium primum.

Secundum hoc est, Probatio doctrinarum non aliter fieri potest nisi eas ad Sacram Scripturarum limam redigamus. Ex ista clausula emergit, *Probate an ex Deo sint. An ex Deo sint*, hoc est, an ex Scripturis prodeant, an sint Scripturis consonæ; quia Dei voluntas, uti in Scripturis continetur, ità nisi ex Scripturis non cognoscitur: sunt enim hæ voces in utroque Instrumento æquipollentes, *Deus dicit*, & *Scriptura dicit*. Sic Rom.9.17. *Scriptura dicit Pharaoni*; &, *Deus erat qui loquebatur*, Exod.9.16. Rursus, ad 1 Tim.5.18. *Scriptura dicit, Non alligabis os bovi trituranti*; &, *Deus erat qui dixit per Mosen*, Deut.25.4. Adhuc, Gal.3.22. *Scriptura conclusit omnia sub peccato*; & Rom.11.32. *Deus conclusit omnes in inobedientia.* Quæ putas est ratio æquipollentiæ? nisi quia Scriptura est os Dei, & lingua Spiritûs Sancti; ut quæ ex istis proveniunt, à Deo proveniant; & quæ ex istis comprobantur, à Deo ipso pro ratis judicentur. Igitur quod S. Joannes suggerit, *Probate an ex Deo sint*, idem est ac si dixisset, *Probate an Scripturis Divinis respondeant.* Nè putetis quòd hujus examinis ac judicii norma sit ratio vestra aut humana authoritas, sed Divina Veritas Sacris Tabulis comprehensa. Ad hanc trutinam afferri oportet omnem
Hom.63.tom.5. doctrinam, & huic Heraclio lapidi apponi. ἔστι, ἔστι, inquit Chrysost. de Scripturis, καὶ ζυγὰ καὶ στάθμια, *sunt, sunt proculdubio statera ac trutina*; non seculares quidem, ex ære ferróque conflatæ, sed spirituales, ex mysteriis veritatis. Et nos, si spirituales sumus, curabimus ut hujus nos artis peritissimos præstemus. ὁ πνευματικὸς πάντα ἀνακρίνει, inquit Apostolus, 1 Cor. 2.15. *probat & dijudicat omnia:* at nec probare nec dijudicare potest, nisi priùs ad hanc amussim exigat. Nam δοκιμάζειν est vox à nummulariis petita, qui coticulæ attritu aurum aut argentum à cupro aliisque metallis dijudicant; & non modò auri glebas & palacras, sed vel minimos scrupulos & limaturas probant, prodúntque cujusmodi sint: *Ut exinde nos discamus*, inquit Ambrosius, *hominum quorumcunque dicta & sententias examine curioso indagare; nè adulteram veritatis imaginem, tinnitu & splendore æris decepti, pro eloquiis Domini castis thesauro nostro misceamus, si non priùs singula in hac lance libremus.* Hoc Consectarium secundum.

Succedat tertium; Non ad unum aut alterum dogma præcepti scopus pertingit, sed longior multò est atque patentior, ad omnia quæcunque hominum dicta ampliatus. Idcirco à S. Joanne indefinitè proponitur, *Probate spiritus*; & à S. Paulo universaliter, *Probate omnia:* quæ sola est apertissima demonstratio, quòd in materia tam necessaria huic universali illud indefinitum æquipolleat; ut in rebus fidei nihil omnino humani admittatur ἀνεξέταστον, verùm ut quæcunque hominum dicta ad sacros calculos

revo-

revoçentur. *Probate spiritus, probate omnia*; hoc est, Probate omnem spiritum, & cujusque spiritûs omnes doctrinas. Non quòd ad omnia simpliciter inquisitio dilatanda esset: nam sunt nonnulla tam manifestè vera, ut ea probare esset prodere, sicut Articuli Fidei; sunt alia tam apertissimè falsa, ut enucleatio facessat. Nemo est qui disquirit de quibus non est quòd dubitet, sive noxia fuerint sive salutaria, si satis sint cognita. Ergò castigatè intelligendum est cùm dicitur *Omnia*; ut ea omnia comprehendat in quibus potest esse discretio boni & mali, aut veri & falsi; ídque & in rebus & in personis. Summa est, Quòd nulla hominis alicujus tanta apud nos authoritas esse debet, ut ideo credamus aliquid esse verum quia ille sic credidit; aut ut juxtà sentiamus, quia ille sic sensit. Est hoc necessariò interserendum, ut Jesuitæ Salmeronis glossarium quàm sit ineptum videatis. Verba ejus hæc sunt, Disp. 25. in Joannem: *Sunt quidam spiritus*, inquit, *qui non sunt probandi; inprimis, non Spiritus Sacræ Scripturæ, quia res est certissima; secundò, non Spiritus Ecclesiæ Catholicæ, vel in seipsa, vel in generalibus Conciliis repræsentatæ, quia eis præest Spiritus Sanctus; tertiò, non Veterum Patrum dicta & testimonia, quando omnes, vel ferè omnes, in unam sententiam conveniunt, quia tunc Patres certum & inevitabile reddunt argumentum veritatis Catholicæ.* Hæc Salmeron, oblitus & Apostoli & sui: sui, quia idem Salmeron, in Rom. 5. Disp. 51. de Beatæ Virginis Conceptione disserens, *infirmum* vocat argumentum à Patrum consensu. *Quidam*, inquit, *eorum computant ducentos Patres contra immaculatam Conceptionem, quidam ferè trecentos: & quid tum postea? Locus ab authoritate est infirmus; Pauperis est numerare pecus:* & id genus non pauca Patrum ludibria, in quibus gloriatur. Eja, quàm nullius frontis aut memoriæ: cùm S. Joannis verba explicat, Argumentum à Patrum consensu est certum & inevitabile; cùm S. Pauli, infirmum: illic, non sunt excutienda Patrum dicta; hîc, rejicienda: illic, si ferè omnes consentiant, sufficit; hîc, ducentos aut trecentos non satis esse putat ad consensum. Enimvero mirandum non est si sui parùm memor fuerit, qui verborum Apostoli quæ tractavit non potuit meminisse: siquidem uterque Apostolus illimitatè hanc causam agit; *Probate spiritus*, hoc est, quoscunque spiritus humanos; *Probate omnia*, hoc est, quæcunque ab humano spiritu prodeuntia. Esto, sint homines sancti, esto multi, at homines tamen; & nullius hominis, nullorum hominum sententia est excipienda. Et sic quidem Patres ipsi non dubitant interpretari. *Omnia quæ dicuntur probanda monet*, inquit in Pauli locum Ambrosius. *Omnia quæ pertinent ad fidem vitámque nostram*, inquit Augustinus, *sive sint de Christo, sive de Ecclesia, sive de quacunque alia re*, lib. 3. Con. literas Petiliani, cap. 6. Postremò, & Chrysostomus astipulatur, Ser. 63. to. 5. *Nummularios*, inquit, *vos Deus appellat*, τραπεζίτας, *ut omnes doceat ad examinanda ea quæ uspiam dicuntur, idem studium conferre quod argentarii adhibent tùm exploranda sunt numismata: ut enim illi perperàm signatum numisma repudiant, sincerum & integrum admittunt, utrumque postquam probaverint; etiam & tibi similiter est faciendum: hortor, moneo; μὴ πάντα παραδέχου λόγον, nè sermonem quemvis admitte, nisi probatum & salutarem.* Hæc Chrysostomus, ut ad omnia humana dicta Apostoli locum pertingere demonstraret. Hócq; Consectarium tertium.

Videamus nunc quartum, quod sic se habet; Non ad unum aut alterum genus hominum præcepti ratio se porrigit, sed in communi ad omnes & singulos; nam in plurali dicitur, *probate, retinete.* Hæc illa est Propositio contra quam Pontificii maximè feruntur, dum acerrimè contendunt,

dunt, non quidem ad omnes Christianos cohortationem Apostoli spectare, sed solummodo ad Prælatos & præpositos Ecclesiæ. *Prælatis scribitur*, inquit Catharinus; similiter & Bellarminus, lib. 3. De Verbo Dei, cap. 10. *Non ea mens est Apostoli*, inquit, *ut omnes de Ecclesia id faciant*, *sed ut id ii faciant ad quos pertinet*. Ehem, quàm cautè, vel magis insulsè! nam si omnes facere debent ad quos pertinet, ergò simpliciter omnes id facere debent qui possunt; nam nos ostendimus ad omnes pertinere. Ad extremum, Stapletonus fusiùs cæteris, in Relectione principiorum, Cont. 5. Qu. 4. Art. 2. *Hæc verba Paulus dicit firmioribus & perfectioribus, id est, Præpositis Ecclesiæ, ut exponit Dionysius Alexandrinus apud Eusebium, lib. 7. cap. 6. Eccl. Hist.* Rursus in lib. 10. De principiis fidei, Contr. 6. cap. 8. *Dionys. Alex. hæc verba dicta esse intelligit* πρὸς τοὺς δυνατωτέρους, *firmioribus & perfectioribus, quales sunt Ecclesiæ Præpositi, ut Euseb. testatur, lib. 7. cap. 6. & Socr. lib. 3. cap. 14.* Hæc ille ex Eusebio & Socrate testimonia producit, pro restricta Paulini loci intelligentia. Ego utrumque, quoniam à nostris qui hoc eorum responsum vellicant est prætermissum, conabor penitiùs, si potero, indagare; atq; erit, ut opinor, operæ pretium. Inprimis Whitakerus noster, utcunque Bellarmini responsum refellat, at de Dionysii testimonio quod à Stapletono urgetur omnino tacet: & ratio omissionis est in promptu, quòd disputationem De authoritate Scripturæ eoúsque non produxit, non ultra Stapletoni librum 3. cùm Dionysii mentio apud Stapletonum non fit nisi in lib. 10. Deinde Chamierus, quantumvìs sit bonæ fidei & emunctissimi calami scriptor, attentúsque investigator antiquitatis, at in hac parte tamen indiligentior solito videtur; nam & de Socrate tacet, & de Eusebio negat, Dionysii verba quibus Stapletonus abutitur in Eusebio ullatenus reperiri. Quod ad me pertinet, absit ut ego virum sanctum, & innumeris authoribus volvendis fatigatum, reprehenderem; cùm satìs sciam aliquando contingere posse, dicente Hieronymo, *ut ipse dormitet Vigilantius.* Videamus si cura nostra explere possit quod in ipso desideratur; neque erit magni negotii, si locos ipsos consulamus. Ad locum Socratis, lib. 3. cap. 14. responsio facilis, In loco Socratis verborum S. Pauli mentionem aliquam fieri, interpretationis Dionysii nullam: quod fortasse in causa fuit ut in margine solo Stapletonus notaret sublestâ, vel potiùs furtivâ, fide. Ego integrum locum subjicio: *Et Christus*, inquit Socrates, *& Apostolus ejus præcepit, ut exquisiti nummularii simus, quò omnia exploremus, ut rejiciamus quod malum, quod autem bonum verúmque teneamus, nihilque admittamus quod non sit exploratum:* hæc ille. Quibus nihil disertius aut pro nobis aut contra se Stapletonus potuit expromere, si ipsa verba descripsisset; & non puduit eum tamen in margine indicare sub Dionysii nomine, ad responsionem suam confirmandam. Sic dupliciter est titubatum: & quòd ad causam suam simulatè detorquet quod ei apertissimè adversatur; & quòd ad Socratem de Dionysii explicatione nos remittit, cùm nihil tale de Dionysio Socrates testetur. De Eusebii loco altero fatendum est, Dionysii illa verba fore quæ Stapletonus recitat, πρὸς τοὺς δυνατωτέρους· sed nobis omnino non præjudicant. Affirmat in ea Epistola apud Eusebium Dionysius, visionem quandam coelitus ad se dimissam esse, & cum visione vocem, ut libros quos haberet evolveret atq; examinaret: *Et ego*, inquit, *approbavi visionem*, ὡς ἀποστολικῇ φωνῇ συντρέχον, τῇ λεγούσῃ πρὸς τοὺς δυνατωτέρους, Γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται, *utpote quæ consentiebat voci Apostolicæ ad potentiores dicenti, Estote diligentes animadversores, & velut trapezitæ qui argentum probant.* Hæc apud Euse-

Tom. 1. l. 16. c. 2. sect. 20.

Ep. 51. et Ep. 75.

Eusebium Dionysius. Et prӕterea habentur eadem ipsissima verba apud Nicephorum Callistum, lib. *6*. cap. 8. Sed quid tandem Dionysii hӕc interpretatio ad instantiam nostram? Numquid nobis est detrimento? Esto, loquatur Paulus πρὸς τοὺς δυνατωτέρους, *ad eos qui fortiores fide* firmioresque fuerant; neque enim cujusvis est Patrum scripta rimari, & verum à falso sagaciter segregare: sed rogo, num δυνατώτεροι sunt *soli Prӕlati*, ut Catharinus, aut soli *Prӕpositi Ecclesiӕ*, ut Stapletonus exponit? Quid igitur de iis Laicis omnibus dicturus est, qui causam fidei non minùs strenuè egerunt quàm ipsi Episcopi? Nam hoc certissimum, quamplurimos olim Laicos & fide fortes, & eruditione insignes exstitisse; atque in utriusque specimen multos Tractatus Theologicos in gratiam Ecclesiӕ nascentis edidisse. Arnobium & Augustinum nondum Baptismo percepto scripsisse aliqua omnes norunt; & Origenem opus κατηχήσεων anno ӕtatis decimo octavo, priusquam Presbyter factus est: atque prostant etiam Leonis Imperatoris Homiliӕ, à Gretsero editӕ. Taceo de Aristide, Agrippa, Hegesippo, Justino, Modesto, Apollonio, Heraclio, Maximo, aliisque plurimis ab Hieronymo enumeratis, qui vel Apologias pro Christianis, vel Disputationes contra Ethnicos & Hӕreticos ediderunt; cùm tamen nullis Ecclesiastici Clericatûs titulis ornabantur. Et post hos omnes magni nominis Laicos, per τοὺς δυνατωτέρους solos Ecclesiӕ Prӕpositos Dionysius intellexit, si Stapletono credimus: quo nihil est futilius, aut magis ab utriusque Apostoli mente alienum. Etenim S. Joannes apertè profitetur, se ad infirmos fide scripsisse, cap. 2. ver. 13. *Scribo vobis, Patres, Scribo vobis, pueri*; & tum demum, post pauca quӕ intercurrunt, adjungit, *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus*, &c. Obsecro, num *pueri*, vel, magis ad verbum, *infantes* Prӕlati erant? num *pueri* δυνατώτεροι? Adhuc, & S. Paulus ad totam Ecclesiam Thessalonic. locutus est, cùm dixit, *Omnia probate*. Num omnes erant δυνατώτεροι, omnes Prӕpositi? Consulamus loci circumstantias, annon ità sit. *Semper*, inquit, *gaudete, Indesinenter orate, In omnibus gratias agite, Spiritum nè extinguite, Prophetias nè spernite, Omnia probate, quod bonum est retinete.* Hӕc illa sunt quӕ acervantur prӕcepta generalia, promiscuè ad omnes Christianos pertinentia. Ecquis sui compos affirmabit, ad Prӕlatos solos spectare orare, gratias agere, non extinguere Spiritum? ecquis solius Prӕlati esse, quod bonum est retinere? quӕ singula sunt communia pietatis officia. Itaque quemadmodum ad omnes pertinet indesinenter orare, & in omnibus gratias agere, & quod bonum est tenere: ità non nisi absurdè ad paucos hoc coercebitur, *Omnia probate*. Imò verò ad omnes extendi debere apertè profitetur Chrysost. Hom. 13. in 2 Cor. *Cùm*, inquit, *absurdum sit, ut illi qui de pecuniis agunt, aliis non credant, sed numero calculóque id committant; qui autem in rebus fidei versantur, aliorum sententiis distrahantur:* διὸ παρακαλῶ καὶ δέομαι πάντων ὑμῶν, *propter hoc ab omnibus vobis postulo*, (videsis, *ab omnibus vobis postulo*) *ut omisso quod cuique de his rebus videatur, omnia è Divinis Scripturis sciscitemini.* Hoc consectarium quartum, Ad omnes hoc munus pertinere: in quo fui paulò prolixior, ut & locum Apostoli vindicarem, & simul Papistarum sophismata detegerem.

Consectarium ultimum superest, quod verbo expediam: & in hunc modum instituitur; Post examen dictorum & sententiarum legitimum factum, lectori liberum est, ea sola quӕ cum Scripturis Sacris congruunt in suos usus transferre: imò verò necessarium est bona à malis, vera ab heterodoxis secernere, hӕc rejiciendo, illa in thesaurum suum colligendo;

gendo: Sub istis verbis Apostoli comprehenditur, *Quod bonum est retinete*; quibus ostendit, opus illud probationis non fore actum in se terminatum, verùm in ordine transeuntium. Probatio dogmatum, si in seipso claudatur, omnino non prodest: oportet ut se ad alterum actum promoveat. Si quis sit iste actus secundus rogas; dico, In omnibus non semper est idem hic actus secundus, verùm juxta objecti naturam aliquando mutatur. Si objectum æquivocum fuerit aut heterogeneum, quædam in se bona continens, pejora alia, tum quidem post probationem actus primus est discriminatio sive segregatio; & post discriminationem factam, electio boni, & mali reprobatio: si objectum sit univocum & homogeneum, post probationem actus qui sequitur, est approbatio omnium si bona fuerint, ut iis possimus adhærere; repudiatio omnium si mala fuerint, nè pudeat iis valedicere. Utrumque non obscurè S. Paulus complectitur: etenim eorum unum apertè exprimitur, *Quod bonum est retinete*; alterum necessariò subintelligitur, *Quod malum est abdicate*. Et quidem eò usque vix quisquam est Interpretum qui verba non existimet dilatanda. Sic S. Ambrosius explicat, *Quæcunque*, inquit, *Apostolorum & ipsius Domini dictis consentiunt, ea retinenda esse monet Apostolus, & benedicta habenda; ab his autem quæ inimica fidei videntur esse, abstinendum: quantumvìs quis multa bona dicat, & in uno aliquo quod fidei adversum est deficiat*. Pariter & Hieronymus, Ep. 152. ad Minerium & Alexandrum; *Meum*, inquit, *propositum est antiquos legere, probare singula, retinere quæ bona sunt, & à fide Ecclesiæ Catholicæ non recedere; quia novi Salvatorem dixisse, Estote probati nummularii: ut si quis nummus adulter est, & figuram Cæsaris non habet, nec signatus est moneta publica, reprobetur; qui autem Christi faciem claro præfert lumine, in cordis nostri marsupium recondatur*. Hactenus Hieronymus. Ex quibus clarissimè elucescit, & à sinistra parte, ingentem populo injuriam fieri à Pontificiis, dum inauditâ tyrannide & authoritate plusquam dictatoriâ ea præscribunt quæ volunt, & examinare prohibent; etenim scelus est velle δοκιμάζειν & à parte dextra, non minimum Christiani hominis esse officiolum ad Scripturæ trutinam rationum pondera in rebus fidei revocare; nec in sententia alicujus, quamvìs Pater audiat, acquiescere, nisi priùs explorata. Idque fit sine ulla cóntumelia Patrum, *justo judicio, & nullâ temeritate*, ut Augustinus loquitur. Itaque quod Hieronymus, Ep. ad Damasum, de Ethnicorum literis, *Hoc nos*, inquit, *facere solemus, quando Philosophos legimus, quando in manus nostras libri veniunt sapientiæ secularis: si quid in eis superfluum sit, radimus; si quid utile reperimus, in nostrum dogma convertimus*: idem & nos de Sanctorum Patrum scriptis meritò possumus commonefacere; Si quid in illis cum Scriptura non congruit, id licet, salvâ eorum honorificentiâ, respuere, licèt incomparabiliter inferiores ipsis simus. ὥσπερ αἱ μέλιτται, inquit Basilius, *Quemadmodum apes flores noxios prætereunt, licèt in hortis Principum inveniant, & iis solis insident quos mellis usui accommodos noverint; & sicut in legendis rosis sentes vitamus: sic in dictis & scriptis aliorum si quid est utile, carpamus; si quid noxium, aures obstruamus*. Hæc dicti Apostolici Summa, hic scopus, ut omnia probantes, quod bonum est retineamus. Atque hæc de Propositione prima, Ex ipsis Scripturis fideles erudiri, cujusvis qui in hoc genere literaturæ se exercet officium esse, omnia & singula dicta omnium & singulorum Doctorum, sive recentiorum sive veterum, ad amussim Scripturæ ponere, & quæ huic consona adinvenerit amplecti, quæ repugnantia repudiare.

Cont. Don. l. 7. c. 20.

Hom. 24. De leg. Gentil. libris.

In

In Propositione altera quæ sequitur, idem saxum volvendum est, sed aliis mediis; & hoc ipsum quod nunc ex Scripturis dilucidavimus, ex ipsis Patribus, ut de se æquissimis judicibus, est demonstrandum.

LECTIO XLVI.

QUòd dicta & sententiæ Veterum Ecclesiæ Doctorum ad Sacrum Canonem revocanda, trutinanda, examinanda, dijudicanda sint, id Scripturarum testimoniis comprobatum effluxa nostra præsentia præstitit; quando simul sum pollicitus, me idem ex Patrum suffragiis hodie præstiturum. Non quòd existimem in se non satìs firmas aut nervosas esse è Scripturis ductas rationes, aut hanc quæ superest disputationis partem ad præsentis argumenti definitionem tam præcisè esse necessariam, ut absque causæ detrimento præteriri non possit; cùm Christianis omnibus persuasissimum sit, ædificium Scripturarum fundamento innixum columnis aliis non indigere, atque authoritati supremæ si quid adjiciatur superfluere: sed hic consilii mei motus fuit, partim in vestram gratiam, Auditores, qui Sanctorum Patrum studio tam vehementer flagratis; partim ut Pontificiis occurrerem, quibus usitatum est de Patribus ut de suo peculio gloriari; & præcipuè nè officio meo deesse viderer, si ex his de Veteribus dissertationibus testimonia Veterum prorsus eliminarem, cùm post Scripturas quamplurimum faciant, si non in præsidium veritatis, at saltem ad famulatum; atque ad ornatum, si minùs ad firmamentum. Enimvero ex ore Spiritûs Sancti quæ trahuntur testimonia, ea omnium vivacissima fore nemo est qui diffitebitur: attamen post hæc non potest dari firmius aliud quàm quod adversus quemquam ex ore suo & ex propria conscientia deducitur. Hoc S. Paulus intellexit, quando ut Romanos de dilectione sua certiores redderet, ad utrumque horum provocavit: *Testis mihi Deus cui servio*, cap. 1. ver. 9. &, *Testis mihi conscientia mea*, cap. 9. ver. 1. Hoc etiam Christus in Evangelio, cùm servum inutilem non solum sententiâ Judicis, sed propriis verbis voluit coarguere: *Ex ore*, inquit, *tuo te judicabo, serve nequam.* Quòd si ignavi servi, qui talentum in terra abscondidit, eò justior habita est condemnatio, quia ab utrisque testibus convictus discessit, & ex ore domini & ex ore suo: dubitandum non est, quin & servorum fidelium, quorum pars non minima Patres fuerunt, ea sit plenissima approbatio quæ utrinque profluit, & ex Sacris Literis, velut ex ore Dei, & ex scriptis suis, velut ex ore proprio. Quocirca progrediamur læti alacrésque in hac altera parte instituti nostri, ut possim quod promiseram exsolvere. Et quia de Patribus disserendum est, age, ex Patribus copias nostras hâc secundâ navigatione instruamus; ut ex ipsorum testimoniis discamus quid ipsorum testimonia valeant: neque enim fieri potest ad æquiores judices appellatio, quàm ad ipsos se. Hæc prioris partis velut appendicula, Ut Scripturarum authoritatibus Veterum de seipsis sententiæ subjiciantur, velut ex redundanti: nec erit, opinor, inanis disceptatio, sed amplissimam victoriæ materiam præbebit in omnibus quæ de rebus fidei dijudicandis controversiis agitantur. Sit igitur hæc fundamentalis Propositio;

Quòd

Quòd sententiæ & dogmata Sanctorum Patrum sunt ad Scripturæ Sacræ trutinam revocanda, & in quantum cum ea aut consenserint aut dissenserint recipienda vel rejicienda, Patres ipsi, penè ad unum omnes, luculentissimè testantur; vix enim quisquam eorum est qui non hoc sæpius prædicat ingeminátque, ídque tam disertè, tam explicatè, tam crebriter, ut non sit verendum nè fortasse inopiâ laboremus, sed magìs nè multitudine testimoniorum obruamur.

In Propositionis terminis difficultas aut ambiguitas nulla est, si hoc solum præmonuero, pro Patrum testimoniis ea sola me adducturum, non quæ cursim iis exciderint, sed quæ clariùs pleniúsque deditâ operâ & ex professo pronuntiarunt. Quòd si dictorum minutias quasvis aut fragmina quæ sese uspiam offerunt colligerem, inexputabilis numerus esset: mitto hæc, quia infinita sunt; mitto raptim editas sententiolas, quas magìs tetigerunt quàm tractarunt; mitto quæcunque ex conjecturis & consequentiis prodeunt, nihilque produco quod non sit retectum & apertissimum. At unum est tamen quod inceptum iter perturbat, quo potissimùm ordine hæc testimoniorum οἰκονομία sit administranda. Nam cùm sit maxima nubes testium, ut Apostolus loquitur; cúmq; verum sit illud Ambrosii, *Ubi ordo non servatur, fastidium sequitur*; & adhuc, cùm non sit una tantummodo ordinis ratio, sed multiplex: hinc est quòd hæreo incertus è tam multis testibus quis omnium primus in arenam sit accersendus. Nam si ad ordinem me verto qui ex respectu ætatis temporísque oritur, ut illi priùs numerentur qui priùs vixerint, metuo nè vobis videar historiam texere aut authorum Catalogum magìs quàm disputationem. Si ad ordinem honoris aut dignitatis, ut illi priores statuantur qui præstantiores, & antiquitatis erit injuria, & inversa magnorum nominum confusio; cùm Sanctus Augustinus hoc modo esset ante omnes recensendus, post omnes Origenes, non ob defectum eruditionis, quâ eminebat, sed ob errores quibus implicatus est. Postremò, si ad ordinem respectu gentis aut idiomatis; ut priùs Græcorum, proinde Latinorum suffragia ponerentur, profectò hoc esset temere miscere omnia, dicta contigua segregando & segreganda jungendo; cùm non eodem semper modo Patres de hac re loquantur; interdum de scriptis suis, interdum de scriptis aliorum; & nunc quidem de iis qui præcesserunt, nunc verò de iis qui coævi fuere & contemporanei. Nihil igitur superest nisi ut relicto personarum ordine, rerum potiùs tenorem atque dispositionem sequamur: atque sic quadruplex erit Testimoniorum Distributio.

Inprimis, quædam dicta Patrum habentur in quibus de seipsis & scriptis suis judicium ferunt, quædam in quibus de scriptis aliorum. Dein, Testimonia de seipsis sunt duplicia; Ea quæ de seipsis solis perhibent, & Ea quæ de seipsis junctim cum aliis. Testimonia de aliis rursus duplicia; Ea quæ indefinitè de aliis in plurali, & Ea quæ de hoc aut illo Doctore in singulari. Postremò, ea quæ in singulari adhuc duplicis ordinis; Ea quæ de Antecessoribus suis, & Ea quæ de coætaneis. Hæc omnia si summatim colligamus, quinque Testimoniorum genera constituunt; Ea quæ de se solis, Ea quæ de se cum aliis, Ea quæ de omnibus aliis, Ea quæ de coætaneo aliquo, Ea quæ de aliquo ex antecessoribus suis. Hanc ego seriem libentiùs statuo, quia singulorum necessaria est distincta consideratio. Alioqui, quodcunque testimonium adducitur, erit aliquod subterfugium quo evolent Adversarii. Esto quòd seipsos & doctrinam suam probationi Patres submiserint: hoc præstitit Modestia. Esto, coætaneos suos eidem examini subjiciendos docuerunt: ad hoc eos deduxit Æmulatio.

Si

Si Antecessores suos, ignorantia, atque authoritatis eorum minor debito æstimatio. Si ex utrisque hos vel illos sigillatim, ex hoc fonte manavit, quòd singulos non putarunt pro fidei judicibus esse statuendos, sed, ubi consenserint, universos. Huc usque, ut videtis, colores non desunt quos prætexant, titulíque speciosi quibus eludant disertissima testimonia. Sed cùm ad extremum dispositionis membrum deventum fuerit, in quo demonstrandum est, Hoc ipsum Patres & in specie de Veteribus singulis, & in communi de omnibus, & inter omnes de seipsis docuisse, non erit ultrà vel tantillum quod prætendatur. His ità prædispositis, ad quinque partitæ divisionis capita perlustranda jam propero. Et quia plura sunt quàm quæ distinctè unius horulæ compendio percurrere possum, idcirco in formam breviorem compingam, hæc quinque in tria Capita vertendo; Ea quæ de seipsis, Ea quæ de uno aut altero sui similium, & Ea quæ de omnibus Veteribus junctim Patres pronuntiant.

Ex his tribus triplex Classis vel series Testimoniorum emergit. Exordiar à prima.

Prima series est eorum qui de se & scriptis suis loquuntur. Sit igitur de istis hæc Propositio, Quoties de seipsis Patres verba faciunt, non aliam sibi suísque scriptis authoritatem postulant, quàm ut ad Scripturæ normam dicta sua exigantur, & eatenus recipiantur quatenus cum Sacra Pagina conspirant. Pro hujus Propositionis evidentia quatuor testes, iique apertissimi, sese offerunt.

Primus erit Origenes, hom. 1. in Jeremiam, *Necesse est nobis*, inquit, *Scripturas Sanctas in testimonium vocare, sensus quippe nostri & enarrationes nostræ sine his testibus non habent fidem.* Similiter & Tract. 25. in Matth. *Debemus nos ad testimonium omnium verborum quæ proferimus in doctrina, proferre sensum Scripturæ, quasi confirmantem quem exponimus sensum. Sicut enim omne aurum quod fuerit extra templum non est sanctificatum: sic omnis sensus qui est extra Divinam Scripturam, quamvìs admirabilis videatur quibusdam, non est sanctus, quia non continetur in sensu Scripturæ. Non ergò debemus ad confirmandam doctrinam nostram nostros proprios intellectus jurare, & quasi testimonia assumere, nisi ostendimus ex eo sanctos esse quòd in Scripturis continentur, quasi in templis Dei.* Quid disertius? Ad Scripturas Patrum dicta esse revocanda, & ex Scripturis petenda, Origenes asserit; & non habere fidem, non esse sancta, nisi cum Scripturis congruant.

Secundas tenet Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 4. Illuminatorum. Postquam de Sancta Trinitate nonnulla dixisset; *Deinceps*, inquit, *si Dominus concesserit, hoc exponetur pro viribus cum demonstratione ex Scriptura. Oportet enim nè minimum quidem aliquid tradere de sanctis & Divinæ fidei mysteriis absque Divinis Scripturis. Imò verò*, inquit, *μηδὲ ἐμοὶ τῷ ταῦτα λέγοντι ἁπλῶς πιστεύσῃς, nè mihi quidem ipsi hæc dicenti fidem adhibeto, nisi acceptâ eorum quæ dicuntur demonstratione, non ex ingenioso acumine, sed ex Divinis Scripturis.* Rursus Catechesi duodecimâ, de Incarnatione Christi agens, *Si*, inquit, *Christi adventûs causam quæris, recurre ad Scripturas; καὶ μὴ τοῖς ἐμοῖς εὑρεσιλογίαις προσέχῃς, δυνατὸν γὰρ ἴσως καταστοφισθῆναι*, h. e. *nè meis commentis attendito, posses enim fortè decipi: imò nisi de singulis rebus accepto testimonio, nè dictis fidem habeto; nisi, inquam, de Virgine, de loco, de tempore, de modo è Scripturis didiceris, nè admittito hominis testimonium: qui enim nunc docet, suspectus & dubius esse potest; qui ante mille annos prophetavit, minimè.* Hæc Cyrillus: nec opus est ut satis in se manifesta repetam:

Non

cunque modo argumentum instituatur, vis consequentiæ nos apprehendit. A majore ad minus sequitur Negativè: Si voci Angeli de cœlis novum fidei dogma dictantis absque Scripturarum collatione non sit credendum, multò minùs hominibus. Rursus, à suppositione impossibilitatis ad possibile sequitur Affirmativè: Si hoc dato per impossibile verum est de Apostolis, qui in scriptis suis errare non potuerunt; multò magìs id erit verum per possibile de quibuslibet scriptis hominum aliorum, quantumlibet sanctissimorum & doctissimorum, in quibus aberrationes non paucæ inveniuntur. Ut omnia summatim constringam, duo sunt quibus vis argumenti nititur. Fundamentum primum à Tertulliano statuitur: *Id verius quod prius; id prius quod ab initio; id ab initio quod ab Apostolis.* Ratio fundamenti hæc, Quæcunque post primum recensentur, ea ad primum sunt collocanda, & ex primo metienda, quia ratio regulæ & mensuræ est in primo aliquo & summo: at in Patrum scriptis illud primum & summum non habetur, sed semper est aliquid & ultrà & suprà petendum. Exempli gratia, In Bernardo aut Damasceno objicis mihi quòd hoc vel illud legitur: non sufficit, est plus ultrà, erant ante Damascenum Patres alii. Pergis, At est in Augustino aut Ambrosio: non sufficit, est plus ultrà, erant ante Ambrosium alii. Adhuc, In Cypriano, Tertulliano, Irenæo, Justino, Ignatio: non sufficit, est plus ultrà, erant ante illos Apostoli: & indubitatum est illud Hieronymi, in Psal. 86. *Quamvìs sanctus, quamvìs disertus sit aliquis post Apostolos, non habet autheritatem.* Denique, In S. Paulo, aut Petro, aut Evangeliis legitur: sufficit, est nihil ultrà, hi primi fidei Doctores, Divinitus ad id munus inspirati, ad quos donec veniatur tranquillum spiritum ducere non possumus; ad quos si veniatur, abunde animus habet in quo conquiescat. Hoc fundamentum primum. Secundum, Quæcunque obliquitatem aliquam aut in se habent aut habere possunt, ea necessariò ad rectitudinis lineam revocari debent, ut cognoscatur an rectà fuerint: at verò absoluta rectitudo in solis Scripturis eminet. De Sanctis Patribus certissimum est, Eos & errare potuisse, & aliquando non leviter errasse. Errasse eos in aliquibus scribit Bellarm. lib. 3. de Pontif. c. 3. s. 2. & lib. 3. De Verbo Dei, c. 10. Art. 16. & ante eum Roffensis advers. Lutherum, in Confut. Procem. p. 42. Et nos quoq; aliquoties errasse Patres non diffitemur, erant enim homines, sicut & nos; & ante utrosque S. Hieronymus, Ep. ad Pammach. & Oceanum, *Erraverunt in fide tam Græci quàm Latini, quorum non est necesse proferre nomina.* Quid quòd res ipsa loquitur? nemo enim est nescius quàm latè sparsa sunt ista dogmata, de millenario regno Christi, de non puniendis dæmonibus pœnâ gehennæ ante diem Judicii, de animis ad Visionem Dei non recipiendis ante diem Resurrectionis, de baptizatos ab hæreticis rebaptizando, de infantibus baptizatis non salvandis absque Eucharistia; & id genus alia. Hinc Conclusio emergit, Ut quod est falsum & fallibile mensura rectitudinis non statuatur, cùm in eo mens non possit quiescere. Esto, hoc vel illud dixit Gregorius; non est absoluta certitudo, quia errare potuit: aut Hieronymus; neque hîc certitudo habetur, quia errare potuit: similiter & in cæteris. Quid igitur faciendum? Revera quod S. Augustinus monet, lib. 2. con. Cresconium, cap. 31. *Ad Sacras Scripturas nos oportet recipere, secundum quas de cæteris literis vel fidelium vel infidelium liberè judicemus:* & quod Chrysost. in Opere imperfecto, Hom. 49. *Fugiendum*, inquit, *est ad montes, montes autem sunt Scriptura Sacra, sine quibus nulla potest esse probatio vera Christianitatis; præter quas non est apud alios refugium aliquod Christianorum fidei veritatem cognoscere volentium.*

4. Cont. Marc.

lentium. Non simpliciter apud Angelos, quia etsi mutabiles non sunt, at creaturæ sunt; supremi ordinis spiritus, sed servi tamen & ministri, & longè inferioris notæ quàm vox Spiritûs Sancti: non omnino apud homines, quia & creaturæ sunt & mutabiles, ii qui errare possunt, ii qui sæpius errarunt: non apud utrosque, vel junctim, vel sigillatim; quia quod de Angelis per suppositionem dicitur, de hominibus positivè est intelligendum: si simile quid Divinæ veritati prædicaverint, sunt ad Scripturas trutinandi; si contrarium, sunt ex Scripturis anathematizandi, *Etiamsi Angelus*, inquit Paulus, etiamsi Apostolus, etiamsi quisquam. Hæc de primo Apostoli loco, quem dixi Argumentativum.

Accedo ad secundum, qui est Hortatorius: occurrit ex 1 Thess. 5. 20. *Prophetias nolite spernere; Omnia probate, quod bonum est retinete.* Quibus verbis jubentur fideles non solùm singula explorare quorum usus aliquis esse possit: sed etiam sic explorata secernere, & iis solummodo adhærere quæ salutaria fuerint. Huic autem loco similis est alius ex 1 Jo. 4. 1. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, an ex Deo sint.* Prorsus quasi verbum ex S. Pauli ore arripuisset, adeò ad idem scrutinium, eandémq; veritatis investigationem, eodémque fervore animi alumnos suos excitat quo Paulus suos: nè vellent ταχέως καὶ εὐχερῶς πιστεύειν τοῖς λεγομένοις, ut Chrysost. loquitur, hoc est, *nè nimiâ frontis infirmitate aut levitate animi aliorum verbis temere fidem adhibeant*; sed postquam omnia accuratiùs æstimaverint, tum demum ut credant. Et quidem in se uterque locus est perfectæ cumulatæque virtutis; at impletiorem multò explorandi formam exhibent si hoc modo conglutinentur, Nolite omni spiritui in omnibus credere, sed probate omnia, an ex bono & Divino Spiritu proficiscantur: sin minùs, respuite; si sic, iis tenaciter adhærete. Sunt igitur quinque Consectaria quæ ex locis sic inter se junctis emanant.

Consectarium primum, Ad officium hominis Christiani spectat, acri magnóque judicio doctrinas quas in Veterum scriptis traditas observaverit examinare, & pensiculatiùs expendere. In verbo *Probate* continetur; quod non tam est cohortantis vocabulum quàm imperantis, ut patet ex contextu, in quo præcepti rationem habet quodcunque recensetur: & illud, *Indesinenter orate*, est præceptum; & illud etiam, *In omnibus gratias agite*, præceptum: porrò & illa singula, *Spiritum nè extinguite*, *Prophetias nè spernite*, ejusdem authoritatis præcepta: & post hæc sequitur, *Omnia probate.* Nè quis ἀδιάφορον fortasse putet, aut utramque in partem vergens, officium hoc probationis doctrinarum non inter utilia duntaxat & fructuosa numeratur, nedum inter media aut indifferentia, sed inter simpliciter necessaria, quæ prætermitti nec debent nec possunt absque summo veritatis discrimine: quia quod Cassiodorus, Instit. Divin. lib. 6. sect. 24. de dubiæ fidei scriptoribus dixit, *Origo sævissimi erroris est in suspectis authoribus amare totum*; id ipsum de probatissimis dici potest, *Erroris alicujus periculo non caret in optimis authoribus deperire omnia.* In ipsa Philosophia periculosum, vereor nè in Religione exitiosum videatur. Quod ad alias res spectat, satis supérque cauti sumus nimiúmque diligentes; nemo est qui victum, aut equum, aut pannum, aut domum empturus est, qui non explorandi priùs diligentiam adhibet quantam possit maximam. Dicite, annon pudet in minutioribus istis oculatissimum se quemque gerere, & in potioribus cæcutire? Enimvero turpe est, si ea quæ in vestimentis sordida & in

cibis noxia sunt repellere possumus; in sermonibus verò ac scriptis Doctorum, quæ animam exornant & nutriunt, nullam omninò rationem habeamus, sed, torrentis in morem, quicquid est obviam contrahamus.
Phil.1.10. Heb.5.14. Propterea ut S. Paulus & Philippenses & Hebræos alloquitur, *Hoc oro, ut omni cognitione exundetis*, εἰς τὸ δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα· *ut exercitatos sensus habeatis* πρὸς διάκρισιν, id est, *ad discretionem boni & mali:* similiter & ego vos, Auditores; Obsecro, inquam, neque enim ausim dicere Jubeo: sed est tamen qui jubet, qui cordis inspector judéxq; omnium est. Quid hæsitamus? Quid moras nectimus? Deus imperat, ut sciamus nos huic officio vel maximis vinculis obstrictos fore; Deus, inquam, imperat, ut in scriptis auxiliaribus trutinandis unusquisque se cautissimum præbeat, quò faciliùs & veritatem invenire, & inventam retinere possit. Hoc Consectarium primum.

Secundum hoc est, Probatio doctrinarum non aliter fieri potest nisi eas ad Sacram Scripturarum limam redigamus. Ex ista clausula emergit, *Probate an ex Deo sint. An ex Deo sint*, hoc est, an ex Scripturis prodeant, an sint Scripturis consonæ; quia Dei voluntas, uti in Scripturis continetur, ità nisi ex Scripturis non cognoscitur: sunt enim hæ voces in utroque Instrumento æquipollentes, *Deus dicit*, & *Scriptura dicit*. Sic Rom.9.17. *Scriptura dicit Pharaoni*; &, *Deus erat qui loquebatur*, Exod.9.16. Rursus, ad 1 Tim.5.18. *Scriptura dicit, Non alligabis os bovi trituranti*; &, *Deus erat qui dixit per Mosen*, Deut.25.4. Adhuc, Gal.3.22. *Scriptura conclusit omnia sub peccato*; & Rom.11.32. *Deus conclusit omnes in inobedientia.* Quæ putas est ratio æquipollentiæ? nisi quia Scriptura est os Dei, & lingua Spiritûs Sancti; ut quæ ex istis proveniunt, à Deo proveniant; & quæ ex istis comprobantur, à Deo ipso pro ratis judicentur. Igitur quod S. Joannes suggerit, *Probate an ex Deo sint*, idem est ac si dixisset, *Probate an Scripturis Divinis respondeant.* Nè putetis quòd hujus examinis ac judicii norma sit ratio vestra aut humana authoritas, sed Divina Veritas Sacris Tabulis comprehensa. Ad hanc trutinam afferri oportet omnem
Hom.63.tom.5. doctrinam, & huic Heraclio lapidi apponi. ἔστι, ἔστι, inquit Chrysost. de Scripturis, καὶ ζυγὰ καὶ στάθμια, *sunt, sunt proculdubio statera ac trutina*; non seculares quidem, ex ære ferróque conflatæ, sed spirituales, ex mysteriis veritatis. Et nos, si spirituales sumus, curabimus ut hujus nos artis peritissimos præstemus. ὁ πνευματικὸς πάντα ἀνακρίνει, inquit Apostolus, 1 Cor. 2.15. *probat & dijudicat omnia:* at nec probare nec dijudicare potest, nisi priùs ad hanc amussim exigat. Nam δοκιμάζειν est vox à nummulariis petita, qui coticulæ attritu aurum aut argentum à cupro aliísque metallis dijudicant; & non modò auri glebas & palacras, sed vel minimos scrupulos & limaturas probant, prodúntque cujusmodi sint: *Ut exinde nos discamus*, inquit Ambrosius, *hominum quorumcunque dicta & sententias examine curioso indagare; nè adulteram veritatis imaginem, tinnitu & splendore æris decepti, pro eloquiis Domini castis thesauro nostro misceamus, si non priùs singula in hac lance libremus.* Hoc Consectarium secundum.

Succedat tertium; Non ad unum aut alterum dogma præcepti scopus pertingit, sed longior multò est atque patentior, ad omnia quæcunque hominum dicta ampliatus. Idcirco à S. Joanne indefinitè proponitur, *Probate spiritus*; & à S. Paulo universaliter, *Probate omnia:* quæ sola est apertissima demonstratio, quòd in materia tam necessaria huic universali illud indefinitum æquipolleat; ut in rebus fidei nihil omnino humani admittatur ἀνεξέταστον, verùm ut quæcunque hominum dicta ad sacros calculos revo-

revocentur. *Probate ſpiritus, probate omnia*; hoc eſt, Probate omnem ſpiritum, & cujuſque ſpiritûs omnes doctrinas. Non quòd ad omnia ſimpliciter inquiſitio dilatanda eſſet: nam ſunt nonnulla tam manifeſtè vera, ut ea probare eſſet prodere, ſicut Articuli Fidei; ſunt alia tam apertiſſimè falſa, ut enucleatio faceſſat. Nemo eſt qui diſquirit de quibus non eſt quòd dubitet, ſive noxia fuerint ſive ſalutaria, ſi ſatis ſint cognita. Ergò caſtigatè intelligendum eſt cùm dicitur *Omnia*; ut ea omnia comprehendat in quibus poteſt eſſe diſcretio boni & mali, aut veri & falſi; ídque & in rebus & in perſonis. Summa eſt, Quòd nulla hominis alicujus tanta apud nos authoritas eſſe debet, ut ideo credamus aliquid eſſe verum quia ille ſic credidit; aut ut juxtà ſentiamus, quia ille ſic ſenſit. Eſt hoc neceſſariò interſerendum, ut Jeſuitæ Salmeronis gloſſarium quàm ſit ineptum videatis. Verba ejus hæc ſunt, Diſp. 25. in Joannem: *Sunt quidam ſpiritus*, inquit, *qui non ſunt probandi*; *inprimis, non Spiritus Sacræ Scripturæ, quia res eſt certiſſima*; *ſecundò, non Spiritus Eccleſiæ Catholicæ, vel in ſeipſa, vel in generalibus Conciliis repræſentatæ, quia eis præeſt Spiritus Sanctus*; *tertiò, non Veterum Patrum dicta & teſtimonia, quando omnes, vel ferè omnes, in unam ſententiam conveniunt, quia tunc Patres certum & inevitabile reddunt argumentum veritatis Catholicæ.* Hæc Salmeron, oblitus & Apoſtoli & ſui: ſui, quia idem Salmeron, in Rom. 5. Diſp. 51. de Beatæ Virginis Conceptione diſſerens, *infirmum* vocat argumentum à Patrum conſenſu. *Quidam*, inquit, *eorum computant ducentos Patres contra immaculatam Conceptionem, quidam ferè trecentos: & quid tum poſtea? Locus ab authoritate eſt infirmus; Pauperis eſt numerare pecus:* & id genus non pauca Patrum ludibria, in quibus gloriatur. Eja, quàm nullius frontis aut memoriæ? cùm S. Joannis verba explicat, Argumentum à Patrum conſenſu eſt certum & inevitabile; cùm S. Pauli, infirmum: illic, non ſunt excutienda Patrum dicta; hîc, rejicienda: illic, ſi ferè omnes conſentiant, ſufficit; hîc, ducentos aut trecentos non ſatis eſſe putat ad conſenſum. Enimvero mirandum non eſt ſi ſui parùm memor fuerit, qui verborum Apoſtoli quæ tractavit non potuit meminiſſe: ſiquidem uterque Apoſtolus illimitatè hanc cauſam agit; *Probate ſpiritus*, hoc eſt, quoſcunque ſpiritus humanos; *Probate omnia*, hoc eſt, quæcunque ab humano ſpiritu prodeuntia. Eſto, ſint homines ſancti, eſto multi, at homines tamen; & nullius hominis, nullorum hominum ſententia eſt excipienda. Et ſic quidem Patres ipſi non dubitant interpretari. *Omnia quæ dicuntur probanda monet*, inquit in Pauli locum Ambroſius. *Omnia quæ pertinent ad fidem vitámque noſtram*, inquit Auguſtinus, *ſive ſint de Chriſto, ſive de Eccleſia, ſive de quacunque alia re*, lib. 3. Con. literas Petiliani, cap. 6. Poſtremò, & Chryſoſtomus aſtipulatur, Ser. 63. to. 5. *Nummularios*, inquit, *vos Deus appellat*, τραπεζίτας ἅπαντας, *ut omnes doceat ad examinanda ea quæ uſpiam dicuntur, idem ſtudium conferre quod argentarii adhibent cùm exploranda ſunt numiſmata: ut enim illi perperàm ſignatum numiſma repudiant, ſincerum & integrum admittunt, utrumque poſtquam probaverint; etiam & tibi ſimiliter eſt faciendum: hortor, moneo*; μὴ πάντα προσδέχου λόγον, *nè ſermonem quemvis admitte, niſi probatum & ſalutarem.* Hæc Chryſoſtomus, ut ad omnia humana dicta Apoſtoli locum pertingere demonſtraret. Hócq; Conſectarium tertium.

Videamus nunc quartum, quod ſic ſe habet; Non ad unum aut alterum genus hominum præcepti ratio ſe porrigit, ſed in communi ad omnes & ſingulos; nam in plurali dicitur, *probate, retinete.* Hæc illa eſt Propoſitio contra quam Pontificii maximè feruntur, dum acerrimè conten-

 dunt,

dunt, non quidem ad omnes Christianos cohortationem Apostoli spectare, sed solummodo ad Prælatos & præpositos Ecclesiæ. *Prælatis scribitur*, inquit Catharinus; similiter & Bellarminus, lib. 3. De Verbo Dei, cap. 10. *Non ea mens est Apostoli*, inquit, *ut omnes de Ecclesia id faciant*, *sed ut id ii faciant ad quos pertinet*. Ehem, quàm cautè, vel magìs insulsè! nam si omnes facere debent ad quos pertinet, ergò simpliciter omnes id facere debent qui possunt; nam nos ostendimus ad omnes pertinere. Ad extremum, Stapletonus fusiùs cæteris, in Relectione principiorum, Cont. 5. Qu. 4. Art. 2. *Hæc verba Paulus dicit firmioribus & perfectioribus*, *id est*, *Præpositis Ecclesiæ*, *ut exponit Dionysius Alexandrinus apud Eusebium*, *lib*. 7. *cap*. 6. *Eccl. Hist*. Rursus in lib. 10. De principiis fidei, Contr. 6. cap. 8. *Dionys. Alex. hæc verba dicta esse intelligit* πρὸς τοὺς δυνατωτέρους, *firmioribus & perfectioribus*, *quales sunt Ecclesiæ Præpositi*, *ut Euseb. testatur*, *lib*. 7. *cap*. 6. *& Socr. lib*. 3. *cap*. 14. Hæc ille ex Eusebio & Socrate testimonia producit, pro restricta Paulini loci intelligentia. Ego utrumque, quoniam à nostris qui hoc eorum responsum vellicant est prætermissum, conabor penitiùs, si potero, indagare; atq; erit, ut opinor, operæ pretium. Inprimis Whitakerus noster, utcunque Bellarmini responsum refellat, at de Dionysii testimonio quod à Stapletono urgetur omnino tacet: & ratio omissionis est in promptu, quòd disputationem De authoritate Scripturæ eoúsque non produxit, non ultra Stapletoni librum 3. cùm Dionysii mentio apud Stapletonum non sit nisi in lib. 10. Deinde Chamierus, quantumvìs sit bonæ fidei & emunctissimi calami scriptor, attentúsque investigator antiquitatis, at in hac parte tamen indiligentior solito videtur; nam & de Socrate tacet, & de Eusebio negat, Dionysii verba quibus Stapletonus abutitur in Eusebio ullatenus reperiri. Quod ad me pertinet, absit ut ego virum sanctum, & innumeris authoribus volvendis fatigatum, reprehenderem; cùm satìs sciam aliquando contingere posse, dicente Hieronymo, *ut ipse dormitet Vigilantius*. Videamus si cura nostra explere possit quod in ipso desideratur; neque erit magni negotii, si locos ipsos consulamus. Ad locum Socratis, lib. 3. cap. 14. responsio facilis, In loco Socratis verborum S. Pauli mentionem aliquam fieri, interpretationis Dionysii nullam: quod fortasse in causa fuit ut in margine solo Stapletonus notaret sublestâ, vel potiùs furtivâ, fide. Ego integrum locum subjicio: *Et Christus*, inquit Socrates, *& Apostolus ejus præcepit*, *ut exquisiti nummularii simus*, *quò omnia exploremus*, *ut rejiciamus quod malum*, *quod autem bonum verùmque teneamus*, *nihilque admittamus quod non sit exploratum*: hæc ille. Quibus nihil disertius aut pro nobis aut contra se Stapletonus potuit expromere, si ipsa verba descripsisset; & non puduit eum tamen in margine indicare sub Dionysii nomine, ad responsionem suam confirmandam. Sic dupliciter est titubatum: & quòd ad causam suam simulatè detorquet quod ei apertissimè adversatur; & quòd ad Socratem de Dionysii explicatione nos remittit, cùm nihil tale de Dionysio Socrates testetur. De Eusebii loco altero fatendum est, Dionysii illa verba fore quæ Stapletonus recitat, πρὸς τοὺς δυνατωτέρους· sed nobis omnino non præjudicant. Affirmat in ea Epistola apud Eusebium Dionysius, visionem quandam coelitus ad se dimissam esse, & cum visione vocem, ut libros quos haberet evolveret atq; examinaret: *Et ego*, inquit, *approbavi visionem*, ὡς ἀποστολικῇ φωνῇ συντρέχον, τῇ λεγούσῃ πρὸς τοὺς δυνατωτέρους, Γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται, *utpote quæ consentiebat voci Apostolicæ ad potentiores dicenti*, *Estote diligentes animadversores*, *& velut trapezitæ qui argentum probant*. Hæc apud Euse-

Tom. 1. l. 16. c. 2. sect. 20.

Ep. 51. et Ep. 75.

Eusebium Dionysius. Et præterea habentur eadem ipsissima verba apud Nicephorum Callistum, lib. 6. cap. 8. Sed quid tandem Dionysii hæc interpretatio ad instantiam nostram? Numquid nobis est detrimento? Esto, loquatur Paulus πρὸς τοὺς δυνατωτέρους, *ad eos qui fortiores fide* firmioresque fuerant; neque enim cujusvis est Patrum scripta rimari, & verum à falso sagaciter segregare: sed rogo, num δυνατώτεροι sunt *soli Prælati*, ut Catharinus, aut soli *Præpositi Ecclesiæ*, ut Stapletonus exponit? Quid igitur de iis Laicis omnibus dicturus est, qui causam fidei non minùs strenuè egerunt quàm ipsi Episcopi? Nam hoc certissimum, quamplurimos olim Laicos & fide fortes, & eruditione insignes exstitisse; atque in utriusque specimen multos Tractatus Theologicos in gratiam Ecclesiæ nascentis edidisse. Arnobium & Augustinum nondum Baptismo percepto scripsisse aliqua omnes norunt; & Origenem opus κατηχήσεων anno ætatis decimo octavo, priusquam Presbyter factus est: atque prostant etiam Leonis Imperatoris Homiliæ, à Gretsero editæ. Taceo de Aristide, Agrippa, Hegesippo, Justino, Modesto, Apollonio, Heraclio, Maximo, aliisque plurimis ab Hieronymo enumeratis, qui vel Apologias pro Christianis, vel Disputationes contra Ethnicos & Hæreticos ediderunt; cùm tamen nullis Ecclesiastici Clericatûs titulis ornabantur. Et post hos omnes magni nominis Laicos, per τοὺς δυνατωτέρους solos Ecclesiæ Præpositos Dionysius intellexit, si Stapletono credimus: quo nihil est futilius, aut magis ab utriusque Apostoli mente alienum. Etenim S. Joannes apertè profitetur, se ad infirmos fide scripsisse, cap. 2. ver. 13. *Scribo vobis, Patres, Scribo vobis, pueri*; & tum demum, post pauca quæ intercurrunt, adjungit, *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus*, &c. Obsecro, num *pueri*, vel, magis ad verbum, *infantes* Prælati erant? num *pueri* δυνατώτεροι; Adhuc, & S. Paulus ad totam Ecclesiam Thessalonic. locutus est, cùm dixit, *Omnia probate*. Num omnes erant δυνατώτεροι, omnes Præpositi? Consulamus loci circumstantias, annon ità sit. *Semper*, inquit, *gaudete, Indesinenter orate, In omnibus gratias agite, Spiritum nè extinguite, Prophetias nè spernite, Omnia probate, quod bonum est retinete.* Hæc illa sunt quæ acervantur præcepta generalia, promiscuè ad omnes Christianos pertinentia. Ecquis sui compos affirmabit, ad Prælatos solos spectare orare, gratias agere, non extinguere Spiritum? ecquis solius Prælati esse, quod bonum est retinere? quæ singula sunt communia pietatis officia. Itaque quemadmodum ad omnes pertinet indesinenter orare, & in omnibus gratias agere, & quod bonum est tenere: ità non nisi absurdè ad paucos hoc coercebitur, *Omnia probate*. Imò verò ad omnes extendi debere apertè profitetur Chrysost. Hom. 13. in 2 Cor. *Cùm*, inquit, *absurdum sit, ut illi qui de pecuniis agunt, aliis non credant, sed numero calculóque id committant; qui autem in rebus fidei versantur, aliorum sententiis distrahantur:* διὸ παρακαλῶ καὶ δέομαι πάντων ὑμῶν, *propter hoc ab omnibus vobis postulo*, (videsis, *ab omnibus vobis postulo*) *ut omisso quod cuique de his rebus videatur, omnia è Divinis Scripturis sciscitemini.* Hoc consectarium quartum, Ad omnes hoc munus pertinere: in quo fui paulò prolixior, ut & locum Apostoli vindicarem, & simul Papistarum sophismata detegerem.

Consectarium ultimum superest, quod verbo expediam: & in hunc modum instituitur; Post examen dictorum & sententiarum legitimum factum, lectori liberum est, ea sola quæ cum Scripturis Sacris congruunt in suos usus transferre: imò verò necessarium est bona à malis, vera ab heterodoxis secernere, hæc rejiciendo, illa in thesaurum suum colligendo;

gendo: Sub istis verbis Apostoli comprehenditur, *Quod bonum est retinete*; quibus ostendit, opus illud probationis non fore actum in se terminatum, verùm in ordine transeuntium. Probatio dogmatum, si in ſeipso claudatur, omnino non prodest: oportet ut se ad alterum actum promoveat. Si quis sit iste actus secundus rogas; dico, In omnibus non semper est idem hic actus secundus, verùm juxta objecti naturam aliquando mutatur. Si objectum æquivocum fuerit aut heterogeneum, quædam in se bona continens, pejora alia, tum quidem post probationem actus primus est discriminatio sive segregatio; & post discriminationem factam, electio boni, & mali reprobatio: si objectum sit univocum & homogeneum, post probationem actus qui sequitur, est approbatio omnium si bona fuerint, ut iis possimus adhærere; repudiatio omnium si mala fuerint, nè pudeat iis valedicere. Utrumque non obscurè S. Paulus complectitur: etenim eorum unum apertè exprimitur, *Quod bonum est retinete*; alterum necessariò subintelligitur, *Quod malum est abdicate*. Et quidem eò usque vix quisquam est Interpretum qui verba non existimet dilatanda. Sic S. Ambrosius explicat, *Quæcunque*, inquit, *Apostolorum & ipsius Domini dictis consentiunt, ea retinenda esse monet Apostolus, & benedicta habenda; ab his autem quæ inimica fidei videntur esse, abstinendum: quantumvis quis multa bona dicat, & in uno aliquo quod fidei adversum est deficiat.* Pariter & Hieronymus, Ep. 152. ad Minerium & Alexandrum; *Meum*, inquit, *propositum est antiquos legere, probare singula, retinere quæ bona sunt, & à fide Ecclesiæ Catholicæ non recedere; quia novi Salvatorem dixisse, Estote probati nummularii: ut si quis nummus adulter est, & figuram Cæsaris non habet, nec signatus est moneta publica, reprobetur; qui autem Christi faciem claro præfert lumine, in cordis nostri marsupium recondatur.* Hactenus Hieronymus. Ex quibus clarissimè elucescit, & à sinistra parte, ingentem populo injuriam fieri à Pontificiis, dum inauditâ tyrannide & authoritate plusquam dictatoriâ ea præscribunt quæ volunt, & examinare prohibent; etenim scelus est velle δοκιμάζειν: & à parte dextra, non minimum Christiani hominis esse officiolum ad Scripturæ trutinam rationum pondera in rebus fidei revocare; nec in sententia alicujus, quamvis Pater audiat, acquiescere, nisi priùs explorata. Idque fit sine ulla contumelia Patrum, *justo judicio, & nullâ temeritate*, ut Augustinus loquitur. Itaque quod Hieronymus, Ep. ad Damasum, de Ethnicorum literis, *Hoc nos*, inquit, *facere solemus, quando Philosophos legimus, quando in manus nostras libri veniunt sapientiæ secularis: si quid in eis superfluum sit, radimus; si quid utile reperimus, in nostrum dogma convertimus:* idem & nos de Sanctorum Patrum scriptis meritò possumus commonefacere; Si quid in illis cum Scriptura non congruit, id licet, salvâ eorum honorificentiâ, respuere, licèt incomparabiliter inferiores ipsis simus. ὥσπερ αἱ μέλιτται, inquit Basilius, *Quemadmodum apes flores noxios prætereunt, licèt in hortis Principum inveniant, & iis solis insident quos mellis usui accommodos noverint; & sicut in legendis rosis sentes vitamus: sic in dictis & scriptis aliorum si quid est utile, carpamus; si quid noxium, aures obstruamus.* Hæc dicti Apostolici Summa, hic scopus, ut omnia probantes, quod bonum est retineamus. Atque hæc de Propositione prima, Ex ipsis Scripturis fideles erudiri, cujusvis qui in hoc genere literaturæ se exercet officium esse, omnia & singula dicta omnium & singulorum Doctorum, sive recentiorum sive veterum, ad amussim Scripturæ ponere, & quæ huic consona adinvenerit amplecti, quæ repugnantia repudiare.

Cont. Don. l.7.c.20.

Hom.14. De leg. Gentil. libris.

In

In Propositione altera quæ sequitur, idem saxum volvendum est, sed aliis mediis; & hoc ipsum quod nunc ex Scripturis dilucidavimus, ex ipsis Patribus, ut de se æquissimis judicibus, est demonstrandum.

LECTIO XLVI.

QUòd dicta & sententiæ Veterum Ecclesiæ Doctorum ad Sacrum Canonem revocanda, trutinanda, examinanda, dijudicanda sint, id Scripturarum testimoniis comprobatum effluxa nostra præsentia præstitit; quando simul sum pollicitus, me idem ex Patrum suffragiis hodie præstiturum. Non quòd existimem in se non satis firmas aut nervosas esse è Scripturis ductas rationes, aut hanc quæ superest disputationis partem ad præsentis argumenti definitionem tam præcisè esse necessariam, ut absque causæ detrimento præteriri non possit; cùm Christianis omnibus persuasissimum sit, ædificium Scripturarum fundamento innixum columnis aliis non indigere, atque authoritati supremæ si quid adjiciatur superfluere: sed hic consilii mei motus fuit, partim in vestram gratiam, Auditores, qui Sanctorum Patrum studio tam vehementer flagratis; partim ut Pontificiis occurrerem, quibus usitatum est de Patribus ut de suo peculio gloriari; & præcipuè nè officio meo deesse viderer, si ex his de Veteribus dissertationibus testimonia Veterum prorsus eliminarem, cùm post Scripturas quamplurimum faciant, si non in præsidium veritatis, at saltem ad famulatum; atque ad ornatum, si minùs ad firmamentum. Enimverò ex ore Spiritûs Sancti quæ trahuntur testimonia, ea omnium vivacissima fore nemo est qui diffitebitur: attamen post hæc non potest dari firmius aliud quàm quod adversus quemquam ex ore suo & ex propria conscientia deducitur. Hoc S. Paulus intellexit, quando ut Romanos de dilectione sua certiores redderet, ad utrumque horum provocavit: *Testis mihi Deus cui servio*, cap. 1. ver. 9. &, *Testis mihi conscientia mea*, cap. 9. ver. 1. Hoc etiam Christus in Evangelio, cùm servum inutilem non solum sententiâ Judicis, sed propriis verbis voluit coarguere: *Ex ore*, inquit, *tuo te judicabo, serve nequam.* Quòd si ignavi servi, qui talentum in terra abscondidit, eò justior habita est condemnatio, quia ab utrisque testibus convictus discessit, & ex ore domini & ex ore suo: dubitandum non est, quin & servorum fidelium, quorum pars non minima Patres fuerunt, ea sit plenissima approbatio quæ utrinque profluit, & ex Sacris Literis, velut ex ore Dei, & ex scriptis suis, velut ex ore proprio. Quocirca progrediamur læti alacrésque in hac altera parte instituti nostri, ut possim quod promiseram exsolvere. Et quia de Patribus differendum est, age, ex Patribus copias nostras hâc secundâ navigatione instruamus; ut ex ipsorum testimoniis discamus quid ipsorum testimonia valeant: neque enim fieri potest ad æquiores judices appellatio, quàm ad ipsos se. Hæc prioris partis velut appendicula, Ut Scripturarum authoritatibus Veterum de seipsis sententiæ subjiciantur, velut ex redundanti: nec erit, opinor, inanis disceptatio, sed amplissimam victoriæ materiam præbebit in omnibus quæ de rebus fidei dijudicandis controversiis agitantur. Sit igitur hæc fundamentalis Propositio;

Quòd

Quòd sententiæ & dogmata Sanctorum Patrum sunt ad Scripturæ Sacræ trutinam revocanda, & in quantum cum ea aut consenserint aut dissenserint recipienda vel rejicienda, Patres ipsi, penè ad unum omnes, luculentissimè testantur; vix enim quisquam eorum est qui non hoc sæpius prædicat ingeminátque, ídque tam disertè, tam explicatè, tam crebriter, ut non sit verendum nè fortasse inopiâ laboremus, sed magìs nè multitudine testimoniorum obruamur.

In Propositionis terminis difficultas aut ambiguitas nulla est, si hoc solum præmonuero, pro Patrum testimoniis ea sola me adducturum, non quæ cursim iis exciderint, sed quæ clariùs pleniúsque deditâ operâ & ex professo pronuntiarunt. Quòd si dictorum minutias quasvis aut fragmina quæ sese uspiam offerunt colligerem, inexputabilis numerus esset: mitto hæc, quia infinita sunt; mitto raptim editas sententiolas, quas magìs tetigerunt quàm tractarunt; mitto quæcunque ex conjecturis & consequentiis prodeunt, nihílque produco quod non sit retectum & apertissimum. At unum est tamen quod inceptum iter perturbat, quo potissimùm ordine hæc testimoniorum οἰκονομία sit administranda. Nam cùm sit maxima nubes testium, ut Apostolus loquitur; cúmq; verum sit illud Ambrosii, *Ubi ordo non servatur, fastidium sequitur*; & adhuc, cùm non sit una tantummodo ordinis ratio, sed multiplex: hinc est quòd hæreo incertus è tam multis testibus quis omnium primus in arenam sit accersendus. Nam si ad ordinem me verto qui ex respectu ætatis temporísque oritur, ut illi priùs numerentur qui priùs vixerint, metuo nè vobis videar historiam texere aut authorum Catalogum magìs quàm disputationem. Si ad ordinem honoris aut dignitatis, ut illi priores statuantur qui præstantiores, & antiquitatis erit injuria, & inversa magnorum nominum confusio; cùm Sanctus Augustinus hoc modo esset ante omnes recensendus, post omnes Origenes, non ob defectum eruditionis, quâ eminebat, sed ob errores quibus implicatus est. Postremò, si ad ordinem respectu gentis aut idiomatis; ut priùs Græcorum, proinde Latinorum suffragia ponerentur, profectò hoc esset temere miscere omnia, dicta contigua segregando & segreganda jungendo; cùm non eodem semper modo Patres de hac re loquantur; interdum de scriptis suis, interdum de scriptis aliorum; & nunc quidem de iis qui præcesserunt, nunc verò de iis qui coævi fuere & contemporanei. Nihil igitur superest nisi ut relicto personarum ordine, rerum potiùs tenorem atque dispositionem sequamur: atque sic quadruplex erit Testimoniorum Distributio.

Inprimis, quædam dicta Patrum habentur in quibus de seipsis & scriptis suis judicium ferunt, quædam in quibus de scriptis aliorum. Dein, Testimonia de seipsis sunt duplicia; Ea quæ de seipsis solis perhibent, & Ea quæ de seipsis junctim cum aliis. Testimonia de aliis rursus duplicia; Ea quæ indefinitè de aliis in plurali, & Ea quæ de hoc aut illo Doctore in singulari. Postremò, ea quæ in singulari adhuc duplicis ordinis; Ea quæ de Antecessoribus suis, & Ea quæ de coætaneis. Hæc omnia si summatim colligamus, quinque Testimoniorum genera constituunt; Ea quæ de se solis, Ea quæ de se cum aliis, Ea quæ de omnibus aliis, Ea quæ de coætaneo aliquo, Ea quæ de aliquo ex antecessoribus suis. Hanc ego seriem libentiùs statuo, quia singulorum necessaria est distincta consideratio. Alioqui, quodcunque testimonium adducitur, erit aliquod subterfugium quo evolent Adversarii. Esto quòd seipsos & doctrinam suam probationi Patres submiserint: hoc præstitit Modestia. Esto, coætaneos suos eidem examini subjiciendos docuerunt: ad hoc eos deduxit Æmulatio.

Si

Si Antecessores suos, ignorantia, atque authoritatis eorum minor debito æstimatio. Si ex utrisque hos vel illos sigillatim, ex hoc fonte manavit, quòd singulos non putarunt pro fidei judicibus esse statuendos, sed, ubi consenserint, universos. Huc usque, ut videtis, colores non desunt quos prætexant, titulíque speciosi quibus eludant disertissima testimonia. Sed cùm ad extremum dispositionis membrum deventum fuerit, in quo demonstrandum est, Hoc ipsum Patres & in specie de Veteribus singulis, & in communi de omnibus, & inter omnes de seipsis docuisse, non erit ultrà vel tantillum quod prætendatur. His ità prædispositis, ad quinque partitæ divisionis capita perlustranda jam propero. Et quia plura sunt quàm quæ distinctè unius horulæ compendio percurrere possum, idcirco in formam breviorem compingam, hæc quinque in tria Capita vertendo; Ea quæ de seipsis, Ea quæ de uno aut altero sui similium, & Ea quæ de omnibus Veteribus junctim Patres pronuntiant.

Ex his tribus triplex Classis vel series Testimoniorum emergit. Exordiar à prima.

Prima series est eorum qui de se & scriptis suis loquuntur. Sit igitur de istis hæc Propositio, Quoties de seipsis Patres verba faciunt, non aliam sibi suísque scriptis authoritatem postulant, quàm ut ad Scripturæ normam dicta sua exigantur, & eatenus recipiantur quatenus cum Sacra Pagina conspirant. Pro hujus Propositionis evidentia quatuor testes, iique apertissimi, sese offerunt.

Primus erit Origenes, hom. 1. in Jeremiam, *Necesse est nobis*, inquit, *Scripturas Sanctas in testimonium vocare, sensus quippe nostri & enarrationes nostræ sine his testibus non habent fidem.* Similiter & Tract. 25. in Matth. *Debemus nos ad testimonium omnium verborum quæ proferimus in doctrina, proferre sensum Scripturæ, quasi confirmantem quem exponimus sensum. Sicut enim omne aurum quod fuerit extra templum non est sanctificatum: sic omnis sensus qui est extra Divinam Scripturam, quamvis admirabilis videatur quibusdam, non est sanctus, quia non continetur in sensu Scripturæ. Non ergò debemus ad confirmandam doctrinam nostram nostros proprios intellectus jurare, & quasi testimonia assumere, nisi ostendimus ex eo sanctos esse quòd in Scripturis continentur, quasi in templis Dei.* Quid disertius? Ad Scripturas Patrum dicta esse revocanda, & ex Scripturis petenda, Origenes asserit; & non habere fidem, non esse sancta, nisi cum Scripturis congruant.

Secundas tenet Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 4. Illuminatorum. Postquam de Sancta Trinitate nonnulla dixisset; *Deinceps*, inquit, *si Dominus concesserit, hoc exponetur pro viribus cum demonstratione ex Scriptura. Oportet enim nè minimum quidem aliquid tradere de sanctis & Divinæ fidei mysteriis absque Divinis Scripturis. Imò verò*, inquit, μηδὲ ἐμοὶ τῷ ταῦτα λέγοντι ἁπλῶς πιστεύσῃς, *nè mihi quidem ipsi hæc dicenti fidem adhibeto, nisi acceptâ eorum quæ dicuntur demonstratione, non ex ingenioso acumine, sed ex Divinis Scripturis.* Rursus Catechesi duodecimâ, de Incarnatione Christi agens, *Si*, inquit, *Christi adventûs causam quæris, recurre ad Scripturas*; καὶ μὴ ταῖς ἐμαῖς εὑρεσιλογίαις πρόσεχε, δυνατὸν γὰρ ἴσως κατασοφισθῆναι, h. e. *nè meis commentis attendito, posses enim fortè decipi: imò nisi de singulis rebus accepto testimonio, nè dictis fidem habeto; nisi, inquam, de Virgine, de loco, de tempore, de modo è Scripturis didiceris, nè admittito hominis testimonium: qui enim nunc docet, suspectus & dubius esse potest; qui ante mille annos prophetavit, minimè.* Hæc Cyrillus: nec opus est ut satis in se manifesta repetam:

Non

Non oportet nè minimum tradere de mysteriis fidei absque Scripturis; Nè meis commentis attendito absque Scripturis; Nè mihi fidem adhibeto, nisi demonstratione factâ ex Scripturis.

Post Cyrillum è Græcis, audiamus inter Latinos Ambrosium, lib. 1. De fide ad Gratianum, cap. 4. In eo loco probaturus, non esse dissimilem Patri Filium Dei, Gratianum sic alloquitur, *Nolo argumento nostro credas, sancte Imperator, aut nostra disputationi; Scripturas interrogemus, interrogemus Apostolos, interrogemus Prophetas, interrogemus Christum.* Et cap. 3. lib. De Incarnationis Domini Sacramento, *Nolo nobis credatur, Scriptura recitetur. Non ego dico à me, In principio erat Verbum, sed audio; non affingo, sed lego,* & quæ sequuntur. Hæc Ambrosius: quibus quia locus Epiphanii per omnia respondet, non erit intempestivum vel hîc interponere Græcum inter Latinos. Nam Hær. 65. hæc verba habentur ad Samosatenum, ἡμεῖς δὲ ἑκάστου ζητήματος εὕρεσιν οὐκ ἀπὸ ἰδίων λογισμῶν δυνάμεθα λέγειν, ἀλλ' ἀπὸ τῆς τῶν γραφῶν ἀκολουθίας, *Nos autem*, inquit, *uniuscujusque quæstionis solutionem non ex propriis ratiocinationibus dicere possumus, sed ex Scripturarum consequentia.* Satìs hæc in se clara sunt absque omni commentario; *Nolo nobis credas, aut disputationi nostræ, aut ratiocinationibus nostris, sed Scripturis Sacris.*

Ad Ambrosium accedat Augustinus, qui meritò instar omnium esse potest, quia sæpius quàm reliqui omnes de se solet censuram facere. In lib. 3. de Trin. sic de se in Procemio loquitur; *Noli meis literis quasi Scripturis Canonicis inservire: sed in illis & quod non credebas cùm inveneris, incunctanter crede; in istis autem quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmiter retinere.* Et denuo, *Noli meas literas ex tua opinione vel contentione, sed ex Divina lectione vel inconcussa ratione corrigere: si quid in eis veri deprehenderis, exsistendo non est meum, at intelligendo & amando & tuum sit & meum; si quid autem falsi conviceris, errando fuerit meum, sed jam cavendo nec tuum sit nec meum.* Et l. 2. De ordine rerum, c. 10. *Nolo omnino aliquos mihi credere, nisi docenti rationémq; reddenti:* & in Epist. ad Paulinam, quæ est 112. *Nolo authoritatem meam sequaris, ut ideo putes tibi aliquid necesse esse credere quoniam à me dicitur; sed aut Scripturis Canonicis credas, si quid nondum quàm verum sit vides, aut interiùs demonstranti veritati, ut hoc planè videas.* Et lib. 2. De bono Perseverantiæ, cap. 21. *Neminem sic volo amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis in quibus me non errare perspexerit,* &c. Breviter, nihil istis vocibus apud Aug. usitatius, *Non audiatur, Ego dico, Tu dicis,* Cont. Maximinum; & in Ps. 57. *Audi Christum dicentem, audi veritatem;* & in Ps. 85. *Ex Scripturis audeo dicere, nihil ex me.* Quæ omnia si cum prioribus conferantur, Propositionem primam exhibent abunde cumulatéque manifestam, Noluisse Augustinum lectores suos ipsum ulteriùs sequi quàm ipse Divina oracula sequebatur. Eundem modestiæ spiritum trahens quem reliqui Patres ducebant, quando suis scriptis fidem adhiberi prohibebant nisi priùs ad sacrum Canonem pensiculatiùs examinatis. In hoc verecundiæ speculo sua omnia Patres intuiti sunt, atq; una fuit omnium facies & lingua, quoties de seipsis proloquebantur, eáq; tam clara, ut non sit opus aliquid ultrà addere de prima Propositione, à prima Testimoniorum serie transfusa, quæ Patrum de seipsis sententias in se complectitur.

Secunda series est istorum Patrum qui non de se, sed de aliis sermonem instituunt; non quidem omnibus, sed uno aliquo aut altero istius eruditi comitatûs. Et de istis sit hæc Propositio; Quicquid illud est quod de se Patres

Patres statuunt, idem per omnia de singulorum veterum Theologorum scriptis decernunt, quotiescunque in ipsos sermo incidit; dum & ad easdem explorationis Leges eos revocant, & iisdem Scripturarum cancellis eos circumscribunt quibus seipsos; nè aut illinc favisse sibi magis viderentur quàm aliis, aut isthinc id aliis indulsisse quod sibi denegandum judicarent. Propositionis scopus unus est, sed diversæ semitæ: quippe quòd interdum de Orthodoxis mentionem faciunt, interdum de iis quos pravi dogmatis labes maculavit; interdum de coætaneis suis, interdum de iis qui longè antecesserant: attamen de singulis est eadem sæpiùs repetita sententia, In his solis eis esse adhærendum, in quibus ipsi Divinitus inspiratæ regulæ syllabatim adhæserunt. Et potui quidem hac in re Hieronymi vobis judicium de Origene expromere, qui in ep. ad Pammachium & Oceanum apertè profitetur, se libros ipsius accuratiùs legisse, at fugisse dogmata, quia aliena erant à Scripturis Sanctis, & vim Scripturis facientia. Potui etiam & Sancti Hilarii judicium de Tertulliano, Can. 50. in Matth. Eum de oratione volumen aptissimum scripsisse; at non sequendum tamen, quia consequens error hominis detraxit scriptis probabilibus authoritatem. Sed hæc libenter prætereo, quia Tertulliani & Origenis nomina minoris erant apud Patres authoritatis. Sunt alii quibus major veneratio habebatur, & de his tamen sigillatim S. Augustinus sæpenumero docet, non nisi ex literis Canonicis eorum scripta esse consideranda. Inprimis in Ep. 48. magni nominis Theologum Vincentium sic alloquitur, *Non te arbitror, mi frater, sic libros tuos legi velle, tanquam Prophetarum vel Apostolorum, de quorum scriptis, quòd omni errore careant, dubitare nefarium est: absit hoc à pia humilitate quâ es præditus; non enim sic leguntur tanquam ità ex eis testimonium proferatur, ut contrà sentire non liceat, sicubi fortè secùs sapuerint quàm veritas postulat.* Deinde de S. Ambrosio haud longè aliter, in lib. De orando Deo, ad Paulinam, c. 23. postquam & sua & Ambrosii verba posuisset, ità concludit; *Neque mihi sic credas quemadmodum Ambrosio, de cujus libris tanta illa testimonia posui: aut si ambobus nobis æquâ lance putas esse credendum, numquid ullo modo nos Evangelio comparabis? aut scripta nostra Scripturis Canonicis coæquabis? Profectò si rectè in dijudicando sapis, longè nos infrà vides ab illa authoritate distare, & me quidem longiùs: sed utrique nostrûm quantumlibèt credas, utrumque illi nequaquam excellentiæ compares.* Et paulò pòst, *Hæc si approbas, tene mecum sancti viri Ambrosii sententiam, jam non ejus authoritate sed ipsâ veritate firmatam: nec enim & mihi propterea placet, quia per illius os potissimùm me Dominus ab errore liberavit, & per illius ministerium gratiam mihi Baptismi salutaris indulsit, tanquam plantatori & rigatori meo nimiùm faveam; sed quia de hac re & ipse hoc dixit quod piè cogitanti & rectè intelligenti loquitur ille qui incrementum dat Deus.* Hæc Augustini fuit de Ambrosio sententia. Neque diversi coloris est illa altera de S. Cypriano, in lib. 2. cont. Donatistas, c. 2, 3. *Vos nobis*, inquit, *objicere soletis Cypriani literas, Cypriani sententiam, Cypriani consilium: cur autem authoritatem Cypriani pro vestro schismate assumitis, & ejus exemplum pro Ecclesiæ pace respuitis? Quis nescit Sanctam Scripturam Canonicam, tam Veteris quàm Novi Testamenti, certis suis terminis contineri, eámque omnibus posterioribus Episcoporum literis ità præponi, ut de illa omnino dubitari & disceptari non possit, utrùm verùm vel rectum sit quicquid in ea scriptum esse constiterit: Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum Canonem vel scriptæ sunt vel scribuntur, à doctioribus posse reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deviatum est, idque sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogantiæ, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Christiana?*

Ep. 15.

Ep. 111.

 stiana?

stiana. Hæc de Cypriano Augustinus. Quid quòd & in libris contra Cresconium in eandem sententiam non semel prorumpit? In l. 2. c. 31. *Nos nullam Cypriano facimus injuriam, cùm ejus quaslibet literas à Canonica Divinarum Scripturarum authoritate distinguimus, quas omnino judicare non audemus, & secundum quas de cæteris literis fidelium vel infidelium liberè judicemus.* Et mox, c. 32. *Ego hujus Epistolæ* (loquitur de Cypriani Epistola ad Pompeium) *authoritate non teneor, quia literas Cypriani non ut Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero, & quod in eis Divinarum Scripturarum authoritati congruit, cum laude ejus accipio; quod autem non congruit, cum pace ejus respuo. Si ea quæ commemorasti ab illo, de aliquo Apostolorum vel Prophetarum Canonico recitares, quod omnino contradicerem non haberē: nunc verò, quia Canonicum non est quod recitas, (eâ libertate ad quam nos vocavit Dominus) non accipio quod scripserit.* Postremè, nè quis eum paulò adversùs Cyprianum iniquiorem existimaret, adjungit alia nomina, in Ep. 48. ad Vincentium, *Noli, frater, contra Divina tam multa, tam clara, tam indubitata testimonia colligere velle calumnias ex Episcoporum scriptis, sive Hilarii, sive Cypriani & Agrippini: quia hoc genus literarum ab authoritate Canonis distinguendum est*, &c. Quid plura? nam istis non video quid adjici possit, cùm inter veteres Theologos omnes, maximi apud Augustinum pretii fuere Cyprianus & Ambrosius, sive conjunctim spectemus, sive separatim. Si conjunctim, hos duos ut Divinæ eloquentiæ torrentes, l. 4. de Doctr. Christiana, c. 2. secum invicem confert, sicut Fabius Ciceronem cum Demosthene. Si separatim, de Cypriano tam magnificè loquitur, ut omnia sua scripta non esse paria Epistolis Cypriani dixerit, in c. 32. l. 2. con. Cresconium; atque *virum* ejusmodi appellat, *cujus laudem consequi non valet, cujus ingenium diligit, cujus ore delectatur, cujus charitatem miratur, cujus martyrium veneratur:* & quid post hæc omnia? *Quando aliter quàm par est sapit, non accipio; Reprehendi potest, si à veritate deviet; Non facio ei injuriam, si ejus literas à Divinis distinguo; Ejus authoritate non teneor, ejus literas non ut Canonicas habeo, eas ex Canonicis considero; quod Scripturæ non congruit, cum pace ejus respuo.* Vice versâ, non sunt istis inferiores honoris tituli quos Sancto Ambrosio inscripsit: nam l. 1. De nuptiis & concupiscentia, cum inter Latinos scriptores *velut florem speciosum enituisse* ait; *cujus fidem & purissimum in Scripturis sensum nè Pelagius quidem ausus est reprehendere:* & l. 2. con. Julianum, *suiipsius in Christo patrem* non dubitat appellare, *quòd eum per Evangelium genuisset; tantæ excellentiæ virum, ut ejus pro Catholica fide gratiam, constantiam, labores, pericula, totus Orbis Romanus prædicabat:* & ex istis quid sequitur? Audi; *Non sunt illius scripta Evangelio comparanda; Ejus non mihi placet sententia quia ejus authoritate, sed quia veritate firmatur; Non quòd ipse dixit, sed quia verbo Dei respondent quæ dixerit.* Sic Sancto Augustino amicus Cyprianus, qui Theologorum Demosthenes; amicus Ambrosius, qui Tullius: sed tantùm usque ad aras Scripturarum; à quibus quantum è Patribus quotusquisque deflectit, quamvìs sit inter palmarios, esto Hilarius, esto Ambrosius, aut Cyprianus, esto ipse Augustinus, tantum authoritati suæ fideique præjudicat, vel ipsis se testibus; quibus nihil familiarius quàm auditores & lectores suos cohortari, ut in his vel illis Patribus evolvendis, sive coætaneis sive antecessoribus suis, ad Scripturarum examen redigant, & istis cancellis antiquorum doctrinas circumscribant. Hæc de secunda Propositione, ex secunda serie testimoniorum conflata.

Ultima Classis est istorum Patrum qui non de hoc aut illo in specie, sed in cōmuni de antiquis Doctoribus omnibus, & in hac frequentia de seipsis unà cum

cum cæteris disputant: & de istis sit hæc tertia Propositio, Non solùm de uno aut altero sparsim, sed de omnibus Veteribus gregatim, in scriptis suis Patres ubique pronuntiant, & eorum dogmata esse ad Scripturas expendenda, ut probentur, & eorum testimonia ex Scripturis æstimanda, ut ex istarum consensu aut dissensu magìs minúsve valeant ad fidei controversias dirimendas. Ad Propositionis fidem sufficere potest recognitio veteris consuetudinis quæ olim in Conciliis celebris fuit atque solennis: consuetudo illa à Cusano recensetur, lib. 2. De Concord. Catholica, c. 6. formam veterum universalium Synodorum fuisse, ut Sacra Evangelia semper in medio ponerentur. Obsecro, quæ consuetudinis causa? Revera Cusanus non reddit; at in promptu est tamen, ut Episcopi scirent, ex his & secundum has Constitutiones omnes & Decreta formanda. Facilè colligitur ex Clem. Alexandrini Strom. septimo; *Periculosè eos falli necesse est*, inquit, *qui magnis rebus manum admovent, nisi ab ipsa habeant veritate veritatis regulam.* Ex S. Hilario ad Constantium, *Si*, inquit, *hos terminos egredimur, fides erit temporum, non Evangeliorum*; & ex Claudii Mammerti l. 3. De Statu animæ, qui habetur in tom. 5. Bibl. Patrum, *Eatenus*, inquit, *Divinarum tractatoribus Scripturarum fides adhibenda est, quoadusque eisdem tenore veritatis astipulantur.* Denique & ex S. Augustino, De unitate Eccl. c. 10. *Nè Catholicis quidem Episcopis consentiendum est*, inquit, *si contra Canonicas Scripturas aliquid sentiant: nam oves Christi*, inquit, *pastoris vocem sequuntur*; *quæ autem est vox pastoris nisi hæc, Lege hoc mihi de Propheta, lege mihi de Psalmo, recita de Lege, recita de Evangelio, recita de Apostolo? Auferantur chartæ humanæ, ut sonent voces Divinæ.* Quòd ejusmodi fuerit consuetudo colligere possumus ex Eusebii lib. 7. c. ult. qui Synodi Antiochenæ Patres ejecisse ex Ecclesia Paulum Samosatenum asserit, ὅτι ἀποστὰς τοῦ κανόνος ἐπὶ κίβδηλα καὶ νόθα διδάγματα μετελήλυθεν, *relicto Scripturarum Canone ad adulterinam depravatámque doctrinam se contulit.* Neque abludit illud Constantini Magni Imperatoris apud Theod. lib. 1. c. 7. qui in Orat. ad Patres Nicenos habita, Indignum esse dixit se oppugnare mutuò, cùm haberent secum libros Evangelicos tanquam utriusque partis arbitros. Atque verisimile est in hanc consuetudinem oculos suos intendisse Augustinum, in Psal. 57. ubi sic habemus loquentem; *Auferantur è medio chartæ nostræ, procedat in medium codex Dei.* Ergò hæc consuetudinis ratio & prima & sola; & ego si in ea huic tertiæ Propositioni finem imponerem, exinde ad hanc Propositionem illustrandam satìs emicasse luminis puto. Sed ex Patrum præterea testimoniis hoc facturum me repromisi; atque eò faciliùs præstari potest, quia in hac parte est testium numerus amplior, quorum è magno acervo

Inprimis adest Clem. Alexandrinus, Strôm. 7. ubi duo occurrunt aurea Apophthegmata, eáque notatu dignissima. Apophthegma primum sic se habet, οὐχ ἁπλῶς ἀποφαινομένοις ἀνθρώποις προσέχοιμεν, *Non æquùm est nos attendere simpliciter hominibus asserentibus, adversus quos & nobis ex æquo licet assertione uti.* Secundum hoc est, οὐ τὴν ἐξ ἀνθρώπων ἀναμένομεν μαρτυρίαν, ἀλλὰ τῇ τοῦ Κυρίου φωνῇ πιστούμεθα τὸ ζητούμενον, *Non moramur testimonium ab hominibus, sed verbo Dei confirmamus id quod in quæstionem venit: quæ omnium & certissima est & sola Demonstratio.* Hæc Clemens, ostendens & se & Veteres omnes esse in eodem pretio habendos, ut nec alii ipsi, nec ipse aliis fidem adhiberet, nisi ex Scripturis militarent. Clementi Origenes succedit, cujus in Rom. c. 3. hæc sunt verba; *S. Paulo in more positum est, de Scripturis Sanctis affirmare quod dixerat: simul & Doctoribus Ecclesiæ præbens exemplum, ut ea quæ loquuntur ad populum non propriis præsumpta sententiis, sed Divinis munita testimoniis proferant. Si enim ipse, tantus ac talis*

 Apostolus,

Apostolus, authoritatem dictorum suorum sufficere posse non credidit, nisi doceat in Lege & Prophetis scripta esse quæ dicit; quantò magis nos minimi hoc observare debemus, ut non nostras, cùm docemus, sed Spiritûs Sancti proferamus sententias? Et in cap. 16. l. 10. *Non est parvæ discretionis, sed probabilis & exercitatissimi judicii, scire cui verbo cuíve operi obediendum sit, & cui renitendum. Quocirca proximi periculis sunt qui exerceri in Divinis Literis negligunt, ex quibus solis hujusmodi examinationis agnoscenda est discretio.* Denique in l. 4. De Principiis, c. 1. *Quia de tantis rebus disserentibus non sufficit humanis sensibus & communi intellectui summam rei committere; assumenda nobis sunt ad probationem horum quæ dicimus Divinarum Scripturarum testimonia: quæ quia sunt Dei Spiritu inspirata, indubitatam fidem præstant, sive in his quæ dicenda nobis, sive quæ jam dicta sunt.* Hactenus Origenes, de quo hoc ausim pronuntiare, quòd quamvìs supra omnes Veteres in Scripturis interpretandis aberraverit; attamen nemo est omnium qui plus honoris defert Scripturarum plenitudini: *Non*, inquit, *sufficiunt nostri sensus; Nobis authoritas nulla est, nisi Spiritûs Sancti astipulentur sententiæ.*

Post Origenem subsequitur Basilius, cujus verba non sunt hac in re infrequentia. In l. 2. Con. Eunomium, *Non est alia justior inquirendi ratio, quàm si comparatâ istius oratione cum iis quæ nos Spiritus Sanctus docuit*, ὃ μὲν ἐκείνου σύμφωνον εὕρωμεν, καταδέχεσθαι· τῷ δὲ ἐναντίως ἔχοντι ἀπιστεῖν, καὶ ὡς ἐχθρὸν ἀποφεύγειν, *quicquid eis consentaneum inveniemus, ut admittamus; contrariis verò fidem nullam adhibeamus, sed ut inimica fugiamus.* Si quis autem hæc dixerit eum de Eunomii libris dixisse, non de Catholicis Doctoribus; attendat loco ex Moralibus Reg. 72. *Oportet*, inquit, *auditores eruditos in Scripturis explorare ea quæ dicuntur à Doctoribus;* καὶ τὰ μὲν σύμφωνα τῶν γραφῶν δέχεσθαι, τὰ δὲ ἀλλότρια ἀποβάλλειν, *quæ consona sunt Scripturis admittere, quæ aliena sunt repudiare.* Atque iterum, Ep. 80. quæ est ad Eustathium medicum; cùm adversarii Consuetudinem pro se facere objiciebant, *Non putamus æquum*, inquit Basilius, *ut quæ apud ipsos obtinuit loquendi consuetudo pro lege ac canone rectæ doctrinæ habeatur; nam licet & nobis consuetudinem consuetudini opponere.* Quid igitur? ὁ θεόπνευστος ἡμῖν διαιτησάτω γραφὴ, *judicet nos Divina Scriptura; & apud quos inveniuntur dogmata Divinis oraculis consona, illis omnino veritatis adjudicetur sententia.* Hæc pietas S. Basilii Arianos à Consuetudine ad Scripturas revocantis: eodem consilio quo S. Augustinus, c. 14. libri tertii, Maximinum alloquitur; *Neque ego Nicenum, neque tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus, proferre Concilium: verùm Scripturarum authoritatibus, non quorumcunque propriis, sed utriusque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione decertet.* Hæc illè de Concilio Niceno, non promiscuo quolibet, sed universali, & longo usu & magno consensu stabilito: prorsus quasi hoc accepisset è Basilio, qui cùm sibi negotium esset cum Arianis, provocavit eos, quamvìs audacissimos, ad disputationem ex Scriptura; relictâ consuetudine, quam opponere consuetudini potuerat, si par pari facere voluisset. Hæc sunt ea loca è Basilio.

Venio nunc ad Chrysostomum, ut ipsius eandem fuisse sententiam sentiatis. Sic ille progreditur, Hom. 13. in 2 Cor. *Hæc*, inquit, *cùm ità sint, vulgi opiniones nè circumferamus, sed res ipsas expendamus. Annon enim absurdum est & præposterum, nos cùm de pecuniis agitur fidem aliis non habere, sed numero & calculo id committere: cùm autem de rebus judicandum est, in aliorum opiniones temere trahi; idq; cùm exactam rerum omnium lancem & normam & amussim habeamus Divinarum legum sententiam?* διὸ παρακαλῶ, καὶ δέομαι πάντων ὑμῶν, ἀφέντες τί τῷ δεῖνι καὶ τῷ δεῖνι δοκεῖ περὶ τούτων, παρὰ

τῆς

τῶν γραφῶν ταῦτα πάντα πυνθάνεσθε, *Propterea vos omnes rogo atque obsecro, ut quid hic aut ille de his rebus sentiat relinquatis, & Scripturas de iis consulatis.* Hæc ille: quibus similis habetur locus in Psal. 95. qui vaferrimè detorquetur à Bellar. l. 4. De verbo Dei, c. 11. *Non oportet*, inquit Chrysostomus, *quicquam dicere sine testibus, solâque animi cogitatione. Nam si quid dicitur absque Scriptura, cogitatio Auditorum claudicat, nunc annuens, nunc hæsitans, interdum sermonem ut frivolum aversans, interdum ut probabilem recipiens*, &c. Quibus utrinque ostendit, & sine Scripturis nulli rei certò fidem fieri posse; *claudicat*, inquit, *Auditorum cogitatio:* & officium commune esse, cui omnes alligantur qui Doctorum in Ecclesia munere funguntur, doctrinam suam ex Scripturis commendatam reddere, & his testimoniis confirmare. Atque è Chrysostomo satis; post quem è Græcis neminem necesse est producere, nisi solum, coronidis loco, Theodoretum. Et insignis exstat locus, Dial. 1. c. 6. ubi de hoc, quasi de receptissimo axiomate, Orthodoxus & Hæreticus inter se congruunt, quòd ex sola Scriptura Doctorum assertiones sint expendendæ. *Cave mihi*, inquit Orthodoxus, *nè disceptationes humanas Syllogismósque protuleris*; ἐγὼ γὰρ μόνῃ πείθομαι τῇ θείᾳ γραφῇ, *Ego enim in sola Divina Scriptura acquiesco:* Eranistes respondet, *Nec ego amplector opinionem non confirmatam* τῇ γραφικῇ μαρτυρίᾳ. Hæc sit Græcorum clausula.

Videamus annon Latinorum eadem sit de seipsis aliísque sententia. Et inter hos copias ducat beatissimus martyr Cyprianus, Ep. 63. ad Cæcilium fratrem: *Quòd solus Christus debeat audiri*, inquit Cyprianus, *Pater de cœlo testatur; Hic est filius meus dilectissimus, in quo bene sensi, ipsum audite: Quare si solus Christus audiendus est, non debemus attendere quid alius ante nos faciendum putaverit; sed quid qui ante omnes est Christus prior fecerit: neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.* Hæc Cyprianus. Prodeat post Cyprianum Hieronymus, non enim sunt obscura ipsius verba, sed illustria, Ep. 152. ad Minerium & Alexandrum: *Meum est*, inquit, *propositum, antiquos legere, probare singula, retinere quæ bona sunt, & à fide Ecclesiæ Catholicæ non recedere.* Adhuc in Commentariis super Psalmos, si modò sint Hieronymi, sicut ei à Ruperto tribuuntur: ibi in Psal. 98. hoc ipsum quasi Axioma inter Christianos vulgatum ratúmque decernit, *Omne quod loquimur*, inquit, *debemus affirmare de Scripturis Sanctis: cùm non habeat tantam authoritatem sermo dicentis quantam Domini præceptum.* Et in Psal. 86. *Exceptis Apostolis, quodcunque aliud postea dicitur abscindatur, non habeat postea authoritatem; quamvìs ergò Sanctus sit aliquis post Apostolos, quamvìs disertus sit, non habeat authoritatem:* verba sunt & luculentiora & vehementiora quàm ut post recitationem admonitione multâ egeant. Locus postremus assignetur Augustino, non quia cæteris postponendus, sed quia testis cæteris locupletior. Inprimis, con. Faustum, l. 11. c. 5. *Id genus literarum à nobis non cum credendi necessitate, sed cum judicandi libertate, legendum est*, &c. Et mox, *In Doctorum opusculis licèt eadem inveniatur quæ in Sacris Literis veritas, longè tamen est impar authoritas; quia in his liberum habet lector auditórve judicium, quo vel approbet quod placuerit, vel improbet quod offenderit; neque reprehenditur qui credere noluerit; si ex illa Canonica authoritate non defendantur*, &c. Idem Ep. 19. ad Hieronymum, *Ego fateor Charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris qui jam Canonici appellantur didici hunc honorem deferre, ut nullum eorum authorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam: alios autem ità lego, ut quantâlibet sanctitate doctrinâque præpolleant, non ideo verum putem quia ipsi ità senserunt, sed quia mihi, vel per illos authores Canonicos, vel probabili ratione,*

persuadere potuerunt. Et Ep. 112. ad Paulinam, *Quod Divinarum Scripturarum perspicuâ firmatur authoritate, sine ulla dubitatione credendum est: aliis verò testibus vel testimoniis tibi credere vel non credere liceat, quantum ex momenti ad faciendam fidem vel habere vel non habere perpenderis.* Et ad Fortunatum Sunensem Episcopum, *Neque enim*, inquit, *quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum & laudatorum virorum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salvâ honorificentiâ quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis respuere, si fortè invenerimus quòd aliter senserint quàm veritas habet: talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.* Postremò, & istis attexere possumus quamplurima ad hoc ipsum spectantia, ex c. 18. l. De grat. & lib. arb. ex c. 33. l. 2. De nuptiis & concupiscentia; ex c. 3. De unitate Ecclesiæ, con. epist. Petiliani; ex c. 14. l. 3. Contra Maxentium; ex c. 1. l. 2. Contra Donatistas; & ex Ep. 19. in qua adversus Hieronymum contendit de reprehensione Petri ex 2° ad Galatas. In quibus omnibus tam multus & manifestus est, ut videatur & solus & solam hanc quæ præ manibus est causam peregisse. Quòd si nostri instituti esset, his ità adapertis prioris seculi claustris, Papistarum jam postica pulsare; nihil esset negotii etiam è Veteribus Pontificiis hujus generis quamplurima σωχυολογεῖν· sed nolo me huic pelago committere; non quòd sit extra causam, sed quia extra propositum. Sufficiat quasi ex diverticulo, ex quatuor tantummodo è vetustioribus, qui propiùs ad Patrum confinia accedebant, hoc indicare. Inter hos nulli secundus est Rupertus, l. 7. in Matth. *Quicquid dicat quis*, inquit Rupertus, *conferendum est cum Scripturis, quas non ab homine, neque per hominem, sed à Spiritu Sancto acceperunt homines sancti:* & in librum Regum commentariorum l. 3. *Totum cæleste oraculum in duobus ità continetur Testamentis, ut extra hæc audire neque hominem nobis liceat neque angelum.* Ruperto astipulatur Lyranus, Prol. 1. in Biblia. *Sicut*, inquit, *in philosophia veritas cognoscitur per reductionem ad prima principia per se nota: ità & in scripturis à Sanctis Doctoribus traditis, veritas cognoscitur, quantum ad ea quæ sunt fide tenenda, per reductionem ad Scripturas Canonicas, quæ sunt habitæ divinâ revelatione, cui nullo modo potest falsum subesse.* Lyrano proximus est Aquinas, qui præterquam quòd in prima parte Summæ, qu. 1. art. 8. disertè asserat, *fidem nostram niti revelationi, Prophetis & Apostolis, non aliis Doctoribus:* in quæstionibus disputatis disertiùs multò se explicat; loco 4. quæst. 14. quæ est De Fide, art. 10. resp. ad argum. 11: *Prophetis & Apostolis credimus ex hoc, quòd eis Dominus testimonium perhibuit: successoribus autem eorum non credimus, nisi in quantum nobis annuntiant ea quæ illi in scriptis reliquerunt.* Novissimus est J. Gerson, in tractatu De examinatione doctrinarum; qui postquam in parte 1. Consid. quintâ dixisset, *plus tribuendum esse authoritati alicujus simplicis, & non authorizati, excellenter in Sacris Scripturis eruditi, quàm declarationi Papæ:* tandem in Consider. 1ª partis 2æ ad vivum resecat hoc quod nos nunc agimus; non quidem verbis venustis, sed admodum dilucidis. *Attendendum est*, inquit, *in examinatione doctrinarum, primò & principaliter, si doctrina sit conformis Sacræ Scripturæ, tam in se, quàm in modi traditione. Declaratur authoritate B. Dionysii dicentis, nihil audendum dicere de Divinis nisi quæ nobis à Scriptura Sacra tradita sunt; cujus ratio est, quia Scriptura nobis tradita est tanquam regula sufficiens & intelligibilis, pro regimine totius Ecclesiastici corporis & membrorum usque in finem seculi. Est igitur talis ars, talis regula vel exemplar, cui se non conformans alia doctrina, vel abjicienda est ut hæreticalis & suspecta, vel impertinens ad religionem prorsus est habenda.* Hæc post Aquinatem, Lyranum & Rupertum, Gersonus; ut illis

illis ostenderet; omnia quæ ab aliquo dicuntur, quicunque tandem ille sit, exigi ad Scripturam debere, & huic per omnia regulæ conformari. Ex quibus omnibus computatis, præter illa sublimia themata quæ Scripturarum præconia celebrant, hæ subalternatæ Conclusiones oriuntur.

Prima est, Patres nolle sibi suisque scriptis simpliciter credi, sed tantùm quatenus Scripturæ Sacræ consentiunt. *Non æquum est nos attendere hominibus*; *Non moramur testimonium ab hominibus*, inquit Clemens. *Non ex se, sed ex Scripturis loquantur*; *Non sua, sed Divina testimonia proferant*, Origenes. *Sine his testibus non loquendum*; *sine his testibus claudicat Auditorum cogitatio*, Chrysost. *Quicquid post ipsas dicitur, non habet authoritatem, et non est attendendum*, Cyprianus. *Non ideo verum quia ipsi dicunt, sed quia Scripturarum authoritate firmatur*, Augustinus. Hæc prima Conclusio.

Secunda, Patres velle scripta sua examinari ad Sacri Canonis normam. *Attendendum est*, inquit Gerson, *si sint conformia Sacræ Scripturæ*. *Reducenda sunt ad Scripturas ut ad prima principia*, Lyranus. *Quicquid dicunt, conferendum est cum Scripturis*, Rupertus. *Explorare oportet & expendere ad Scripturas*, Basilius. *Ex Scripturis solis examinationis discretio petenda est*, Origenes. Hæc secunda.

Tertia est, Patres docere, liberum esse cuivis, sive lectori sive auditori, de ipsorum scriptis judicare, & prout Scripturis respondeant, vel amplecti, vel reprehendere. *Quod Scripturis est consentaneum, admitte*; *quod alienum, fuge*, inquit Basilius. *Si ex Scripturis loquantur, annue*; *sin minùs, relinque*, Chrysost. *Tuum est legere, & probare, & retinere quod bonum*; *quod secùs abscindere*, Hieronymus. *Liberum habet lector judicium*; *vel credere licet, vel non credere, prout inveneris: legendi sunt cum libertate vel approbandi quod placuerit, vel improbandi quod offenderit*, Augustinus. *Non credimus iis, nisi in quantum ex Scripturis annuntiant*, Aquinas. *Doctrina eorum est abjicienda & hæreticalis, nisi Scripturis conformetur*, Gerson. Rogo, ecquid potest esse clarius? ecquis est qui dubitare queat, tam de se quàm de aliis, tam de suis quàm de aliorum scriptis hanc antiquorum fuisse sententiam? Quòd si non ambobus oculis legerem, fortasse dubitarem: at cùm hoc toties scriptum, toties repetitum invenio, ausim affirmare, vix librum quemvis evolvi posse in quo non sæpius statuunt hos terminos & suæ & aliorum authoritati; neque hos terminos unquam aut rupit aut transiliit ipsorum summa eruditio, majórque pietas. Hoc modo se humilitatis peritissimos præstiterunt magistros, dicam, an discipulos? sua singula in Scripturæ honorem & devovendo, & abnegando: callebant nimirum Bernardi illam, ab eo postea traditam, regulam, antecapto cogitatu, *Diligendum esse Christum plusquam sua, plusquam suos, plusquam se*; imò magìs illam Salvatoris, Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & filios, & fratres, & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Scilicet hoc lacte enutriti, omnibus renuntiandum esse didicerunt in Sacræ Paginæ gratiam: & *Patribus*, h. e. Doctoribus qui antecesserant; & *fratribus*, h. e. coævis suis ac contemporaneis; & *filiis*, h. e. ingeniorum suorum puerperio; & *animis* suis, h. e. sententiis & opinionibus suis. Supra hanc illi nunquam vel minimam authoritatis particulam sibi vel arrogabant vel ambiebant, nisi ut cum judicio scripta sua legantur, & ad Scripturæ normam examinentur. Neque solùm hoc passi sunt, sed graviter & seriò ad hoc ipsum sunt exhortati; iique ipsi qui inter istas stellas erant primæ magnitudinis, Basilius, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, cæteríque suprà nominati: & præter hos, fortasse alios, tam Græcos quàm Latinos, in medium proferre possumus. Sed reprimo me, & quia Pontificii, qui in argumentis aliis magnâ

pompâ solent Patres inducere, in hoc nè unum ostendere possunt, qui ex Scripturis Patrum dicta esse examinanda negarit; & quia vos vereor hanc sermonis copiam perferre vix posse, cùm eadem audiatis sæpius ex diversis authoribus repetita; atque postremò, quia ex his quæ dicta sunt conspicua satìs evadit Propositio, cùm ex his de cæteris non sit difficile judicium ferre: propterea longiori Catalogo supersedendum puto, nam ex hoc specimine satìs elucescit quæ ipsorum erat de se aliísq; verecunda sententia. Quâ positâ, manifestum est, honorem debitum Orthodoxos ipsis deferre, dum eis tantum tribuunt & quantum per Deum licet, & quantum ipsi sibi suísque scriptis tribui volunt; sive de se solis, sive de symmistis suis sigillatim, sive de omnium universitate loquantur. Atque de Regulis ad Sanctorum Patrum lectionem cognitu necessariis hæc dixisse sufficiat: neque enim habet ultrà quò progrediatur hæc de Regulis disputatio. Est hæc postremæ Regulæ postrema clausula, De quibuscunque dictis Patrum ad Scripturarum tribunal sistendis. Ad hanc donec deventum fuerit, non habet lectoris animus in quo conquiescat; ad hanc cùm deventum sit, equidem non opus est ut aliam ansam exspectem quiescendi.

LECTIO XLVII.

QUòd libro Regum primo, capite secundo, dormiisse S. Davidem legimus cum patribus suis; non deerant inter indoctos & imperitos plurimi qui illud ad animæ somnum detorquebant; quorum error à Calvino plenissimè refellitur, & *Psychopannychias* quàm aptissimo titulo indicatur. At verò ego, Auditores, cùm nostram hanc de Patribus jamdudum inchoatam, & sæpiuscule temporis tyrannide intercisam, disputationem cogito, non video quò minùs defendi possit atque astrui, quamvìs sensu alio, prædamnata toties à sanctissimo viro *psychopannychia*. Hoc sæpius antiqui Doctores, hoc sæpius Sacra Pagina testatur, quando animæ in corpore torporem ὕπνον ἀλληγορεῖ, ut Clemens loquitur; & *quis nescit*, inquit August. in Psal. 62. *quòd animæ somnus in corpore sit oblivisci Deum suum?* addo, etiam & oblivisci institutum suum; neque oblivisci solùm, sed vel paulisper interquiescere: sin minùs, dic sodes, quo alio vocabulo hæc diuturna Curiæ taciturnitas sit appellanda. Silentium tu illud vocas? ego Somnum; tu muta subsellia? ego consopita; tu tacuisse me dicas trimestri hoc spatio? ego me veriùs *dormitasse* existimo *cum Patribus*, si fas sit dicere, *meis*. Quod de se Sponsa in Canticis, *Ego dormio, sed cor meum vigilat:* hoc mihi contrà contigit, nam vigilasse me sentio corpore, at animâ altiùs obdormivisse, quantumcunque sit temporis quo à vobis absuerim. Interea non mentior si dixero per somnum me vobiscum aliquoties locutum esse, atque divulsum corpore propensi pectoris oculis præsentiam vestram compluscule perlustrasse: sed parùm hoc fuit depereunti; sufficere poterat officio, non muneri. Ad aures nunc tandem oculósque vestros deventum est, ut possim vobis ex toto perfrui, & ipsius muneris reliquum iter conficere. Quocirca & somni & silentii claustris jam reseratis, ad nova studia novósq; labores alacres invigilemus; & quia quæcunque ad terminos regulásque in Patrum scriptis legendis pertinent pertractavimus, ad extremam hujus argumenti lineam, & quasi fimbriam, nos nunc accingamus,

Strom. l. 5.

Cant. 5. 2.

accingamus, ut quæ sit Sanctorum Patrum in fidei controversiis authoritas, quódque pondus Antiquitatis, videamus. Agnosco viam perplexam, & Adversariæ partis jurgiis implicatam, qui suo solenni more, contumeliis non paucis Orthodoxos gravant, & quòd Sanctos Patres negent honore ullo afficiendos, & quòd eosdem insuper contumeliis afficiant. Sint igitur duæ ordinis partes, Una De Calumniis, altera De ipsa Doctrina. In utraque parte sudandum est, ut & illâ maledicendi κακοήθειαν reprimere, & hâc honori debito Sanctorum Patrum consulere possimus.

Exordior à parte prima, à missilibus probris quæ in nos jaculantur: quæ quia & multa sunt & peracuta, utrinque est prospiciendum; & Unde mittantur, & Quomodo depellantur. Hæc duo primæ sint partis Capita, Telorum contra nos Missio, eorúmque Depulsio.

Quod ad Missionem spectat, mirari satis non possum quàm sint inverecundi & liberales, quantámque sibi ad unum omnes concedant licentiam loquendi quæ velint. Reliquorum Antesignanus Waldensis, to. 1. Doctrinalis, c. 25. fol. 109. ubi de Joanne Wiclevo hæc verba habet, *Doctores singulos citra Christum sub uno damnat involucro:* & parte 3. c. 1. *Præter Scripturam nihil recipit, Veterum ac Neotericorum scripta contemnit*; quod ipsum de Albigensibus repetitum dat, nè semel non sufficeret dixisse. Post Waldensem subsequitur Cardinalis Hosius, l. 3. De authorit. Sacræ Scripturæ: *Lutherani Ecclesiæ sensum & consensum pro nihilo ducunt; nullas Patrum interpretationes admittunt, sed quem ipsi sensum afferunt, eum obtinere volunt.* Post eum Stapletonus, c. 15. l. 7. Controvers. 3. *Protestantes levissimas ob causas gravissimam Patrum authoritatem respuunt; aliquando etiam criminantur.* Post hunc Cornelius Scultingius, in Epist. ad Gregor. 13. *Proh dolor!* inquit, *eò dementiæ venerunt excæcati hæretici, ut omni studio universam antiquitatem, gravissimos Ecclesiæ Doctores in contemptum adducere moliantur, séque in illorum locum substituere.* Huic succedit Hieron. Torrensis, in Præfat. Confess. Augustinianæ; *Sectarii, cùm honorem nullum aut certè perexiguum Patribus deferant, eosdémque uno nomine omnes nihil nisi homines, fallacésque sæpe homines videri velint; unum ferè semper Augustinum excipiunt, & honorant maximè.* Quid dicam de Petro Canisio? Audiamus eum, in Epist. Dedicatoria ante librum Andreæ Vegæ De Justificatione, sic loquentem; *In Patres*, inquit, *novæ doctrinæ Ministri petulanter insurgunt, eósque verbis contumeliæ plenis insectantur; & quod stultè his detrahunt, sibi demum stultiùs arrogant:* & adhuc, *Apud Sectarios nihil contemptius est Patribus, quorum vita, doctrina, mors, in conspectu totius Ecclesiæ non potest non pretiosa videri.* Eheu quàm sanctè & è pistrino! Ejusdem farinæ sunt quæ Melchior Canus in Locis suis contra nos vibrat, *Protestantes nihil habere cum Patribus commercii:* Quæ Salmeron, lib. 1. in Epist. Pauli, part. 1. disp. 19. *in veteres Patres nos contumeliosos exsistere, eorum sensus elevare & flocci facere; proprios, quamvis blasphemos, admirari:* Quæ Bellarm. l. 1. de Christo, c. 10. Ar. 1. & l. 4. De Eucharist. c. 26. Ar. 1. *Nos parùm aut nihil Patribus tribuere, ad solum nos Dei Verbum provocare, Patribus omnibus contemptis; cùm testimonia Patrum negare non possumus, nos passim vertere ad blasphemias*, Bell. De verbo Dei, c. 11. Art. ult. Hæc raptim sunt ea convitiorum quibus nos onerant stillicidia, dum linguarum flagella extendunt; atque sibiipsis optimè consultum putant, si in nos falsum crimen jecerint; atque hoc dum faciunt, vix credibile est quanto se plausu prosequuntur: quod Asiæ Proconsulem sub Augusto fecisse refert Seneca; cùm trecentos uno die securi percussos cognosceret, clamavit ilico, *O rem regiam!* Cui similis & compar Hannibal, *O formosum*, inquit, *spectaculum!* cùm fossam

in Præfat. Confess. Hieronymianæ.

l. 2. de Ira, c. 5.

humano

humano sanguine plenam videret. Talis est via linguæ maledictæ, Petulantias dictorum profundit, & *tergens os suum, dicit, Non sum operatus iniquitatem*, Pro.30.20. Quòd si hæc à nobis aut esse aut fuisse commissa tabulis docere possent, non puderet quidem ad receptum nimìs pertinacis sententiæ nos ultrò accingere: at cùm contra insontes proferantur, cúmque sint, ut poeta loquitur, & *nigræ succus loliginis*, & *ærugo mera*; age, inscribamus ipsis sua puncta, & stigmata delatoribus debita. De nostris non dubito, quin quòd eos veritas ipsa plùs satìs tuebitur. Et potui quidem hac in re ad modestiores è gregalibus suis provocare; neque enim nulli sunt qui confitentur, magno apud nos antiquos Doctores in honore esse & pretio. Id S. Senensis fatetur in præfatione lib. 5. *Hæretici S. Patrum testimonio convicti, incorruptam fidei nostræ integritatem oppugnant.* Id ipse Scultingius, in Confessione quam edidit Hieronymiana; *Ex adversariis*, inquit, *plerique qui moderatioris sunt ingenii Veterum authoritatem non aspernantur, sed eorum judicia magni faciunt, nisi quòd eos præjudicio evolvant.* Hem, quanto spatio distant hæc Scultingii & Senensis verba à Cani & Bellarmini & Salmeronis dictis! *Nihil habent cum Patribus commercii*, inquit Canus; *Tegunt se Patrum testimoniis*, Senensis: *Patres contemnunt*, inquit Bellarminus; *Flocci pendunt*, Salmeron; *Non aspernantur, sed magni faciunt*, Scultingius. Quid argumentis opus est, cùm inter se criminatores non conveniunt? adeò necesse est ut aut seipsos coarguant, aut nostros absolvant. Atque esset hæc quidem amplissima purgatio; sed advocationis viam aliam, eámque pleniorem, à Demosthene didici. In Orat. De Corona, sic ille conatur Æschinis convitia eluere; *Quòd ad vitæ meæ criminationem attinet, Judices, videte* ὡς ἁπλᾶ καὶ δίκαια λέγω, *quàm simpliciter justéq; respondeam. Si ea quæ accusator tragicè vociferando recensuit vera essent, neque dignas, neque dignis proximas de me sumere pœnas ullo modo respublica posset: at si facultate suâ ad explendam odii atque invidiæ acerbitatem abusus est, oportet ut & isti nec in aliis credatis, & mihi quam in omnibus benevolentiam ostendistis etiam nunc quoque exhibeatis. Ad te verò quod spectat, etsi veterator es, Æschine, in eo tamen deceptus es, quòd me factorum meorum omissâ commemoratione ad maledicta tua venturum existimaveris. Non sanè id faciam, non ità insanio: verùm priùs acta mea sententiámque indicabo, & tum demum tuæ tam effusæ petulantiæ mentionem faciam.* Hæc contra Æschinem Græcorum Oratorum princeps Demosthenes. Iisdem & mihi vestigiis est incedendum, ut quia falsissima sunt quæ in nos vibrant Pontificii opprobria, idcirco bimembre statuendum est patrocinium nostrum; cujus prima pars erit Defensio innocentiæ nostræ, Depulsio calumniarum quas ubique cudunt Adversarii, altera. Iter longum, fateor, sed devoremus tamen hanc molestiam: si nihil aliud, at hoc saltem efficiam, ut os loquentium mendacia obstruatur.

Horat. l. 1. Sat. 4.

Quod ad Defensionem innocentiæ nostræ pertinet, quæ prima est pars patrocinii, ecce palàm & multoties profitemur, luminaria magna post Apostolos stellásque primæ magnitudinis S. Patres fuisse, καὶ πεϱσάτας τῆς ἀληθείας, ut in Apologet. Nazian. loquitur; qui mundum Dei notitiâ repleverunt, Ecclesiam doctrinæ sanioris fontibus rigarunt, & infidelium turbam, retia salutis expandentes, disciplinæ Christi subjecerunt; viri adeò in omni eruditione & sanctitate egregii, ut sine summa utriusque injuria eorum scripta negligi non possunt, nedum despici; adeò omni virtute & pietate celebres, ut si omnia laudis cognomina in unum fasciculum colligarem, infrà essent, atque vobis viderer grandia minutè dixisse. *Spiritûs Sancti sonoram lyram* Ephræmum Syrum appellat Theodoretus: in reliquos quadrat. *Fistulam aquæ vivæ, venam fontis æterni*, Sanctum Augustinum Paulinus: ea est laus omnium.

Ep. 1. ad August.

omnium. Sanctum Athanasium Greg. Nazianzenus μεγάλην σάλπιγγα τῆς ἀληθείας· Sanctum Basilium Greg. Nyssenus τὸ τῶν δογμάτων χρυσοῦν ἀηδόνα. Sit idem honos omnium; nam & *veritatis tuba* erant, & *aureæ doctrinæ salutaris lusciniæ*. Quid igitur? an sumus nos in Sanctos Patres injurii, qui has corollas teximus? Ità quidem, è vobis unus aut alter; imò universi. Cedo è nostris aliquem qui refragatur. Vultis me nubem testium introducere, & scriptorum nostrorum componere Catalogum? Esto, quia res postulat, non refugio; nam alioqui vix plena erit propugnatio sententiæ nostræ, nisi suis verbis singulos audiatis loquentes, quàm honorificè de Sanctis Patribus senserint. Ut verò distinctiùs agam, in duas Classes eorum testimonia sunt dividenda, ut in una habeatis Confessiones hominum, in altera Confessiones Ecclesiarum.

Confessiones hominum prima Classis continet. Deus bone, quanta frequentia! Primus erit Joannes Wicklevus, quia in eum inprimis actionem perduellionis Waldensis intendit: atque ipse in lib. De veritate Scripturæ quis sit suus de Patribus sensus apertissimè ostendit, p. 78. juxta editionem Jamesii; *Devoti studentis*, inquit, *virtuosa dispositio in tribus consistit: primò, in authoritatis Scripturæ humili acceptatione; secundò, in sui & rationis conformatione; tertiò, in Sanctorum Doctorum testificatione*. Hæc ille: in istis quid habent Pontificii quod objiciant contra hominem Sanctorum Doctorum testimoniis devotè se addicentem? Atque nè casu aut semel id ipsi excidisse dicerent, sententiam iterum instaurat, p. 456. *Theologi debent completiùs Doctores cognoscere, propter videnda completa eorum originalia, & radices rationum quas eliciunt ex Scriptura*. Ad hæc quid Waldensis? Num hæc illius sunt verba qui Doctores singulos damnat, qui Veterum scripta contemnit? Enimvero Scripturis Sacris primatum dare non dubitat, atque hoc sæpius profitetur: *Omnis*, inquit, *disputatio quæ in ipsis non habet originem est profana*; &, *Non debet credi creaturæ, nisi de quanto loquitur conformiter ad Scripturam*; &, *Doctores non sunt de capitulo eorum de quibus sequitur, Ipsi sic asserunt, igitur verum*; &, *Allegando alios extra authores Scripturæ, non allegamus eos ut authores dantes probationem per locum à fide; sed per locum topicum, à testimonio humano*. Quòd si hoc sit Patres damnare & contemnere, eis omnibus Spiritum Sanctum anteferre, & audaciæ reus est Wicklevus & sacrilegii; non diffitemur.

Post Wicklevum secundas teneat Lutherus, quem Pontificii non semel mordaci sale perstringunt, velut hominem maledicum, & in omnem venerandam antiquitatem blasphemum, in Cyprianum, Basilium, Hieronymum, ipsum Augustinum, quem non? Harum rerum testem producit Joannem Aurifabrum in Confessione sua Ambrosiana Joannes Nopelius, qui se Lutherum domi, privatim, apud suos, putida quædam de Patribus pronuntiasse refert. Fides numinum! Quâ probabilitate, *domi*, *privatim*, *apud suos*? *Nullum est tam impudens mendacium quod teste careat*, ut inquit Plinius. Scilicet tam timidi & pusilli animi Lutherus erat, ut mussitare clanculùm & in angulis maluerit quæ mandare scriptis verebatur? Mittamus hæc incerta quæ *domi* dixerit, *apud suos*: videamus quàm honestè & splendidè in scriptis suis, coram omnibus, in publico mundi theatro, de Patribus loquatur. In Commentariis suis super Gen. 35. hæc habet verba; *Hæc ex Patribus repetenda putavi, nè videamur eorum scripta prorsus abjecisse: non enim negligenda sunt, sed legenda cum judicio*. Mitto locos alios, eósque non paucos, ubi *viros doctos & sanctos* appellat. Accipitote unum illustriorem cæteris, quem Roffensis ipse proponit, in l. Adversus Lutherum. Postquam nonnulla præfatus esset de debilitate testimonii humani, tum demum subjungit, l. 8. c. 12.

Non

Non tamen per hæc volo Sanctis Patribus detractam authoritatem, & ingratitudinem pro sanctis eorum laboribus repensam; sed libertatem Spiritûs & majestatem verbi Dei illis præpositam. Audin', Mome? Non suam eis detrahit authoritatem, nè ingratus videretur; *sanctos* viros vocat, & eorum labores *sancta opuscula*: hoc tantùm exoptat, ut Sacra Pagina antecellat. Hoc impetu ductus, quis mirabitur si homo acrior nimiúsque animi in verba effervescentia aliquando prorumpat, flagranti zelo Scripturarum? *Nemo mihi opponat Sancti cujusvis authoritatem, nisi Scripturis munitam; Augustini & Ambrosii dicta non sunt Articuli fidei; Si Dei verbum mecum faciat, nil curo si mille Augustini, mille Cypriani contra me starent.* Calentis animi scintillas in istis agnosco: Sanctorum Patrum injuriam aut contumeliam nè Lynceus ipse cernere possit. Quocirca pergam ad reliquos, Philippum, Calvinum, Bezam, Juellum, Whitakerum, Chemnitium, unius labii populum hac in re omnes. Phil. Melanchthonis verba habemus apertissima in l. De Ecclesia; *De Ecclesia bene meriti sunt*, inquit, *Ecclesiastici scriptores, præsertim quatenus sunt testes veteris & primæ Ecclesiæ Apostolorum.* Et in Præfat. Locorũ Communiũ, *Illud sine controversia certum est, doctrinam nostram esse Prophetarum & Apostolorum, & illorum etiam Doctorum qui antiquiores & puriores sunt, utpote qui Apostolos proximè subsecuti sunt, viz. Irenæi, Basilii, Ambrosii & Augustini.* Et in Declamatione de S. Augustino, *Meritò Augustinum amare debemus, qui cælestem doctrinæ thesaurum præcipuè conservavit; debetur ipsi gratia, quòd literis mandaverit veram interpretationem, ut posteritatem admoneret. Ornatus est Augustinus miraculis quibusdam, expulit dæmones, & quosdam ægrotos sanavit: sed hæc sunt longè præstantiora miracula, successus in gubernatione, judicii rectitudo, fidei constantia.* Hæc ille de S. Augustino. Neque absimile est quod Calvinus de omnibus, in epist. ad Franciscum Galliarum Regem; *Calumniosè*, inquit, *nobis Patres opponunt, ac si haberent eos suæ impietatis suffragatores, quorum authoritate si dirimendum certamen esset, melior victoriæ pars (ut modestissimè etiam loquar) ad nos inclinaret.* Et paulò pòst, *Improbis clamoribus nos obruunt, ceu Patrum contemptores & adversarios. Nos verò adeò illos non contemnimus, ut si id præsentis instituti esset, nullo negotio mihi liceat meliorem eorum partem quæ hodie à nobis dicuntur ipsorum suffragiis comprobare. Sic tamen in eorum scriptis versamur, ut semper meminerimus omnia nostra esse quæ nobis serviant, non dominentur; nos autem unius Christi, cui per omnia sine exceptione parendum sit.* Obsecro, ecquid in istis occurrit insolens aut indecorum de antiquis Doctoribus? Ergò rumpantur qui Calvinum insimulant. Vox eadem Theod. Bezæ, in Tractatu De pace Ecclesiæ; *Orthodoxorum consensum in Synodis plurimi fieri par est; & Patrum in interpretandis Scripturis, refellendis erroribus, admonendis populis, labores adeò non contemni oportet, ut secundo à Scripturis loco meritò habeantur.* Eadem Juelli nostri, felicis memoriæ, in illa adversus Hardingum responsione; *Patribus ea apud nos constat authoritas quam ipsi semper voluerunt, eâ apud nos fide sunt quâ esse debent. Imò verò in hac Sacrarum Literarum dijudicatione opus est nobis sapientiâ & prudentiâ Sanctorum Patrum. Verùm majorem iis in hoc negotio fidem habere non oportet quàm æquum est, aut etiam quàm ipsi (si sibi id ultro deferretur) acciperent. Reverenter de his dicamus licet, quod in simili causa olim Seneca, Non sunt domini, sed duces nostri; non sunt ipsa Dei veritas, sed veritatis testes.* Eadem Martini Buceri, in Psal. 1. ubi hæc de se profitetur; *Ego sic vera atque ex Scripturis deprompta dicere proposui, ut ab Ecclesiæ consensu nihil, à Sanctorum Patrum sententiis quàm minimum variem.* Et rursus, *Sic recepta ab Ecclesiis & scripta à Patribus sectari, nè his Scripturarum*

Lutherus cont. Regem Angl.

Præfat. Confess. Ambrosiana.

Torrensis in præfat. Confess. Augustin.

in Præfat. Institut.

p. 33, & 63.

Scripturarum authoritatem posthabeam. Et rursus, in eundem Psalmum, *Et candor, & consensûs studium, sicut omnibus debetur, ità iis præcipuè quos multis jam seculis & sapientiæ & sanctimoniæ nominibus totus ferè Orbis suspexit & veneratus est.* Eadem Chemnitii in Examine, sæpiúsque repetita, parte quartâ, pag. 108. *Fuere Patres viri erud.tione & pietate præstantes, & de Ecclesia optimè meriti.* Et parte primâ, p. 39. *Amamus & veneramur veteris & purioris Ecclesiæ testimonia, cujus consensu & adjuvamur & confirmamur: fidem verò oportet niti Verbo Dei, non humanâ authoritate; ideo Patrum testimonia non præponimus, sed subjungimus Scripturæ.* Et paulò pòst, p. 58. *Grati etiam & reverenter utimur Patrum laboribus, qui multa Scripturæ loca Commentariis suis utiliter illustrarunt; & veteris Ecclesiæ testimoniis in vero & sano Scripturæ sensu nos non parùm confirmari fatemur: neque enim probamus si quis sibi comminiscatur sensum pugnantem cum tota antiquitate, & cujus planè nulla sint Ecclesiæ testimonia.* Postremò, & eadem est vox Whitakeri; nam quo te piaculo taceam, sanctum & doctum Caput? Tu patres ubique ad sidera evehis, & terrarum Orbem imples eorum præconiis. In responsione ad Campiani Rationem quintam, *Patres & magni facimus, & assiduè legimus, & cunctis accuratioris Theologiæ studiosis legendos proponimus; ità & scientiam nostram efficimus pleniorem, & sumus contra Adversarios armatiores:* & rursus, *Sanctorum Patrum libros ex omnibus mercaturis ad nos importandos curamus, eósque emimus, in omnibus privatis publicísque Bibliothecis servamus, in clarissimo lumine collocamus, ut non modo ex vultu, sed ex assidua consuetudine cognoscantur:* & paulò pòst. *Nihil hic volo de Patrum eximiis laudibus detractum, modò des fuisse homines, omnibus à te laudibus in cælos, quorum nunc cives sunt, efferri patior. Tantùm noli succensere, si iis tantisper assentiamur dum Scripturis adhærescunt:* denique & lib. 2. De authoritate Scripturæ, *Quis negat illustrium in Ecclesia virorum testimonia ad Scripturas dignoscendas valere plurimùm; præsertim eorum qui primis illis Ecclesiæ temporibus floruerunt, atque aut cum Apostolis vixerunt, aut proximi Apostolorum Successores fuerunt?* Quid plura? Annon ex istis satìs purgati sumus, satìs salvi? Imò verò ex istis potestis, Auditores, & criminationis eorum summam iniquitatem, & nostræ defensionis justissimam rationem perspicere. Sed ego coronidis loco unum tantummodo testimonium attexam, Jacobi Grynæi in Præfat. ad Orthodoxographa, quod facilè instar omnium esse possit: *Toto,* inquit, *cælo errant, & suam imprudentiam turpissimè prostituunt deridendam, qui ex contemptu Patrum laudem ingenii & acuminis venantur. Habent Patres suam laudem, minimè profectò vulgarem; habent dignatione Dei locum in Ecclesia & Scholis Christianis nequaquam aspernandum: sed cùm sint discipuli Christi & Apostolorum, non sunt cum unico Magistro Christo nec cum Apostolis conferendi. Annon hoc magnum præconium est, & esse & excellere præ cæteris donis Spiritûs Sancti in eo cœtu quem Christus acquisivit sanguine suo? Quid magìs ad eosdem ornandos facere poterat, quàm quod dicimus Patres Christi discipulos, auditores Apostolorum & aliorum piorum Doctorum, interpretes doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ, salutaria organa Ecclesiæ fuisse,* & quæ sequuntur? Ecquid augustius aut magnificentius? Hoc ipso consilio ad extrema prorogavi, ut possit in amplissimo elogio hæc prima pars consenescere. Quòd si ex istis junctim nova spicilegia excerpere pro tempore liceret, & de integro singula breviter & quasi per transennam intueri; nobis non ultrà

opus erit litem intendere, cùm res ipsa loquatur. Nam dicant velim Pontificii, si se ad Grammaticam revocari patiantur, quid ista sua portendunt; *Patres non admittunt Protestantes, non recipiunt, contemnunt, honorem perexiguum deferunt, parùm aut nihil iis tribuunt, pro nihilo ducunt, elevant, flocci pendunt, respuunt, criminantur, iis detrahunt, in eos insurgunt, damnant, insectantur, nihil ducunt contemptius, cum iis nihil habent commercii.* Dicant iterum, quid ista nostra significant; *Assiduè Patres legimus, amamus, veneramur, magni facimus, testes veritatis, duces nostros constituimus, in cœlos efferimus, in secundo à Scripturis loco ponimus, honoramus ut Christi discipulos, ut auditores Apostolorum, ut optimos Scripturæ interpretes, ut salutaria organa Ecclesiæ, ut optimè de Ecclesia meritos.* Quàm pessimè hæc quadrant? ut quod nobis est *amare*, illis est *insectari*; quod nobis *venerari, magni facere, legere, honorare, in cœlos efferre, in secundo à Scripturis loco ponere*, in ipsorum nomenclaturis est *respuere, elevare, damnare, criminari, detrahere, flocci facere, pro nihilo ducere.* O frontes! O quadruplatores! ut fucos faciunt, & somniant tragelaphos qui nusquam sunt! Ædepol, pudet sic missos facere, cum magis digna resalutatione ablegandos. Sed vestrî ratio habenda est, atque defensionis quæ superest partis alterius; ut post istas tam insignes Confessiones hominum, exhibeam vobis etiam Confessiones Ecclesiarum. Etenim hæc (nisi me memoria fallat) testimoniorum classis secunda est à me nuperrimè præfixa, quam properatim expediam; atque brevì sic habitote.

Est omnium confessio antiquissima Waldensium illa, ante duo ferme secula conscripta: in cap. 3. art. 4. juxta Lydii editionem, sic ipsi se explicant; *Quamvis dicta Sanctorum Doctorum post Apostolos non ad authoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam sunt acceptanda, tamen sententiæ eorum suscipiendæ sunt hic à viantibus, & admittendæ de quanto in ipsis Christus loquitur, & de quanto verè & directè fundari poterunt in Lege expressa Domini nostri Jesu Christi.* Hæc prima est.

Lydius tom. 2. Secundas tenet Confessio Baronum ac Nobilium regni Bohemiæ, Ferdinando sub anno Domini 1535. oblata: ubi hæc de Patribus præfantur, Art. 1. *Scripta Doctorum Ecclesiæ, præcipuè Veterum, itidem pro veris fideque dignis haberi; utiliáque esse ad instituendam plebem dicimus: sed tamen in quibus à Scripturis Divinis non dissident; sic enim & ipsi scripta sua teneri volunt, ut eatenus illis fides habeatur quatenus cum Divinis Scripturis conveniant.* Hæc vox Confessionis secundæ.

Huic succedat Helvetica, anno 1536. scripta. Sic autem loquuntur, Art. 2. *Non aspernamur Sanctorum Patrum Græcorum Latinorúmque interpretationes, neque reprobamus eorundem disputationes ac tractationes rerum sacrarum cum Scripturis consentientes: à quibus tamen recedimus modestè, quando aliena à Scripturis, aut contraria adferre deprehenduntur; nec putamus illis ullam à nobis hac re injuriam irrogari, cùm omnes uno ore nolint sua scripta æquari Canonicis, sed probare jubeant, & cum illis consentientia recipere, recedere verò à dissentientibus.* Hæc tertia.

Huic attexo Wirtenbergicam, capite De Scripturis Ecclesiasticis; *Veneramur*, inquiunt, *canitiem majorum nostrorum, qui jam indè ab initio revelati & propagati Evangelii susceperunt studium juvandæ Ecclesiæ non solùm vocali prædicatione, sed etiam Ecclesiasticis scriptis, ut habeat posteritas ab Apostolicis temporibus usque ad hæc tempora manifesta & certa piæ doctrinæ testimonia. Horum autem scripta sic amplectimur, quemadmodum & Sacra*

Sacra Scriptura permittit nobis humanâ authoritate uti, & sua ipsi scripta agnosci voluerunt. Hæc illi.

Postrema erit Theologorum Heidelbergensium, quam in editione alia ad verbum expressam reperio sub Bohemorum nomine: verba sunt hujusmodi; *Scripta Sanctorum Doctorum, Veterum* præsertim, pro veris & utilibus habenda docetur, eorúmque ad instituendum populum usum esse: sed in iis tantùm in quibus cum Sacra Scriptura consentiunt, aut non sunt contraria, & quatenus sanctæ Apostolicæ Ecclesiæ testimonium præstant, & de concordi consensu Veteris Ecclesiæ non recedunt.* Hanc ego confessionem postremam prudens posui, quia reliquas tempore subsequitur: & in ea acquiescendum esset, nisi quòd demirari vos putem, cur inter tot aliarum Ecclesiarum Archiva de Confessione Anglicana prorsus taceam. Nè verò vos lateat, hæc sit, si reposcitis, ratio, Quòd in Articulis nihil exsistit quod huic argumento conducat; & in Juelli Apologia, Ecclesiæ nostræ nomine scripta, quid occurrat omnes norunt. Deinde verò exstant & duæ aliæ antiquioris notæ, magísque à memoria nostra remotæ, tempore Edwardi sexti pro Ecclesia nostra in publicum evulgatæ à Theologo præstantissimo, Joanne Olde;* quarum una Confessio fidei, altera Apologia pro religione Edwardi sexti inscribitur, tam politè & nervosè scripta, adeóque Juelli genium redolens, ut ex ipsius officina prodiisse non dubitarem, nisi temporis computum contrarium evinceret: etenim prodiit anno 1554. De lingua non est necesse ut moneam, quòd utraque in nostra vernacula exarata est; propterea & à vobis hanc veniam postulo, ut utriusque mihi verba liceat idiomate nativo exscribere, quod & transmarinis scriptoribus est usitatissimum, & ab hujus loci institutis non multùm abhorret. Confessionis hæc sunt verba, pag.7.

Touching the Interpretation of the Scriptures, it must be expounded according to the Proprieties of the Tongues in which it was first written, and by diligent weighing of sayings that goe before and that follow after, with all the circumstances; as also according to other Places that are more plain, or like, or contrary: and where the Fathers, the Doctors of Holy Church have interpreted the Scriptures after this manner, and have in no wise blanched or swerved from this Rule; there we do with heart and good will acknowledge and take them for faithful and diligent Interpreters of the Scripture, and Honourable Instruments of the Holy Ghost, whose painful Labours and Industries our Lord God hath used in the Church, to the glory of his own Name, and profit of his faithful Flock; and therefore we not onely reverence them, but think not well of such men as have them in contempt. O quàm præclarè, quàm orthodoxè! nisi quod in libro altero Apologetico seipsum excedat. Accipitote verba capitis quinti. **In this case we do in no wise reject nor contemn the Disputations, Reasons and Expositions of the holy Fathers; I mean, the ancient old Bishops and Doctors of the Church, as** Irenæus, Origen, Chrysostom, Ambrose, Augustine, **and such other like; so their Expositions and Judgements vary in no point from the Rules of the Apostles.** Et cap.15. **We honour them as the holy Scripture teacheth us to honour them; we judge honourably of them, as it becometh us to judge of God's Elect; we thank God for**

for their Faith and Doctrine, and we pray that we may attain to their Company; we love them as Brethren, we praise them as Teachers and Examples of Faith; we defend them against Railers and wicked wretches, as faithful Persons and worthy of eternal Glory; we acknowledge them as dear Friends and Brethren of the Son of God; we preach of them as of the excellent Instruments of God, by whom he hath wrought both our Salvation, and wonderful weighty great matters beside: & quæ sequuntur.

Istis quid adjici possit in honorem Patrum non video; nisi hoc fortasse, ut tot Ecclesiarum loco distantium, calamo doctrinâque consentientium, harmoniam taciti attonitíque miremur. Non ex composito rem tractabant, nulla intercessit decisionum aut definitionum communicatio: & videsis, qui locis maximè distabant, quàm feliciter congruebant sententiis; idem dicunt, idem sentiunt, eundem. & omnes & singuli honorem Patribus deferunt. Revera de illis dicere possumus quod D. Chrysostomus de quatuor Evangelistis. *Sufficiebat*, inquit, *unus: sed cùm quatuor sint qui Evangelia scribant, nec iisdem certè temporibus, aut in iisdem locis, neque pariter congregati, neque mutuò colloquentes, & tamen quasi uno ore pronuntient; est hoc sine dubio* μεγίστη τῆς ἀληθείας ἀπόδειξις, *grande veritatis documentum.* Ergò eant Pontificii, & coaxent nos Patrum contemptores, securos, perduelles: si ista tot Ecclesiarum tam præclara marmora non satisfaciant, revera quod mulier ad Cæsarem, *provocare se à Cæsare dormiente ad Cæsarem experrectum*; & quod ad Alexandrum alter nescio quis, *provocare se ab Alexandro irato ad Alexandrum patatum*; eodem modo & nobis liceat vel hoc unum saltem ab Adversariis impetrare, ut tandem dicere velint sobriâ & sincerâ fide, annon nos omnia bona prædicare de Patribus soleamus, & laudare labores; ut pro nobis respondeat innocentia nostra in die crastino: sin minùs, ex S. Cyrilli Moralibus discant quid sibi velit hæc de Luto & Columba fabula, in Apologorum lib. 2. cap. 3. Columba pennali bysso operta, sparsis sursum pennis, gemmantibus oculis, incessu gravi, pede simplici, alisque collectis, ad aquarum ibat: sed cùm cœnosum lutum intus latitans aridæ faciem mentiretur, in ipsum impegit; cujus spurcitie mox respersa nitidum corpusculum defœdavit. Tunc Lutum hujus rei eventu risum extollens, quippe gaudens quòd malè fecisset, exsultánsque in rebus pessimis, ità illam affatur; *Quomodo obscuratæ sunt pennæ, mutatus est color optimus, & fœda facta est pulchritudo tanta?* Columba respondit, *Nimirum quia in te impegi; dicas autem, tu quis es? Ego*, inquit, *sum cænum & lutum. Equidem verum est*, inquit Columba, *quia si cœnum non fuisses, nequaquam à te maculam contraxissem: non enim nisi quod fœdum est fœdat, & quod immundum est contaminat. Utcunque nitor meus in substantia mea exsistens à me non recessit, fœtor autem tuus in te manet; quod enim fœdum nunc apparet in colore meo, id substantialiter est in tuo: quamobrem derisisti teipsum, ac contaminatu tuo me fœdando, me clarissimam ostendisti: & ego certè pergens ad lavacrum emundabor, tu verò semper maculatus eris, quia lutum esse dignosceris.* Mutato nomine de ipsis & nobis narratur fabula; videant ubi sit Columba, ubi Lutum: non reddo sensum, ipsi si possunt exquirant. Venenum serpens non impingit, nisi in se habeat; & omnis nocentia priùs in suo authore exsistit; piscis denigrans mare suum in se evomit nigrum: fœdissima est detractio quæ innocentiam lædit, sed

Hom. 1. in Matth.

ipsa

ipsa se magis lædit, nec purgatur. Ut hoc ostendam; vel ipsos Papistas magis hujus criminis reos, dies proxima exspectanda est. Ego in præsentiarum cum Demosthene, amputatâ parte fabulæ, conticesco.

LECTIO XLVIII.

IN solertissimo illo de Luto & Columba S. Cyrilli Apologo, quàm idoneum exitum Prælectio postrema invenerit, res est tam nuperæ notitiæ, ut otiosa jam esset opera memoriam vestram ad ipsius vel perfusoriam cogitationem excitare. In Luto Calumniatoris maledicum ingenium adumbravit Cyrillus; in Columba Innocentiæ imaginem expressit: appositè utrumque, siquidem ea est Maledicentiæ natura, ut cœno & sordibus quæcunque tangat inquinet, etiam ipsam quæ neminem lædit Innocentiam; ea effrænatæ linguæ intoleranda est audacia, ut in castissima nomina turpitudinis suæ spurcitiem evomere non vereatur, quamvis ipsa nil aliud sit quàm una & tota turpitudo. Sic Mephibosthethum Siba apud Davidem ambitûs postulavit, cùm ipse prædo fuerit: sic Stephanum Protomartyrem Judæi accusabant de blasphemia in Templum, ipsi intrepidè blasphemi in Deum. Similiter & Pontificiis solennius nihil est quàm nostros Scriptores convitiis incessere, velut homines supra modum & in Scripturas Sacras, & in Mysteria Religionis, & in ipsum Deum, & in Sanctos Dei Patrésque universos contumeliosos; cùm sibi tamen ea omnia quæ nobis falsò objectant faciendi liberam & impunitam arripiant licentiam. Quapropter consulendum inprimis censui & Religioni nostræ, cujus me servum Divina pietas esse voluit, & Theologis insuper nostris, quorum laboribus summa cum voluptate atque utilitate perfruor; ut utrosque pro virili mea tuear contra arietantium incursus. Neque erit opinor res ardua, utrinque & innocentiæ succurrere, & prætorquere collum calumniæ priusquam ad vos perveniat. Eorum primum est jam antea à me præstitum, quando ex Confessionibus multis & hominum & Ecclesiarum fusissimè demonstravi quem locum inter nos Patres obtineant, quantíque ipsorum scripta apud nos sint pretii: revera tanti, ut eorum ingenium acre, eximiam industriam, scientiam multifariam, subtile judicium, doctrinam profundam, labores sanctos, indefessum studium, pietatem admirabilem, ex animo agnoscamus, probemus, amemus, laudemus, suspiciamus, colamus, veneremur, imitemur; hoc uno tantùm interposito, ut Apostolis & Prophetis subjiciantur. Hæc defensionis pars prima fuit, Propugnatio innocentiæ, quæ, sicut Cyrilli Columba, aspergi potest maculis invidiæ, sed & facilè se mundare potest, omnémque labem abstergere.

Secunda jam nunc pars sequitur, quam Propulsationem calumniæ vocavi; ex qua efficiam ut innotescat quàm incautè in hoc, quod optimè callent, exprobrandi artificio Adversarii se gerant, dum iis nos molestiis gravant ex quibus se expedire non possunt, nisi fortasse laterem lavare

vare se posse putant, aut, quod majus est, Cyrilli Lutum, cujus ea est turpitudo ut purgationem non capiat, sed fœditatem suam semper dum egerit prodit, donec iis ipsis quas disseminat fæcibus suffocetur. Atque huic quidem labori libenter parsissem si vel hoc unum ab Adversariis impetrarem, ut nobis aut scribentibus, aut dicentibus, aut etiamnum sanctissimè jurantibus fidem haberent, In omni honoris specie florere apud nos Sanctorum Patrum memoriam, & communi omnium nostrûm laude decorari: sed tanta est ipsorum támque exulcerata pervicacia, ut neque sibi persuaderi sinant, neque circumscriptum accusandi modum metiantur. Quod igitur non est impetrandum, est extorquendum, idque criminis quod confingunt repercussu. Quemadmodum S. Hieronymus, in illa ad Pammachium & Oceanum Epistola, ad æmulorum calumnias respondisse legimus, cùm favere se Origenis erroribus ubique obstreperent; *Si mihi,* inquit, *creditis, Origenistes nunquam fui: si non creditis, nunc esse cessavi: si nec sic adducimini ad fidem, compellitis me ad defensionem mei.* Et paulò pòst, *Si Origenem nunquam secutus sum, frustrà infamare me quæritis: si discipulus ejus fui, & non sum, imitamini pœnitentem: si hoc non sufficiat, faciam ut qui neganti voci non credant, credant saltem arguenti stylo.* Hic noster sit Apologismus, Nec esse nec fuisse nos eos, si credere velint, qui Sanctorum Patrum scripta contemnimus: si nolint credere, nisi fuisse nos fateamur, en porrò nunc auspicamur non esse, & quamvìs serò sententiam deponere: quòd si nec sic quidem ipsis erit satisfactum, jam sibi caveant, nè pulverem retroversum mittamus in proprium unde manaverit locum, hoc est, Lutum ipsum. Hanc defensionis dixi partem secundam, de hujus depulsione criminis à cervicibus nostris in capita & gremium adversariorum. Quod ut quàm plenissimè fiat, in duas partes actionis nostræ ratio bimembri distributione est dividenda; ut illos ordinatè possim utrinque coarguere, quòd sint in Patres utraque ex parte contumeliosi, tum in Excessu, tum in Defectu honoris debiti, & nimium, & parùm tribuendo: cùm ex adverso auream ubique mediocritatem Orthodoxi ità accuratè servent, ut nec tantillùm augere, nec omnino detrahere aliquid de debita authoritate videantur. Hodierni itineris hæ duæ sunt semitæ: in quarum prima ostendam, in iis ipsis maximopere peccare Papistas quæ Orthodoxis exprobrare non possunt; in secunda, reatum alterum indicabo, quantum ad ea omnia quæ nobis in faciem sed sine fronte exprobrant.

Ep.65.

Semita prima ad honoris Excessum nos ducit; & de isto sit hæc Propositio, In authoritatis Patrum finibus statuendis cùm Orthodoxi nec plus nec minus eis tribuant quàm tribuendum sit, Pontificii plus multò ascribunt quàm aut Patres sibi vendicent, aut veritas ipsa patiatur; atque hoc ipso nomine minus exhibent, plus quàm oportet tribuendo. Propositionis basis in illo axiomate statuitur, Justitiæ est unicuique suum tribuere, rem suam, & locum suum, & honorem suum. Quando *Suum* dicitur, omne nimium amputatur. Exinde sequitur, quòd justus & verus honor sit, unicuique reddere aut quantum licet, aut quantum ipse postulat, si plus æquo non postulat: quòd si quis ultrà pergat, is non honorat, sed dehonestat, & dum extollit, imminuit degravando. Hoc S. Bernardus observavit de B. Virgine, Ep. 174. ad Canonicos Lugdunenses, prærogativam illam de immaculata ipsius conceptione non in laudem ipsius cedere, sed in injuriam; *Non est hoc,* inquit, *Virginem honorare, sed honori detrahere.* Ratio ipsius est, quia nec Sacra Scriptura tantum

tantum honoris ei tribuit, nec ipsa Sanctissimâ Virgo sibi dari postulat. *Est enim*, inquit, *prærogativa prolis, non matris*. Hoc Cassianus, lib. 1. De incarnatione cap. 2. contra Apollinarem, qui augere se Christi honorem existimavit, si animam ejus non merè humanam, sed Deificam, hoc est, humanâ præstantiorem, assereret: *Imò verò*, inquit Cassianus, *non minoris erroris est Domino nostro Jesu Christo impropria addere, quàm propria derogare; quod enim de illo non ità dicitur ut est, etiamsi honor videatur, injuria est*. Hoc denique & B. Augustinus, in Ep. 7. ad Marcellinum, de seipso; *Vos qui me multùm diligitis, si talem me asseritis, ut me nusquam errasse dicatis, frustrà laboratis, neque bonam causam suscepistis, in qua facilè à meipso judice superamini; quoniam non mihi placet cùm à charissimis meis talis esse existimor qualis non sum: profectò enim non me, sed alium sub nomine meo diligunt, si non quod sum, sed quod non sum diligunt: nam in quantum me noverint, ego ab illis diligor; in quantum autem mihi tribuunt quod in me non cognoscunt, alium talem qualem me putant pro me diligunt*. De Patribus singulis id ipsum est pronunciandum quod de se Augustinus, quod de B. Virgine Bernardus, quod de Christo Cassianus: Si quis iis plus tribuat quàm aut Sacra Scriptura permittit, aut ipsi deposcunt, honorare se eos hoc modo aut diligere non est dicendum, sed elevare & detrahere. Quod optimè ab Erasmo est animadversum, in annotationibus suis super cap. 22. Sancti Lucæ; *Sunt*, inquit, *qui protinus contumeliam interpretantur, si quis à receptis authoribus discrepet, cùm hoc honoris nec ipsi postulant: imò contumeliosum, opinor, fuerit, si quis illos, hominum more lapsos, alicubi conetur contra veritatem tueri*. In promptu est ratio, quia contra Justitiæ regulam laudibus non suis eos accumulant, sed alienis, iisque Deo ipsi propriis, quo inhonorato honoraria universa vilescunt. Hæc Propositionis basis est & fulcimentum.

Quod ad corpus ejus spectat, perquirendum est præterea quos habeat cancellos authoritas honórque Veterum, sive à Scripturis Sacris, sive à Patribus ipsis constitutos; ut ex ipsorum cum Papistarum sententia collatione factâ, hæc in excessu & nimietate posita injuria in confesso teneatur. De Scripturarum hac in re testimonio superiùs me egisse memini, neque nunc tela est redordienda, quæ cuivis prodit obviàm non trahenti. Hortatur nos Sacra Pagina ut probemus spiritus, an ex Deo sint; ut exploremus omnia, & quod bonum est retineamus: cùm nemo sit istius excellentiæ in toto hominum ambitu, cujus dicta aut scripta ab his è verbo Dei petitis explorandi regulis eximantur; non si in prima Doctorum classe recenseatur. Quod verò ad Patrum testimonia attinet, communis est & magno assensu celebrata tum Græcorum tum Latinorum sententia, non alium sibi aut suis scriptis honorem deferendum, quàm ut ad Scripturæ normam dicta sua exigantur, & eatenus recipiantur quatenus cum Sacrâ Pagina conspirent. Hæc Clementis disciplina fuit, in Strom. 7. ὐ προσέχομεν, οὐκ ἀναμένομεν, *Non oportet attendere hominibus asserentibus, non moramur testimonia ab hominibus, sed verbo Dei confirmamus omnia*. Hæc eadem Origenis in prophetiam Jeremiæ, & in Rom. 3. *Sensus nostri & enarrationes nostræ sine his testibus non habent fidem; Doctores Ecclesiæ ea quæ loquuntur ad populum non propriis sententiis, sed Divinis munita testimoniis, proferre debent*. Hæc iterum S. Basilii, in Moralium Regula 72. *Oportet auditores explorare ea quæ dicuntur à Doctoribus*, καὶ τὰ μὲν σύμφωνα ταῖς γραφαῖς δέχεσθαι, τὰ δὲ ἀλλότρια ἀποβάλλειν. Hæc S. Chrysostomi, in 2 Cor. *Obsecro vos ut relin-*

quatis τί τῷ δεῖνι καὶ τῷ δεῖνι δοκεῖ, quid hic aut ille de his rebus sentiat, & Scripturas de iis consulatis. Postremò & Cyrilli Hierosolymitani, Cat. 4. & Cat. 12. μὴ ταῖς ἐμαῖς εὑρεσιλογίαις πρόσεχε, μηδ᾽ ἐμοὶ τῷ ταῦτα λέγοντι ἁπλῶς πιστεύσῃς, *Nolo meis inventis fidem adhibeas, nolo mihi hac dicenti attendas; posses enim fortè decipi, nisi singula monstravero ex Scripturis.* Potui istis Sanctum Ambrosium annumerare, qui lib. 1. De fide, cap. 4. Gratianum sic alloquitur; *Nolo argumento nostro credas, sancte Imperator, aut nostra disputationi: Scripturas interrogemus, interrogemus Apostolos, interrogemus Prophetas, interrogemus Christum.* Potui & S. Hieronymum, qui, Epist. 152. ad Minerium & Alexandrum, propositum suum esse dicit, *Antiquos legere, probare singula, retinere qua bona sunt;* ídque, ut alibi loquitur, *quia post Apostolos quicquid dicitur non habet authoritatem:* (nimirum simplicem & absolutam) *etiamsi sit sanctus aliquis, etiamsi disertus post Apostolos qui dicat, non habet authoritatem.* Potui & aliunde alios in venerandum hunc cœtum convocare: sed non existimo necessarium, quia Augustinus solus erit instar omnium, in cujus scriptis innumeras penè habemus, eásque disertissimas, huc spectantes loquendi formulas, tam de se, quàm de aliis. De Sancto Ambrosio, Epist. 112. ad Paulinam, cap. 23. sic loquitur; *Tene mecum sancti viri Ambrosii sententiam, jam non ejus authoritate, sed veritate firmatam: neque enim mihi propterea placet quia illius est,* & quæ sequuntur. De S. Cypriano magis peremptoriè, cap. 31. lib. 2. cont. Cresconium; *Nos nullam Cypriano facimus injuriam, cùm ejus quaslibet literas à Canonica authoritate distinguimus:* & cap. 32. *Ego hujus Epistola Cypriani authoritate non teneor, quia literas Cypriani non ut Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero; & quod in eis Scripturarum authoritati congruit, cum laude ejus accipio; quod non congruit, cum pace ejus respuo.* Hæc ille de Cypriano, quem tamen ejusmodi virum appellat, *cujus laudem consequi non valet, cujus ingenium diligit, cujus ore delectatur, cujus charitatem miratur, cujus martyrium veneratur, cujus unius Epistolis omnia sua scripta non esse paria confitetur.* Quid dicam de sua contra seipsum toties repetita sententia? *Nolo omnino aliquos mihi credere, nisi docenti rationémque reddenti,* in lib. 2. De Ordine. *Nolo authoritatem meam sequaris, ut ideo putes necesse esse credere quoniam à me dicitur,* in Ep. 112. ad Paulinam. (*& Ep. 19. ad Hieron.*) *Neminem sic volo amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis in quibus me non errare perspexerit,* in lib. 2. De bono Perseverantiæ, cap. 21. *Noli meis literis quasi Scripturis canonicis inservire: Noli meas literas ex tua opinione, sed ex Divina lectione, corrigere,* in lib. 3. de Trinitate. Postremò, neque sui dispar est cùm suum de universis profert judicium, lib. 11. contra Faustum, cap. 5. *In Doctorum opusculis liberum est lectori, ut vel approbet quod placuerit, vel improbet quod offenderit:* & Epist. 112. ad Paulinam, *Iis credere vel non credere licet, quantum ipsorum dicta momenti ad faciendam fidem vel habere vel non habere perpenderis:* & ad Fortunatianum Siccensem episcopum, *In eorum scriptis respuere licet quicquid veritati non congruit, quamvis scripta sint Catholicorum & laudatorum hominum, quamvis eorum qui sanctitate doctrinâque præpolleant. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales esse volo intellectores meorum.* Hinc illæ voces natæ sunt, S. Augustino adeò familiares, *Non audiatur, Ego dico, Tu dicis; Audi Christum dicentem, audi veritatem:* & alibi, *Audi, Dicit Dominus, non, Dicit Donatus, aut Rogatus, aut Vincentius, aut Ambrosius, aut Augustinus.* Etiam in Ep. 48. ad Vincentium, *Noli, frater, contra Divina tam clara, tam indubitata testi-*

testimonia colligere velle calumnias ex Episcoporum scriptis, sive Hilarii, sive Cypriani & Agrippini, quia hoc genus literarum ab authoritate Canonis distinguendum est. Quid plura colligam? nam nihil est istis manifestius, hanc Patrum fuisse sententiam & de se & de aliis ejusdem chori Antecessoribus suis, quòd non sint pro fidei dominis aut irrefragabilibus doctrinarum judicibus agnoscendi; hoc ipsis religio, hoc ipsis conscientia fuit. Quòd hunc honorem solis Divinis oraculis deferendum esse certissimò sciebant, propterea & hos authoritatis cancellos & sibi & Symmistis suis consultò præfiniebant, ut eousque solùm ipsis adhæreamus, quoad ipsi Divinitus inspiratam regulam pedatim sequerentur. In eosdem cancellos & nos quoque dignitatem eorum compingimus: in eosdem cancellos reverentiæ non coarctamus; suspicimus eos, admiramur, veneramur, sequimur; ut eximios Dei servos, ut salutaris doctrinæ canales, ut Ecclesiæ lumina, ut viros omni probitate & eruditione politissimos amplectimur. In eosdem cancellos modestiæ, non plus justo dilatamus: quod ipsi sibi adsciscunt, ultro erogamus; quod respuunt, è medio amolimur. Illi sua scripta ad Sacri Canonis normam examinanda esse dicunt: hoc ipsum & nos dicimus. Illi nolunt sibi simpliciter credi, nisi quatenus Scripturæ sacræ consentiunt: itidem & nos. Illi lectorem liberum relinquunt de scriptis suis judicare, & prout Scripturis respondeant vel admittere, vel reprehendere: hoc etiam & nos profitemur; ad eos nos recipimus ut veritatis testes, non judices; ut fidei alumnos, eósque primarios, non dominos. Hos fines statuimus, hos cancellos non egredimur. At verò intra hos Pontificii se non constringunt, sed apertè & confidenter transiliunt, ipsis Patribus renitentibus. Exempli causâ paucos nominabo. Hieronymus dicit propositum sibi esse *antiquos legere, probare singula, retinere quæ bona sunt:* Jesuitæ contrà. *Nos Patrum doctrinam non aliqua ex parte admittimus, alia repudiamus, sed integram amplectimur*, inquit Duræus: *Tenemus integra volumina*, Campianus: *Ad unguem, usque ad ultimum iota*, glossa Gratiani. Secundò, Augustinus docet, *liberum esse lectori in eorum opusculis approbare quod placuerit, improbare quod offenderit:* Canus contrà, lib. 7. Locorum, cap. 3. *Eorum consensus certissimum argumentum Theologo præstat ad Theologicas assertiones corroborandas.* Porrò à S. Basilio sic erudimur, quòd *explorare oportet ea quæ dicuntur à Doctoribus, & suscipere quæ Scripturis sunt consona, aliena rejicere:* at Salmeron apertè contrà, Disp. 25. in Joannem, *Probanda, hoc est, examinanda non sunt Veterum Patrum dicta & testimonia; quia quando omnes vel ferè omnes in unam sententiam conveniunt, tunc certum & inevitabile reddunt argumentum veritatis Catholicæ.* Ad extremum, Hieronymus & Augustinus contendunt *& errare potuisse antiquos Doctores, & de facto errasse:* at Costerus contrà, cap. 1. Enchirid. p. 64. *Incorrupti sunt judices controversiarum; neque enim credibile est eos, præsertim in rebus quæ fidem attingunt, à Deo sic destitutos fuisse, ut ipsi errarint, doctrinâque suâ alios in errorem induxerint.* Hæc omnia Papistarum præconia, cùm solius Sacræ Scripturæ sint singularia privilegia, nos ea protestamur nec ascribi posse Patribus sine injuria, nec suscipi sine contumelia cœlestis Oraculi; in cujus sanctissimo solio si Patres collocentur, non utique est hoc ipsorum honori consulere, sed magis dedecorare. Adeóque quod ad Romaldum Abbatem Fusmacensem S. Bernardus, Ep. 72. respondit, cùm eum impensiùs laudaret, *Si quod res est dicam*, inquit, *tu me exaltando dejicis, & extollendo premis: nam quantum tuis favoribus attollor, tantum his blanda,*

Dur. cont. Whit. Camp. Rat. 5. Gloss. Dist. 9. Can. Noli, *in margine.*

Ep. 78. *da, sed periculosa, laudis molibus premor*; & quod M. Cicero de Vatinio & Clodio dixit, *illum magnâ suâ laudatione nonnullam T. Annio labeculam aspersisse*; *hunc verò tum maximè de Pompeii dignitate detraxisse, cùm eum maximis laudibus efferebat*: itidem & nos de Pontificiis, Non esse ipsos in Patres officiosos, sed magìs onerosos, cùm eis falsos triumphos scribunt & immeritas laudes; eo quòd eâdem operâ & Domino honorem auferunt debitum, & Patribus consuunt indebitum. Hæc Propositionis primæ summa est, Istius contumeliæ erga Patres Papistas reos fore, cujus accusare Orthodoxos non possunt, dum plus iis tribuunt quàm aut veritas sinat, aut Patres ipsi: quâ major nulla est injuria, si Oratori credimus; quia plus invidiæ affert quàm gloriæ, &,ut Chrysost. Chrys. S. 13 to. 5. optimè, οὐκ ἐστι φιλοῦντος, ἀλλὰ πλανῶντος καὶ ἀγνοοῦντος. Videtis quò prima semita vos duxerit, de Honoris Excessu.

Accedo ad secundam, de Defectu & detractione honoris debiti, cujus nos, sed falsò, postulant; & de hac sit ista Propositio, Nullius criminis in hac de Patribus disceptatione à Pontificiis accusantur Orthodoxi cujus ipsi non sint manifestiùs rei magìsque meritò accusandi. Est breve verbum, sed quod prolixo indiget commentario, eòque magìs quia Propositioni primæ contraria videtur: hoc enim est ipsorum varium & versatile ingenium, ut modò nimium, modò parùm honoris Patribus deferant, iisque velut calculis supputatoriis utantur, ut sint aliquando librarum loco, aliquando denariorum, & nunc quidem maximi, nunc verò nihili. Ad mentem revocat illud Ciceronis pro S. Roscio, *Accusatorum alios anseres esse, qui tantummodo clamant, alios canes, qui & mordere possunt*: in Adversarios optimè quadrabit, timendos magìs esse in hac causa eorum calamos quàm dentes, nisi quòd in & cum calamis dentes exacuant; at nos interea non lædunt, sed seipsos, quia crimen dum fingunt nostrum, probant suum. *Qui alterum accusat*, inquit Orator, *legem sibiipsi indicit innocentiæ*; *nam nihil est minùs ferendum, quàm rationem ab altero vitæ reposcere eum qui non possit sua reddere*. Idcirco jam metuo Pontificiis, nè tam longè abfuerint ab innocentia quàm ad calumniam proximè accedant, quia faciunt ea omnia quæ nobis objiciunt.

Cicero in Q. Cæcilium, & 8. in Ver.

Primum quod in nos concinnant crimen est Patrum Contemptus; rejicere nos dicunt testimonia Patrum & pro nihilo ducere. Ecquis autem est qui ipsos ab hac noxa immunes esse affirmabit? Dicant igitur, cur solum Augustinum sequuntur in partitione Decalogi, universis reliquis contemptis: dicant quâ fronte contra Communionem sub utraque Specie ausi sint decernere, cùm Patrum unanimis consensus aliò nos ducat, fatentibus Adversariis: dicant quid iis in mentem venerit, ut negent B. Virginem in Peccato originali conceptam, cùm Patres omnes uno ore contrarium asseverarunt, Cano & Salmerone fatentibus: dicant quid sibi velit illud Didaci Stellæ, in Luc. 10. 21. *Omnes Sancti Doctores sic, Ego autem aliter*; quid illud Maldonati, *Non ego sic interpretor, etsi video omnes authores præter Origenem in ea fuisse sententia*. Annon hoc est respuere? annon hoc est flocci facere? Audiant modò ipsum Jesuitam; *Arrogantis non est à tot tàmque gravibus authoribus dissentire*. Aut, si magìs placet, Cajetanum Cardinalem, in Gen. cap. 1. *Nemo detestetur novum Scripturæ sensum ex hoc quòd dissonat à priscis Doctoribus, quamvis sit à torrente sacrorum Doctorum alienus*. O justitiam Papalem! Nos si unum aut alterum è Patribus modestè deponimus, impii sumus: & ipsi tamen, quando pleno ore consensum, torrentem, centurias aliquot (sic enim Salmeron profitetur) aspernantur, pro Patrum legitimis & solis

Can. l. 7. c. 1. Salm. Disp. 51. in Rom. Mald. in Mat. 19. in illa verba, Omnes non recipiunt hoc.

lis filiis se venditant. Hæccine Romana pietas? Ergò eligant utrum velint, ut aut nos innocentes dicant, aut seipsos noxios, cùm majoris contumeliæ reatu constringantur. Hæc criminis primi retorsio.

Secundum quod opponunt est crimen Ingratitudinis, quòd indignam tam piis laboribus rependamus gratiam, dum eorum errores commemoremus sæpius nimiúmque excutiamus. Ecquis autem crederet voluptati nobis esse ulcera contrectare, quæ ipsis piaculo est tangere? An ipsis prorsus hoc inusitatum? Bellarminus indicet; nam ipse non semel errasse in aliquibus Patres scribit: indicet Roffensis, qui aliquoties id contigisse palàm pronuntiat. Hactenus contumelia nulla est. Ista quæ sequuntur quæro quem spiritum sapiant: quæro, inquam, Quis ille fuit qui cum ludibrio S. Bernardum & reliquos ausus est salutare? Annon Salmeron? Disp. 51. in Rom. p. 468. *Tota devotio*, inquit, *erga Dei genitricem non consistit in Bernardo & aliis Patribus.* Quis ille qui Tertullianum *hæreticum* vocavit? Annon Maldonatus in Matth. 8. 9. Quis eum & *hæreticum*, & *Calvinistarum similem*, *id est*, *hæreticorum pessimum?* Annon idem Maldonatus, in Matth. 16. 19? Quis non *hæreticum* modò, sed *hæresiarcham?* Bellarminus, lib. 1. De beat. Sanct. cap. 5. Art. ult. Et nè solus sub ferula Tertullianus veniret, adjungit Victorinum, De Sanct. Beat. lib. 1. cap. 5. *Martyr quidem fuit, sed eruditio ei defuit.* Adjungit Eusebium, *Eusebius*, inquit, *hæreticis addictus erat*; & lib. 1. De Christo, cap. 6. *Eusebii*, inquit, *& Tertulliani parva est authoritas.* Etiam & omnes Græcos, l. 1. De Purgat. c. 5. Art. 12. *Græcorum solutio dura est & coacta, & contra omnem usum loquendi Scripturarum.* Dicant igitur inter camelum & culicem, inter errorem & hæresin quid intersit; aut adhuc inter *hæreticum* & *hæresiarcham*. Nam nos si errores Patrum aliquando contingat refricare, at profitemur nos non nisi invitos & coactos, & in transitu, & modestè id facturos; si quid duriusculum aut absonum occurrat, non insectamur, non exaggeramus, sed magis cupimus id commodâ interpretatione sanare, aut, ad summum, salvâ eorum reverentiâ respuere: & tamen nos ingrati sumus si errasse veteres dicimus; ipsi pientissimi, qui hæreseos notam ipsis inurunt, & *hæresiarchas* appellant. Hæc criminis propulsio secundi.

Bel. l. 3 De Pont. Rō. c. 3. & l. 3. De Verbo Dei, cap. 10. Ar. 16.

Postremum crimen est Blasphemiæ, quòd Patres & eorum scripta damnemus, exsecremur, conviciis insectemur; atque nè temere affirmasse videantur, exempla producunt: Lutheri, qui *non curare se* dixit, *si verbum Dei sibi militet, quamvis mille Augustini aut mille Cypriani contrà starent*; necnon Calvini, Musculi, Martyris, Humfredi, Whitakeri, qui *non morari se* dicunt *in Articulis fidei quid Patres sentiant*, *si Scriptura astipuletur*; denique & Theodori Bezæ, qui Origenem *impurum scriptorem* appellat, Epist. 28. & *in torquendis Scripturis audacem*, *neque inter Patres collocandum*, *hac potissimùm de causa*, *quia fœdis suis Allegoriis doctrinam Christi ludibrio exposuit*; sic enim loquitur, in Annotat. ad Rom. 2. 27. Scilicet hic locus est quem inprimis vellicant Pontificii; de illis contra reliquos alteris non adeò sumus solliciti; non opus est magno labore ad retundendos tam nullos impetus, sunt enim meræ næniæ & teretismata quæ adducunt, quæ tamen avidiùs arripiunt, quia veris argumentis destituuntur. Quod de Semei legimus, 2 Sam. 16. 6. atque in monomachiis sæpius contingit, quibus vera arma sunt excussa, ii quicquid obviàm rapiunt, fimum & lutum, & quid non? quod in ingruentem hostem

hostem jaciant: pariter & Pontificii; nihil est tam leve, nihil tam falsum, quod non exquirunt ut veritatem impugnent; & cùm telis deficiuntur, pugnant peniculo, & fimo, & stramine. Mitto igitur quæ contra Calvinum & alios, quia nugæ sunt. At verò in verbis Bezæ est aliquis criminationis prætextus, quòd Origenem *impurum & audacem scriptorem* appellat; qui etsi suos habuit nævos, quos rejecit Ecclesia; at iniquum est tamen istam notam summo Theologo inurere, qui & *magister Ecclesiarum* antiquitus audiebat, & nuper ab Erasmo, *priscorum Theologorum sine controversia doctissimus.* Sed esto, & sui & Origenis minùs memorem fuisse Bezam: an ipsi Adversarii sunt insontes? Imò nihil est à Beza de Origene dictum quod non ab ipsis est prolatum & ante & post Bezam, æquè apertè, æquè graviter, tum de Origene, tum de aliis quoque Patribus in universum. Orandi sunt igitur ut sua audire velint, quoniam, ut Cicero pro Sext. Roscio loquitur, *Innocens, si accusatus fuerit, absolvi potest; nocens, nisi accusatus fuerit, condemnari non potest.* Breviter, ut omittam cætera, recognoscite mecum in Origenem solum quos clamores excitarunt. Visum eum esse in Gehenna, cum Ario & Nestorio, in Prato Spirituali legimus, Bell. lib. 2. De Purgat. cap. 8. art. 16. *Arianorum & Eunomianorum patrem* eum fuisse Maldonatus non dubitat dicere, in Joan. 1. 3. *Haberéque in scriptis suis apertissimas blasphemias contra Filium Dei & Spiritum Sanctum,* Bellarminus asserit, quamvis cum dubitatione quadam, lib. 1. de Christo, c. 10. art. 30. Ante utrumque Espencæus, in Com. in Titum, in Appendice, *Quòd multa non modò non sana, sed manifestè insana effutivit.* Atque imitatus eum Ribera, in Comment. in Malachiam, in Proœmio, *audacem* eum *hominem* vocat & *temerarium, adeòque pertinacem suorum errorum amatorem, ut quicquid in mentem venerit rectum judicaret, spretâ totius Ecclesiæ authoritate.* Ad cæteros quorsum me verterem? Sozomenum & Socratem *probæ fidei authores* Canus vocat, lib. 11. Loc. c. 5. At Bellarminus tamen & Sozomenum *multùm mentitum fuisse* scribit, lib. 3. De pœn. cap. 16. & Socratem *Novatianum atque Aerianum fuisse*, lib. 2. De bon. oper. cap. 15. Art. 17. & *tria præclara mendacia dixisse (uno quasi spiritu)* lib. 1. De Clericis, c. 20 Art. 25. Sanctum Athanasium omnes norunt luminare sui temporis maximum, qui prolapsam fidei doctrinam erexit, adeò cumulatæ virtutis virum, ut *idem esse* diceret Nazianzenus *Athanasium laudare & ipsam virtutem.* At magnum hunc Athanasium Liberius Papa præscripto damnavit, ut cum Arianis communionem iniret, ipso teste Baronio, tom. 3. ad An. 375. Sanctum Augustinum Hilarius Arelatensis *excellentissimum Doctorem* appellat, & *defensorem fidei*; & *validissimum malleum hæreticorum*, Bernardus. Et de hoc tanto & tali sic Cornelius Mussus loquitur, in Rom. 5. p. 270. *Non vos moveat Augustinus vel tantillùm, hoc enim est illi peculiare, ut cùm aliquem expugnet errorem, in alterum incidere videatur: cùm Arium insectatur, videtur favere Sabellio; cùm Sabellium, Ario; cùm Pelagium, Manichæis; cùm Manichæos, Pelagio.* Nec mirum si hæc de Augustino solo; etenim in cap. 14. ejusd. Ep. pa. 606. ad alios extendit: *Ego, ut ingenuè fatear, plus uni Romano Pontifici crederem quàm mille Augustinis, Hieronymis, Gregoriis.* Adjiciantur illis Epiphanius, Chrysostomus, Cyrillus, Hilarius, Hieronymus; quorum scripta adeò offendunt Pontificios, ut nonnulla ipsorum testimonia è Textu, quamplurima ex Indicibus deleri præcipiant, quæ tamen expressè in ipso textu reperiuntur. Et post hæc omnia ad ravim usque contra nos clamant, *Sanctorum Patrum contemptores*, *venerandæ antiquitatis Aristarchos*, *priscæ*

Ecclesiæ

in Luc. 22.

Orat. 21.

Ecclesiæ Zoilos. Jurares eos in celeberrimo suo voto cœlibatûs Lamias uxores duxisse, adeò domi cæcutiunt, cùm nostrorum scriptorum censores sint oculatissimi: nam quælibet festuca nostra ipsâ trabe grandior est quam in se non animadvertunt. De C. Licinio refert Valerius, eum legis suæ laqueis constrictum fuisse; cùm enim lege publicâ sanxisset, nè quis ampliùs quàm quingenta agri jugera possideret, ipse mille comparavit: & quis tam animi cæcus qui non videat calumniarum suarum laqueis Adversarios illigatos fore, dum ipsis licere putant quicquid placuerit contra Patres intonare, nobis nè mutire quidem? Sed obsecro, an hoc ipsum Luthero vitio vertendum est, si eâ observantiâ Deum prosequatur quâ Mussus Papam? *Ego*, inquit Lutherus, *plus uni verbo Dei crederem quàm mille Augustinis aut Cyprianis*: &, *Ego*, inquit Mussus, *plus uni Romano Pontifici quàm mille Augustinis, Hieronymis, Gregoriis.* Sint ipsi judices, anne est in Beza convitium quod non est in Ribera aut Bellarmino? *Audacem* Origenem Beza pronuntiat, Ribera *audacem & temerarium*; Beza *impurum*, Bellarminus *blasphemum*, Espencæus *insanum*, Maldonatus *Arianorum & Eunomianorum patrem.* Beza negat eum inter Patres collocandum; Pratum Spirituale asserit eum in Gehenna collocatum: dicite ex istis uter Origenem reverentiùs tractaverit. De Lacedæmoniis refert Gellius, quòd cùm de Repub. deliberabant quid utile & honestum foret, atque vir disertus, sed improbus, optimam sententiam dixisset quæ omnibus placeret, alterum statim elegerunt qui eandem sententiam iisdem verbis diceret; & tum quidem pro decreto omnes receperunt quod priùs indignabundi rejecerant, quia noluerunt probam sententiam dehonestari turpissimi authoris contagio; atque eandem sententiam non eandem existimarunt, authore mutato. Haud aliter & Adversarii eadem verba vix eadem judicant, si ab authoribus diversis prodeant; & in ipsis est Virtus, quæ ex ore nostro dicitur Calumnia. Propterea & nobis liceat regerere quod ad principes Samariæ Jehu respondisse dicitur, 2 Reg. 10. 9. *Vos justi estis, & ego improbus; ego interfeci dominum meum, sed quis percussit omnes istos?* Si Beza Origeni iniquior, & quis tandem Tertulliano? quis Eusebio? quis Victorino, Sozomeno, Socrati? quis Athanasio? quis omnibus? Hypocritæ, ejicite primùm trabes de oculis vestris, & tunc videbitis injustam esse criminationem vestram, neque eos nos esse quos invidia vestra simulat, Patrum contemptores: aut si sumus, eodem vos ipsos reatu teneri, sicut secunda vos Propositio docuit, Nullius criminis in hac de Patribus disputatione accusari à Pontificiis Orthodoxos, cujus ipsi non sunt justiùs accusandi. Hactenus de quæstionis parte Apologetica, quæ in amolienda Calumnia se exercuit. Pars Doctrinalis in posterum est enucleanda, De vera authoritate Patrum, & vero Antiquitatis usu in fidei controversiis discernendis.

lib. 8. c. 6.

lib. 8. c. 8.

LECTIO XLIX.

BENE habet; actum est de Calumniis quas nobis instruunt Pontificii circa dignitatem Sanctorum Patrum. His igitur purgatis, transeundum nunc est ad alterum caput de Doctrina: hæc enim pars sola superest instituti nostri, ut possim tandem pensim & enucleatè quasi digito indicare quo loco & gradu habenda sit veterum Doctorum authoritas, cujúsque sit momenti & ponderis in rebus fidei decernendis veneranda illa Antiquitatis canities. Hoc argumenti tranquillum est, & Halcyonea post maris increpationem temperies, quæ superiorem partem haud aliis vestigiis sequitur quàm procellam malacia, aut imbribus infuscatum aerem serenum cœlum. Quid altiùs repetam? Descendit contumeliarum pluvia, venerunt flumina probrorum, criminationum venti flaverunt, & concitato impetu irruerunt in universos causæ nostræ contra Papistas Oratores, Lutherum, Calvinum, Juellum, Whitakerum, reliquos, velut prisci seculi contemptores & Zoilos: sed temere hæc & in cassum; nam deferbuit citò spurcissima convitiorum tempestas, obsolevit tumultuosa criminatio in ipsorum sinus repercussa, salva & illibata est innocentia nostra, ut tutò jam approperare possit ad ea quæ sequuntur peragenda. Et prima quidem pars itineris est pro vobis suscepta; in vobis velim ut hæc quæ sequitur radices agat: illa in defensionem vestram est ordinata, hæc in disciplinam: absumpta illa est in vindiciis, hæc in documentis versabitur: postremò, in illa Scriptores nostros ab infamia liberavi, quòd non sint in Antiquitatem aut Sanctos Patres contumeliosi; in hac causam nostram à molestiis quibus prægravatur, quantum in me erit, liberabo, ostendendo quòd ut nos non sumus Patribus iniqui, sic Patres sunt inprimis nobis usui & maximo emolumento. Age igitur, in hunc latissimum campum descendamus. Non erit, ut spero, cuiquam vestrûm labor injucundus de Antiquitate & Patribus audire quæ meditati sumus: non vobis qui novella germina, nam ad eam vos dignitatem aspiratis; vox vestra est, *Nos illi erimus*: non vobis qui cana Capita, nam ad eam vos dignitatem tantùm non pervenistis; vox vestra est, *Nos illi sumus*. Accipitote utrique quod vobis despondere gestio sancti Apostoli verbis, *Scribo vobis, patres*; *scribo vobis, filii*. Vobis, ætatis vernæ flores lectissimi, Patrúmque filii, quia in hæc studia vos festinatis adolescere; atque hinc addiscere potestis, è Veterum scriptis quod operæ pretium est cum aliquo vestro compendio excerpere: Vobis, Patres, quia veterani estis, & in hac cùm militia tum literatura exercitatissimi; atque vestrum est judicare, utrùm in his authoritatis Veterum cancellis statuendis justo modulo & æqualibus spatiis eos metior, neque vel hàc vel illàc amussis exorbitet. Hoc ipso consilio usus est M. Tullius in politissimo illo de Senectute opusculo, nam & deposuit illud in manus Pomponii Attici senis, & rem totam conficit in nomine Catonis senis; ídque deditâ operâ, ut materiæ quam tractavit personæ senum responderent, quia de Senectute scripsit. Pariter & mihi liceat in hac de Patribus disputatione non modò vos patres alloqui, ut Cicero Pomponium, sed Patres etiam ipsos introducere loquentes, ut Cicero Catonem; itâ ipsi quæstioni ordo procedendi conformis erit, si antiquitatis nervos ex ipsa antiquitate, quantúmque Patrum consensus valeat ex ipsis Patribus demonstravero. Ut autem hoc fiat succinctiùs, ab Adversariorum dogmate ordinis rationem deducam, qui etsi

variis

variis viis incedant, at in hoc consentiunt, Communem omnium, vel ferè omnium, veterum Patrum sententiam certissimum fidei præstare argumentum, cui necessariò credendum. Et per hoc duo ab ipsis requiruntur ad testimonium, ut pro authentico habeatur: primò, Ut sit eorum quos pro Doctoribus & Patribus suscepit Ecclesia; secundò, Ut sit communis sententia, non unius aut alterius è Patribus, sed vel omnium, vel plurimorum: in illo Antiquitas designatur, in hoc Consensus. Hæc duo Capita sunto inquisitionis nostræ; Quid roboris in Antiquitate, &, Quid in Consensu sit statuendum.

De Antiquitate hodierna erit disputatio: quæ ut facilior ac solutior esse possit, Propositionibus & Documentis rem totam explicatam dabo, si priùs de vocabuli significatu vos præmonuero, quid sonet hæc vox Antiquitas de qua nunc agitur; habet enim variam multiplicémque potestatem. In primario & summo sensu in immensam amplitudinem diffunditur; ut idem sit *antiquum* dicere atque *æternum*. Hoc sensu Greg. Nyss. Orat. De fide ad Simplicium, *sempiternum* pro *antiquo* posuit, & *antiquum* pro *sempiterno*: τὸ πρόσφατον λέγεται, ὃ μὴ ἀΐδιον, καὶ τὸ ἀΐδιον, ὃ μὴ πρόσφατόν ἐστι, *Novum dicitur quod non est sempiternum, & sempiternum quod non est novum.* Hoc sensu à Daniele Deus ipse *Antiquus dierum* vocatur, quod in nomenclatura c. 7. v. 9.
Mosis est *Deus æternus*. Hoc sensu suprema veritas in idea Divinæ mentis Gen. 21. 33.
& *antiqua* & *æterna* dicitur, Prov. 8. 23. hoc est, adeò antiqua, ut & in nobis captum excedat, & in se originem nesciat; cùm sit, ut S. Basilius loquitur, τοῦ χρόνου παντὸς πρεσβύτερος, nec tam in Deo aliquid, quàm ipse Deus. Verùm de hac sublimi & incomprehenso dictionis usu in præsentiarum non agimus, sed duntaxat in sensu remisso & castigato, h. e. in genere veritatis revelatæ: quamvis & hoc quoque modo sit dubiæ significationis. Est enim quædam Antiquitas primitiva aut palmaria, quæ ab ipso mundi exordio est trahenda; est alia Antiquitas succedanea sive posthuma, quæ multorum quidem annorum est & seculorum, πρὸ πολλῶν χρόνων, ut Suidas loquitur, sed tamen post primam: illam dicere possumus *Antiquitatem Canonicam*, hanc *Ecclesiasticam*. Illa est simpliciter authentica, quia innititur æternitati: hæc subauthentica, quia dependet à prima. Illa est nativa & absoluta, velut caput familiæ: hæc adoptiva, & in stirpem Apostolicam inserenda, quasi connubialis quædam antiquitas, *à consanguinitate doctrinæ Apostolicæ contracta*, ut Tertull. loquitur. Illa à Tertulliano, lib. 5. contra Marcionem, c. 19. *Apostolica* dicitur: hæc *de-Apostolica*.

De illa si loquamur, sciendum quòd Antiquitas prima in se continet veritates omnes Divinitus inspiratas, quæ inprimis sunt Patriarchis traditæ, dein à Mose & Prophetis fusiùs dispensæ, ad extremum consummatæ ab Evangelistis & Apostolis, quorum ætas recentior quàm Prophetarum, doctrina coantiqua. Illustri similitudine hoc Tertullianus explicat, l. De velandis virginibus; *Quemadmodum*, inquit, *in fructibus, granum est primò quod seritur, & de grano frutex oritur, & de frutice arbuscula enititur, deinde rami & frondes invalescunt, & totum arboris nomen expanditur; indè germinis tumor, & flos de germine solvitur, & de flore fructus aperitur, qui paulatim ætatem suam dirigens eruditur in mansuetudinem saporis: sic & justitia sive veritas primò fuit in Naturæ rudimentis, dehinc per Legem & Prophetas promovit in infantiam, dehinc per Evangelium efferbuit in juventutem, nunc per Paracletum componitur in maturitatem; & Hic solus à Christo magister est dicendus, hic solus Antecessor, quia solus post Christum ea loquens quæ Christus.* Hæc antiquitas prima.

Quod ad alteram pertinet, si loquamur de illa, sciendum etiam quòd Antiquitas secunda in se complectitur quæcunque postera sive Axiomata, sive

Problemata Theologica, & ea cujuſcunque ſeculi, cujuſcunque ordinis: ſive illa ſint quæ cum prima antiquitate conſpirent, tunc Antiqua dicenda quamvìs nova; ſive illa quæ à primis diſcrepent, tunc Nova dicenda quamvìs antiqua videantur: utcunque, ſive hæc ſive illa fuerint, terminos ſuos habent ortûs & progreſſûs & authoritatis. Ortûs certum terminum, à temporibus Apoſtolorum; progreſſûs finitum, uſque ad ea ſecula quibus antiqua cenſeantur; authoritatis circumciſum, quatenus veſtigia primæ antiquitatis preſſim perſequuntur. Quod ipſe Canus, Loc.7. c.3. num.7. & ingenuè fatetur, & dilucidè exponit; *Antiquitas*, inquit, *Canonica, quæ eſt in Apoſtolis, perpetuam ſtabilémque ſervat conſtantiam: Eccleſiaſtica hæc quæ eſt in Patribus, deficit aliquando & deliquia patitur; unde fit ut non ſit eodem loco & gradu ponenda cum prima; quia alia eſt claritas Matthæi, alia Hieronymi; alia Iſaiæ, alia Ambroſii.* Illa prima eſt velut gloria cœleſtium, hæc ſecunda velut gloria terreſtrium. Vultis breviter? Verbo, ſit hæc terminorum diſtributio, ut quod fuit ſeculis aliquot ante noſtra tempora, dicatur contractâ loquendi formulâ *Antiquum*; quod fuit proximè à temporibus Apoſtolorum, dicatur in ſenſu comparato *Antiquum antiquius*; quod in, & cum, & ex Apoſtolis natum eſt, in gradu ſuperlativo *Antiquum antiquiſſimum.* Hæc eſt illa terminorum diſtinctio, quam neceſſariò velut cauſæ proludium præmittendam putavi.

Subſequitur ipſa Diſquiſitio, quam tribus Propoſitionibus totidémque Documentis comprehendam.

Ex Propoſitionibus prima ſic ſe habet; Antiquitatis veræ ac primitivæ ſedes unica eſt, eáque immutabilis, in Sacræ Paginæ ſcrinio tam arctè recondita, ut nec haberi nec peti aliunde poſſit quàm è ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis. In ſe Propoſitio eſt manifeſta: neque ratio ejus eſt obſcura, quia Prophetæ & Apoſtoli doctores fuere & omnium primi, & ſoli θεόπνευστοι, & per hoc in utramque partem inſtructi, ut & veræ antiquitatis portas aperirent, quia nemo ante illos; & etiam clauderent, quia poſt illos nemo eſt inunctus eâ Spiritûs plenitudine quæ in omnem eámque impeccabilem duceret veritatem. Eſt igitur duplex æra ſive character hujus Antiquitatis: Una ante Chriſtum, in Moſe & Prophetis; Altera, quæ eſt eadem repetita, poſt Chriſtum, in Chriſto & Apoſtolis.

In prima Scriptores Evangelici antiquitatem claſſicam ſtatuebant. S. Paulus, Act. 22.3. *Eruditus in Lege patrum:* Act. 26.22. *Teſtificans parvo & magno, nihil aliud dico quàm quæ Prophetæ & Moſes locuti ſunt.* S. Joannes, Epiſt.1.c.2.verſ.7. *Non mandatum novum ſcribo, ſed vetus; mandatum vetus eſt quod habuiſtis ab initio.* Chriſto ipſi idem in more poſitum, nam nunc ad Moſen, nunc ad Prophetas, nunc ad Abrahamum Judæos relegat; hos Patres ipſorum prædicat, hanc antiquitatem. Imò verò ut ſe indubitatum antiquitatis amatorem oſtenderet, à Deo Patre doctrinæ ſuæ originem fontémque puriſſimum ſæpiſſime trahit, in cujus Schola has literas didicerat. *Venio in nomine Patris mei*, Joan.5.43. *Loquor ea quæ docuit me Pater meus*, Joan.8.28. *Mandatum hoc accepi*, Joan.10.18. *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me*, hoc eſt, Patris, Joan.7.16. Igitur hæc æra prima, à Deo ipſo ſignata in Prophetis; in quibus antiquitatem ſuam Scriptores Evangelici collocabant.

In æra ſecunda junctim cum prima Scriptores Eccleſiaſtici ſuam antiquitatem figebant, ídque per omnes temporum tractus, ad unum omnes, dum paſſim probant, Scripturam Sacram non modò Philoſophorum diſciplinis, ipſíſque diis gentilium, ſed Theologicis quibuſcunque ſcriptis antiquiorem & eſſe & habendam eſſe, adeóque ſolam Antiquitatem appellandam. Hoc beatus

beatus Ignatius, qui primo ſeculo vixit, in illa ad Philadelphenſes Epiſtola agnovit, ubi ad objectionem nonnullorum qui Antiquitatem urgebant eleganter reſpondit, τοῖς τοιούτοις ἐγὼ λέγω, ὅτι ἐμοὶ ἀρχεῖά ἐστιν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς, *Talibus*, inquit, *ego dico, quòd Jeſus Chriſtus mihi pro Archivis, quem nolle audire manifeſta pernicies eſt*; . & dein ſequitur, *Illibatum mihi eſt Archivum crux Chriſti, atque mors & reſurrectio Chriſti, & fides horum.* Oſtendit vir ſanctus, veram antiquitatem Chriſtum fore & Evangelium Chriſti; vera in negotio ſalutis Archiva fidem Chriſti, & crucem Chriſti, & mortem Chriſti. Hoc Juſtinus Philoſophus & martyr, ſecundi ſeculi decus, Quæſt. 119. ad Orthodoxos, ubi S. Paulum *Patrum patrem* appellat, quaſi ſupremæ antiquitatis virum; ὁ μακάριος Ἀπόστολος, inquit, ὁ τῶν πατέρων πατὴρ, καὶ εὐσεβείας διδάσκαλος. Hoc eodem ſeculo Irenæus, l. 3. c. 1. *A doctrina Apoſtolorum ſimpliciter pendemus, quibus non eſt cogitandum vel doctiores vel ſapientiores ſucceſſiſſe.* Hoc tertio ſeculo Tertullianus, in Apologia adverſ. Gentes; *Vera antiquitas præſtructa eſt Divinæ literaturæ:* & l. 4. Contra Marcion. *Id verius quod prius, id prius quod ab initio, id ab initio quod ab Apoſtolis:* & l. De velandis virginibus, *Si ſemper Chriſtus & prior omnibus, æquè veritas ſempiterna & antiqua res eſt.* Hoc S. Cyprianus, Epiſt. 63. ad Cæcilium; *Si ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere quid alius ante nos faciendum putaverit, ſed quid qui ante omnes eſt Chriſtus prior fecerit; neque enim hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem.* Hoc S. Ambroſius, c. 11. De Inſtitutione virginis, de Chriſto loquens; *Lego quia primus eſt, lego quia non eſt ſecundus: illi qui ſecundum aiunt, doceant lectione:* & in Comment. in 2 Tim. 3. in illa verba, AB INFANTIA SACRAS LITERAS NOSTI, *Antiquitas hæc*, Scripturam indicans, *antiquitas hæc eſt robur novitatis.* Hoc S. Hieronymus, in Commentariis in Pſal. 132. ſi modò ipſius ſunt dicendi, in illa verba, SICUT ROS HERMON QUI DESCENDIT IN MONTEM SION; *Si ergò*, inquit, *ſumus in Eccleſia, ſi fidem habemus Eccleſiæ, fidem Apoſtolorum, fidem Chriſti, dogmatum veritates, montes ſumus Sion:* & in Jer. 6. 16. in illa verba, STATE SUPER VIAS, ET INTERROGATE DE SEMITIS ANTIQUIS, QUÆ SIT VIA BONA, ET AMBULATE IN EA; *Standum eſt igitur*, inquit, *in Prophetis, & interrogandum de ſemitis antiquis ſive ſempiternis, quæ multorum Sanctorum ſunt tritæ veſtigiis, quàm ſit via bona in Evangelio, & ambulandum in ea.* Poſtremò, & hoc quoque S. Auguſtinus profitetur in illa verba, Pſal. 44. PRO PATRIBUS TUIS NATI SUNT TIBI FILII; *Oſtendit ibi*, inquit, *ſolos Apoſtolos Patrum appellationem mereri, eorúmque reſpectu Doctores alios Filios eſſe dicendos:* & Ep. 19. ad Hieronymum, poſtquam Euſebium Emiſſenum, & Theodorum Heracleotem, & Joannem Chryſoſtomum, & Ambroſium Cyprianúmque nominaſſet, tum demum adjicit, *Mihi pro his omnibus, imò ſupra hos omnes, Apoſtolus Paulus occurrit; ad ipſum confugio, ad ipſum ab omnibus (qui aliud ſentiunt) literarum ejus tractatoribus provoco.* Ex his omnibus apertiſſimum eſſe exiſtimo, quòd eam præcipuam & veram antiquitatem conſtanter Scriptores & Evangelici & Eccleſiaſtici definiunt, quæ ab Apoſtolis traditur; in his veritatis Archiva collocant, ab his doctrinæ priſcæ veſtigia repetunt, hos colles veterum montium, hos Patrum patres prædicant, in iis antiquitatis ſolium ſtatuunt, & ex eorum ſcriptis metiuntur. Hæc Propoſitio prima, Antiquitas vera ſedem fixam habet in Scripturis.

Propoſitio ſecunda ſequitur, & eſt hujuſmodi; Antiquitas adoptiva & ſecundaria non habet in ſe aut certam ſedem cui aſtringatur, aut certos terminos in quibus conſiſtat, aut certum firmamentum cui innitatur; ſed ambigua

eſt & perplexa, ſuíque pro temporum diſcrimine diſſimilis, adeóque labyrintheis plexibus implicata, ut ipſius non ſit facile principium, & multò difficilius exitum obſervitare. Inprimis, *non certos terminos aut certam ſedem habere* dixi, quia ipſius ſpatia ſæpenumero mutantur, ut ea nunc in exiguum orbem contracta, nunc latiſſimè diffuſa videas; ídque & reſpectu Seculorum & Hominum. Si Secula reſpicias, ea quæ nunc vetuſtiſſima dicuntur fuere aliquando recentis memoriæ, &, ut Arnobius, l.2.adverſ. Gentes, *Nihil nunc novum quod non aliquando & vetus erit; nihílque nunc vetus quod non fuit temporibus quibus cœpit novum ac repentinum.* Igitur in hac tanta mobilitate ecquis eſt qui certos fines circumſcribere poſſit? ecquis qui conſtituere ubi aut in quo ſeculo ſit tandem acquieſcendum? An in ſeculo quarto, quando Conſtantini nomen floruit? At Georg. Caſſander in præfat. Conſultationis, publicum Eccleſiæ teſtimonium maximè in iis Scriptoribus elucere dicit qui fuerunt ab ætate Conſtantini ad ætatem Gregorii, h.e. inter quartum & ſextum ſeculum. An igitur in ſexto? At alii ad octavum uſque protendunt, nè Beda, Theophylactus, Oecumenius & Damaſcenus. An igitur in octavo? At alii ad undecimum, imò ad ipſum Lombardum dilatant, nè S. Bernardus excludatur, qui licèt ſit ex infima antiquitate, at doctrinam de Chriſti officio & gratia liquidiùs intellexit & commodiùs expreſſit quàm multi Patres ſuperiorum temporum. Quid igitur? an in undecimo ſeculo? At verò & in hoc amygdalus nunc florere incipit, & canos ſuos protrudere; atque erit præterea quando poſteris noſtris hoc ipſum quod nos ducimus ſeculum videbitur albeſcere. Nulla igitur eſt certitudo Seculorum.

Deinde, ſi Homines reſpicias, eſt multò minor. Etenim dicite, quis dinumerare poterit pulverem Jacob? quis Veterum ſcripta ex ſitu tineíſque eruenda vel antecapto cogitatu prævidere? Si hoc durum, dicite, cujus vel provectiſſima ætas ſufficere poſſit aut expendendis, aut etiamnum legendis eorum ſcriptis quæ ad nos pervenerint? Nam ſi Origenes ſolus tot volumina ſcripſerit, de cæteris quid dicendum? Tomorum ſex millia exaraſſe Origenem nonnulli dixere, fide fictâ; at fide verâ Hieronymus mille & ampliùs Tractatus recenſet, præter innumerabiles Commentarios, ut nemo poſſit legere quanta ille conſcripſit: cùm tamen Origenes ſolummodo unus fuerit è ſexcentis qui ſecuti ſunt: iſtos quis erit volvendo? Aut ſi volvendo ſimus ea omnia quæ nunc exſtant, unde erit exploratum quid innumerabiles alii ſenſerint, quorum ſcripta nos fugiunt; cùm ex una ætate, Apoſtolis viciniſſima, eâque puriſſima, vix viginti recenſeri poſſunt quorum laboribus perfrui poſſimus? Non habet igitur certam aut ſedem aut terminos Antiquitas reſpectu Hominum. Atque ut non habet certam ſedem, ſic neque certum firmamentum. Idque primò, quia ſæpe ſibi parùm conſtans eſt antiquitas, ſed annus anno, & ſeculum ſeculo, idémque ſeculum ſibi nonnunquam repugnans. Secundò, quia nævis ſuis vitiíſque laboravit, quæ ut non ſunt malignè exagitanda, ità non trahenda in præjudicium veritatis. Quorſum ego excutiam ea omnia quæ de terreno Chriſti regno, de Angelorum natura & amoribus, de Dæmonum generatione & lapſu, de carnis Chriſti ἀπαθείᾳ, de neceſſitate Euchariſtiæ in parvulis, Juſtinus, Irenæus, Clemens, Hilarius, aliíque minùs cautè diſputarunt? Quæ omnia ut non eſt modeſtiæ inſectari, quia ortum habuere ab infirmitate; ità non eſt pietatis imitari, quia contra fidem. Poſtremò, & tertia ratio ſuccedit, quia hoc dato, quòd in nullo antiquitas deflexerit in ſcribendo; at nos in legendo vix ſatis certi ſumus, quia de multis non liquet an ipſius monumenta genuina ſint, an ſuppoſititia. Novitia ſunt non pauca quæ neſcio quo malo fato inſinuaverunt ſe

Hier. Ep. 61. Ep. 65. ad Pam. & Ocean.

se in antiquas familias, & pro seculis secula, pro authoribus authores substituuntur: ut si indiscriminatim omnes qui ubique feruntur Veteres apponeremus, sæpenumero solâ nominum authoritate pugnandum esset. Ecquis enim est qui nesciat quot Abdias, Prochoros, Martiales, Clementes, Dionysios, Amphilochios, Hippolytos dolus malus effinxerit? quas Petri & Marci Liturgias, quas Pontificum Epistolas, quos omnium ferè Patrum Sermones & Commentarios? Quòd si hos abortus priora secula fecere, & *nulla sit*, ut Plinius loquitur, *authoritas maculoso marmori*; quòd si tam suspenso & flexiloquo pede res veteres ad nos recurrant, ac columnis tam cariosis ac nutantibus suffulciantur: equidem res ipsa loquitur, me tacente, miseram & ancipitem esse fidei Christianæ sortem, si ex hac antiquitate secundaria sola penderet, quæ in se nec certos terminos habet, nisi definiatur Scripturâ; nec certam sedem, nisi consentiat cum Scriptura; nec immotam firmitudinem, nisi mutuetur à Scriptura, super quam quod non est superstructum, debile, ex qua quod non regulatum, dubium, in qua quod non libratum, leve. Hæc est Propositio secunda, Antiquitas secundaria non habet fixam sedem extra primam.

Ab hac transeundum est ad Propositionem tertiam: ea autem ex duabus prioribus emergit, & sic se habet; Si vera antiquitas non nisi in Scripturis Sacris reperiatur, ergò qui suarum partium Scripturas habet, is solus veram pro se habet antiquitatem; qui autem Scripturarum suffragio destituitur, is quantum ad fidei dogmata, nisi sit inanilogus, antiquitatem jactare non potest. Ex utraque parte contra Papistas Propositio pugnat: à dextris, quia antiquitatis suæ strepitu oppletas aures hominum vulnerant, & sunt tamen lucifugæ Scripturarum: quo jure, viderint, cùm hoc consensu omnium teneatur, Novum esse quod Scripturis non congruat, etsi statim ab Apostolorum temporibus originem suam trahat; idémque de Ecclesiis Græcorum, Æthiopum, Armeniorum Stapletonus fatetur, propter doctrinæ novitates postea inventas eas veram antiquitatem non habere, Contr. 1. De Ecclesia, q. 4. ar. 1. in Sol. argum. Deinde pugnat contra ipsos à sinistris, quia *novatores* nos perpetuò crepant, & peregrinum pecus, novitatis nostræ conscientiâ vetustati non satìs propitium. Verùm non est quòd nos hoc lusorio nomine & futili verborum sonitu moveamur: si novitatem Veteratores exprobrent, hoc novum non est, antiquum obtinent; Ethnicos imitantur; solenne hoc Ethnicis fuisse Prudentius docet, Hym. 10. de Romano Martyre, ubi Præses eum sic alloquitur,

Nunc dogma nobis Christianum nascitur,
Post evolutos mille demum Consules
Ab urbe Roma, &c.
Ubi iste vester tunc erat Deus? & quæ sequuntur.

Arnobius idem docet, l. 2. Adversf. Gentes; *Objectare soletis*, inquit, *novellam esse religionem nostram, & ante dies natam propemodum paucos.* Hoc ipsum & Pontificii nobis. At facilè probrum excutitur, non minùs quàm de S. Pauli manu pendens vipera: id ipsum respondemus quod Arnobius Paganis, *Ineptum est in eo alterum reprehendere quod in vos potest reciprocatâ vicissitudine retorqueri; nihil hoc aut vos juvat, aut nostram causam contristat. In mentem vobis veniant vestra dogmata, ex quibus proruperint radicibus; nos nostra nova profitemur, si serum aut novum dici possit quod ex fontibus Salvatoris emicuit.* Id ipsum quod Tertullianus Marcioni, (l. 1.) Deum novum Christum dicenti; *Quo potest*, inquit, *modo novus dici qui æternus? Viva & germana Divinitas nec de novitate, nec de vetustate, sed de sua veritate censetur. Deus si est vetus, non erit; si est novus, non fuit: quia æter-*

nitas tempus non habet. Id ipsum quod S. Augustinus Honorato, l. De util. credendi, c. 8. *Si jam tibi satis jactatus videris, finemque hujusmodi laboribus vis imponere, sequere viam catholicæ disciplinæ quæ ab ipso Christo per Apostolos ad nos usque manavit.* Si ista non sufficiant, ex Stapletono suo respondemus, qui Controv. 1. De Eccles. q. 4. ar. 1. antiquitatem sic describit, ut ea Ecclesia quæ sanam doctrinam habet & retinet, antiquitatem etiam habeat, quamvis non diu duraverit, aut prior exstiterit. Viderint ergò Pontificii quâ fronte nos *Novatores* vocent, qui aliàs nos *Scripturarios* appellant; quæ nomina sunt aut planè ἀσύστατα, aut saltem non bene inter se cohærentia: nam qui Scripturarum doctrinam sequuntur, obsecro, quomodo sunt *Novatores?* An novi sunt qui antiquitati primæ adhærent? Imò novi sunt, vel ipso teste Stapletono, non illi qui nuper docere incipiunt, sed illi qui novam fidem & nova dogmata cudunt. Fruantur igitur illi, quod Eutropius de Trajano, *natum eum familiâ antiquâ magis quàm clarâ*; nos illo contenti sumus Antonini Pii elogio, quem fuisse dicit *genere claro, licèt non admodum veteri:* quanquam quod in rebus fidei clarum, id omnino vetus, & non novum est dicendum. Nova sunt quæcunque ex Scripturis probari non possunt: sed in Scripturis quæ habentur, vetera; & ex Scripturis qui doctrinam Apostolicam proferunt, veteres. *Hâc lege fidei manente*, ut Tertull. loquitur, *cætera omnia admittunt novitatem correctionis: hâc non manente, nihil est quod admittit nomen antiquitatis.* Enimvero si dogma aliquod nostrum adducere possint quod ex Scripturis probari non potest, nos illud novum esse non inviti fatebimur: sed si ex Scripturis demonstramus doctrinam nostram semper fuisse in mundo Christiano, docuisse eam Christum, docuisse eam Prophetas & Apostolos, atque Ecclesiam Apostolorum tempore tenuisse; antiqua necesse est ut sit, & proinde vera. Etenim si interrogationibus se salutari aliquantisper patientur, libenter percontari velim, An novitii sunt qui habent à suis partibus Prophetas & Apostolos? (concedatur interea quòd adversetur Sanctis Patribus fides nostra, quod tamen nunquam evincent, etiamsi rumpantur) An novi sunt qui pro se Prophetarum sanctissimum chorum & Apostolorum supremum præsulatum accire possunt, Petrum, Paulum, Joannem, Davidem, Mosen, ipsum Christum, ipsum Deum? Contra nos militent Augustini Civitas, & Hexaemeron Basilii, Gregorii Moralia, & Officium Ambrosii, Cyrillorum, sive hujus Exegeticum, sive illius Catecheticum opus, & ingens volumen Sermonum Chrysostomi, ut cæteros prætercam. An novi sunt qui ad ipsum ante omnes posteros primum, qui ad ipsum antiquitatis fontem recurrunt? Obsecro, ecquis inter Patres antiquior Joanne? ecquis qui ultra Mosen stemmata sua potest deducere? ecquis ultra omnium & Salvatorem & Conditorem, primum eundem & ultimum, Jesum Christum? Habet ab ipsis mundi incunabulis, habet ab utroque Instrumento ortûs sui testimonium hæc antiquitas; nam Moses clave Spiritûs aperuit, & Joannes clausit. At verò his armis accincti, nos contra primatum Papæ, & Purgatorii fabulam, & Cultum Imaginum, & dimidiatam Communionem, & Operum meritum, & id genus alia ipsorum commenta pugnamus: hæc nos honoris insignia expandimus, hæc nomina familiæ nostræ, has imagines, non fumosæ, sed vividæ antiquitatis; ignitum carbonem, qui Prophetarum ora tetigit, non sic Patrum; dispertitas linguas, quæ non sederunt super Patres, sederunt super Apostolos, quos solos qui habet antiquitatem veram habet. Sunt enim in rebus fidei voces convertibiles, Apostolicum & Antiquum, non, Apostolicum & Novum: ex quo sequitur ut sublato Apostolico Antiquitas nihil valeat; & posito, Novitatis exprobratio non penetrat. Hæc Propositio ultima,

Non

Eutrop. de utroque.

De vel. Virg.

Non deesse veram antiquitatem si Scriptura astipuletur; deesse autem ubi non astipulatur. Et quod ad Propositiones spectat, hæc sufficiant.

Documenta quæ exinde profluunt tria sunt. In controversiis fidei non in secunda antiquitate acquiescendum, sed in prima: hoc primum. In omnibus ad antiquitatem appellationibus non tam antiquitas ipsa expendenda quàm veritas. Post veritatem elicitam, antiquitas habet insignem & usum & laudem & gratiam.

LECTIO L.

A Vobis impetrare velim, Auditores, hodie, quod olim ab Atheniensibus suis Euripidem deprecatum legimus. Cùm Bellerophontem hominem avarum auri laudes prædicantem introduxerat, & dicentem, *O aurum ingens generis humani bonum, quod & hominum & cœlitum amores ad se trahit!* totus repentè populus subiratus dicitur consurrexisse, donec Euripides ipse in medium prosiliens, obtinuit tandem ut in theatro manere vellent,& paulisper exspectare quem admirator auri exitum faceret. Pariter & mihi liceat, (ad extrema jam perducto termino, & scabellis tantùm non concrepantibus) liceat, inquam, à vobis petere, ut in his de Antiquitate dissertationibus etiamsi molesta sit lentitudo nostra, vos eam tamen veteri patientiâ vestrâ mollire velitis,& rei exitum exspectare, donec in totius consummatione operis demonstravero quantum & quale bonum hæc toties agitata Antiquitas fuerit, quæ tum nostros tum Adversariorum amores ad se rapit, & lites suscitat vix ullâ ætate dirimendas. Enimvero non me fugit illud S. Bernardi veriverbium, *Copia solvit in ignaviam*; vel, ut est apud Livium, *Copia fastidium facit.* Sed in rebus aliis id magis usuvenire existimo quàm in vobis aut audientia vestra: nam vobis hanc copiam nostram satietati non esse video, nec in ignaviam solvere, sed in alacrem & virilem operam; neque fastidium movere, sed studium, & de veteribus nova, & de novo quæ olim diximus vetera audiendi. Vetera quæ accepistis hæc erant, Veram & Canonicam Antiquitatem esse primitivam illam in scriptis Propheticis & Apostolicis comprehensam: Antiquitatem secundariam sive Ecclesiasticam non habere aut certam sedem, aut certos terminos, aut certum firmamentum extra primitivam: Postremò, Quicunque suarum partium Scripturas habet, eum solum veram pro se habere antiquitatem; qui autem Scripturarum suffragio destituitur, eum antiquitatem in rebus fidei jactare non posse. Fuerunt istæ tres Propositiones Fundamentales, in quibus pars prima hujus disputationis est constituta.

Nunc demum principiis cognitis, faciliùs multò extrema intelligetis, quæ sunt illa Documenta practica in quibus pars operis altera est collocanda: sunt autem pro Propositionum numero tria hæc quæ sequuntur fusiùs pertractanda.

Documentum primum sic se habet, Si prima & vera antiquitas in solis Scripturis reperiatur, secundaria in hominum testimoniis; ergò in controversiis fidei non oportet acquiescere in secunda, donec ad ipsum fontem, h.e. ad primam, veniamus, ad quam solam fit legitima, à qua sola fieri potest nulla appellatio. Ex duobus filis hæc tela texitur, Negativo & Affirmativo.

Primum est Negativum, Quòd non oportet acquiescere in antiquitate secundaria:

secundaria. Quæ ratio? Varia & multiplex. Prima, est via sine certitudine, via dubia & anceps, quæ & fallere & falli potest; cùm è Doctoribus vix quisquam sit qui non aliquam labem à seculi in quo vixit tactu contraxerit; & de Veteribus singulis verum est quod Thebanus Crates de Philosophis dixit, *In quovis hominum, ut in malo punico, esse aliquod granum putre*, quod discrimen affert & ruminanti, & insequenti. Quòd si Antiquitas via sit fallibilis, non potest præstare indubitatum fidei argumentum, cùm nulla sit animi quies ubi dubitationi relinquitur locus. Hoc ex Hegesippo Eusebius observat, l. 3. Eccl. Hist. c. 32. *Non esse in seculis posteris immotam firmitudinem, eò quòd solummodo ad Trajani tempora, in quæ incidit persecutio Ecclesiæ 3ª, anno Christi* 110. *puritatem suam Ecclesia retinuerit. Usque eò*, inquit, *permansit* παρθένος καθαρὰ καὶ ἀδιάφθορος, *virgo integra & incorrupta:* at postquam Apostolorum chorum mors abstulisset, irrepsit illico falsa & commentitia doctrina, etiam in prima post Apostolos tempora. Si id acciderit primis, quid subsequentibus, putas, factum est? Neque enim ipsi Adversarii negant, eò pejora fuisse secula quò magìs ab Apostolicis temporibus absuerunt: & nos juxtà cum illis, quòd magna fuerint Ecclesiæ lumina Veteres non diffitemur; sed meminisse etiam oportet, habuisse in se ipsorum ætatem nonnihil lumini quàm simillimum: nam sicut lumen quantò Soli vicinius est eò splendet illustriùs; sic Patres quò Christo & Apostolis viciniores, eò puritatem illius antiquitatis magìs ut plurimùm retinent, & referunt nobis fideliùs, & quò magìs distant ab origine, eò ad labendi periculum accedunt propiús. *Ut plurimùm* dixi, in universum enim non tenet; nam unus Augustinus, qui ex classicis est penè recentissimus, attamen puritate doctrinæ non solùm posteriores sed & antecessores suos, saltem multos ex iis, videtur superasse: sed ut plurimùm verum est, quòd quò longiùs ab Apostolicis temporibus discessum est, eò in pejus prolapsum. Ergò hæc prima ratio, Est via sine certitudine.

Secunda sequitur, Est via sine termino, via indefinita, è qua vix ullus pateat exitus: at appellatio irrevocabilis non fit nisi ad primum aliquod & summum, quod in istis post Apostolos seculis haberi non potest; quia semper prius est & superius aliquid quò se mens recipiat. Esto, sit quintum seculum quod advocamus: est illud quidem perantiquum, sed non est antiquissimum, est aliquod prius, quartum ante quintum. Esto, sit quartum: est hoc magìs a memoria nostra remotum, sed non est antiquissimum, est aliud antiquius, tertium ante quartum, & secundum ante tertium. Ubi igitur se sistat inquisitionis ratio? si non in quarto, aut tertio, aut secundo, ergò in primo, quod aureum erat Apostolorum seculum, velut caput imaginis; quò cùm deventum fuerit, ultrà progredi non possumus, quia nihil prius, nihil antiquius. Huc S. Hilarius prospexit in illa Antiquitatis definitione quæ habetur in Commentariis super Psal. 138. *Antiqua sunt*, inquit, *quæ modum non habent, quæque indefiniti temporis significant vetustatem*; h. e. quæ sic excedunt alia tempora, ut nullum habeant antiquius aut prius: hoc autem est Scripturarum peculiare privilegium, ad quas, velut supremam Curiam & sacrosanctum Synedrion, fit ultima appellatio. Et hoc telæ est, quod dixi, filum alterum, nimirum Affirmativum, In sola illa primitiva Antiquitate simpliciter esse conquiescendum.

in Psal. 86. *l. 1. De fide, ad Grat. c. 7.*

Hoc sensu Patres antiquitatem semper prædicant, ut *post Apostolos nemo, quamvìs sanctus, habeat authoritatem*; sunt verba Hieronymi: ut *facessat Doctorum sententia, & interrogentur Apostoli*; verba sunt Ambrosii: ut *auferantur de medio aliorum chartæ, & procedant in medium annales sacri, codex Dei*; sic se Augustinus explicat, in Psal. 57. Hoc sensu Sancti Cyrilli illa,

illa apud Cyrinensem in Concilio sententia est accipienda, *ut sola antiqua fidei dogmata confirmentur, damnentur novitia.* Hoc sensu S. Bernardi illud, quòd Novitatem vocat *matrem temeritatis, sororem superstitionis, filiam levitatis:* nimirum si primitivæ Antiquitati se opponit. Hoc sensu B. Cyprianus *ad Divinæ traditionis caput & originem singula esse examinanda* profitetur: *ut si in aliqua nutaverit veritas, ad originem Dominicam, & Evangelicam, & Apostolicam reducatur; ut indè surgat actûs nostri ratio unde ordo & origo excessit.* Hoc sensu Tertullianus & Praxeam *hæreticum hesternum*, & Hermogenem *hodiernum* appellat; & istius doctrinam *novellam*, illius ipsam *novellitatem.* Hoc sensu toties inculcat prioritatem Catholicam & posterioritatem hæreticam; ut verum sit quodcunque primum, adulterum quodcunque posterius. Hoc telo de Marcione hæretico triumphos agit, l. 4. & ad hoc tribunal sistit, ut videat quod lac à Paulo Corinthii hauserint, ad quam regulam Galatæ sint recocti, & Philippenses, & Thessalonicenses, & Ephesii, & Romani. Hoc eodem telo omnes hæreticos confodit, in lib. De præscript. quando interrogat eos qui sint, unde venerint, ubi tamdiu latuerint: & tum demum eos incitat ut ad Apostolos se vertant, à quibus traducem fidei & semina doctrinæ cæteræ Ecclesiæ mutuatæ sunt; ac per hoc Apostolicæ deputantur, quia soboles erant Apostolicarum Ecclesiarum. Rationem addit, quia omne genus ad originem suam est censendum, omnes Ecclesiæ ad Apostolicam, à qua omnes: ut omnis doctrina quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus & originalibus fidei, conspirat, veritati deputetur; reliqua verò omnis doctrina de mendacio arguatur. Hoc sensu Timotheum S. Paulus cohortatur ut depositum custodiat, devitans profanas vocum novitates. Hoc sensu Salvator in Evangelio Pharisæos revocat ab antiquis & suis & Mosaicis ritibus, ad aliquid ipsis antiquius: nimirum & ad legem Naturæ, Matth. 19. 8. *Ab initio non fuit sic*; & ad legem suam, quæ antiquior est antiquissimâ, Matth. 5. *Sic dictum est à veteribus, Ego autem sic.* Hoc sensu licet, si Allegoriis gaudeant Adversarii, & illud Salomonis huc transferre, Prov. 22. 28. *Nè transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui*; hoc est, dicente Hieronymo, *Nè transgrediaris terminos fidei quos ab initio statuere Catholici Doctores:* & illud Mosis, Deut. 32. 7. *Mementote dierum antiquorum, cogita generationes singulas; interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi.* Eòdem recidunt singula, quia fidei Majores sunt Apostoli, & termini doctrinæ salutaris scripta Apostolica, & origo atque initium veritatis Evangelicæ prædicatio Apostolica. Ad hoc initium, ad hos terminos, ad hanc antiquitatem donec veniatur, non invenit requiem pedibus suis Columba Christi: ad hanc si veniatur, abunde habet in quo conquiescat. Hoc Documentum primum est, In secunda antiquitate non esse acquiescendum, donec veniatur ad primam.

in Gestis Cyrilli.

Bern. Ep. 174. ad Canon. Lugd.

Cypr. Ep. 74. ad Pompeium.

Tert. adv. Praxeam.

Secundum est hujusmodi; In omnibus ad Antiquitatem appellationibus non tam antiquitas ipsa quàm doctrinæ veritas est expendenda: & quia Antiquitati veritas præponderat, & quia veritati Novitas non præjudicat; sed & antiquum, si falsum fuerit, non fit canitie melius, & verum, si novum videatur, non tamen fit novitatis præjudicio deterius. Quòd si quæ in se bona sunt & vera propter hoc ipsum explodantur quia nova: actum erit de *nova massa*, & *nova creatura*, & *nova veste*, & *novo cantico*, & *novo vino*, & *novis utribus*; quæ singula Christus, & Christi fidissimus Amanuensis Paulus, toties prædicant. Quapropter quando in Tertulliani Apologetico legimus, *Antiquiorem omnibus veritatem esse, ut rubigine ferrum, vinum aceto, triticum zizaniis*; de modo essendi id intelligendum est, & non de modo

cogno-

cognoscendi: nam si in tempora manifestandi & revelandi gradum oculos conjicimus, aliquando accidit ut *temporis filia* Veritas sit dicenda, quia eam è tenebris tempus eruit, & in lucem emittit; nec non aliquando ut Error coætaneus sit veritati, imò verò prior; útque alternis vicibus, & novum videatur quod est antiquum, & antiquum quod novum. Neque hoc S. Joannem fugit, qui idcirco Dilectionis mandatum & *novum* dixit & *vetus*; in se quidem vetus, quia à principio, novum, quia calamo Apostolico de novo est exaratum, postquam diu latuerit velut deperditum. Huc accedit, quòd S. Pauli doctrinam Philosophi *novam* vocabant, Act. 17. 19. & Salvatoris doctrinam populus, Marc. 1. 27. non quia in se erat, sed quia videbatur; non quia nupera, sed quia incognita. Et *Ego nova sæpe videor dicere*, inquit M. Cicero, *cùm pervetera dicam, sed inaudita plerisque*. Et id ipsum S. Ambrosius exemplo Cain & Abel perspicuum reddit; *Prævenit Cain ubi generatio exprimitur, ubi disciplinarum fit prædicatio præcurrit Abel:* sic innocentia potest esse posterior quàm malitia; sed si sit ætate posterior, est meritorum nobilitate antiquior. Quocirca prospiciendum est semper ad id quod eminet; non tam quantum author quisque ad tempora, sed quantum ad scripta Apostolorum adventet: quia, ut Seneca Epist. 4. de Nobilitate, *Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus*; ità nos de Veritate, Non annis censenda veritas est, sed mysteriis. Annon hæc æqua est antiquitatis circumscriptio? doceat nos S. Ambrosius; *Tunc verè*, inquit, *venerabilis est senectus, non annis cana, sed moribus*; tunc *est corona gloriæ, si in via Justitiæ inveniatur*, ut Salomon loquitur, Prov. 16. 31. Quid quòd & pessimi hominum antiquitatem jactare & possunt & solent, qui veritatis tamen vix quicquam habent? vix enim quisquam est Ethnicorum qui gentem suam vel ad Achillem, vel ad Æneam, vel Herculem, vel veterum Heroum aliquem non referat. In eo Athenienses gloriabantur, quòd essent αὐτόχθονες, & Arcades, quòd essent προσέληνοι,

De Oratore.

De Cain & Abel c. 3.

——astris lunâque priores,

ut Statius loquitur, in 4. Thebaidos: unde Virgil. Æneid. 8.

——Arcades ipsum
Credunt se vidisse Jovem.——

Neq; hoc hæreticis inusitatum. In Concil. Chalcedonensi, Act. 1. Dioscorus hæreticus sæpius pro se dixit, *Ego testimonia habeo Sanctorum Patrum, Athanasii, Gregorii, Cyrilli, multis in locis; ego cum Patribus dejicior; ego defendo Patrum dogmata, non transgredior in aliquo.* Et in eodem Concilio, Eutyches hæreticus, *Ego legi scripta B. Cypriani, & Sanctorum Patrum, & S. Athanasii; sic à progenitoribus meis accepi, in hac fide baptizatus sum.* Sic ipsi idololatræ Judæi ad Jeremiam prophetam, *Hæc fecimus nos & patres nostri, & reges nostri, & principes nostri, & saturati sumus panibus, & bene nobis erat.* Sic saccos veteres Gibeonitæ produxerunt, & utres veteres, & vestimenta vetera, & vetera calceamenta, & panes præ vetustate mucidos, ut Israelitarum duci Josue se à longinquo terrarum tractu venisse persuaderent, Jos. 9. 4. Sic pro se Symmachus rhetoricatur apud Prudentium & Ambrosium, lib. 5. Ep. 30. *Præstate, oro vos*, inquit, *ut ea quæ pueri suscepimus, senes posteris relinquamus: quòd si longa ætas authoritatem religionibus faciat, servanda est tot seculis fides, & sequendi sunt nobis parentes, qui sequuti sunt feliciter suos.* Sic apud Minutium & Arnobium gentiles; *Antiquiora nostra sunt, & per hoc fidei & veritatis plenissima.* Et sic ad hodiernum usque diem sumptuosissimè se ostentant Pontificii, *Ecclesiam, Ecclesiam, Antiquitatem, Antiquitatem*; quasi ipsum vidissent Jovem, aut soli cum Evandri matre loquuti essent, *astris lunâque priores.* Dici non potest

quas

quas nugas, quas fabulas agunt sub his victis nominibus; ut quod obtinere non possunt veritate, obtineant tempore. Ad hæc quid nos? Equidem quod Prudentius Symmacho; *Potior tibi pristinus est mos, quàm via justitiæ, quámque fides veri.* Quod Minutius Ethnicis; *Non debet vos antiquitas imperitorum fabellis suis delectata ad errorem mutui rapere consensûs.* Quod Arnobius eisdem; *Quasi verò non errorum antiquitas plenissima mater sit; & non ipsa pepererit res turpissimas.* Quod Cyprianus de Novatianis, Ep. 73. ad Jubaianum; *Simiarum more, quæ cùm homines non sint, homines tamen imitantur, & Ecclesiæ Catholicæ authoritatem sibi vendicant quam non habent.* Quod Gregorius de hæreticis, Moral. lib. 12. cap. 15. *Hæretici, ut ea quæ asserunt commendare stultis mentibus quasi de antiquitate possint, antiquos Patres se habere testantur, atque ipsos Doctores Ecclesiæ professionis suæ magistros dicunt; cúmque præsentes prædicatores despiciunt, de antiquorum Patrum magisterio falsâ præsumptione gloriantur,* &c. Si hæc ex Patribus minora sunt, respondemus ex Scriptoribus Ethnicis. Quod M. Varro apud Augustinum de Romanis principibus, *Æquum est ut viri fortes, etiamsi sit falsum, ex diis se genitos esse credant*; hoc nos de Papistis. Quod Suetonius de Vitelliis, *Vitelliorum originem alii aliam, & quidem diversissimam, tradunt, partim veterem & nobilem, partim novam & obscuram*; hoc nos de Papistis. Quod Cicero in Pisonem, *Obrepsisti ad honores errore hominum, commendatione fumosarum imaginum, quarum simile habes nihil præter colorem*; hoc nos de Papistis. Ad extremum, quod Antisthenes de Atheniensibus ipse Atheniensis; cùm illi capillis complicandis aureas cicadas adhiberent, & insolenter se vocarent τεττιγοφόρυς, id est, *cicadiferas*, ut eo argumento se terrigenas ostenderent, Antisthenes acutè succlamavit, *Nihil eos esse nobiliores κοχλιῶν ϗ ἀττελέβων*, id est, *cochleis sive limacibus & locustis*: hoc, hoc, inquam, in promptu nobis est ad istos fabulosæ antiquitatis Thrasones respondere, qui fronte falsâ & formidine inani territare se nos putant, suâ sub vetustatis larva introductâ novitate. An nos adeò infantes, adeò cæcos putant, ut non videamus quæ strophæ, quæ præstigiæ sub hoc velo delitescant? Indoctæ plebi glaucomam objicere hæ sutelæ possunt, non aquilinis oculis. Quasi verò nos nesciamus quo nuperrimo seculo Primatus Papæ, Communio laica sub una Specie sit introducta: non nisi post sexingentesimum annum illum, fatente Sigeberto; non nisi post millesimum hanc, si Cassandrum audiunt. Annon est præclara antiquitas? Serò & cognitum & receptum in Ecclesia fuisse Purgatorium Roffensis, Con. assertiones Lutheri, asserit; atque non omnino de Indulgentiis loqui Ambrosium, Hilarium, Augustinum, Hieronymum, Durandus fatetur. Annon est speciosa antiquitas? De Conjugii interdicto quid dicam, aut de Cultu Imaginum, aut de defunctorum Invocatione, aut de Sacris linguâ incognitâ peragendis, aut de Transubstantiationis dogmate, & centum id genus aliis? quæ reptitia sunt & accita singula, ut vix quenquam lateat quam ætatem habent. Si his cicadis Articulos fidei intertexunt, quas è terra singulas aut (nè quid profundius dicam) ex Antipodum regno ortas novimus, non miror si se αὐτόχθονας prædicent & προσελήνυς. Doctrina demonstrat, & illa Purgatorii, quòd sunt è terra editi; & illa altera Primatûs, quòd ante Lunam nati sunt; & tertia Cultûs idololatrici, quòd sunt populus multarum imaginum, in Faunorum aliquando familiam adoptandus. Enimvero si ostendant ea de quibus nobiscum litigant ex Deo, h.e. ex Scripturis, adeóque primitiva antiquitate, profecta esse, tunc vetustatis

2 Cont. Symm.

l. 1, & 2.

Civit l. 3. c. 4.

Diog. Laert. in ejus vita.

Art. 18.

Sen. 4. dis. 20. q. 3.

præmium

Hedera & corona querna insignia vetustatis. *Valer.*

præmium Bacchi hederam deportent soli, aut Arcadibus debitam coronam quernam: at si aliunde fluant, & peregrinâ stirpe oriantur, ædepol dum antiquitatem crepant, fumos vendunt, & obductâ nebulâ insipientium oculis imponunt. Quocirca ut hæc omnia in arctissimum contraham, Quod apud Ciceronem, 2. De legibus, ad Athenienses Apollo Pythius respondisse dicitur, cùm illi consulerent quas religiones tenerent, *Eas*, inquit Pythius, *quæ sunt in more majorum*; cúmque iterum quæsivissent, quem morem è variis potissimùm sequerentur, cùm mos majorum sæpe mutatus esset, respondit, *Optimum*; quia id habendum est antiquissimum quod optimum est & Deo proximum: Hoc ipsum nos de Papistarum novitatibus respondemus, ídque non ex Pythio, sed ex Divino oraculo, Si ità se res haberet, ut ex quatuor primorum post Apostolos temporum secunda antiquitate sua dogmata demonstrare possint, non esset utique hæc ipsa firmitatis spectatæ probatio, nisi primitivæ antiquitati congruerent; at cùm & secundam antiquitatem, quæ sæpe mutata est, mentiantur, & primitivæ etiam, quæ est in Scripturis, repugnent, sufficit nobis illud Cypriani ad Pompeium retorquere, *Consuetudo sine veritate vetustas erroris est*; & illud Arnobii ad Gentes, lib. 2. *Religionis authoritas non est tempore æstimanda, sed numine*; & illud inprimis Spiritûs Sancti, Ezech.20.18. & Zach. 1.4,5. *Patres vestri ubi sunt? Nè sitis sicut patres vestri. In præceptis patrum vestrorum nolite incedere, nec judicia eorum custodiatis: Ego Dominus Deus vester; in præceptis meis ambulate, & judicia mea custodite.* Ad hanc antiquitatem nos Spiritus Sanctus remittit; ad hanc ipsi Patres, & ante Patres Apostoli, & ante Apostolos Christus sæpe provocavit: quia hæc sola in veritate fundata est, *adversus quam quodcunque sapit est hæresis,* inquit Tertull. *etiamsi sit vetus consuetudo: quia Christus non Consuetudinem se appellavit, sed Veritatem, cui soli nemo præscribere potest; non spatia temporum, non patrocinia personarum, non privilegia regionum.* Hoc secundum est documentum, In omnibus ad antiquitatem appellationibus non tam antiquitatem expendendam esse quàm doctrinæ veritatem.

Ep.74.

Tert. De vel. Vir.tribus locis.

Documentum tertium est ejusmodi; In Theologicis ad antiquitatem appellationibus, post veritatis curam rationémque habitam, etiam Ecclesiasticæ antiquitatis reverentia usúsque debitus non est aut negligendus aut contemnendus, sed venerando complexu honorandus, & in omnimodum veritatis compendium trahendus. Hæc sententiæ nostræ summa, hæc Orthodoxorum aperta professio, Non deponendam esse primorum temporum curam, sed postponendam Scripturis; neque in nullo loco collocandam, sed in secundo & suo. Huc nos deducunt Theologorum illa celeberrima Axiomata, τὸ πρεσβύτερον τιμιώτερον, τὸ παλαιὸν ἀξιωματικὸν, *Illud nobilius quod antiquius, illud nobilissimum quod antiquissimum:* ut unguentis & vinis, ità scriptis pretium addit antiquitas. Huc nos vel Cicero ipse, Theologis tacentibus, qui in primo De Divinatione, *neminem esse dicit quem non moveat clarissimis monumentis testata consignatáque antiquitas: cùm habeat ut in ætatibus authoritatem senectus, sic in exemplis vetustas.* Huc nos Doctarum frontium consensus universus, qui semper eruditionem in antiquitatis notitia collocabat. Nam & Macrobius Sat. 1. 5. *parentem artium* Antiquitatem vocabat; & eruditissimos homines Apuleius, *Doctrina veteris viros:* & virum sapientissimum Ennius cùm laudare vellet, hoc angusto ambitu constringit,

——*Multa tenens antiqua sepulta.*

Quò

Quò possumus & illud Claudiani conferre, qui in Institutione Principis hanc inter primas doctrinæ regulas statuit,

—*Non desinat unquam*
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.

Denique & huc nos adigunt omnes istæ loquendi formulæ apud authores classicos solennes & usitatissimæ, in quibus si quid obscurum erat & infimum, id *novum* vocabant; quæcunque verò clara & summa, *antiqua.* Sic Lucii Sexti Consulatum T. Livius lib. 7. *Novi hominis Consulatum* appellat; *Annus hic erit insignis novi hominis Consulatu: novi hominis*, id est, plebeii & inglorii. Sic Plinius junior, lib. 8. Ep. 9. ad Prosocerum suum, de hoc gloriatur, *quòd liberis suis non relicturus esset novas subitásque imagines,* hoc est, inhonoratas & viles. Et è contrà, de Volusio Tacitus, lib. 3. *Volusio vetus erat familia,* id est, nobilis; & de Camillo Lampridius in Alexandro Severo, *Vivius Camillus, senator antiquæ familiæ,* id est, illustris & generosæ. Sic apud Terentium, Adelph. *homo antiquâ virtute & fide*, id est, optimâ. Quid quòd S. Hilarius cont. Auxentium, (cont. Arianos p. 243.) *gravem esse authoritatem veterum* prædicat? & S. Basilius in prima De Jejunio concione, primam Jejunii laudem in antiquitate posuit; οὐκ ἔστιν, inquit, νεώτερον τὸ εὕρημα, ἀλλ' ἀρχαῖον δῶρον ἡ νηστεία, *Non est recens inventum Jejunium, sed vetus donum, & pretiosus thesaurus à majoribus repositus; tam vetus, ut simul cum homine condito cœperit, & in ipso Paradiso est præscriptum:* & tum demum concludit, πᾶν τὸ ἀρχαιότητι διαφέρον αἰδέσιμόν ἐστι, *Quicquid vetustate præcellit est venerabile, & quò vetustius eò venerabilius.* Hæc ille. Sed quorsum ego ista sive è Patrum scriptis, sive è Gentilium literis, cùm ipsæ Scripturæ passim doceant, magnam & esse & esse debere Antiquitatis reverentiam? neque enim frustrà præceptum præcepto accumulat: ídque & in abstracto, *Nè transgrediaris terminos antiquos*, Prov. 22. 28. *Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona*, Jer. 6. 16. & in concreto, Deut. 32. 7. *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, majores tuos, & dicent tibi*; & Levit. 19. 32. *Coram cano capite consurge, & honora personam senis, & time Dominum Deum tuum*; & 1 Tim. 5. 17. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.* Hæc omnia laudis præconia antiquitati ferenda esse Spiritus Sanctus edocet; & hæc omnia nos ipsi ultro deferimus; interrogamus eam, honoramus, reveremur, duplici honore prosequimur, eam inprimis quæ purioribus fuit & florentissimis Ecclesiæ temporibus. Vultis ut verbo absolvam omnia? Accipitote paucis; Magnus, imò maximus est antiquitatis in rebus fidei usus, varia & multiplicata utilitas.

Primò, adversus hæreticos veteres, eósque qui eorum errores ex inferis revocare conantur: nam ipsius alis sublati, & salubribus sententiis confirmati quæ verbo Dei congruunt, de controversiis confidentiùs pronuntiamus. Secundò, adversus Pontificios, qui antiquitatis veræ falsam speciem mentiuntur; ut cognoscat quilibet eos temere de antiquitate gloriari, útque ipsi sentiant quàm inopinatò suis alis capiantur, atque non fortibus modò S. Scripturæ telis, sed istis Antiquorum fulgentibus sententiis de turre non sua agantur præcipites. Tertiò, ad Scripturarum intelligentiam, quas in antiquitatis monumentis & fideliter tractatas & perspicuè adapertas habemus: ut his lucernis ducti ad reliqua indaganda nos feliciùs accingamus. Quartò, ad Crasin temporum, atque tum Doctrinæ tum Disciplinæ veteris statum seriémque indigitandam.


digitandam. Hâc scalâ evecti, ad ipsum caput & summitatem temporum ascendere possumus, atque in ipsa penetralia introspicere. Postremò, ad cujusvis argumenti Theologici ante populum tractandi ornatum atque profectum: cùm hoc sit indubitatum, multò amplius exstitisse & scientiæ & conscientiæ, & pietatis & zeli, in priscorum scriptis, *ipsum spiritum martyrii redolentibus*, ut Erasmus loquitur. Hæc æquum est nos singula antiquitati tribuere, atque non inviti tribuimus. Affirmamus, imò asserimus, eminentiam quandam fuisse in priscis illis Doctoribus officii & dignitatis, quòd primi erant post Apostolos Episcopi; scientiæ & eruditionis, quòd genus erant eruditius posteris, & in amœnitatibus cœlestis literaturæ excellentius; adhuc, probitatis & justitiæ, quòd vitæ fuerant magìs inculpatæ, non ambitionis aut avaritiæ pessimis affectibus capti, quibus nostra tempora plùs nimiò sunt delibuta; postremò, ætatis & temporis, quòd Apostolis viciniores erant, quando & sanctitas nitidior & veritas incorruptior emicuit, quando ut infantia major, itâ major innocentia puritásque Theologiæ, quarum utraque postmodum maximòpere defloruit. Hosce nos dignitatis titulos antiquis Doctoribus devovemus, hæc honoris insignia expandimus: sed reservatâ semper quæ debetur & recentiori Ecclesiæ gratiâ, cujus non sunt adeò effœta viscera ut nihil nunc laudabile pariant posteris transmittendum; & quæ Scripturis Sacris authoritate, à quibus solis veræ antiquitatis ratio regulàque est petenda. De Antiquitatis valore hæc sunt quæ dicenda putavi, tribus Propositionibus tribúsque Documentis ea omnia complectendo.

De validitate Consensûs non nisi Termino sequente est agendum, ut idem possit esse & anni finis & argumenti.

LECTIONUM

LECTIONUM
PARS SECUNDA.


Rr 3



LECTIO I.

Mat. 4. 1.

Tunc Jesus ductus est in desertum, &c.



Uantâ animi hilaritate & studio ad vos Ego hodie volitem, Auditores optimi, quóve infortunio à vobis jampridem divulsus fuerim, mallem multò ut vos ipsi, pro ea quâ polletis ingenii solertia, ex vobis jam conjiciatis, quàm ut à me id renovandum exspectetis: cùm & vix possibile sit acerrimum meum vos resalutandi desiderium ad plenum explicare, temerarium esset silentii anteacti causas rationésque vel leviter tangere. Ad utrumque tamen sufficere potest S. Chrysostomi illud quod aliquando in Auditorum suorum fide dictum deposuit, Σπουδὴ σπουδὴν γεννᾷ, καὶ ῥᾳθυμία ῥᾳθυμίαν, *Studium studium parit, & ignavia ignaviam*. In istis verbis duo sunt quæ meo proposito inserviunt documenta: de Actu virtutis & vitii primum, quòd ut muneris præclara administratio nascitur ex studio, sic ejusdem prætermissio ex negligentia: de Gradibus virtutis & vitii alterum, quòd sicut virtus non figit sibi metas, sed adolescit à studio in studium; ità nec vitium sibi, sed decrescit à negligentia in negligentiam. Inter hæc duo vocabula me hodie collocatum existimo, velut inter sacrum & saxum, inter studium & negligentiam. Ad negligentiam quod attinet, non diffiteor, aut, si magis placet, agnosco, ex illo solo seminario diutinam hanc Cathedræ taciturnitatem manasse; quòd ego cessator & fucus, atque deliciarum homo, me totum somno otióque addixerim; quòd equis canibúsque atque spectaculis gaudens, ad officii partes peragendas piger evaserim: adeò meâ totum hoc culpâ est factum, & ambitione meâ meâque oscitantiâ, post terminum unum, & deinde alterum, desuetudine pigritiam, pigritiâ veternum pariente. Quòd si quis è vobis, qui quidem omnes homines estis naturâ & consuetudine lenissimi, ex molestiarum difficultatibus aut negotiorum importunitate illud ortum crediderit, fruatur per me licet sensu suo, gratiámque insuper habeo pro comitate propensam: veruntamen pro levanda hac qualicunque culpa, ad ea diverticula in re manifesta non fugio, cùm nihil futilius sit quàm in Senatu gravissimorum virorum de ista præfari, & speciosum molestiarum titulum prætendere. Ego contrà totum in me recipio, & quod res est fateor, Nil mihi tale contigisse, neminem mihi molestiam creasse; ado *Hom. 8. in Act.*

 do

do etiam quòd nemo me detinuit, nemo me impedivit, &, ut M. Cato olim in balneo, *Non memini me percussum?* Aut si quid ejusmodi vos putatis accidisse, quod vix dum ego credere possum, *auferat Oblivio*, si potest, ut Scipio apud Livium loquitur; si non, utcunque Silentium tegat.

Lib. 28. c. 29.

Jam verò quod superest de Studio, quoniam, ut M. Cicero loquitur, *In una diligentia virtute omnes virtutes reliquæ continentur*; cúmque optimus elapsi temporis redimendi modus sit exercitatio, neque possit aliter compensari inertia duplex quàm conduplicatâ industriâ; dabo operam, si fieri possit, ut sicut ex una parte de præterito negligentia negligentiam enixa est, ità in posterum ex altera studium studium pariat. Atque ecce jam dicto citiùs peperit, etiam inter dicendum; vos ipsos dum alloquor, præsentiâ vestrâ velut pharmaco confirmatum me sentio, post multorum mensium abortivos conceptus, ad hos qualescunque studiorum fœtus animo alacri &, supra parturientium sexum, másculo pariendos. Miremini fortassis unde mihi, homini ex me ingenii plùs nimio timidi, hæc tanta fiducia accederet; imò potiùs permittite mihi hanc mirandi vicissitudinem, unde vobis, quorum patientiâ plùs nimio abusus sum, hæc tanta humanitas, ut tam subitò in gratiam rediretis: etenim ex hoc fonte promanat hæc mea fiducia, quòd videam in oculis vestris cœlestem quandam serenitatem, & in singulis vestrûm pellucentem mansuetudinem, ut ad fratrem suum Jacob loquitur, velut in tot Angelis, Angelis dico Ecclesiarum. Atque est eò magìs grata mihi, quò magìs insperata & repentina: neque énim mecum attuli hanc fiduciam; neque istam serenitatem in oculis vestris cùm vos hodie primùm circumlustrarem observavi. Imò potiùs è contrà, videbar mihi in vobis videre aspectum nubilum, supercilium censorium, obscuriores vultus, severitudine caperatam frontem, quæ mihi silentium diuturnum exprobrare cœperat, & rugis proloqui quid de tam longa absentia sentiret: & è vestigio tamen, nescio quo bono fato, hem quanta mutatio! Nunc quicquid in aspectu apparet lux est; in supercilio candor, in arrectis auribus gratia: videmini mecum miscere alloquia, & imperare ut de vobis securus maneam, litatum jam esse offensiunculæ, vobísque cumulatè hâc novissimâ præsentiâ nostrâ satisfactum. O novam vitam! O felicem diem! Sic Zephyri flatum ad cantum cygnos provocare Poetæ prædicant; sic Dianæ in Græcia simulachrum, de quo Plinius loquitur, quòd ex aditu seu limine delubri vultum mœstum introeuntibus ostendere solebat, sed adoratione factâ salientes intuitus vibrabat hilarésque aspectus, ut ad sacrificandum animaret; sic sanctum Jacobum, timidum Patriarcham, Esaui fratris ira in benignitatem conversa ad munera & benedictionem invitabat; sic eundem Jacobum graviter ægrotantem mortíque proximum legimus, sed cùm morienti seni renunciatum esset adesse filium Josephum, eo unico verbo ipsius adeò refovebatur moribunda anima, ut novas vires sumeret & novum robur; *Revixit spiritus Jacobi*, sicut Moses loquitur, *& confirmavit se Israel ut sederet super lectum suum*. Enimvero nemo ibit inficias, fuisse magnam hanc infirmi statûs conversionem, ut senex, & æger, & cadaver hominis, annorum onere pressus, morborum molestiis exulceratus, tam repentè convalesceret, & novas vires novúmque juventutis vigorem indueret; ut, dicente Ambrosio, *vix quisquam tam velox in curriculo quàm iste in lectulo, nec quis alius tam lætus in flore adolescentiæ quàm ipse in mortis confinio, natale novum adeptus ex conspectu Josephi, novámque vitam.* Obsecro vos, quid impedit quò minùs ego ex conspectu & præsentia vestra eandem lætitiam, consimilem vitam natalésque mihimet

Gen. 45. 27.

Gen. 48. 2.

De Jac. & Vita beat. lib. 2. c. 9.

mihimet ipsi assumam? Apud antiquos solenne esse omnes norunt, ut diem quemcunque lætitiâ aliquâ insignem *Natalem* vocitarent: sic diem qui ab exilio revocatus erat *Natalem reditûs sui* Cicero appellavit; & primum Veris mensem, cùm terram Sol radiis exhilarat, *Natalem telluris* Arnobius; & diem regressûs captivi filii sui, Plautinus Hegio *Natalem vitæ*; *Dii immortales*, inquit, *iterum gnatus videor, si vera autumas*. Quid quòd & Christianis Scriptoribus mos idem loquendi incessit? Nam & Diem Cœnæ Dominicæ *Natalem Calicis* Paschasius appellat; & diem Ordinationis Felicis Episcopi *Natalem Felicis* S. Ambrosius non dubitat dicere. Atque consultò id quidem; nam ipse Cicero causas satis probabiles adjungit: Inprimis, quòd non minùs nobis jucundi atque illustres sunt ii dies quibus conservamur & reficimur quàm illi quibus nascimur; deindè, quia salutis & gratulationis certa est lætitia, nascendi incerta conditio, & ea quæ à lacrymis sumit initium; postremò, quia sine sensu nascimur, cum voluptate ex malis emergimus & conservamur. Hæc cùm ità sint, non erit cuiquam, opinor, molestum, si post tot scriptores classicos utriusque reipublicæ eandem arripiam mihi & loquendi & sentiendi libertatem, pro Initiali hoc die Natalem scribendo. Permittite igitur ut qui Natales alios non habet quos jactet, honestos quidem illos, ut Sacerdotis filium decuit, sed non magnos, permittite ut à vobis & vestro concursu & hujus operis redintegratis initiis hunc ipsum diem hoc nomine celebrarem. Si non id jure facio, vos ipsi judicate. Est dies illa post longissimum silentium elocutionis dies; annon Natalis linguæ? Est post ingratam absentiam dies novi ingressûs; annon Natalis reditûs? Est post elinguem Cathedram dies congressûs; annon Natalis muneris? Est post intermissos & mortuos labores dies serenus, dies vitalis, in quo vigiliæ reviviscant, in quo, sepelito veteris argumenti tædio, novum pertractandum suscipitur; annon Natalis studiorum appellabitur? Nimirum hoc est quod ex S. Chrys. in ipso orationis limine præmonui me curaturum, ut quemadmodum Eruditionis Noverca negligentia informem suíque similem fœtum negligentiam genuisset; sic Artium Mater studium, studium procrearet.

Cic. l. 3. ad Att. & Orat. pro P. Sextio.
Arnob. l. 7.
Plaut. in Capt. Act. 4.
Pasch. De corp. & sang. Dom.
Ambr. l. 1. Ep. 5. in Cat.

Quod ut clariùs intelligatis, revocandi jam tandem estis à Novorum & Veterum studio ad altiores Musas & severiorem disciplinam, ad attentissimam considerationem & contemplationem religiosam Christianæ militiæ, à Beatissimo Salvatore & primitus institutæ, & feliciter gestæ, & hoc exemplo suo nobis impensiùs commendatæ. Non quòd sim nescius superesse adhuc Argumenti pristini aliquid nondum enucleatum, De Sanctorum Patrum, vel omnium vel plurimorum, consentientium Authoritate in rebus Fidei; sed valde exigua erat ista appendicula, & Coronidis tantùm loco reservata, & sæpius etiam à me in disputationibus aliis exagitata, quoties in illius (quod non rarò contigit) mentionem inciderim. Accedit etiam quòd injuriâ temporis memoriam ejus omnem tolli funditus ac deleri arbitror; ut si jam prosequerer, & vobis de præteritis fastidium crearem, decursum tramitem relegendo, & mihi ipsi in sequentibus remoram, dissonantium rerum interventu, & causæ compositæ satísque jam explicatæ molestiam, perturbando eam, & à quietis statu quo fruitur excitando.

Quocirca, eo altero misso, accingamus nos totos ad hoc quod præ manibus est, De Tentatione Christi, non minùs spissum, & multò nobilius Argumentum. In illo altero ad Veritatis, in hoc ad Animæ causam agendam instruimur: in illo, ad regnum Dei promovendum; in hoc, ad diruendum

dum regnum Satanæ: in illo Scribæ docti officium exprimitur; in hoc, Athletæ & militis: in illo, ad certamen cum hæreticis; in hoc, ad acrius prælium contra spirituales nequitias: in illo, ad proferendum de thesauro *vetera & nova*; in hoc verò, ad contundendum veterem hominem, & novum perficiendum; atque hoc non expromendo tantùm supellectilem è Thesauro, sed pila, & hastas, & spicula ex Armamentario: postremò, in illo Prudentiæ regulam Christus sancivit, quæ nobis inter tot vitæ discrimina usui esset; at verò hîc non solum regulam constituit, sed seipsum exemplar omni regulâ perfectius tradidit, neque prudentiæ modò, sed roboris invictissimi atque Constantiæ.

Ad hæc igitur Mysteria investiganda festinantiùs approperemus, ut videamus aliquando quid sibi velint hæc omnia, & In desertum traductio, & quadraginta dierum Jejunium, & post jejunium Fames, & Satanæ Tentatio, & responsa Domini; *Quæ singula magni cælestísque consilii effectibus plena sunt*, ut scitè Hilarius. In his si nos diligenter exerceamus, & alia quamplurima suppeditabunt attentione vestrâ dignissima rerum arcanarum documenta. Neque enim ullus est in tota Sacra Pagina, quod sciam, locus, hâc unâ Historiâ aut usu salutarior, aut solatio suavior, aut copiâ & varietate multiformior; nam sylvam quandam & materiam in se continet omnium argumentorum: de Eremi & commodis & periculis, de Tentationum telis, de Potestate Diaboli, de Virtute Jejunii, de vera Humanitate & Divina potestate Christi; nec non & alia multa de Providentia Dei, de Custodia angelorum, de Autocheiria sive Suicidio, de Vanitate mundi, de Cultu Dei, de Scripturæ Sacræ præsidiis, de Christiani victoriis. Quæ omnia ut uno intuitu prospiciatis, concedite ut Sacro Codice aperto, Textûs ipsius verba jam denuo recitemus: Sic autem se habent, *Tunc Jesus ductus est à Spiritu in desertum, ut tentaretur à diabolo*, &c.

Hactenus S. Evangelista, ut militarem partem peregrinationis Christi nobis depingeret: Quam si totam spectemus, nil aliud videtur esse quàm Circulus aureus, & iter inter summa & ima reciprocum, à cœlis ad terram, & à terra denique ad cœlum. Hunc Circulum in quatuor Itineraria partiri possumus.

Primum est Itinerarium Infantiæ, atque septem passibus sive gradibus distinguitur; A cœlo in uterum, ab utero in præsepium, quod erat in Bethlehem, à Bethlehem ad Hierusalem, indè in Nazareth, indè in Hermopolim in Ægypto, exinde iterum in Nazareth, à Nazareth rursus ad Hierusalem, cùm esset duodecim annorum: nam quæ intercurrunt reliqua inter duodecim & tricesimum annum, Sacra Pagina silentio tegit.

Secundum Itinerarium est Ministerii; cujus primus gradus erat à Nazareth ad Jordanem, secundus à Jordane ad desertum, exinde in Galilæam; atque ità deinceps circumibat omnes civitates & vicos, ut Sanctus Evangelista loquitur, sanans omnes morbos, & prædicans Evangelium regni.

Tertium Itinerarium erat Passionis; cujus primus gradus erat à cœnaculo in hortum Gethsemanes, secundus ab horto in atrium summi Sacerdotis, dein ab atrio ad sellam sive Tribunal judicis, tum demum à Tribunali ad Crucem, & à Cruce ad Sepulchrum.

Postremum erat Itinerarium Triumphi, cujus duo gradus præ cæteris insignes exsistunt; A sepulchro ad terras, à terris ad Cœlum. Hic peregrinationis Circulus: à cœlo cœpit, in cœlum clauditur.

In

In his igitur verbis secundi gradûs secundi Itinerarii habemus Iconismum, quo à Jordane in Desertum Salvator processit, hoc est, ab Aquis ad Ignes, à Lavacro ad Cribrum, à Baptisterio ad Peiraterium, à Columba ad Serpentem, à voce Sancti Spiritûs ad spiritum immundum. Adeóque est descriptio Tentationis Christi, sive ipsius Monomachiæ cum Diabolo. Cujus tres S. Matthæus constituit partes, Prologum, Conflictum, Exitum; de Antecedentibus, de Concomitantibus, de Consequentibus.

In Prologo, sive præludio, ea describit S. Evangelista quæ certamen proximè antecesserant; *Tunc Jesus ductus est à Spiritu in desertum, ut tentaretur à diabolo: & cùm jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit.* In quinque verò membra discerpitur.

Inprimis est Persona congrediens, sive Athleta, qui est susceptor certaminis, Jesus Christus; *Ductus est Jesus.* Deinde, Locus certaminis, sive Theatrum aut palæstra, Eremus; *Ductus in desertum.* Tertiò, Qualitas certaminis, φοβερὸς καὶ ἐπικίνδυνος, *horrenda & periculis plena*, concertatio Tentationis; *Ut tentaretur à Diabolo.* Quartò, fecialis, sive Præco qui certamen indixit, Spiritus Sanctus; *Ductus est à Spiritu.* Ad extremum, Tempus quando hoc omne conficitur; *Tunc ductus.* Habet hæc particula triplicem respectum. Ad priora, *Tunc*, id est, post baptismum, post acceptum Spiritum Sanctum. Ad posteriora, *Tunc*, id est, antequam discipulos vocasset, antequam prædicasset. Ad præsentia, *Tunc*, id est, cùm versaretur in Sacris, dum jejunaret; cùm versaretur in angustiis, dum esuriret. Hæc illa est operis longè maximi in exiguas partes dissectio: sed unaquæque tamen est in se immensa summíque momenti: & præterquam quòd ordinis ratio postulat, ipsa necessitas prohibet nè ad has summitates nisi gradatim & pedetentim ascendamus.

Exordiar à prima parte, à Susceptore certaminis, sive Athleta qui se ad hoc illustre negotium accingit. Athleta sive pugil est Christus, invictus Pancratiastes, dux nostræ salutis, & facit ea tamen quæ sunt militis; princeps pacis, imò Deus pacis, & diabolo tamen bellum denuntiat: quod egregiè à Sancto Paulo est animadversum, Rom. 16. 20. *Deus pacis conteret Satanam sub pedibus vestris,* eundem significans pacis datorem salvandis, qui bellicum cecinit contra Adversarium salutis; neque enim aliter firmare pacem potuit, nisi pacis turbatorem Satanam conculcasset. Propterea & Moses eundem ut bellatorem fortissimum introducit, & gloriâ militari illustrem, Exod. 15. 3. *Dominus vir prælii*, sive *vir pugnator, Omnipotens nomen ejus; currus Pharaonis & exercitum ejus præcipitavit in mare:* pariter & Psalmographus, Psal. 24. 8. *Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens in prælio.* Non quasi non esset verum de bellis secularibus; etiam in istis præliis potens est Christus, quia per eum ut reges regnant, sic milites vincunt: in istis bellator fortis Christus, nam militis officium exercuit pro filiis Israel adversus Ægyptios & currus Pharaonis; & non pro illis solùm pugnavit, sed cum illis. Sed tamen istis concessis, certo certius est, quòd cùm Bellator Christus dicitur, magìs à spirituali militia pendet ratio similitudinis quam à seculari, quia in spirituali & virtus major decernitur & victoria clarior; éstque indubitata regula, quòd ubi duæ sunt partes Analogiæ in locutione Metaphorica, ibi à potiore & præstantiore ratio ducenda est. Et sic quidem S. Davidis locum illum antiqui Patres explicant de spirituali militia, *quòd fortis & bellipotens Christus dicitur,*

dicitur, quia duram diaboli tyrannidem evertit, & dæmonum fraudes machinationésque destruxit; sunt verba Theodoreti: *bellator*, inquit Hieronymus, *quia morte suâ mortem delevit, & resurgendo à mortuis diabolum debellavit; quòd spoliavit Tartarum, quòd vicit infernum: quòd potentem*
Orat. 42. *se præbuit* ἐν τῷ πολέμῳ καὶ τροπαίῳ περὶ τῆς ἀνθρωπότητος, Naz. *in bello & trophæo pro humana natura erecto.* Ut reliquos mittam, audite
in Ps. 143. pro omnibus S. Chrysostomum, *Potens bellator Christus in prælio Israelitico*; ἔστι δὲ ἕτερος πόλεμος τούτου χαλεπώτερος, *sed est bellum gravius, non adversus carnem & sanguinem, sed contra principes tenebrarum & potestates adversarias. In illo prælio adversus Pharaonem infernalem, hostem communem, victor evasit, quem nullus hominum, aut pro-*
Ser. 3. de Ascen. Domini, to. 6. *phetarum, sive justorum, debellando superare potuisset.* Hactenus Chrysost. Neque desunt alia ex Scripturis quamplurima quæ huic rei illustrandæ inserviunt, quòd & Militis partes Christus agat, & Ducis: Militis, quia pugnat in suis, quia pugnat pro suis, Apoc. 12. 7. *Factum est prælium in cœlo, Michael & Angeli ejus præliabantur cum Dracone & Angelis ejus*; Ducis, quia arma iis præparat, *Loricam justitiæ, Scutum fidei, Galeam salutis, Gladium Spiritûs*, Eph. 6. 13. quia artem bellicam docet, & (quæ rerum bellicarum caput est) disciplinam tradit, Psal. 144. 1. *Docet manus meas ad prælium, atque digitos meos ad bellum*, & Psal. 18. 36. *Das mihi clypeum salutis, & disciplina tua docebit me.* Quid plura? Potui hæc altiùs repetere & fusiùs prosequi, sed necesse non est; neque enim nunc agitur de prælio quo defungitur in nobis, sed in seipso; neque de invisibili pugna quâ de cœlo eminus dimicat, sed de visibili illa (quamquam à nemine visa) de visibili, inquam, quam consertis manibus in propria persona comminus præstitit in deserto: & de hac unum est quod in disquisitionem venit, Utrùm idoneum & congruum fuerat ut huic se certamini in propria persona Christus subjiceret. Cùm enim esset, ut Apostolus loquitur, Heb. 2. 10. ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας, *Dux & Princeps salutis* nostræ; indignum isto munere videtur, ut Militis partes in se reciperet.

In Polemicis est anceps quæstio, & quæ à prudentibus viris in utramque partem arbitrata est, An Duces supremi præliis interesse debeant, & suo Marte propriisque viribus manum cum hoste conserere. In cœlesti prælio non item, neque enim à secularibus sacrarum rerum ratio petenda est. Utcunque, non abs re erit ex scriptoribus politicis prælibare nonnulla velut præparatoria, tum quia Christi hoc factum illustrius sunt reditura; tum etiam quia ex utraque parte sese ratio offert, & ex utraque exempla.

Pro parte negativa Polybius disputat, lib. 10. Non debere se periculis supremum ducem exponere, quia etsi universus exercitus cæsus fuerit, & solus salvus incolumísque Imperator, resarciri facilè damnum potest virésque reparari: at ubi is fuerit de medio sublatus, qui est velut in navi gubernator, quamvìs victoriam exercitus ejus reportarit, οὐδὲν ὄφελος γίγνεται, *nihil ea res juvat, eò quòd in ducibus singuli spes suas habent repositas.* Hæc Polybius. Estque eadem Onosandri sententia, in Strategico cap. 33. Quòd Imperatoris prudentia longè anteponenda est fortitudini; quódque manum cum hoste conserere non fortitudinem ejus indicat, sed temeritatem; atque idcirco quamvìs præstabilem roboris operam navare posset, non potest tamen tantum prodesse suis pugnando, quantum obesse occumbendo. Hæc ille. Huc referre possumus Quintiliani illud, Declam. 317. *Nomen Imperatoris satìs significat non exigi manum*

ipsius;

ipsius; imperare enim debet & præcipere: & illud Julii Capitolini in Maximino, *Habuit hoc barbaricæ temeritatis Maximinus, ut putaret Imperatorem manu etiam suâ semper uti debere:* & illud Ammiani Marcellini, l. 25. c. 13. *Corporis munus à milite, ab Imperatore verò animi poscitur.* Nec hæc tamen sola est ratio, quòd indecorum sit Imperatori ad hæc inferiora descendere quæ à gregario milite exiguntur: sed illa major, quòd ex vita ejus fata omnium pendent, & in ipsius periculo discrimen omnium volvitur; ipse si ceciderit, innumeros secum in exitium trahit; atque uno verbo, *Tanti est Exercitus,* ut scitè Florus, *quanti Imperator.* Hinc est quòd apud Frontinum Scipio Africanus fertur respondisse, quando parùm pugnacem eum aliqui dicerent, *Imperatorem,* inquit, *me mater, non bellatorem peperit:* & apud Plutarchum Timotheus, cùm cujusdam ducis vulnera Athenienses prædicarent, *At me,* inquit, *puduit, quando dux vester in Samo essem, quòd prope me telum catapultæ decidit.* Eodem consilio & Israelitæ non permiserunt Davidem Regem suum in prælium se recipere, 2 Sam. 18.3. 2 Sam. 21. 17. nè extingueret lucernam Israelis, quia solus erat ut decem millia ipsorum: eodem etiam Regem Syriæ legimus præcepisse suis, nè pugnarent contra parvum aut magnum, sed contra regem Israelis solum, 1 Reg. 22. 31. quia in illo uno omnium animos percelli posse putavit. Miles si cadat, solus cadit; Imperator, ut columna domûs, totum secum trahit ædificium. *In milite unius sors est, in Imperatore universorum periculum,* ut Hegesippus loquitur. *Nè pugnate,* inquit, *contra magnum aut parvum, sed contra regem solum.* Quod idem quoque factum est ab Agesilao, authore Plutarcho, qui in pugna Mantinea hortatus est Lacedæmonios, ut omissis reliquis, in solum pugnarent Epaminondam, quia illo necato facilis foret de reliquis victoria, ut nullius pretii hominibus: & id quidem exitus comprobavit, Justino teste, etenim cum illo totum Thebanorum robur cecidit; & duce, velut mucrone teli, ablato, reipublicæ vires hebetatæ sunt, ut non tam illum amisisse quàm cum illo interiisse omnes viderentur. Postremò, nè videar historiam texere, eodem etiam consilio Tacitum Augustum jam senem ad imperium Romani vocabant; & cùm is senectutem suam ut expeditionibus minùs aptam prætenderet, hæ Acclamationes Senatûs fuerunt, & *Trajanus ad imperium senex venit,* dixerunt decies; &, *Quis meliùs quàm senex imperat?* dixerunt decies; *Imperatorem te, non militem facimus,* dixerunt vicies; *Tu jube, milites pugnent,* dixerunt vicies; *Animum tuum, non corpus, eligimus,* dixerunt tricies. Ex quo apparet, in hoc uno conspirare prudentissimorum authorum sententiam, Non æquum esse ut dux militiæ summus personam suam pugnæ periculis objiciat; quia *vinculum est,* inquit Seneca, *per quod respublica cohæret; & mens imperii, & spiritus vitalis, sine quo reliqui sunt onus & præda:* adeòque sicut animâ deserente corpus, cadaver non consistit, sed dissolvitur; ità amoto duce palpitat exercitus, æstuat, concutitur: quod versu illo Prudentius pulchrè adumbravit, in Psychomachia,

Cæde ducis dispersa fugit trepidante pavore
Nugatrix acies.——

Flor. l. 2. c. 18. Frontin. l. 4. Stratag.

Plut. in Pelop. & Apophth.

Heg. l. 5. c. 36.

Plut. in Lacon. Apophtheg.

Justin. l. 6. ad fin.

Vopiscus in Tacito, c. 5.

Sen. de Clem. c. 4.

Hæc illa sunt quæ pro parte Negativa produci possunt. At verò minora non sunt, neque numero neque pondere, quæ pro Affirmante dicantur; prorsus quasi rebus bellicis naturale esset & ingenitum diffidentes habere partes non minùs in argumento quàm in ipsa pugna. Nam T. Livii, Taciti, & Xenophontis in Cyro arbitrium est planè contrarium, Oportere Imperatorem non minùs in rebus gerendis quàm intelligendis exerceri, ut regat omnia tam agendo quàm jubendo; & non solùm monitis suis milites fortes faciat, sed exemplo. Quod eleganter in lib. De Regno, ad Arcadium, Synesius

sius explicat, *In rebus bellicis*, inquit, *corpus regium non minùs laboribus assuefaciendum est quàm animus. Nam si dux bonus sit, cum equite equitabit, cum pedite decurret, cum armato armatus incedet, cum cetrato cetrâ exercebitur, & cum levis armatura militibus jaculabitur*, unumquemque operum communione in vivam societatem pelliciens; idque eâ potissimùm ratione, quia Duces in theatro positi in se habent omnium oculos conversos, omniúmque auribus decantata principis gesta personant. Hoc ipsum est quod Cicero in Pompeio laudavit, Quòd nunquam laboris plus militi imposuit quàm sibi sumpsit; & in Cæsare Suetonius, Quòd medius erat inter Imperatorem & militem; & in Trajano Plinius, Quòd sic Imperatorem commilitonémque miscuerat, ut nunquam laboris exactor esset cujus non erat particeps & socius; & in Cotta Synesius, Quòd in hortandis militibus, Imperatoris, in pugna, militis officium præstabat; & in Alexandro Justinus, Quòd ubi confertissimos hostes acerrimè pugnare conspexerat, eò se semper ingerebat, periculáque sua esse, non militum, volebat. De Vespasiano & Tito simile narrat Tacitus, & de Adriano Xiphilinus, & de Agesilao Xenophon, Quòd in rebus arduis majorem semper sibi partem poscebat; per æstatem, Solis, per hyemem, frigoris; supra cæteros semper & laborans & pugnans. Ex quibus junctim omnibus in confessorem esse opinor, parùm sibi constare scriptores veteres, neque satis nosse quid in hac ambigua opinione definirent; quæ, utrinque rationibus & exemplis paribus librata, prorsus mihi inclinare videtur ad ἰσοῤῥοπίαν & æquilibrium.

Cic. pro Muræna. Suet. l.1. c.67. Plin. Panegyr. Trajani. Synes. de reg. Just. l.11. circa finem. Tac. l.2. c.5. & l.5. c.1. Xiphil. in Adriano. Xenoph. de Agesil.

Hæc igitur summa est, Quòd positis quibusdam circumstantiis, valde idoneum est & necessarium ut dux militiæ supremus & periculis & difficultatibus unà cum reliquo exercitu sese exponeret, si necessitas id postulet, si rerum summa ad illud discrimen venerit, ut reparari aliunde non possint nisi ipse succurrat; possint autem si succurrat, & in adjutorium manum suam commodaverit. At verò his circumstantiis non positis, pars quæstionis Negativa præponderat, Non necessarium esse, non idoneum, quia in uno capite multorum corporum salus, & in uno duce Chiliades militum & sustinentur, si valeat, & si ceciderit, periclitantur.

His tandem præparatoriis jam præmissis, nè longo vos excursu suspensos diutiùs teneam, ad quæstionem principalem propiùs accedamus, ut luce hâc à politicis mutuatâ, de heroico hoc Salvatoris facto quid sentiendum sit videamus, Utrùm idoneum & æquum fuerat ut huic cum diabolo certamini in persona se sua Christus subjiceret. Est autem duplex Oculus quo collustrare solent homines hujus generis negotia: Oculus limatus & nitidus, qui cœlesti radio Spiritûs purgatus, justus est rerum æstimator, & accuratè novit de spiritualibus dijudicare; atque Oculus cæsius & luscitiosus, qui de hisce mysteriis aut nihil omnino videt, aut perplexè & subobscurè, atque ut videt judicat, secundùm apparentiam, non essentiam rerum, juxta dictamen carnis & sanguinis, non Evangelicæ veritatis.

De lippientibus oculis si loquamur, Tria sunt quæ contra hoc Christi factum homo seculi objiciat.

Primum est, Non fuisse rem Tutam, sed factum audax & periculo plenum, cùm antiquus & veteranus prædo sit diabolus; ut homicida, sic tentator à principio, astutiâ Serpentis, Leonis robore, Draconis ferociâ armatus: Christus autem in tyrocinio fuit, non hâc exercitatus militiâ, is qui virtutis suæ hucusque documenta nulla dederat, neque antehàc hos impetus sustinuerat. Quis autem gubernatorem eligit qui nullos unquam vidit fluctus, tempestatem nullam? Quis Principem solum contra Gigantem emittendum esse consentiet? An æquum putas ut caput, & rex, & Salvator

populi

populi sui, in quem unum spes omnis Ecclesiæ recumbit, contra leges militiæ, contra consuetudinem temporum, tantis se periculis obtruderet, & primitus, & id solus ut faciat, sine socio, sine arbitris? Nisi Christus vincat, salus valeat; si Christus vincitur, salus mergitur. Hoc primum carnis delirium, Non videtur Tutum.

Secundum est, Non fuisse factum Nobile, aut honori tanto & majestati consonum. Nam Christum quem dicitis? Filium Dei, Regem gloriæ, Creatorem mundi, cœlorum Dominum, misericordiæ fontem, mansuetudinis exemplar, ideam innocentiæ, Solem justitiæ, puritatis speculum: & Diabolus tandem quis est? spiritus immundus, tortuosus serpens, leo rugiens, homicida, vastator, perditor, prædo, mancipium inferni, ludibrium pietatis. Quàm malè conveniunt? quam impar congressus? Romanorum legibus non licebat piratis bellum denunciare, quia sunt ipso jure & facto diffidati, quos omnes habere debent pro hostibus. Iisdem legibus omnes infamiâ laborantes militiâ prohibebantur; iisdem cautum est ut à militia arceretur servilis conditio, neque enim honorificum putabant cum servo aut vasallo, aut priùs domito & subjugato certamen inire. Hinc nata illa Juris Axiomata, *Cum servis nulla est actio*; *Servi non habent caput*; *Servi pro nullis habentur:* & hinc Spartani, cùm servi desciscerent à dominis, atque in aciem descenderent, indignos eos putarunt contra quos gladiis aut hastis uterentur, verùm eos absque armis, loris & flagellis domuerunt. Hoc ergò quale portentum, ut Filius Dei cum inferni mancipio, Sol justitiæ & puritatis cum immundo spiritu, Agnus cum leone, cum dracone Columba, Salvator cum homicida, Creator omnium cum vastatore omnium in aciem descenderet? Hoc secundum carnis delirium, Non videtur Nobile aut honorificum.

Postremum est, Non fuisse rem Necessariam ut hoc modo Christus in magno Salutis opere procederet; neque enim pugnâ opus erat vel ad Salutem, vel ad Victoriam. Non ad Salutem, quia caput Serpentis ab ipsis rerum exordiis, quamprimùm promissio pullulavit, contritum est: Non ad Victoriam, quia semper victor Christus, semper victus Satanas. Nihil est quod facit, nihil quod facere potest contra homines, nisi impetratâ veniâ. Non potuit impermissus è grege S. Jobi unam oviculam auferre; & potest è Christi manibus auferre cujusvis creditis animulam? Quòd victus sit, hoc compedes monstrant, & carcer, & tormenta, quibus nunquam est ereptus aut eripiendus: sed semper, etiam cùm circumambit terram, circumgestat catenam. Deinde autem, si nondum esset victus, at facillimè erat aliis modis vincendus. Potuit Christus hoc facere per bonos Angelos, qui malis præstant non minùs virtute quàm innocentiâ. Si non hoc, potuit per sanctos homines, quos victores quotidie facit, quos custodit in manu sua, ut quamvìs tententur, tamen non prosternuntur: sed, ut S. Ambrosius de Arca, *alluitur*, inquit, *undis, non submergitur*, l. 7. Ep. 44. itidem verum est, inquit Pelusiota, de anima fideli, πολεμεῖσθαι μὲν γὰρ, οὐχ ἡττᾶσθαι, *Concuti potest, non subverti; tentari, non superari.* Postremò, si non hoc, potuit ipse vel unico verbo & minimo oris spiritu in nihilum reducere, imò vel ipso nutu reprimere nè auderet in hanc arenam descendere. Quòd si verbo aut nutu id efficere potuisset, si per Angelos, si per homines, si per nihil, quia nunquam non factum erat; ergò superforanei laboris videtur in seipsum negotium recipere quod sine se, per quemcunque, imò per neminem confici potuit. Hoc tertium carnis delirium, Non videtur fuisse Necessarium.

Pel. l. 3. Ep. 3.
Hieron. in Amos 9.

Sed meminisse oportet, longè impares fore noctuarum oculos huic lumini, quod spectari non potest nisi aquilinis. Nusquam adeò cæcutit ratio carnalis atque in rebus fidei; alioqui, redimenti non diceret massa redempta;

Quare ità me redemisti? Si nostrâ hæc staterâ appendamus, aut modulo metiamur infirmitatis nostræ, nil tam illustre est quod non inglorium videbitur; & quod tutissimum, deploratum; & supervacuum, quod maximè necessarium. At verò si in Christum, ut par est, purgatos illos quos dixi conjiciamus oculos, & ejus gesta in ejus trutina pensitemus, apparebit illico non modò non fuisse opus inutile, aut abjectum, aut temerarium, sed per omnia illustre, securum, summéque frugiferum.

Tres igitur sunt quæ hujus causæ statum absolvunt Propositiones.

Propositio prima sic se habet; Descensus Christi in hujus certaminis arenam non fuit pugna dubia, sed inceptum supra omnem discriminis aleam certum, tutum atque securum. Quæ, putas, est ratio? instar omnium una, quia Christus erat qui suscepit. Cùm Christum dico, omnia dico quæ ad Omnipotentiam spectant; invictum dico, & nullis casibus superabilem. Hoc uno Christi nomine facilè retunditur quicquid in contrarium adduci potest. Si solum fuisse dicas & incomitatum, sine socio, sine arbitris; puerile est ut solus existimetur in quo plenitudo Deitatis habitavit; aut ut assessoribus indigeat, à quo, & in quo, & per quem omnia exsistunt. Si inexpertum dixeris, ineptum est: Humanarum artium mater est Experientia, non earum quæ cœlitus deveniunt; ad acquisitos habitus plurimùm conducit, ad scientiam & robur desuper infusum nihil. An ipsi deerat Experientia in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi? An ipsi qui plenus Spiritu à Jordane revertebatur? *plenus Spiritu Sancto revertitur à Jordane*, inquit S. Lucas; quòd dicitur *Spiritu Sancto plenus*, majus multò est quàm seculorum omnium experientiâ, majus quàm si mille & mille annis se castris assuefecisset. Quanquam de Jordane quid loquor? Non enim tunc primùm Spiritum cœpit accipere qui eandem cum Spiritu Sancto substantiam habet; neque ea receptio Spiritûs fuit, sed manifestatio, ut rectè Augustinus: à primo conceptionis suæ momento, quando carni Verbum unitum est, plenitudine Spiritûs Sancti ungebatur; & si unctùs fuerat Spiritu, armatus etiam Spiritu erat, à nativitate prima, à conceptione, non solùm ab utero, sed in utero, ut vincere diabolum posset in cunis, etiam in alvo. Postremò, si certaminis pericula quis prætendat, si robur & astutiam Satanæ; agnosco hæc homines à prælio deterrere posse, non sic Dei Filium: agnosco veteranum militem vaferrimúmque diabolum; verùm ante vetera omnia æternitas exsistit, & supra omnem astutiam sapientia Patris, qui intelligentiam intelligentium perdit, & priùs novit Tentatoris insidias quàm ipse suas: agnosco ferocem prævalidúmq; adversarium, cujus robur sustinere ex se nemo hominum possit; at Christus est ingens animi, viribúsq; exsuperantissimis, cujus ipsa infirmitas robustior est non uno aliquo è spiritibus immundis, sed omnibus; & hoc propter, ubi diabolus Luc. 11. 21. vocatur ὁ ἰσχυρὸς, sequenti mox versu Christus dicitur ὁ ἰσχυρότερος, hoc est, & ipso *fortior*, & fortissimus omnium. Quod igitur de periculis dicitur, inane esset, si verum esset. Nam vel hoc posito, dari posse aliquid quod sit periculosum aut suspensum ei qui facit quicquid vult & in cœlis & in terris; at ducem salutis nostræ decuit esse φιλοκίνδυνον, & difficultates indubitanter adire. Quis enim tritum illud nescit ab historicis toties inculcatum, ὅτι μεγάλα ἔργα μεγάλων κινδύνων αἰεὶ αἱρέεσθαι; neque est ultimum Divinæ prudentiæ specimen, quòd hominibus in omni pulcherrimo opere majorem proposuit difficultatem: sed hoc hominibus; nam de Christo si loquamur, facile & possibile non suscipiunt gradus, sed omnia ex æquo & possibilia & facilia, impossibile nihil, difficile nihil; quòd si difficile nihil, proculdubio nihil periculosum, nè quidem ipsæ portæ inferorum. Cùm *portas* dico, totam Satanæ

Aug. De mirab. Script. l. 3. c. 5.

Herod. l. 7. Halicar. l. 9.

Quintil. Inst. 10. c. 3.

tanæ & Astutiam & Potentiam intelligo: totam Potentiam, quia veteribus munitiones & propugnacula in portis ponebantur; totam Astutiam, quia veteribus conventus & concilia & judicia in portis agitabantur. Et hæc omnia Christus facillimè subvertit. Portas inferorum conterit nè prævaleant: h.e. & insidias rescindit, λογισμὺς, 2 Cor. 10.5. istæ non prævalent; & diruit munitiones, ὀχυρώματα, 2 Cor. 10. 4. istæ non prævalent: quicquid aut ad potestatem spectat aut ad calliditatem, totum subvertit; idque non solùm in deserto, æquo campo, sed in portis, hoc est, Suo. Hæc de prima Propositione, Certamen hoc cum diabolo ex parte Christi fuisse opus tutum, atque sine victoriæ discrimine securum.

Accedo ad secundam, & hæc est; Descensus Christi in hanc arenam expeditio fuit juxta omnes honorum titulos præclara & illustris, quæ nullam vel minimam maculam inussit, labem nullam reliquit, quanquam ipse Filius Dei, Rex gloriæ, cœlorum Dominus, Sol justitiæ fuerit; adversarius autem immundus Spiritus, homicida, prædo, vastator, mancipium, & quicquid uspiam est quod principi congruit tenebrarum. Triplex autem est Ratio. Ratio prima, Non solùm dimicavit, sed vicit; si in honore victoria sit, congressus non potest cedere in dedecus. Secunda, Non sibi vicit, sed Ecclesiæ; si pro se vicisset, sequeretur eum antehac non fuisse victorem. Tertia, Non in solio majestatis vicit, sed in corpore positus; non ut Filius Dei, sed ut filius hominis, in infirmitate naturæ nostræ, in statu exinanitionis. Agnosco hoc ipsum exinanitionis ejus partem fuisse non ultimam, quòd cum illo dimicare voluit quem priùs ad inferos dejecisset: sed & hoc adjiciendum, fuisse probri nihil aut turpitudinis in aliqua parte humiliationis Christi; exinanivit se, non dehonestavit: imò verò tam longè aberat à contrahendo probro, ut in omnibus illis actibus dispensatoriis se magìs nobilitaverit. Instantiis res erit clarior. Quando assumpsit carnem, non minor facta est Divinitas ejus, sed exaltata est infirmitas nostra; & ex eo quòd honoravit naturam nostram, magnificavit etiam bonitatem suam, cùm non minùs honorificum sit nobiles facere quàm esse. De obsequio quod præstitit parentibus idem dicendum est; quòd subjiciebatur eis non erat imminutio authoritatis supremæ, sed exercitium virtutis quantum ad debitum observantiæ. De Passionibus nulla est dubitatio, subsannatio, verbera, vincula, infamia Crucis, emissio spiritûs, sepulchrum, & quæcunque pertulit alia, hæc omnia erant honorabilia, quæ videntur contumeliosa; quia & in passionibus lucebat gloria patientiæ, & in opprobriis gloria mansuetudinis, & in morte gloria potentiæ, quòd mortem superavit, & in omnibus gloria misericordiæ, quòd hæc singula & faciebat & patiebatur in peccatorum gratiam, nè ipsi in æternum paterentur. Similiter se res habet in hac cum diabolo concertatione: in ea una fulgebant radii divitiarum Christi non uno modo; radii Fortitudinis, quòd Satanam subigebat; radii Prudentiæ, quòd technas elusit; radii Pietatis, quòd huic se ministerio subjicere voluit; radii Bonitatis, quòd in nostram gratiam hoc fecit: ipse venit ut militiam sibi conscriberet, & à se incipit, ut membra caput doceret vincere. O infinita bonitas! Ipse famulos suos ad militandum vocat; nec hoc solum, verùm ad pugnam roborat; nec hoc solum, sed & post prælium coronat; nec hoc solum, sed in ipsa acie se collocat. O infinita bonitas, ut servos suos propter ipsum confectos fame, afflictos vinculis, verberibus cæsos, fluctibus mersos, à bestiis devoratos, non modò confirmaret & remuneraret, sed ipse eadem in se susciperet! O infinita bonitas! Enimvero fit aliqua inter homines honoris attenuatio cum flagitioso aut scelerato digladiari; at verò in causa propria, non in causa communi: nam si pro bono publico, pro liberatione to-

tius, pro honore communi, cum spurcissimo quoquam qui sit reipub. hostis prælium committatur, non modò non est ignominiosum, sed præclarum & splendidum. De Christi hoc congressu id multò magìs dicendum: si fuerat cum mancipio, si cum immundo Spiritu, conceditur; sed idem etiam erat prædo publicus, perditor humani generis, vastator Ecclesiæ. Cum hoc hoste nemo arbitretur indignum Christo hoc fuisse certamen: imò verò, eo solo fuit longè dignissimum. Neque ea vos verba moveant, quòd immundus sit spiritus, quòd mancipium, quòd princeps tenebrarum cum quo luctatur; nam hæc vocabula non minùs ad nos spectant, si attendamus. Si ipse tenebræ, & nos tenebræ eramus; attamen ad nos Christus venit, ut luce suâ bearet; & quis tenebras vincere potuit nisi lux mundi? Si ipse mancipium, & nos servi peccati; & ad nos Christus properavit ut rudi donaret. Quidni igitur cum captivo & cum mancipio dimicet, qui pro nobis ipse formam servi susceperit? Postremò, si ipse spiritus immundus, & nos spurcissima soboles; & ad nos puritas accessit, nec solùm ad nos, sed in nobis, hoc est in nostra natura. Si ignobile non fuerit ad immundos accedere, cum immundis versari, ab immundis pati, pro immundis se morti tradere; absit, absit, ut putemus ignobile vel inidoneum fuisse Salvatori mundissimo vel cum immundo spiritu altercari, cùm fuerit multis nominibus præclarissimum. Hæc Propositio secunda.

Ultima sic instituitur; Descensus Christi in hanc arenam, sicut pars redemptionis erat valde honorifica, ità maximopere necessaria in utroque genere Necessitatis, & Absolutæ & Limitatæ. In Thesi dici potest opus Absolutè & simpliciter necessarium, ut de tyrannide diaboli triumphus ageretur; in hypothesi autem, ut hoc modo in persona propria victoriam reportaret, hoc Positivæ est necessitatis & constitutæ, quia potuit aliter confici, sed hoc modo Deus voluit ut conficeretur. Quod de morte ejus S. Augustinus, *Venit ad mortem quia voluit, quando voluit, quomodo voluit:* hoc etiam de militia ejus dicere possumus, Venit ad certamen quia voluit, quando voluit, & eo etiam modo quo voluit. Quanquam in hoc ipso est species ad minimum Absolutæ necessitatis. Nam si potentia Dei voluntate definiatur, ut qui omnia potest, ea sola strictè loquendo dicatur posse quæ vult; necessitas rerum multò magìs, ut ea sola necessaria dicantur quæ Deus voluit fieri. Sed magìs tamen mihi arridet, quæ & intellectu facilior & cum loquendi consuetudine conjunctior, appellatio necessitatis Hypotheticæ. In hoc sensu, posito hoc Redemptionis ordine, necessarium fuisse dico ut in persona propria Christus diabolo bellum indiceret; & ex parte Christi, & ex parte Nostri.

Aug. Trin. l. 3. c. 13.

Ex parte Christi dupliciter: & in statu Viatoris, oportebat ut hoc modo viam in cœlos sibi aperiret, sicut per passiones, ità per tentationes, ut Apostolus loquitur, Heb. 2. 18. & in statu etiam Salvatoris, ut Caput erat corporis, & Pastor gregis, & Sponsus virginis. Etenim à marito Sponsæ, à capite corporis, à pastore ovium & tutela & victoria dependet. Deinde

Ex parte Nostri, tribus præcipuè de causis.

Primò, In Solatium nostrum, ut nobis fiduciam faceret in Capite nos etiam, qui membra sumus, vicisse, nec posse inferorum portas contra fidem aut totius, aut alicujus partis prævalere; quia omnem adversarii tyrannidem Christus caput debellavit, non satìs officio factum putans si in nobis vinceret, nisi pro nobis etiam in seipso, & hoc non ut filio Dei, sed ut filio hominis, & mediatore & capite, vicisset. O quantum solatium! Quicunque sub hoc capite militat superari non potest, quia caput est inexsuperabile: ut si jam, dicente Ambrosio, omnia membra cædantur, imò si totum

Amb. in Psal. 118. par. 1.

corpus

corpus uratur hujus seculi incendiis, si mergatur profundo, si evisceretur à bestiis, hoc tamen capite custodito, vita integra est, salus tuta; subverti non potest, quia caput triumphavit. Hæc prima ratio, Fecit in Solatium nostrum.

Secundò, in Confirmationem nostram, ut nos ad vincendum vegetemur virtute & influxu illo qui à capite ad membra deducitur. Ad hoc ipsum morti se tradidit, ut ab ipso in nos potestas vincendi mortem manaret: ad hoc ipsum baptizatus, non ut sibi munditiem acciperet, qui immunditiem non novit, sed ut nobis fluenta mundaret. *Ipsum in baptismo*, inquit Augustinus, *unda non lavit, sed magis aqua quæ alia lavat ipsa lota est*; & purgantur fluenta potius quàm purgant: neque *ipse*, ut optimè Chrysostomus, *ab aquis sanctificatus recedit, sed sanctificavit aquas baptizandis*. Oper. imperf. Ità est in hac parte militiæ, ab eremo recessit non tam ipse victor, qui semper vicerat, sed ut nobis virtutem vincendi victoriâ suâ transfunderet. Hæc secunda ratio, In Confirmationem nostram.

Postremò, in Disciplinam nostram, ut nobis animos adderet ad eandem militiam suscipiendam cujus sacramento ipse se solenniter obstrinxisset. Enimvero hæc Ducis summa laus est, si quæ militis sunt agit, ut suo exemplo ad motus heroicos milites ipsos accendat. De Consule Valerio id Livius Liv. l. 7. c. 32. prædicat, quòd in bello non suas solùm partes, sed quæ aliorum essent, peragere non recusaret; unde sæpius dicere solitus est, *Facta mea, non dicta, vos milites sequi volo, nec disciplinam modò, sed exemplum etiam à me petere:* & de Honorio Claudianus,

Ipse manu sua pila gerens, tolerare labores Claud. de 4.
Monstrat—— Cons. Honor.

non jubet inquit, sed *monstrat:* & de Antonio Caracalla Herodianus, *Ut milites haberent unde exempla peterent, duriter vivere solebat, & pedibus iter facere, & omne militiæ munus promptè obire; sive quid fodiendum erat, primus fodere, sive quid laboris, sive quid periculi subeundum, primus omnia occupare*. Eodem modo dux salutis nostræ Christus suam nunquam operam remisit, paratus unà nobiscum omnia & facere & perpeti; ut humilitatis documentum ad Apostolos transferret, typo suo eos edocet, pedes lavando; ut devotionis, ipse sæpius in montem ascendit; ut fortitudinis, ecce exemplo suo nos instruit, & primus ad bella pergit, ut de Portio Catone Lucanus,

——*Primus arenas* Luc. l. 9.
Ingreditur, primúsque gradus in pulvere ponit.

Hoc boni pastoris munus est, inquit Ambrosius, *exemplo oves præcedere, & quod oves facere vult, priùs facere*. Ambr. Ser. 41. Christi vitæ tenor hic fuit indeflexus, *Quod facere nos voluit, prior ipse fecit*, ut Aug. loquitur: Aug. Ser. 1. Epiph. ut dictu difficile sit, magísne ducem se nostrum præbuit an commilitonem; nam & strenuissimi militis & optimi Imperatoris officia simul miscebat, erátque dux consilio, miles exemplo. Hæc ratio ultima, in Disciplinam nostram, adeóque ultimæ Propositionis finis, & totius etiam quæstionis, Quòd hæc Salvatoris Monomachii & respectu Adversarii res tuta fuerit atque secura, & respectu Christi res clara & gloriosa, & respectu Nostri opus frugiferum summéque necessarium. Atque hæc de prima parte dixisse sufficiat, De Athleta, sive susceptore certaminis. In Campum & arenam sequenti die estis introducendi.

LECTIO II.

In Desertum.

DE susceptore sacræ contra Satanam militiæ quæ dicenda erant superiùs accepistis, Quòd Christus ipse fuerat Athleta magnus, & invictus Pancratiastes, qui ad Monomachiam hanc & seipsum composuit, & hostem provocavit, repulit, vicit. Nunc sequitur ut de certaminis Loco sive Palæstra, quæ secunda Prologi pars est, nonnulla dicamus; peregrinatione mentis Eremum istam visamus in quam se primùm receperit Dominus, quando omnium maximum salutis nostræ opus solenniter inchoavit. Quòd si pedibus hoc iter conficiendum esset, ità ut nos eò Superstitio non duceret, sed pium delectandi adjuvandíque animi desiderium, non existimo pœnitendum iter futurum, neque audeo ut illicitum redarguere. Nam si ex hominibus seculi quamplurimos legimus, jucunditate solâ ductos, longinquas oras cum laude sua peragrasse, ut Nili ostia, aut altissimam Pyramidum molem, aut Gangis arenas aureas, aut Babylonis rudera, aut Trojæ cineres propriis usurparent oculis; si è sanctioribus Christianis alios itinera similia emensos ut speluncam Salvatoris intrarent, aut villulam & diversorium ubi est natus, aut præsepe in quo infantulus vagiit, aut fluenta Jordanis ob lavacrum Domini puriora, aut Oliveti montem ascensione Christi altiorem illustriorémque factum: etiam & vobis licet, si res exigeret, ad Deserti recessus properare, ubi primùm potentiam Satanæ Christus conculcavit, insidiásque retexuit. Veruntamen nobis tam longi itineris laborem sustinere non est opus: ad istorum singula per Scripturas & via brevior patet, & aditus promptior. Ex istis jamdudum edocti estis, non pedum Christi vestigia sequenda esse, sed exempli; i. neque loci mutatione propiùs ad eum accedi, sed fidei; nec largiorem esse in deserto gratiam, sed angustiorem quam in hoc ipso consessu ubi convenistis. Hæc omnia vos scitis & creditis absque oculari intuitu: & Assumptionem humanæ naturæ ex B.Virgine, absque conspectu Bethlem; & Resurrectionem Domini ex mortuis, nondum viso monumento; & in cœlos Ascensionem, Olearum monte nunquam salutato; denique & acerrimum cum diabolo congressum, licèt Eremi asperitates saltúsque non datum est vobis ex propinquo speculari. Quocirca obsecro vos, ut isthàc velitis mecum paulisper jam mente trajicere, ut quemadmodum plenissimo Spiritûs Sancti ductu in tentationis locum Dominus noster profectus est; ità nos quoque ejusdem Spiritûs minoribus, sed aliquibus, auspiciis ad eundem locum perlustrandum progrediamur. Est autem locus ad ejusmodi negotium agendum amplissimus & aptissimus: *Ductus est in Eremum*, inquit S. Evangelista. Hæc certaminis Palæstra est, hoc stadium.

Quod ut accuratiùs percurramus, duobus, si placet, modis consideremus. Secundùm radios rectos, ut secessus iste in desertum erat factum singulare & personale Christi; & Secundùm radios reflexos, ut est factum exemplare nobis in vitæ similitudinem trahendum. Sic duo sunt in disquisitionem vocanda, Ratio Facti, & Imitatio Exempli. In illo quærendum est quæ motiva & impulsus Christi fuere ad præeundum: in hoc, quod obligationis vinculum

culum nobis imponitur ad sequendum. Ad istorum utrumque sigillatim enucleandum diem unicam arbitror vix posse sufficere. Erit igitur dispertita provincia, ut possim in præsentiarum de Ratione Facti differere, de Imitatione Exempli in posterum.

Exordior à parte prima, in qua de hoc in desertum recessu agendum est quatenus erat Factum singulare & personale Christi: atque sic quidem duo sunt in ea consideratione nostrâ dignissima; Qualis locus esset; &, Quare locum hunc Christus ex omnibus ad hoc certamen elegerit; hoc est, si Categoricè loquamur, Qualitas loci occupati, & Consilium occupantis.

Loci qualitas vel ex Nomine, vel ex Proprietatibus dignoscitur. Nomen loco impositum est *Eremus*, quódque eódem recidit, *Desertum*; sic enim Latini codices vertunt, *Ductus est in Desertum:* utcunque Isidorus in libro Differentiarum discriminis aliquid inter hæc duo vocabula statuat, ut Eremus sit solitudo invia, ubi nunquam est habitatum; Desertum, locus aliquando habitatus, sed derelictus. At in hoc argumento tamen nobis non expedit tam esse curiosos; verborum interpretationi hoc sufficit, ea loca neminem tunc temporis incoluisse, atque fuisse, ut S. Chrysostomus loquitur, *Ἔρημον ἄβατον*, hoc est, solitudinem non modò non habitatam, sed nè habitabilem quidem, propter ferarum infestos occursus, de quibus nos S. Marcus admonet. Exhinc Proprietates loci emergunt & Specificæ, & Numericæ sive individuantes.

Proprietates Specificæ tres sunt, quæ desertis aliis in commune conveniunt: Quòd locus Sterilis erat & infœcundus; locus Vastus, ferísque infestus; locus Derelictus, humanâq; & ope & solatio destitutus. Numericæ itidem tres statui possunt: Quòd erat Desertum Judææ; quòd non modò ferarum, sed latronum latibulum foret; quòd inter Jerusalem & Jericho interjacebat. Non me latet dissentire aliquantulùm interpretes alios, qui desertum hoc fuisse desertum Arabiæ Petreæ conjiciunt; atque & jejunasse Christum, atque à Satana tentatum fuisse in Monte Sinai, ubi Moses & Elias quadraginta dierum jejunium celebrassent; neque enim locus ullus exordiis & victoriis Evangelii magìs esse videtur idoneus, quàm mons sanctissimus ubi Lex suam promulgationem habuisset. Sed hanc opinor nudam atque vix probabilem conjecturam; eò quòd mons Sinai & extra Judææ fines erat, & à loco baptismatis Christi plùs quàm centum & triginta milliaria distabat. Similior veri est illud in quo ferè unanimes Interpretum sententiæ conspirant, desertum hoc idem fuisse atque illud in quo partem vitæ aliquam Joannes egerat; idem etiam atque illud de quo Christus in parabola loquitur semimortui hominis qui inter Jerusalem & Jericho incidit in latrones, Luc. 10. tum quia hoc desertum Jordani est contiguum, tum quia *desertum Judææ* à S. Matthæo appellatur, c. 3. vers. 1. eò quòd in Judæa strictè accepta nullum erat aut vastius aut periculosius; tum etiam quia Terræ Sanctæ exploratores, Aranda & Adrichomius, atque oculati testes, Brochardus & Bridenbachius, testantur desertum hoc à jejunio quadraginta dierum *Quarentanam* hodie appellari, & in eo monstrari locum ubi homo ille inciderit in latrones; atque præterea *Domim* vocari, quasi *desertum sanguinum*. Hæc illi: verùm mihi tamen non est in animo magnopere hac de re contendere; sed liberum relinquo suum cuique judicium, ubi non de Articulis fidei, sed de circumstantiis historiarum ex conjecturis probabilibus agitur. At transilire tamen non potui, nè in ipso limine in historiam injuriosus viderer, cujus ratio moralis plurimarum pulchrarúmque feracissima est meditationum, quæ ferè omnes pereunt nisi Judææ desertum intelligatur. Quòd si liberè liceat in re perplexa quod sentiam profiteri, in ænigmate & in mysterio hoc totum à Christo

Aranda, c. 27. Adrichom. in trib. Benjam. num. 97. Broch. l. 5. c. 7. f. 28.

Christo factum nullus dubito, quòd in desertum se receperit, & desertum Judææ, & desertum priùs à S. Baptista occupatum, desertum denique feris latronibúsque infestum, in quo bonus ille Samaritanus semimortuo homini suppetias tulisse dicitur. In his singulis latere existimo rationem secretam, & altitudinem involutam multorum mysteriorum. Etenim inter omnes hoc constat, locorum attentissimum curatorem & observatorem fuisse Christum in omnibus, majoribus præsertim, muneris mediatorii vestigiis. In sanctissima Conceptione: hanc fieri voluit in Nazareth, quod *sanctum, electum, separatum, floremq; munditia* significat, reddente Hieronymo; in mysterium scil. adventûs mundissimi floris de radice Jesse, Nazaræique purissimi ad orbis salutem à Deo consecrati. Deinde etiam in Partu: in Bethlehem nasci voluit, *domo panis*, civitate David: hoc similiter in mysterium nativitatis filii David, panísque vitæ de cœlo descendentis. Pariter & in Baptismate: hoc confici voluit in fluentis Jordanis, per quem Israelitis in terram Promissionis iter olim Deus fecerat: hoc rursus in mysterio, sicut existimat S. Hilarius, ut ubi cœperit transitus Hebræorum, ibi cœlestis Sacramenti esset exordium. De Morte & Sepultura quid dicam? quòd Hierosolymis, terræ umbilico, mori voluerit princeps pacis in *visione pacis*; quod in horto sepeliri, granum tritici, secundus Adamus, sicut in horto primus homo peccaverat. Si loca ista singula ad hæc omnia munia ex professo Christus segregaverit, de Eremo quidni idem dicamus? nequaquam factum esse absque aliquo mysterio, quòd certamini maximo Desertum designavit. Quæ illa sunt mysteria mox videbitis, cùm ad secundum membrum pervenero. Interea quòd ad qualitatem loci attinet, mysterio non caret, voluisse Christum Deserto hoc honoris deferre, Deserto, inquam, loco squalido sterilique, loco ferarum latronúmque occultatori. Hoc ipsi solenne erat, & locorum & hominum infimos præsentiâ suâ condecorare. Bis enim legimus ad pecudum loca se contulisse, in Deserto, & Præsepio; bis in loca latronibus peculiaria, Eremum, & Crucem. Ad sensum reconditum satis est si dicamus, non declinasse à locis illis beatissimum Dominum: plus multò est ea elegisse, idque certo judicio, ut nobis exinde adventûs sui ad peccatores, ad irrationabiles homines servandos, mysterium innotesceret: supra omnia est, quòd ea non modò elegerit, verùm honore aliquo nobilitaverit; Præsepe honore sanctissimæ carnis, Crucem honore sanctissimi sanguinis, Desertum honore sanctissimi jejunii & gloriosissimæ Victoriæ. Hæc loci Qualitas est & nativa & ascriptitia, quòd sicut lignum Crucis in lignum vitæ mutavit morte suâ, & Præsepe pecudum in peristylium Angelorum recubitu suo; ità etiam Eremum in Paradisum jejuniis, orationibus & victoriis suis: fecítque nè audiat in posterum Eremus, sed campus virtutis; nec Desertum, sed Theatrum honoris. De Qualitate loci occupati hæc dixisse sufficiat.

Hil. in Ps. 65.

Accedo ad partem alteram, quæ est de Consilio occupantis, ut possim ostendere prudenter & considerate, præ omnibus aliis, hunc ipsissimum locum à Christo ad hoc certamen fuisse sejunctum. Ad duo autem Capita reduci potest, sive ad duplicem Condecentiam, unam respectu Præteritorum, alteram respectu Præsentium. Utroque modo idoneus locus est dicendus: Idoneus Christo Præfigurato, ut responderent prima primis; & Christo Exhibito, ut responderent prima proximis.

Condecentia prima est respectu Christi Præfigurati, sive præcursorem primigenium Mosen, sive novissimum Baptisten consideremus. Præcursor ejus in multis Moses fuit: in divina ab infanticidio custodia, illius sub Pharaone, hujus sub Herode; in fuga quam uterque cœperit ad persecutionis procellam evitandam, hujus in Ægyptum, cùm esset in prima gemma,

ejus

ejus ex Ægypto, cùm esset in flore ætatis. Adde, in quadraginta dierum jejunio, in Lege Divina tradenda, & in populi per desertum ducatu. Consilium facti quis est qui non videt? quòd præcursorem primum Christus vestigiis suis sequi dignatus est: & quemadmodum Moses populi ad terram promissionis ducendi exordia in deserto posuit; itidem & sui etiam primitias ministerii in eodem Musæo, nimirum Deserto, Christus est meditatus: útque Moses quadraginta annis in deserto commoratus est, ità quadraginta diebus Christus. Quid est præterea? nihil sanè nisi illud, quòd S. Joannes præcursor etiam fuerat Salvatoris & proximior & manifestior quàm Moses, non minùs in prædicando quàm in nascendo.

Præcursor fuit in Nativitate multifariàm: quia mirabiliter natus & præter consuetudinem, sicut Christus; Christus virginitatis partus, sterilitatis Joannes: quia cœlitus nomen accepit, sicut Christus; uterque enim est nominatus antequam natus, à Deo per Angelum desuper missum: uterque Spiritu Sancto repletus ab utero, Christus ἀμέτρητως, Joannes secundum mensuram; unde & in angustiis uteri exsiliit, mótúque salutavit Christum quem voce non poterat, divina munera priùs præstans quàm humani corporis membra haberet. Deinde

Præcursor fuit in publico Ministerio, idque aliis atque aliis respectibus: quòd voce simul ac digito indicaverit Christum, digito Agnum Dei, voce Verbum Patris: quòd primus omnium baptismum administraverit, προοίμιον τῦ εὐαγγελίυ, ut Justinus loquitur: postremò, quòd in deserto manserit, & à deserto intonuerit; prædicavit in deserto, Matth. 3. 1. baptizavit in deserto, Mar. 1. 4. vixit in deserto, Luc. 1. vers. ult. prorsus quasi ad hoc ipsum ante faciem Domini præmissus fuisset, ut Epistathmus foret ad consignandum desertum, velut locum commodissimum in quo & virtutes primas Christus explicaret, & lineamenta duceret sequentium. Obsecro, quis sponsalibus locus aptior quàm is quem amicus sponsi & paranymphus Joannes seposuerat? aut operis tanti lineamenta consummator omnium unde potiùs duceret, quàm ubi præco publicus ipsius nutu & arbitrio prænuntiasset? Est enim hoc omnibus in confesso, nihil sibi non suum Joannem arrogasse, neque in suos usus, sed in usum Christi desertum occupasse: quocirca decorum erat & consonum, ut ubi Joannes desinebat, ibi inciperet Christus, atque prima ministerii incunabula in deserto statueret, quò prima primis responderent. Hæc Condecentia prima est, respectu Christi Præfigurati. *Just. Qu. 37.*

Secunda est respectu Christi Exhibiti, ut responderent prima proximis sive sequentibus: hæc loci seligendi ratio præcipua, quòd incarnato jam Christo maximè idoneus locus eremus fuerat, atque hoc quadruplici respectu; & ut Viatori, & ut Militi, & ut Redemptori, & ut Divinæ voluntatis Prædicatori atque præconi. Si ut Viatorem contempleris, ad totum hoc ministerium se demississimè Christus accinxit; non elatè & magnificè, non forensi pompâ & comitatu splendido instructus, ut princeps populi; sed verecundè & modicè, ut peregrinus & advena, & in infimo fortunæ gradu constitutus. Hoc ipsum videre est in singulis vitæ partibus, quòd in omnibus se gessit ut viatorem decuit: namque & in Via natus est, dum parentes iter facerent; & in Diversorio, viatorum hospitio, in quo etiam cubile nullum adeptus est. Post natalitia exotica, statim ut ortus est in Ægyptum fugere cogitur, & inter provincias barbaras extraneum quærere incolatum: quanquam revera extranea regio nulla est propriam non habenti. Post hoc ipsum de seipso testatur, se non esse κοσμοπολίτην, sed in terris ἀνέστιον καὶ ἄξενον, Joh. 18. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo:* & Mat. 8. 20.

Filius

Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet; quod idem est, interprete Hieronymo, ac si dixisset, hospitiolum se non habere, neque suo uti tecto, ἀλλὰ παρεπιδημίαν τινὰ εἶναι τὸν βίον, ut Platonis verbis utar. Ad extremum, sicut peregrini in morem vitæ curriculum traduxit, ità etiam post mortem sors eadem sequebatur; neque enim in proprium, sed in alterius illatus est monumentum, qui non pro sua, sed pro aliorum salute moriebatur; & quemadmodum in vita non habuit domicilium de suo, ità nec post mortem sepulchrum nisi alienum: ut totum se, quantum quantum, in terris exsulem alienigenúmque ostenderet. Quorsum igitur hæc oratio pertinet, aut cum deserto quid habet commercii? Imò verò maximum; quid enim est Desertum nisi peregrinantium receptaculum, iisque commune suffugium quibus natale solum in possessionem non venit? Prudenter igitur, & quasi consultâ operâ, Ministerii sui vestibulum in deserto Salvator collocavit, quia magis futurum se peregrinum præsensit in altera parte vitæ quæ agenda erat quàm in anteacta fuisset: propterea ut viatoris sortem familiarem sibi redderet, secessu spontaneo in loca deserta se confert, ubi omnia deerant quæ ad vitæ solatium conducere possent; carebat tugurio, neque aliquo tecto, nedum ramis aut frondibus tegebatur ab aeris intemperie; carebat lectulo, neque sedile habebat, terra grabatus erat, & cœlum stratum. Hoc nobis sit documento, qui quotquot sumus, dum in corpore sumus, peregrini sumus; etenim in doctrinam nostram & scriptum est & factum, ut nobis sit instar duplicis documenti.

Plato in Axiocho.

Documentum primum, Post baptismum in eremum Christus secessit, ut se mundo valedicere significaret: pariter & nos, si à Deo in filios adoptati sumus, proximum est ut mundo valedicamus; ut sicut Israelitæ in deserto non fecerunt sibi palatia, sed tuguria & de fragili materia tabernacula, & nos etiam, si ut desertum mundum interpretemur, absit ut in eo civitatem permanentem statuamus, sed magis exsilii locum æstimemus.

Documentum secundum, Secessit Christus in desertum ut peregrinationis partes ultro ageret, & incolatûs sui tædiis se assuefaceret, ea meditando & prælibando: similiter & nos, si Spartam hanc ornare cupimus, & duriorem viatoris conditionem fortiter ferre, nos sæpius oportet ut exerceamus in hac palæstra, & sæpius hos casus nobiscum in pectore volvamus, quia citra talis studii antecaptam exercitationem nemo in viatorem perfectum evadit; at si frequens exercitatio accedat, facilia toleratu dolores & molestiæ futura sunt quæ sæpe cogitaveras, & futura præsumpseras. Sic bonus sagittarius, tametsi adversarium non habet, quotidie tamen manum exercet, ut eâ cùm opportunum fuerit utatur. Sic qui in mari navim regere gubernaculis studet, in cymba priùs se collocat, atque remorum laboribus se assuescit: & disciplinam bellicam qui assequi velit, in pace agit ea quæ ad bellum pertinent, in armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo, testudinem desiccando, &, ut breviter dicam, priùs ea quæ sunt militis exercitatione quasi ludicrâ prædiscit, & tanquam in procinctu positus præludit prælium, & velut coram posito hoste prætendit. Usque adeò naturale est paulatim exercitatione incitari, ut ipsi infantes priùs sonos meditentur loquendi quò loqui discant, & catuli in novellis venationibus ludant, gestiántque vituli certamina quæ impleant ætate robustâ,

Et tentant sese, atque irasci in cornua discunt,
Arboris obnixi trunco.

Similiter & Christianum hominem decet ad has se crebriter cogitationes revocare, & secessum suum è mundo quasi præludere, ut meditatione assiduâ velut peregrinationis suæ palæstrâ præinstructus, injurias seculi obfirmato animo

animo sustineat, velut incolatûs sui proprias atque nativas appendiculas. Hæc Salvatoris nostri disciplina fuit, hoc ipse nos edocuit suo exemplo: namque & in Eremo vitæ peregrinationem depinxit, ut Augustinus loquitur; & in Eremo, velut in antecessu, Ministerii sui prima fundamina posuit, ut agendam in terris peregrinationem priùs quàm acta esset ageret. Hæc idoneitas prima, Desertum maximè idoneus locus erat Christo ut Viatori.

Hom.1.de Transfig. Dom.

Secunda sequitur, Quòd maximè idoneus locus fuerit Christo ut Militi & Athletæ, ídque duabus de Causis.

Inprimis, idoneus erat ad Splendorem Victoriæ; cùm sponte suâ in arenam Christus descenderit, provocantis vicem sustinebat, Satanas provocati: est autem ea lex Monomachiæ perennis, quam Alciatus in lib. De Duello, cap.6. num. 4. recitat, Quòd electio loci ad pugnandùm est in arbitrio provocantis, electio armorum in potestate provocati; qui provocat, locum eligit, qui provocatur, arma. Etiam in hoc certamine hæc ordinis ratio est observata; diabolus arma destinat, Christus campum eligit, & qualem quæso? campum æquum? imò verò imparem, campum ejusmodi qui in dæmonis favorem cederet, ipsum diaboli deambulacrum, Desertum. Quòd in ejusmodi locis diabólus imperitet vox Evangelii testatur, Mat.12.43. *Cùm immundus Spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida*, h. e. sterilia, deserta & ad habitandum inepta, *quærens requiem, & non invenit.* Quocunque modo interpretemur, præsenti instituto subservit. Si moraliter, idem est ac si dixisset, diabolo, quocúnque pergat, omnem extra hominem habitationem ingratam esse, & tanquam triste exsilium, & squalido deserto similem. Si juxta allegoriam, ad idem recidit, Quòd ex unius corde Divinâ virtute fugatus spiritus immundus, ad loca arida se confert, id est, ad corda spiritualibus donis vacua, neque irriguo rore gratiæ humectata. Si secundum literam, ad idem, Quòd Adversarius prædæ cupidus deserta & solitudines circumcurrit, & in locis aridis atque solitariis eos solet aggredi quos solos invenerit, & ab aliis segregatos, & in ditione sua. Audin'? Desertum campus Satanæ reputatur: Nunc vide Salvatoris magnitudinem; ad desertum properat, ut ipsi de loco impari occasionem aggrediendi suppeditaret. *Non in urbem tendit*, inquit S. Chrysostomus, *non in forum*, addo, non in Sancta Sanctorum, neque ad Altaris cornua; *sed ad desertum, campum Adversarii, territorium Tentatoris.* Non quòd esset simpliciter necessarium ut huc se Christus reciperet, quia in omni loco potuit superasse; sed ut gloriosior esset victoria de hoste in suo propugnaculo. Hæc causa prima, Ut augeret Splendorem Victoriæ.

Secundò, idoneus locus erat ad Specimen Virtutis exhibendum. In desertum Christus progreditur, Theatrum amplum, sed secretum: neque assessores secum ducit aliquos; non homines, quia impares erant certamini; non Angelos, quia in ministerium ejus facti sunt, non adjutorium. Victoriæ socios nos homines facit, non pugnæ; spectatores Angelos habuit, non subsidiarios. Si turmas aliquas aut legiones Angelorum conduxisset, invidia objiceret eorum adjumento vicisse. Igitur solus cum solo congreditur. *Soli sunt in palæstra Christus & Antichristus, Spiritus & Anti-spiritus*, ut Cyprianus loquitur. Sic se res habet in toto Salutis nostræ negotio. Quando carnem sanctissimam assumpsit ex B. Virgine, mysterium Angeli annunciant, non unà operantur, sed ipse solus purissimi domicilii fuit architectus. Quando corpus è sepulchro suscitavit, monumentum vacuum circumstant Angeli, non plenum; resuscitato adsunt, non resurgenti; ut resurrectio-

nis asseclas fuisse se ostenderent, non adjutores. *Rem totam Christus confecit angelico comitatus obsequio, non suffultus auxilio*, ut S. Bernardus loquitur. Quando pretium salutis in cruce pendens persolvit, non socium, non consortem sibi assumpsit tam gloriosi Laboris; sed ipse solvit solus, qui torcular calcavit solus, Is. 63, 3. ipse solvit solus, qui solus Mediator Dei & hominum, Jesus Christus. Obstupescunt Angeli, at nihil contribuunt. Pariter & in hoc de quo nunc agitur certamine, non concertatores aliquos secum Christus ducit, non copias ullas contrahit, non Angelorum choro aut Archangelorum agmine stipatus ad desertum incedit: sed, sicut Jonathan contra Philistæos, 1 Sam. 14. 7. cum solo armigero, Spiritu Sancto, cujus plenitudine imbutus erat, de salutis hoste triumphos agit; ut qui solus sine commilitone vicisset, solus gloriæ laureâ cingeretur. Quod Ep. 14. ad Irenæum S. Ambros. de Christi Propitiatione loquitur in illa Evangelistæ verba, Joan. 8. 9. JESUS REMANSIT SOLUS, ET MULIER STETIT IN MEDIO; *Solus Christus remanet*, inquit Ambrosius, *quia ejus solius est munus peccata remittere qui solus potuit auferre; solus remanet, quia solus salvos facit, & hoc non per legatum aut per nuntium, sed per seipsum, & per seipsum solum; neq; enim potest hoc cuiquam hominum cum Christo esse commune*: idem & nos de hac Christi militia, Christus cum solo congreditur solus, quia solus potuit superare; & ut hoc pro comperto haberetur, solus in arenam descendit, locum eligit ab arbitris liberum. Hæc est idoneitas secunda, Desertum maximè idoneus locus erat Christo ut Militi & Athletæ.

Accedit tertia, Quòd maximè idoneus locus fuerat Christo ut Redemptori, sive Finem, sive Exitum adventûs ejus intueamur. Si Finem, idcirco Christus venit, ut humanum genus, terram desertam & derelictam, solâque sterilitate fœcundam, ad meliorem pietatis frugem vegetaret & vivificaret. Si Exitum, venit in mundum, & mundus deserebat, Joan. 1. 10. *In mundo erat, & mundus eum non cognovit; Venit* in Judæam *ad suos, & sui eum non receperunt: Nolumus hunc regnare; Non habemus regem nisi Cæsarem.* Venit ad animam vocando, pulsando, & anima neque pulsanti aperit, neque vocanti respondet, nisi hoc pro responso habeatur, Se aperire non posse: *Villam emi, uxorem duxi*, hæc sunt responsa animæ mundum depereuntis, & deserentis Christum. Repetamus hæc paulò altiùs, atque tunc res ipsa loquetur in desertum venisse Christum, quando ad nos, & pro nobis se obtulit, & desertis pariter & desertoribus. Nam primò, qui in mundum venit, in desertum venit, quia *totus mundus absque Christo est desertum*, ut Aug. loquitur, *ab omni cultura fidei & pietatis alienus, tanquam ager incultus, & peccatorum spinis obsitus, nullam bonorum operum habens fœcunditatem.* Quod de Babylone Herod. μεγάλη πόλις, μεγάλη ἐρημία, de mundo multò magis dicendum est; etenim ut in deserto homines pauci inveniuntur, sic & in mundo multitudo hominum, solitudo bonorum. In deserto sunt aquæ aut amaræ, aut nullæ; animalia aut nulla, aut noxia, serpentes, feræ, tigrides, & qui obambulant leones rugientes: similiter & in mundo sunt *homines non homines*, ut Hieronymus loquitur, sed crudelitate lupi, astutiâ vulpes, immunditie porci, & veneniferis moribus serpentes; ut tutius sit se feris aliquando committere quàm hominibus, & in ipso deserto vitam agere quàm in seculo. Secundò, qui ad animam venit, in desertum venit incultum, sterile, delictorum spinis obsitum, virtutum infœcundum. Id author imperfecti operis in Matthæum pulchrè explicat: *Natura regenita*, inquit, *est domus Dei, sed quantum ad diabolum est desertum, quia nihil habet cum*

Aug. Ser. 8. De nat. Jo. Bap. & in Ps. 62.

eo

eo commercii; *& natura carnalis contrà domus est diaboli, & est desertum respectu Dei, quoniam non est in eo justitia:* & S. August. serm. 8. De Nativ. Joan. Baptist. *Vacua*, inquit, *Dei timore pectora, velut squalentis eremi loca desertissima sunt habenda:* & Magnus ille Greg. Mor. lib. 2. cap. 28. *Regio deserti est cor infidelium, quod dum Creator deserit nullus inhabitator colit:* & S. Nyssenus in Orat. de Bapt. Christi, *Scriptura cùm desertum dicit, non semper propriè loquitur, ἀλλὰ τροπολογεῖ, & per Eremum intelligit τὴν ψυχὴν ἀκόσμητον, squalidam & inornatam animam.* Sed quid opus est rem in comperto testimoniis stabilire, cùm ubilibet Scriptura Sacra id apertissimè dicat? *Exsultabit solitudo, & latabitur deserta*, Isai. 35. 1. *Latare sterilis qua non paris, quia multi sunt filii deserta*, Isa. 54. 1. *Ponam desertum in stagna aquarum, & terram inviam in rivos*, Isa. 41. 18. Quæ omnia certissimum est non alio sensu prædixisse Spiritum Sanctum quàm eo quo postea adimplevit, non modò de gentium populis universim, sed in specie de hominibus ad quos cùm Salvator se contulit, desertas animas reperit & bonis spiritualibus orbatas. Postremò, qui ad Judæam venit, in desertum venit, gentem olim sanctam & genus electum, vineam fertilem, vineam generosam, vineam Domini exercituum: sed eam quæ postea è statu suo gloriâque deflexit in solitudinem & vastitatem, & omnium Prophetarum ore decantatam desolationem. Hæc misera Judææ conditio quando primùm Christus apparuit, ruina sibi & vastitas Deo, prorsus à Domino deserta quem deseruisset. Neque Judææ solius conditio dicenda est, sed cujusque hominis, sed totius orbis. Christus igitur cùm apparuit, quò se verteret? Ad hortum, putas, deliciarum, aut ad hospitia sancta? Nihil minùs, nusquam invenit gentium. Quò igitur se vertit? Ad mundum, Joan. 3. 19. *Lux venit in mundum*; ad Judæam, Matth. 15. 24. *Missus sum ad oves perditas domûs Israelis*; ad animam, Apoc. 3. 20. *Ecce sto ad ostium, & pulso.* Sic quocúnque se vertit, desertum videt: & propter hoc in mysterio, salutis nostræ exordia pulchrè sunt à Deserto; útque toti fabricæ limen operis responderet, in Eremum recessit. Evax, quàm egregiè! Annon prudenter ad Eremum festinat, qui venit ovem palantem & errabundam in seculi deserto quærere, & propriis humeris domum reducere? Annon ad Eremum, qui venit desertæ ac sterili annuntiare pacem, lætitiam, salutem? Anne uspiam magis quàm ad Eremum, qui ad liberationem hominis à latronibus inter Jerusalem & Jericho despoliati misericors Samaritanus accessit? & ad hanc ipsam Eremum in qua res ipsa gesta est, ut ibi diabolum vinceret, ubi sive historicè hominem, sive figuraliter Adamum in latrones incidisse dixerat? Prudenter in Eremum, ut manu suâ exsules assereret in immunitatem; in Eremum, ut desertum humanum genus revocaret in Paradisum; deniq; in Eremum, ut solitudinis incolas socios faceret, & in beatitudine patriæ comparticipes Angelorum. Hæc est idoneitas tertia, Desertū maximè idoneus locus erat Christo ut Redemptori.

Sola nunc ultima restat, quòd Desertum maximè idoneus locus Christo fuerat ut Prædicatori & Divinæ voluntatis præconi: nam huic se nunc operi Salvator præparavit; atque ut præclarè se paratum ostenderet, priusquam se mundo manifestavit, paulisper recessit, & in ipsum ministerii quasi apparatum quadraginta dies insumpsit. Quid in deserto egerit tot diebus & noctibus, conjicere magis possumus quàm definire, quia Scriptura tacet. Si lectione jugi temporis tædium elusisse dicamus, frustrà est: libris non indiget thesaurus sapientiæ plenus, mens ipsi pro libris. Si jejunasse, verum est: at non est inter actiones sed passiones jejunium

junium recensendum; neque in se virtus est, nisi aliis conjuncta virtutibus. Si lamentis & fletibus & vigiliis horas transegisse, non est difficile creditu, his sacris imbribus deserta loca rigasse, ut lacrymis priùs peccata abstergeret quæ erat postea sanguine deleturus. Si in orationibus & meditationibus dies noctésque insomnes duxisse, hoc sanè certissimum, quòd manus & oculi & mens fuere perpetuò & insuspensè fixa cœlo. Equidem agnosco temerarium esse statuere quod cœlici Notarii in scriptis non reliquerunt. Agnosco Christi omnia, sive cognita sive non cognita, dignissima esse quæ & miremur supplices & grati celebremus, eòque magis quò investigari non possunt. At hoc tamen tutò definire possumus, In deserto fecisse illum illa omnia quæ ad Salutem nostram spectabant, & illa omnia quæ facere decebat hominem Divinum, humana Divinè, Divina humanè operantem; hoc est, si unico id explicem verbo, & orationibus, & contemplationibus, & Divinis super-beatæ mentis exercitiis per totum hoc temporis spatium se exercuisse. Atque exinde emergit Ratio consiliúmque Secessûs, quod ad duo Capita revocabo.

Ratio prima secessûs hæc est, Ad inanem gloriolam vitandam; quia, ut B. Cyprianus loquitur, *In nullo religionis exercitio periculosiùs militatur quàm in jejuniis; nulli virtuti inanis gloria citiùs adulatur, aut importuniùs se ingerit, ut propriis armis sanctitatem impugnet.* At verò Christus non appetens gloriæ fuit, non avidus laudis, novo quodam genere, in summam gloriam venit contemnendo. Nos, si quid magni, apage! si quid nihili fecimus, cicurimus & promulgamus, neque una buccina sufficit. Aliter nos Christus docuit: nos verbo docuit, ut cùm oramus, in conclave intremus, ostiúmque claudamus; & cùm jejunamus, ut in occulto id faciamus, non homini, sed Deo: ut sic quàm longissimè absit à Christiano homine omnis etiam in bono opere jactantia. Hoc exemplo suo docuit, dum jejunia magna celebrans, in desertum se confert velut in conclave, ubi clauso ostio, à nullo hominum aperiendo, oravit Patrem suum in occultis, ut ipse loquitur. Hæc prima Ratio, Locus quem eligit est solitudo carens arbitris, & assentatorum satellitio vacuus, quia non ad hominum plausum, sed solius Dei judicio jejunia sunt agenda, & singulariter inspectorem adjutorémque Deum volunt hæc habere certamina. Hæc, inquam, est prima Ratio.

In Serm. de Jejun. & Tent. Christi.

Ratio secunda, Ut impedimenta devotionis amoveret, imò præveniret. Non sunt in deserto mundi phaleræ, nullos habet sensuum laqueos, nulli sunt cunei perturbationum qui ad arcem mentis intrare solent; colorum nitores oculi non circumspiciunt; non facetorum hominum ridicula aut scurrilia dicta, quæ animum frangunt, audiuntur; non orphanorum lacrymæ aut viduarum suspiria, non inopum querelæ, non rapinæ pauperum; denique non saporum illecebris gustus tentatur, nulla est escarum copia, non vina pretiosa, non accuratæ epulæ, non ulla odorum allectamenta: quibus omnibus exclusis vacare cœlo mens secreta novit, & solo Deo frui. Non quòd existimem sanctissimum Salvatorem istis aut eguisse hominum proficientium adjumentis, aut istis detineri potuisse fragilitatis nostræ remoris; verùm nobis cœlestis vitæ consequendæ specimen edere voluit, & in seipso docere quid nobis & faciendum & cavendum foret, ut ad perfectionis fastigium ascendamus. Hæc summa est, Secedere debere ab urbanis tumultibus mentem cœli ambitiosam & fruendi Deo cupidam, abstrahere se debet à rebus inferioribus, atque fugere

gere vulgi turbas. Quid hæsitatis? quid circumspicitis? Sublimis est regula, imò communis, & sæpius calamis trita non Ecclesiæ tantùm doctorum sed ipsorum philosophorum. Id nos Antisthenes docuit, qui *hoc se ex philosophia lucri fecisse* profitebatur, *Posse secum loqui & versari.* Id Scipio Africanus, qui hominum frequentiam sæpissime fugiebat, & solitudinem ut portum ἀυλαρχείας amplectebatur. Id M. Cicero, qui hoc se usu & experimento didicisse profitetur, *Nihil posse esse solitudine jucundius; non modò miseris temporibus & luctuosis, sed etiam tranquillis & optatis; nec solùm animo defatigato, sed erudito.* Id accuratè Plutarchus, qui *solitudinem* σοφίας γυμνάσιον appellat, καὶ ἠθοποιὸν ἀγαθὸν, *optimam formatricem morum ad virtutis effigiem in animis hominum imprimendam.* Et nè vos in istis Ethnicorum cryptis diutius detineam; id tota philosophorum schola, qui ob hanc ipsam causam & Musea & deorum delubra in locis solitariis antiquitus constituta esse testantur, quoniam à secessu divinos animi motus emergere putabant: atque eandem ob causam Noctem εὐφρόνην Græci dixerunt, à *bene intelligendo,* quòd à quiete & solitudine prudentia rerúmque inventio trahantur. Quòd si hæc minùs vos movent ab exoticorum apparatu ducta testimonia, audite raptim quid de secessu pietatis alumni sanctiores sentiant. Etenim & Greg. Nazian. μυητέρα τῆς θείας ἀναβάσεως Solitudinem vocat, ut quæ ex homine Deum facit, hoc est, Deo simillimum: & hoc unicum negotium sibi Tertullianus proposuisse gloriatur, ut non aliud curaret quàm nè curaret; quia vita melior in secessu quàm in promptu: & ad Heliodorum S. Hieronymus in ea verba erumpit, *O eremus familiariùs Deo gaudens! O desertum Christi floribus vernans! O solitudo in qua isti nascuntur lapides de qua civitas magni regis exstruitur!* prorsus quasi, ut August. loquitur, *& solitudo necessaria esset menti quæ Deum vult videre, & in turba etiam difficile sit Christum speculari; quòd turba strepitum habeat, & visio ista secretum desideret.* Hoc Isaac sanctus Patriarcha novit, quando die jam inclinato in agrum egressus est ut sermones cum Deo misceret, Gen. 24. 63. Hoc Elias propheta, qui in reconditos solitudinis angulos, & à cœtu hominum liberrimos, se aliquoties subduxit, ut solus solo Deo frueretur. Hoc S. Petrus, *qui solus erat,* inquit Ambrosius, *cùm totum per orbem consecrandarum gentium mysterium cognovit:* & Maria sola etiam, & quando cum Angelo loquebatur, & quando in eam Spiritus Sanctus supervenit: imò & *solus Adam,* inquit ibid. S. Ambrosius, *quamdiu adhærebat Deo, neque est prævaricatus;* postquam verò ei mulier adjuncta est, peccavit: non erat solus quando de Paradiso est ejectus, solus erat quando in Paradiso est constitutus. Postremò, hoc Christus ipse, qui sæpius in montem, aliquando in desertum secessit, ut secum animo quieto versaretur. Pariter & nos in illius vitam tanquam in speculum inspiciamus, sequamur ipsum in omnem locum, in omni loco quæramus, sed in eo maximè ubi ipse Deum quæsivit, in secessu. Hic nobis statuatur primus ascensionis in Deum gradus, atque primum æternæ quietis exordium; ibi nos nobis cœlestis vitæ principium statuamus ubi Christus posuit suum: *ut illius solitudinem sequendo* (sunt verba Ambrosii in Luc. 4.) *ad Paradisum aliquando sequamur.* Hæc idoneitas ultima, Desertum maximè idoneum locum Christo fuisse, ut Prædicatori & Divinæ voluntatis præconi: Idcirco secessit, ut jejuniis & orationibus vacaret; atque hæc, ut Ministerio se publico præpararet.

Ant. apud Laert.

Cic. 3. Off. c. 1.

Cic. l. 5. Fam. Ep. 14.

Plut. De tranq. apud Stob. Ser. 56. sed in eo Pl. libello non invenitur.

Plut. De curios.

Naz. Or. 2.

Tert. De Pall. c. 5.

Aug. in Joan.

Ambr. Ep. 3. ad Sabinum.

Hactenus de Ratione Facti, in qua si de Solitudinis laudibus plus æquo

hanc telam prolatavi, conabor, si potero, hunc ardorem delinire in ea quæ sequitur parte; in qua de Periculis & incommodis Deserti agendum est, quantum ad Imitationem Exempli.

LECTIO III.

Ductus est in desertum.

De Eremo disputaturum tot undique quæstiones circumcingunt, ut in solitudine me positum existimarem de qua vix expeditè emergerem, nisi filum præ manibus esset supra Ariadnis illud, quo duce è flexibus quibuscunque vel maximè labyrintheis non erit difficile memetipsum evolvere. Hòc filum est gratia Christi, præsentia Salvatoris, quæ nunquam magìs servis suis elucescere solita est quàm in eremo palantibus, nusquam clariùs quàm in solitudine constitutis. In Eremo Israelitæ vagabantur; atque iis viæ comitem se Christus exhibuit, & per anfractus saltúsque deserti in vias rectas nubis præcursu ducebat. In Magorum gratiam idipsum præstitit, qui ad ejus natales concelebrandos per Eremos multas iter longum susceperunt: verùm illis dux itineris Christus factus, infantiæ suæ domicilium novo sideris ortu commonstravit. De reliquis non opus est dicere, quòd in Eremo Hagar ancilla deerrabat, quando eam de cœlo Angelus alloquebatur ut reverteretur ad heram suam. In Eremo Elias atque Philippus, quando utrumque Angelus admonuit; illum, ut ad montem Dei remearet, hunc, ut se ad currum adjungeret, atque Eunucho Evangelium salutis prædicaret. Denique & nos ipsi in Eremo jam positi sumus, sed animorum situ, non corporum; neque animis suspensis aut timidis, sed alacres sumus, &, ut homines decet tot exemplis confirmatos, de Divinis auspiciis securi, quòd idem ipse qui Israelitis, qui Magis, qui Ancillæ, qui Prophetæ, qui Evangelistæ in Eremo affulsit, & nobis quoque nostrísque itineribus interesse non dedignabitur, de Eremo omnium gloriosissima quam victoriis suis Christus honoravit disserentibus. Quòd si stella non appareat aut columna nobis, si vox Angeli nulla audiatur; at hoc tamen est pro omnibus, quòd Christus est nobis in hoc opere prævius, qui inter alias hac potissimùm de causa ad hoc de quo loquimur gratissimum desertum statim post baptismum se contulit, ut nobis in deserto seculi positis, & in pugnando, victoriæ, & in progrediendo, optabilis exitûs fiduciam afferret. Macte itaque, revisamus jam denuo amplissimum circum triumphi nostri, certaminis omnium felicissimi palæstram, ut hujus partis quæ supersunt analecta & spicilegia excerpere possimus. Analecta illa quænam sint instituti nostri ordo indicabit, adinstar stellæ stantis super locum in quem Christus se recepit. Audire mihi videor vocem methodi, velut vocem Angeli, dicentis, Surge & vade ad viam quæ descendit à Jerusalem in Jericho, quæ est deserta, & ad-

adjunge te currui, ut iter reliquum conficias, incipiendo ubi novissimè desinebas. Hoc vos non fugit, Auditores, absolvisse me pensi dimidium superiori die, quando duobus modis hunc Christi in desertum secessum proposui considerandum; secundum radios rectos, ut erat Factum Christi singulare & personale.; & secundum radios reflexos, ut est Factum exemplare & typicum, nobis in vitæ similitudinem trahendum. Ex istis duo ζητήματα pullulabant, Ratio facti, & Imitatio exempli. In illo de Qualitate loci occupati, & Consilio etiam occupantis, agitatum est fusiùs; nec non de Motivis atque invitamentis quæ Christum ad hunc certaminis locum eligendum excitarunt; iisque & Respectu Christi præfigurati, & Respectu Christi exhibiti, sive eum ut Viatorem, sivè ut Militem, sive ut Redemptorem, sive ut Divinæ voluntatis Præconem & prædicatorem intueamur.

Nunc sequitur ut, Facti personalis ratione enucleatâ, de Imitatione exempli nonnulla etiam dicamus, & secessum hunc ex radiis reflexis metiamur, quatenus est Factum exemplare, sive ἀρχέτυπον, ex quo nos nostris usibus quod imitemur capiamus. Et habet hæc quidem pars uberrimam in se & satìs litigiosam disputationem. Si quascunque ejus fibras & appendiculas articulatim investigarem, de Solitariæ vitæ origine, de Commodis etiam atque periculis, utrùm status sit Christianæ vitæ perfectissimus an magis impedimentum perfectioni, utrùm ab Evangelica stirpe oriundus an potiùs à peregrina & nupera, hæc, inquam, si articulatim & ad vivum resecarem, & eorum ancipites vias, rationésque pro omnibus & contra omnia disputando retegerem, vereor nè & vobis fastidium moverem, & maximam etiam huic Scripturæ injuriam, plus justo à rerum ordine declinando. Revera non sum nescius quòd miserè se torquent Pontificii, ut Eremetismi sui prosapiam antiquam, nobilem, & ab ipsis Prophetis Patriarchísque oriundam vindicare possint: atque nunc ad Joannem Baptistam, nunc ad Joannis prodromum Eliam, nunc ad Rechabitas, nunc ad Nazaræos, natales ejus ventosissimè revocant; imò verò, nè quid deesset insaniæ, ad Enochum ipsum Adami nepotem. Sed ista ad hanc quæ præ manibus est quæstionem non pertinent. Quocirca missis singulis ex obliquo spectantibus quæstiunculis, ad illud unum me revocabo quod solum est huic parti proprium atque nativum, Utrùm ab exemplo Salvatoris in desertum se subducentis robur aliquod aut authoritatem Eremetismus contrahat; & quod ad hoc maximè conducit, Utrùm hic Salvatoris secessus factum sit exemplare aut imitabile, & quibus cancellis imitatio sit circumscribenda.

Quod ut distinctiùs expediam, & ab ipso fonte ad extremum usque perducam, duo sunt quæ attentiùs advertenda existimo, Aditus ad quæstionem, & Introspectio.

Aditum ad quæstionem occasio patefacit. Occasio quæstionis à Pontificiis captatur, quorum nonnulli ex hoc ipso loco eremiticæ vitæ natales trahere non erubescunt. Nonnullos, dico, non omnes: sunt enim aliqui ex ipsis multò modestiores in consectariis deducendis, Abulensis, Jansenius, Stella, qui in hoc loco pertractando de Monachatûs origine prorsus tacent; sed ad hunc apicem exempli hujus imitationem deducunt, ut fugiat vulgi tumultus discipulus Christi, & se à rebus inferioribus abstrahat, quò in Deum possit pleniùs animum suum intendere. Sunt alii qui deditâ operâ vitæ eremiticæ exordia ad amussim rimantur, qui tamen Christum hujus Ordinis institutorem fuisse non audent pronunciare. Matthæus Galenus, in suis de origine Monastices commen-

 tariis,

tariis, ex Apostolica traditione fluxisse hoc institutum existimat, cap. 1, & cap. 6. at depuduit eum dicere à Christo manasse. Similiter & Bellarminus Cardinalis, utcunque ipsius fines paulò longiùs proferre videatur quàm sobrio & erudito homini conveniebat, at à Christi tamen nomine prudens abstinuit. Verba ejus sunt in libro De membris militantis Ecclesiæ, lib. 2. c. 5. *Vitam religiosam adeò esse antiquam dicimus, ut quædam ejus adumbratio in lege Naturæ fuerit ante diluvium; major quædam expressio in Lege Mosis; perfectio autem Apostolorum tempore:* de Christo nè verbum quidem. Modestiùs multò Jacobus Latomus, in lib. De Instit. Monast. *Mox ab initio nascentis Ecclesiæ fuerunt Monachi:* & Patres coacti in Synodo quæ habita est Petrikoviæ, Confessionis suæ cap. 98. *Sunt qui ipsos etiam Apostolos Cœnobiorum primos authores fuisse dicant:* & adhuc verecundiùs Patres Colonienses, parte decimâ Actorum Synodi, c. 1. *Vita monastica non multò post Apostolorum tempora cœpit, quanquam multis persuasum sit aliam tum fuisse quàm nunc est Monachismi rationem.* Hæc illi; quæ ad eum finem memoravimus, ut videatis, quod suprà monui, Non usquequaque omnes Pontificios adeò insanire ut ad Christum audeant hæc primordia revolvere, imò nè ad Apostolos quidem ipsos. At verò sunt alii adeò inconsulti & temerarii, ut tantum in se facinus suscipere non vereantur. Inprimis Tho. Waldensis, cujus in lib. De Sacramentalibus, tit. 9. c. 83. hæc tandem sunt verba, *Hanc vitam sanctam quis primus hominum fecit, nisi Christus homo? ipse Christus in seipso religiosorum perfectiones invenit; de manu Christi quilibet accipit vitæ regulam.* Pariter & Alfonsus Vervelius, adversus Lutheri dogmata Philippicâ vigesimâ; *De professione monastica*, inquit, *audeo dicere, quòd non hominis cujusvis adinventio sit, sed Dei & hominis Christi Jesu, totius virtutis ac pietatis magistri, traditio.* Denique & eorum compar Hieronymus Platus, in l. 2. De bono statûs religiosi, cap. 20. *Unus Christus*, inquit, *est hujus instituti author; non ab homine, neque per hominem fluxit, sed ab ipso Dei filio, qui inter reliqua salutis documenta hanc vivendi formulam, suo primùm exemplo, deinde voce & præcepto, expressam reliquit, de quo nisi hæreticos video dubitare neminem.* Hæc ille. Quid memorem reliquos? Jodocum Clichtoveum, qui cap. 3. l. De laudibus Monasticæ Religionis, Christo Duce & auspice Christo, observatam ab Apostolis monasticæ observationis regulam asseveranter affirmat? Quid Paulum illum de Palatio, qui in caput sancti Matthæi quartum, idcirco in desertum se recepisse Christum dicit, quia multos futuros esse Christianos sciebat qui deserta essent habitaturi, & illis exemplo esse voluit in jejunio, in rigore, in tentatione? Quid ipsum Jesuitam Salmeronem, qui in parte prima commentariorum in Evangelicam historiam, tract. 8. comprobasse hoc facto Christum asserit Anachoretarum statum? Quòd si quis opponat, domesticam hanc fuisse & privatam quorundam hominum sententiam: Esto, non diffiteor; at non est exiguus eorum numerus, neque subobscuri sunt, sed melioris notæ Theologi; atque singularis opinio non est dicenda quæ à tam coacervata Doctorum multitudine in vulgus spargitur. Quanquam & illud adjici potest, non hominum solùm sententiam esse, sed quarundam inter ipsos Ecclesiarum. Sic Patres Synodi Meldensis, Anno Domini 845. habitæ, sese explicarunt, cap. 9. *Sacer monasticus Ordo à Deo est inspiratus, & ab ipsis Apostolis fundatus:* itidem & Anglo-Rhemenses, in annotationibus suis super cap. 4. Evangelii secundùm Matthæum, paragrapho primo, *Quemadmodum Joannes Baptista, ità & Salvator noster, secedendo in desertum, & illic vitam in contemplationibus inter feras ducendo, & exemplum*

se

se vitæ solitariæ præbuit, & potestatem etiam fecit iis qui Eremitæ vocantur. Istis, opinor, exauditis, nemo est qui è privato lare effluxisse hoc dogma contendere possit, quod tot patronos habeat & tales, éstque tanto assensu celebrata sententia, Christum exemplo hoc suo & vitam monasticam approbasse, & commendasse, & instituisse. Est igitur locus, ut videtis, expostulandi idoneus, & inquirendi, Utrùm ab exemplo Christi in desertum secedentis authoritatem & robur vita solitaria habeat, vel quantum ad esse, ut eligatur, vel quantum ad bene esse, ut pro perfectissimo vitæ statu æstimetur. Hic quæstionis aditus est, & quasi janua.

Nunc demum in ipsa penetralia intrandum est, quæ est altera pars instituti nostri, quam Quæstionis enucleationem sive Introspectionem appellavi.

Sunt autem duæ quæstionis partes, quas tamen, si placuerit, quia alicujus sunt momenti & ponderis, non partes, sed magìs integras Quæstiones appellemus. Una ad Originem vitæ Monasticæ spectat, An suo exemplo hoc genus vitæ Christus aut instituerit, aut nobis proposuerit imitandum. Altera ad Excellentiam pertinet, Utrùm eodem exemplo suo hunc statum ut perfectissimum aut in se comprobaverit, aut nobis commendatum reliquerit. Utramque quâ potero brevitate percurram, sed alternatim; primam hodie, nam ad alteram investigandam longiore luce nobis est opus, atque propterea in diem posterum est rejicienda.

Ad primam nos accingamus, ut videamus An eâ mente aut consilio in Eremum Salvator secesserit, ut cuiquam specimen daret aut facultatem ejusmodi vitæ genus eligendi, sicut Pontificii gloriantur. Fundamentum cui innititur ipsorum de hac originis pompa gloriatio est exemplum Christi, quo nihil sanctius, si piè, ut decet, in imitationem trahatur; nihil periculosius, si temere & incautè attrectemus. Quocirca quoniam, ut S. Ambrosius loquitur, *manere non potest ædificium quod non habet solidum fundamentum, & nutante fundamento tota machina corruat necesse est*; videamus inprimis, an fundamentum hoc quo suffulcire vitam monasticam conantur sit firmum & stabile, vel potiùs debile & imbecillum.

Fundamentum quod substernunt est Imitatio Christi. Imitari Christum quid sit omnes norunt, quòd nihil aliud est quàm ipsius vitæ similitudinem in nostram vitam transferre, & eâdem temperatione uti quâ ipse usus est cùm in terris vitæ suæ tabernaculum collocavit. Non mea est definitio, sed S. Joannis Apostoli, 1 Joan. 2. 6. *Qui dicit se in Christo habitare, debet prout ille ambulavit, ità & ipse ambulare.* Exinde elicitur definitio, quòd imitatio Christi nil aliud est quàm vitæ nostræ ad ipsius vitæ normam, & actionum nostrarum ad illius actiones imitabilis configuratio. Hoc, inquam, est Pontificiorum fundamentum, Debitum, sive vinculum, quo constringimur ad Christum in quibuscunque actibus imitabilibus imitandum. Imitabilibus dico, quia sunt nonnulla inimitabilia, & Inimitabile non obligat. Itâ in hoc uno quæstionis exitus vertitur, ut Christi actionum differentias excutiamus, quo discrimine facto, imitanda à non imitandis segregare possimus. Actiones autem Christi ad tria Capita reduci possunt.

Caput primum est Actionum moralium, quæ in virtutum quarumcunque exercitatione consistunt: & hæ quidem sunt simpliciter imitabiles, dicente Apostolo, 1 Pet. 2. 21. *Reliquit nobis exemplum, ut subsequamur vestigia ipsius*; imò ipso attestante Christo, Jo. 13. 15. *Exemplum præbui*

bui vobis, ut prout ipse feci, ità & vos faciatis. De istis nemo est qui dubitat, sanctissimam Domini nostri vitam nobis exemplar esse vivendi, ad quod nos totos pingere & exornare debemus, tribus hisce Legibus adstricti.

Primò, Lege Gratitudinis: quia nobis ipse in omnibus factus est similis, assumendo non similitudinem nostram, sed naturam; nec solùm naturæ nostræ exsuperantias, sed infirmitates. Hinc quis non videt, ex ipso retributionis debito necessariò sequi, ut si ipse se debilitatis nostræ modulo submittere dignatus est, ad ipsius perfectionem nosmetipsos effingere multò magìs nos oportere?

Secundò, Lege Conformitatis: quia ipsius similitudinis nos sumus opificium; in statu Naturæ ad ipsius imaginem sumus primitus constituti, Gen. 1. 27. in statu Gratiæ ad ipsius imaginem sumus renovati, Rom. 8. 29. in statu Gloriæ ad ipsius imaginem in posterum sumus renovandi, *Cùm ipse apparuerit, similes ei erimus*, 1 Joan. 3. 2. Quòd si tota nostra factura, & quantum ad Naturam, & quantum ad Gratiam, & quantum ad Gloriam, in ipsius imaginis similitudine sit posita, nostrum est eò aspirare sequendo & imitando. Nostrum est nosipsos quasi comites tradere laboris hujus, faciendo pro posse nostro quod Deus fecit, faciendo quod facit, faciendo quod facturus est. *Sic illius gloriæ consortes erimus, si fuerimus gratiæ ejus imitatores*, ut scitè Ambrosius.

Ambr. l. De fide Resur.

Tertiò, Lege Perfectionis: quia aliter non possumus ad consummatæ virtutis fastigium pervenire nisi ipsum sequamur; cùm sit ipsius sola vita idea & autographum cujuscunque virtutis, autographum charitatis, innocentiæ, misericordiæ, patientiæ, humilitatis, mansuetudinis & obedientiæ. Hinc sequitur, ut si quis ad perfectam Charitatem ascendere cupiat, in charitatem Christi attollat oculos, diligendo alios, sicut & ipse nos dilexit, Eph. 5. 2. Si ad perfectam Misericordiam, misericordiam Christi suspiciat, condonando aliis, sicut ipse nobis condonavit, Eph. 4. 32. Si ad perfectam Patientiam, aut mansuetudinem, aut innocentiam, Christum intueri debemus, & ad ipsius typum transcribere vitas nostras, & animarum facies, ad eum respicientes, tanquam ad speculum componere. Ut verbo dicam, hæc pietatis summa est, hoc culmen virtutis, &, ut S. Chrysost. loquitur, *κανὼν Χριστιανισμοῦ τοῦ πλειοτάτου*, *Christianitatis perfectissima* perfectissima scala & *regula*, si Christi nos æmulos præstemus in actibus Moralibus. Hoc caput primum.

Chrys. in 1 Cor. 11. 1.

Caput secundum est Actionum Transcendentium, quæ in sublimiori virtutis gradu sunt collocatæ. Et hæ rursus sunt duplicis ordinis: sunt enim nonnullæ Actiones Singulares & Heroicæ, quæ ex super-beato motu & instinctu Spiritûs nascebantur; sunt aliæ Miraculosæ, quæ cùm Naturæ vires excederent, ad ipsius Omnipotentiam sunt referendæ. Et istæ quidem ex utraque parte sunt simpliciter inimitabiles; Heroicæ, quia non debemus, Miraculosæ, quia non possumus imitari; illæ, quia supra prudentiam, hæ, quia sunt supra potentiam humanam. Illarum exempla habemus Mat. 21. cùm è discipulis duos misit ut asinum solverent & secum adducerent; & Joan. 2. cùm deturpatores templi flagellis castigavit atque ejecit; & Joan. 18. quando persecutoribus suis se obviàm dedit, & dixit, *Ego sum quem quæritis*. Hæc omnia motu heroico facta esse credendum est, in quibus nos ipsum, absque nota & macula direptionis in primo, litigationis in secundo, & temeritatis in tertio actu, sequi non possumus. Alterius ordinis exempla passim occurrunt in Evangelio, cùm verbo & vocis imperio dæmonia de hominibus excuteret, paralyticos restringeret, leprosos

prosos purgaret, illuminaret cæcos, claudis gressum daret, mortuos rursus animaret, cogeret sibi elementa famulari, servire ventos, maria obedire: hæc quia signa erant Omnipotentiæ, & opera miraculosa, quibus vim Divinæ Majestatis ostendere voluit, idcirco admirationem nostram postulant, non similitudinem; fidem nostram, non imitationis disciplinam. De istis tenenda est Quintiliani regula, lib. 10. cap. 2. *Inimitabilia sunt quibus naturæ infirmitas non sufficit:* cui optimè respondet illud S. Augustini in lib. contra Felicianum, cap. 8. *In rebus incomprehensibilibus exempla non suppetunt sequentibus, neque in mores sunt ullo modo transferenda, nè violemus præcepta dum passim sectamur exempla.* Sed quid ego de aliorum vos regulis moneo? cùm Christus ipse in Evangelio formulam constituat, Matth. 11. 29. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde:* & S. Paulus, Phil. 2. 5. *Is sit affectus in vobis qui fuit & in Christo Jesu;* tum demum sequitur, vers. 8. *humiliavit seipsum, factus obediens usque ad mortem.* Ex quibus nos docet Apostolus, Christiani hominis esse, quæcunque in vita Christi lineamenta justitiæ & pietatis observaverit, quæcunque pigmenta candidissima mansuetudinis, humilitatis, castitatis & obedientiæ viderit, istis ut animum imbuat, istis ut lippientes oculos velut sacro collyrio superungat; quia unusquisque quò plus in se habet Christi, eò plus etiam habet Christianitatis: at siqua sunt, ut sunt quamplurima, quæ splendidissimis Divinitatis radiis coruscant, ea in cultum & venerationem trahenda sunt, non in exemplum, cùm ipsius hoc sit mandatum, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Non dixit, Discite à me aut dæmonia ejicere, aut sanare verbo infirmos, aut suscitare mortuos, aut super aquas ambulare, aut ventos & tempestates increpare: quia nec ista in nostra potestate sita sunt, nec, si maximè essent, salutaria nobis forent atque utilia. Hoc caput secundum est, Actionum Transcendentium, quò imitationis nostræ ratio non porrigitur.

Caput ultimum est Actionum Mixtarum, quæ temperamentum quoddam in se habent, & quasi complicatos nexus Moralium & Mirabilium. Et istæ quidem simpliciter & ex toto neque imitabiles neque inimitabiles habendæ sunt; sed ex parte inimitabiles, quantum ad Miraculosum quod supereminet, ex parte imitabiles, quantum ad Morale quod ipsis adhærescit. Ad hoc caput referendum est jejunium XL dierum, solutio tributi ex ore piscis deprompti, multiplicatio panum, conversio aquæ in vinum, &, uno verbo, quicquid uspiam extra naturæ ordinem hominúmque consuetudinem Christus fecerit. Inter omnia ipsius opera quæ inprimis sunt magnitudine præstabilia vix unum exsistere puto quod non habet morale aliquid annexum, quódque non sit virtute aliquâ imitabili mixtissimum. Quando aquam in vinum convertit, mutatio elementi in miraculum cedit; sed comitas Salvatoris convivarum necessitatibus consulentis, in vitæ exemplum: quando jejunavit, in eo quòd quadragesimum diem sine alimento trahebat, latet potestas; in eo quòd abstinuit, documentum est animæ deliciarum appetitum coercentis: quando viduæ filium suscitavit, quòd corpus mortuum vivificavit, Divinitatis est argumentum, in quo nemo eum debet sequi, quia nemo potest consequi; quòd misericordiâ commotus accessit & tetigit loculum, hoc illud est quod dixi Morale annexum, & specimen φιλανθρωπίας· quando super aquas ambulavit, quòd liquidam & instabilem undam pedibus suis firmiter calcavit, & defluentem maris superficiem itineri suo commodam reddidit, ineffabilis erat virtutis; quòd quotidianam discipulorum curam sustinuit, & ad eos inter ipsas noctis tempestates profectus est, hoc nobis est documento:

mento: quando Petrum Apostolum jussit ut tributum persolveret, quòd sibi pelagus tributarium fecerit, & in ore piscis staterem sive viderit sive procuderit, nescio quid primùm mirer, præscientiam, an magnitudinem; sed quòd ad vitandum scandalum censum indebitum dare voluit, cùm liber esset, & extra legem, & Rex universi, in hoc nobis obsequii specimen reliquit & patientiæ: postremò, ut compendio dicam, cùm quinque panibus tot hominum millia saturàvit, quòd cibus in ore edentium crescit, & dum frangitur, dum dividitur, dum editur, eò magìs cumulatur, quódque, ut S. Augustinus loquitur, *facto inter panes & homines certamine, panes vincunt, & homines superantur, quia panes crescunt, & homines deficiunt*, opus inauditum est & mirabile, quod in potestatem nostram & imitationem non cadit; at quòd esurientis turbæ est misertus, quódque ab εὐλογίᾳ mensæ initio sumpto, *non priùs discumbitur quàm oratio ad Deum prægustatur*, ut Tertullianus optimè, hæc humilitatis & sanctitatis officia imitationi nostræ subjacent, & sunt Moralia miraculo agglutinata. Hoc caput est ultimum, Actionum Mixtarum; in quibus omnibus secernere oportet Morale à Miraculoso, & nobis quod nostrum est arripere: nam quod Morale est nostrum est, & imitabile; quod Miraculosum, inimitabile, & Christo proprium.

August. l. 2. De consens. Evang.

Tertull. Apol. cap. 39.

His ità constitutis, nullius erit negotii præsentem de Imitatione secessûs Christi quæstionem ex istis præmissis lucidè & breviter definire; si modò in hoc Christi opere tres istos Actus apposité distinguere possimus, & illud quod Morale est ab Heroico & Miraculoso segregare.

Inprimis, in hoc Secessu sunt nonnulla Moralia; quòd baptizatus & Filius Dei declaratus mundi voluptatibus valedixerit, quòd se ad ministerium jejuniis & orationibus præparaverit, quòd jejuniis & orationibus locum secretum elegerit, ut & Deo magìs vacaret, & hominibus minùs innotesceret: hæc singula non modò licet, sed oportet ad imitationem transferre, cùm in iis luceant humilitatis, devotionis, pietatis, & mundi contemptûs non obscura vestigia: neque ulteriùs progrediuntur interpretes è Pontificiis saniores, Stella, Jansenius, Abulensis. *Hoc facto docemur*, inquit Stella, *quòd si volumus adversus Satanam dimicare, debemus mundum relinquere:* similiter & Jansenius, *Docere nos voluit, si Spiritu Dei imbuti sumus, debere nos subducere à tumultu vitæ carnalis, & rerum Divinarum contemplationi insistere:* denique & Abulensis, in Matth. 4. qu. 5. *Exemplo hoc Christus docet quòd prædicator interdum, imò multùm, se abstrahere debet à conversatione populi, ne populi mores contrahat, & familiaritas nimia contemptum pariat.* Euge, optimè; subscribimus, approbamus: Corollariis istis nihil certius nihílque perceptius, quia firmissimo nituntur fundamento; Debere nos & tutò posse in Christo imitari, primùm, quicquid nostri ad Christi in nobis imaginem renovandum necessarium esse dignoscitur, deinde, quicquid Christi in Scripturis imitandum proponitur, adhuc, quicquid virtutis in statu ordinario Viatoris passim exercuit, denique, & quæcunque in factis Christi extraordinariis & miraculosis emicant documenta virtutis & pietatis. In istis sequi eum oportet, quamvis sit, ut Theophylactus in Joan. 13. loquitur, πόῤῥωθεν καὶ ταπεινότερον, & à longinquo. Quòd si in istis, etiam in Secessu, quantum attinet ad devotionem, humilitatem, abstinentiam & mundi contemptum; hæc enim sunt Moralia Secessûs, Heroicis & Miraculosis temperata. Hic, inquam, est ordo primus, videlicet Moralium.

Secundò, in illo Secessu sunt nonnulla Miraculosa; quòd sanctissimum corpus suum tot dierum intervallis absque cibo sartum tectum servaverit, quòd

quòd principem tenebrarum Marte suo roboréque proprio quà Filius hominis vicerit. Ad hæc nemo est nostrûm qui possit viribus suis aspirare. Jejunare ad nos pertinet, ad nos etiam vincere: at tot dierum spatio prorsus à cibo abstinere nemo ex se potest, nisi laxamenta dederit; & tantum hostem nemo ex se superare manu propriâ, nisi in nobis, pro nobis pugnando, nos Christus corroboraverit. Ergò non simpliciter in jejunio est miraculum, sed in temporis spatio; nec in eo quòd vicerit ut Deus, sed in eo quòd vicerit ut homo, & propriis viribus. Ad quæ si nos putamus nos posse imitatione pertingere, & virtute nostrâ ea facere quæ ex sola omnipotentia fluunt Salvatoris, non erit hoc Christum imitari, sed Deum tentare atque lacessere. Istorum unica est eáque universalis Regula, Actus omnipotentiæ in honorem & laudem Salvatoris esse celebrandos, non imitationi subjiciendos; cùm inter infirmitatem & omnipotentiam nulla sit proportio; & si inter exemplum & exemplatum nulla sit proportio, nulla potest esse imitatio. Hic ordo secundus, Eorum quæ in isto opere fuerunt Miraculosa.

Postremò, in illo opere sunt nonnulla Heroica, motu Divino suscepta & perpetrata; quòd se sponte suâ huic certamini commiserit, quòd in Eremum, quam tentationis locum præscivit, se receperit, quòd iter ex professo carpserit εἰς τὸν κατὰ τοῦ διαβόλου ἀγῶνα, ut Theoph. loquitur, ad maximum omnium certamen cum maximo omnium hoste ineundum. Hæc Christum maximè decebant, qui plenus Spiritu Sancto reversus est à Jordane, & à Spiritu Sancto ductus est in hanc palæstram. At nobis non licet esse tam intrepidos, vel magìs ad exitium præcipites; nè, ut suprà ex Augustino monui, dum perperàm sequimur exemplum Christi, despiciamus præcepta Christi. Apud S. Paulum lego, Rom. 15.4. quòd *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus:* at nusquam lego, Quæcunque scripta sunt in nostrum exemplum scripta esse, ut per audaciam & abusum Scripturarum se quisquam periculis objiceret. Agnosco verissimum esse quod ferè [illegible] solet, *Quòd omnis Christi actio est instructio nostra*; àt non vicissim sequitur, Ut omnis ejus actio sit imitatio nostra; si omnis potest esse nobis documento, at non omnis potest esse exemplo. Sunt quædam majora opera quàm ut possint, alia discriminis pleniora quàm ut debeant in similitudinem duci. Quod S. Hieronymus observavit, in Ephes. 5. 1. *Aliud est*, inquit, *imitari Christum secundùm hominem, aliud secundùm Deum.* Secundùm Deum in aliquibus licet, *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est*, Luc. 6.36. *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est*, Mat. 5. 48. *Estote sancti, quoniam ego sanctus sum*, 1 Pet. 1. 15. At vice versâ tamen, secundùm hominem in aliquibus non licet; non in Miraculosis actibus, non in Heroicis; quia habet imitatio recta regionem propriam, & quasi scalam sive sphæram activitatis, in qua se contineat. Ad eam scalam Christi Heroica & Miraculosa non pertinent: adeóque miserrimum omnium est hoc Pontificiorum diverticulum, quo dicunt, Vitam eremiticam Christum invenisse, manu suâ tradidisse, exemplo suo commendasse, comprobasse, denique & hoc secessu suo Eremitarum & Anachoretarum statum instituisse. At tria tamen sunt quæ eos meminisse oportuit; aut, si obliti fuerint, permissuros se spero ut me monitore audiant. Primum est, quòd hâc unicâ tantùm vice in deserto commoratus est Christus. Concessit eò aliquoties ut oraret, ut delitesceret, ut Deo, ut seipso frueretur; non permansit nisi hoc tantummodo tempore: atque nunc quidem non annorum, non mensium contraxit spatia, sed quadraginta dierum; non quantum sufficeret vitæ, sed militiæ; nec

mento: quando Petrum Apostolum jussit ut tributum persolveret, quòd sibi pelagus tributarium fecerit, & in ore piscis staterem sive viderit sive procuderit, nescio quid primùm mirer, præscientiam, an magnitudinem; sed quòd ad vitandum scandalum censum indebitum dare voluit, cùm liber esset, & extra legem, & Rex universi, in hoc nobis obsequii specimen reliquit & patientiæ: postremò, ut compendio dicam, cùm quinque panibus tot hominum millia saturavit; quòd cibus in ore edentium crescit, & dum frangitur, dum dividitur, dum editur, eò magis cumulatur, quódque, ut S. Augustinus loquitur, *facto inter panes & homines certamine, panes vincunt, & homines superantur, quia panes crescunt, & homines deficiunt*, opus inauditum est & mirabile, quod in potestatem nostram & imitationem non cadit; at quòd esurientis turbæ est misertus, quódque ab εὐλογίᾳ mensæ initio sumpto, *non priùs discumbitur quàm oratio ad Deum prægustatur*, ut Tertullianus optimè, hæc humilitatis & sanctitatis officia imitationi nostræ subjacent, & sunt Moralia miraculo agglutinata. Hoc caput est ultimum, Actionum Mixtarum; in quibus omnibus secernere oportet Morale à Miraculoso, & nobis quod nostrum est arripere: nam quod Morale est nostrum est, & imitabile; quod Miraculosum, inimitabile, & Christo proprium.

August. l. 2. De consens. Evang.

Tertull. Apol. cap. 39.

His ità constitutis, nullius erit negotii præsentem de Imitatione secessûs Christi quæstionem ex istis præmissis lucidè & breviter definire; si modò in hoc Christi opere tres istos Actus apposite distinguere possimus, & illud quod Morale est ab Heroico & Miraculoso segregare.

Inprimis, in hoc Secessu sunt nonnulla Moralia; quòd baptizatus & Filius Dei declaratus mundi voluptatibus valedixerit, quòd se ad ministerium jejuniis & orationibus præparaverit, quòd jejuniis & orationibus locum secretum elegerit, ut & Deo magìs vacaret, & hominibus minùs innotesceret: hæc singula non modò licet, sed oportet ad imitationem transferre, cùm in iis luceant humilitatis, devotionis, pietatis, & mundi contemptûs non obscura vestigia: neque ulteriùs progrediuntur interpretes è Pontificiis saniores, Stella, Jansenius, Abulensis. *Hoc facto docemur*, inquit Stella, *quòd si volumus adversus Satanam dimicare, debemus mundum relinquere:* similiter & Jansenius, *Docere nos voluit, si Spiritu Dei imbuti sumus, debere nos subducere à tumultu vitæ carnalis, & rerum Divinarum contemplationi insistere:* denique & Abulensis, in Matth. 4. qu. 5. *Exemplo hoc Christus docet quòd prædicator interdum, imò multùm, se abstrahere debet à conversatione populi, ne populi mores contrahat, & familiaritas nimia contemptum pariat.* Euge, optimè; subscribimus, approbamus: Corollariis istis nihil certius nihílque perceptius, quia firmissimo nituntur fundamento; Debere nos & tutò posse in Christo imitari, primùm, quicquid nostri ad Christi in nobis imaginem renovandum necessarium esse dignoscitur, deinde, quicquid Christi in Scripturis imitandum proponitur, adhuc, quicquid virtutis in statu ordinario Viatoris passim exercuit, denique, & quæcunque in factis Christi extraordinariis & miraculosis emicant documenta virtutis & pietatis. In istis sequi eum oportet, quamvis sit, ut Theophylactus in Joan. 13. loquitur, πρὸς τὸ καταδεέστερον, & à longinquo. Quòd si in istis, etiam in Secessu, quantum attinet ad devotionem, humilitatem, abstinentiam & mundi contemptum; hæc enim sunt Moralia Secessûs, Heroicis & Miraculosis temperata. Hic, inquam, est ordo primus, videlicet Moralium.

Secundò, in illo Secessu sunt nonnulla Miraculosa; quòd sanctissimum corpus suum tot dierum intervallis absque cibo sartum tectum servaverit, quòd

quòd principem tenebrarum Marte suo roboréque proprio quà Filius hominis vicerit. Ad hæc nemo est nostrûm qui possit viribus suis aspirare. Jejunare ad nos pertinet, ad nos etiam vincere: at tot dierum spatio prorsus à cibo abstinere nemo ex se potest, nisi laxamenta dederit; & tantum hostem nemo ex se superare manu propriâ, nisi in nobis, pro nobis pugnando, nos Christus corroboraverit. Ergò non simpliciter in jejunio est miraculum, sed in temporis spatio; nec in eo quòd vicerit ut Deus, sed in eo quòd vicerit ut homo, & propriis viribus. Ad quæ si nos putamus nos posse imitatione pertingere, & virtute nostrâ ea facere quæ ex sola omnipotentia fluunt Salvatoris, non erit hoc Christum imitari, sed Deum tentare atque lacessere. Istorum unica est eáque universalis Regula, Actus omnipotentiæ in honorem & laudem Salvatoris esse celebrandos, non imitationi subjiciendos; cùm inter infirmitatem & omnipotentiam nulla sit proportio; & si inter exemplum & exemplatum nulla sit proportio, nulla potest esse imitatio. Hic ordo secundus, Eorum quæ in isto opere fuerunt Miraculosa.

Postremò, in illo opere sunt nonnulla Heroica, motu Divino suscepta & perpetrata; quòd se sponte suâ huic certamini commiserit, quòd in Eremum, quam tentationis locum præscivit, se receperit, quòd iter ex professo carpserit εἰς τὸν κατὰ τοῦ διαβόλου ἀγῶνα, ut Theoph. loquitur, ad maximum omnium certamen cum maximo omnium hoste ineundum. Hæc Christum maximè decebant, qui plenus Spiritu Sancto reversus est à Jordane, & à Spiritu Sancto ductus est in hanc palæstram. At nobis non licet esse tam intrepidos, vel magìs ad exitium præcipites; nè, ut suprà ex Augustino monui, dum perperàm sequimur exemplum Christi, despiciamus præcepta Christi. Apud S. Paulum lego, Rom. 15. 4. quòd *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus:* at nusquam lego, Quæcunque scripta sunt in nostrum exemplum scripta esse, ut per audaciam & abusum Scripturarum se quisquam periculis objiceret. Agnosco verissimum esse quod ferè [illegible] solet, *Quòd omnis Christi actio est instructio nostra*; at non vicissim sequitur, Ut omnis ejus actio sit imitatio nostra; si omnis potest esse nobis documento, at non omnis potest esse exemplo. Sunt quædam majora opera quàm ut possint, alia discriminis pleniora quàm ut debeant in similitudinem duci. Quod S. Hieronymus observavit, in Ephes. 5. 1. *Aliud est*, inquit, *imitari Christum secundùm hominem, aliud secundùm Deum.* Secundùm Deum in aliquibus licet, *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est*, Luc. 6. 36. *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est*, Mat. 5. 48. *Estote sancti, quoniam ego sanctus sum*, 1 Pet. 1. 15. At vice versâ tamen, secundùm hominem in aliquibus non licet; non in Miraculosis actibus, non in Heroicis; quia habet imitatio recta regionem propriam, & quasi scalam sive sphæram activitatis, in qua se contineat. Ad eam scalam Christi Heroica & Miraculosa non pertinent: adeóque miserrimum omnium est hoc Pontificiorum diverticulum, quo dicunt, Vitam eremiticam Christum invenisse, manu suâ tradidisse, exemplo suo commendasse, comprobasse, denique & hoc secessu suo Eremitarum & Anachoretarum statum instituisse. At tria tamen sunt quæ eos meminisse oportuit; aut, si obliti fuerint, permissuros se spero ut me monitore audiant. Primum est, quòd hâc unicâ tantùm vice in deserto commoratus est Christus. Concessit eò aliquoties ut oraret, ut delitesceret, ut Deo, ut seipso frueretur; non permansit nisi hoc tantummodo tempore: atque nunc quidem non annorum, non mensium contraxit spatia, sed quadraginta dierum; non quantum sufficeret vitæ, sed militiæ; nec

quòd habitaculi nomen imponeret, sed recessûs. De reliqua vitæ parte, publica erat prorsus atque politica, si quod in omnibus cœleste fuit politicum est dicendum. Nam revera à nullo hominum genere, à loco nullo, nullo consessu se retraxit; sed semper erat aut in medio populi, aut sacerdotum, aut peccatorum, aut discipulorum, vel in ædibus, vel in plateis, vel in viis, vel in Synagogis. Quid dicam ampliùs? Si vitæ solitariæ exemplum posuisse eum largiamur, non sequitur ordinasse; aliud est Agere, aliud Instituere. Si concedamus instituisse, at ipsi tamen & ab instituto & ab exemplo Christi exorbitant; etenim Christus ad tempus solummodo se subduxit, Monasticæ vitæ votum est perpetuum. Hoc primum est Commonitorium, & prima Discrepantia, viz. Temporis & durationis; Christus aliquantisper se retraxit, isti jugiter.

Commonitorium secundum hoc est, Quòd Spiritûs Sancti ductu in Eremum se Christus contulit: *Agebatur à Spiritu*, inquit S. Lucas; *Ducebatur*, S. Matthæus; *Pellebatur*, S. Marcus, τὸ πνεῦμα ἐκβάλλει, *Spiritus eum expulit*. Evangelistis facile fuit dixisse, *perrexit in desertum, profectus est in desertum:* sed ab his deditâ operâ abstinuerunt vocabulis, & Christum introducunt, οὐκ ἀνιόντα, ἀλλὰ ἀναγόμενον, ut Chrysost. loquitur, *non ultro abeuntem, sed à Spiritu Sancto subvectum*; actus est, ductus est, pulsus est à Spiritu. Non quasi invitus processerat, & motu non suo; nam *in eo quòd dicitur sancto Spiritu duce, idem est*, inquit B. Cyprianus, *ac si diceretur, suo spiritu duce*. Non quasi tunc primùm Spiritûs Sancti ductum habuerat, qui in omnibus operibus se Spiritu plenum ostendit: sed actum & pulsum Spiritu Evangelistæ dicunt, ut extraordinarium impulsum Spiritûs significarent. Quid autem est pulsus extraordinarius, nisi quod priùs dixi Motum Heroicum? Spiritu Sancto agi est motus ordinarius, de quo Apostolus, Rom. 8. 14. ὅσοι πνεύματι Θεοῦ ἄγονται, *quicunque Spiritu Dei aguntur, sunt filii Dei:* at Spiritu Sancto impelli motum sublimem designat, h.e. Heroicum. Summa est, Christum non nisi à Deo vocatum in desertum exiisse, nec sine summo impul[illegible]piritûs Sancti. Hos impulsus, hanc vocationem Eremicolæ non habent, sed suo cerebro & proprio spiritu ducti illuc se recipiunt. Ecquis verò est qui hæc inter se cohærere affirmabit, aut eâdem authoritate id fieri quod motu humano suscipitur & quod impulsu Divino? Hoc secundum est Commonitorium, de secunda Discrepantia, nimirum Principii moventis.

Commonitorium tertium sit illud, Quòd in desertum se Christus recepit ex constituto ut cum Satana dimicaret, &, ut Evangelistæ verbis utar, *ut tentaretur à diabolo*; *eo ipsissimo fine ut diabolū sollicitaret*, dicente Ambrosio: quod idem à S. Chrysostomo & Theophylacto est observatum; *Egressus est*, inquit Theophyl. ἵνα δώσῃ λαβὴν τῷ διαβόλῳ τοῦ ἐπιθέσθαι αὐτῷ, *ut ansam diabolo daret sibi insidiandi*. Ergò non est nobis in exemplum trahendum, ut viribus nostris confisi in tentationis locum temere irruamus. Hoc illud est quod vix ab aliquo interprete est prætermissum, Non oportere nos præcipitanter in tentationes insilire, sed magìs declinare & fugere. Atque si tentationes ipsas effugere volumus, tentationis locum oportet ut devitemus, quia tunc nos maximè diabolus aggreditur cùm in suo invenerit, & solos viderit, atque ab aliis segregatos. Hoc tertium est Commonitorium, & Discrepantia tertia, quæ est de Proposito & consilio secedentium. Pontificii se in Eremum proficisci prætendunt ut tentationes devitent; at Christus hunc locum seligit ut tentationibus pervium: sic factum optimum malè intelligendo in suum pessimum detorquent. Quod de Cleombroto M.Tullius tradit, Eum cùm libros Platonis, quibus Animæ immortalitatem astruit, relegisset, seipsum ex sublimi saxo præcipitasse, ut citiùs ad beatorum

Ambr. Ser. 35. De jeju. Domini.

in Tusc.

rum cœlum perveniret; quo facto nihil potuit esse insulsius, quàm per funestam mortem aditum quærere immortalitati. Et quod apud Lucianum de Neantho Pittaci tyranni filio scriptum accepimus, quòd cum Orphea Thressæ mulieres dilaniassent, & in Lesbo in templo Apollinis lyram ejus suspendissent, Neanthus de Orphei lyra magna & incredibilia audiens, quòd ejus tactu feras demulsisset, quòd arbores & saxa movisset, amore summo captus est lyram habendi, atq; pecuniâ corrupto æditduo, eam secum abstulit, aliámque supposuit; mox eam adeptus, pulsare incipit, & chordas turbare, sperans fore ut divinum aliquod carmen percussæ fides redderent, quo cunctos ad sequelam alliceret. At res aliter cecidit quàm sperabat, etenim dum hæc agit, vicini canes strepitu excitati coeunt, ac infelicem illum citharœdum discerpunt: quod ipsum solum cum Orpheo commune habuit, deliramento tanto mercedem dignissimam. Historiâ recitatâ, magno non opus est conatu ut possim eam præsenti negotio attemperare: quis enim est qui primâ fronte non videt quàm aptissimè quadret Neanthi illud de lyra Orphei cum recentiori Pontificiorum de Eremo Christi communi omnium, sed temerario, judicio? & *plus* tamen *habet in recessu quàm in fronte*, ut Fabius de Literatura dixit; quia judicium simile eventus similis subsequitur. Cùm enim è Sacra Pagina discant, Eremi solitudinem victoriis Christi aliquando celebrem exstitisse, quòd illic trophæa sacra suspenderit, & partem aliquam vitæ, utcunque minimam, cum feris transegerit; amore statim cæco rapiuntur, ut Cleombrotus Platonis lectione, in Eremum transmigrandi. Verùm contra spem res evenit. Namque ut Cleombrotus ille ex vana spe immortalitatis immortalitatem perdidit, & Neanthus, dum bestias demulcere desideravit, à bestiis est lancinatus; quia Orphei lyram habuit, non Orphei digitos & peritiam, fidiculam artificis, plectrum idiotæ: itidem & illi, dum in solitudine nescio quas beatitudines & immortalitatem falsam somniant, & magnos sibi contra carnis & Satanæ stratagemata victoriarum triumphos pollicentur, eò magìs tentationum & laqueis se exponunt, & remediis exspoliant; quia Christi Eremum fortasse consequuntur, at Christi non habent spiritum, & hoc solum cum Christo commune, quòd in Eremum secedunt. Desinant igitur aliquando aut pompam Eremiticam ostentare, aut saltem inventis suis sanctissimum Christi nomen exemplúmque prætexere. Exemplo Christi nulla est ad perfectionem via compendiosior; sed si vivis coloribus, & rectis lineamentis, & non erranti calamo transcribatur. Nihil est quod Beatissimo Salvatori nos arctiùs aut intimiùs conjungit quàm imitatio; sed si sit legitima, & filis nostro captui accommodis intertexta. Nos omnes idem profitemur, & juxtà cum illis sentimus, *Christiani hominis esse*, ut S. Bernardus loquitur, *deargentare pennas suas in Christi conversatione, ut sancti martyres laverunt stolas in passione.* At interea non audemus vel sanguinem non suum exhaurire ad lavandum, vel exemplum non nostrum expromere ad imitandum. Sanguinem non suum Sanctorum Merita appello; exemplum non nostrum, quod non est modulo nostro attemperatum, videlicet, quod non inter Moralia Christi, sed inter Miraculosa recensetur. Hujus characteris est ejus in Eremi arenam descensus: opus quantum ad susceptionem heroicum; quantum ad exitum & victorias miraculosum; quantum ad appendiculas moralia quædam habens annexa, in quorum ambitu imitationis nostræ ratio est circumscribenda. Alioqui si has metas transiliamus, & eremetismi, sive puri sive corrupti, incunabula ab Eremo Salvatoris deducamus, firmamentum ejus corruat necesse est: ut quamvìs de Monachatûs abusibus & superstitionibus, quamvìs de falsa & multùm jactata origine, quamvìs de corruptissimis alumnis & cultoribus ejus taceamus, sint religiosi, sint opti-

mi, sint bono Ecclesiæ nati, fumosas habeant imagines; at puerile *est* & absonum ab exemplo Christi in Eremum secedentis Ordinis origines deducere. Ad primæ quæstionis investigationem hæc sufficiant, Exemplo hoc suo Salvatorem Monachatum nec commendasse, nec comprobasse, nec instituisse.

Secunda restat, quæ ad Monachatûs Excellentiam pertinet; An hoc posito, quòd suo exemplo instituerit Christus, an sit etiam status vitæ in quo Christum sequamur perfectissimus. Sed de hac die sequenti est agendum.

LECTIO IV.

In Desertum.

IN vita Sanctissimi Salvatoris etsi fuerunt omnia maxima & valde memorabilia, at sunt nonnulla eminentioris notæ, quæ sæpius sunt ante oculos ponenda, velut insignia quædam & memorialia. Hujus generis sunt quæcunque prima & ultima, *sive dicta sive facta ipsius*, in quocunque genere, *Concio prima, Disputatio prima, Miraculum primum*; *Cœna ultima, Verba ultima, Valedictio ultima* : & istis adjici possunt clarissimi Tituli sive Capita muneris Mediatorii, Conceptio, quæ primum fuit naturæ quam assumpsit, Nativitas, quæ primum mundi cui se manifestavit, Circumcisio, quæ primum Legis quam implevit, Baptismus, qui primum Evangelii quod promulgavit; ex altera autem parte & ista occurrunt, Mors ejus, quæ ultimum fuit passionis, Resurrectio, quæ ultimum mortalitatis, Ascensio, quæ ultimum peregrinationis. De istis nemo est qui dubitat, quin ea omnia, prima cùm sint & ultima Christi, & attentiùs cogitanda esse, & animis altiùs imprimenda, atque in disquisitionem si venerint accuratiùs expendenda & enucleanda. Quæ cùm ità sint, non est quòd à me quisquam tardioris incessûs rationem exigat, cur in hujus quod tractandum susceperim argumenti limine tamdiu hæream; cùm pro se ipsa operis inscriptio loquatur, maximè omnium memoranda & in utroque ordine collocata, Tentatio Christi. Quòd si quæ *prima* fuerunt Salvatoris honorem aliquem sibi vendicare possunt, aut memoriam aliquam sui excitare ea quæ ultima, Tentatio multò magìs, quia utroque nomine gaudet, erátque & Tyrocinii ipsius pars ultima, & prima Militiæ; vitæ domesticæ & sedentariæ gradus ultimus, vitæ activæ & asceticæ primus. Quocirca ut Menelaum Orestes alloquitur apud Euripidem,

> Ὁ μῦθος ὐ μακρὸς μακρῶν πέρι,
> *Oratio nulla est longa, si sit de rebus maximis* :

id ego ad arbitrium vestrum refero, spem certam nactus, vos idem de hac causa habituros esse judicium, eam, cùm sit omnium maxima, & Christianæ consolationis fiduciæque plenissima, verborum copias ubertatésque deposcere, & disputationem compositam multísque lucubrationibus commentatam, quam certè, nisi ipsa rei necessitas mihi manum injiceret, libenter defugerem. Sed nescio quî fit, quòd dum verba rebus permitto, & quà res duxerit sequor, in multarum quæstionum molestias subitò abripior, ex rerum copia verborum copiâ renascente. Hoc igitur solum superest, ut rerum ductum verborum series nativis vestigiis subsequatur; & juxta quæstionum ancipites vias

vias disputationis cursus de integro figuretur. Et quia de Origine vitæ Monasticæ superiùs monstravimus, Non habere eam à Christi secessu in desertum vel minimam firmitudinem;

Pergamus nunc porrò ad partem alteram, quæ ad Excellentiam ipsius spectat, ut videamus, An hoc concesso, quòd exemplo suo Monachatum Christus comprobaverit, an, inquam, eodem suo exemplo hunc vitæ statum ut perfectissimum sequacibus quibuscunque commendatum reliquerit. Ad hanc disceptationem instituendam non solùm veritatis, sed necessitatis ratio nos revocat: nam revera Pontificii pro more suo insolentiùs gloriari non desistunt, supremum perfectionis apicem in Monachatu constitutum fore: quæ si sit proba & veritate fundata sententia, nostra erit deplorata vitæ conditio, utpote quæ tam procul abest à spe perfectionis quantum distat à Monachatu. Idcirco ut prolixam & involutam causam breviter & dilucidè expediam, quò ejus possit esse facilior solutiórque enodatio, ad tria disquisitionis Capita rem totam perducam; Quis Status Quæstionis in genere, Qui Termini in specie, Quæ Definitio ex utrisque emergens. Priora duo erunt velut Apparatus & προπαρασκευή· tertium totius rei, trutinatis utrinq; rationibus, resolutiva Decisio.

Quod primum in disquisitionem venit est Status Quæstionis in genere: in quo quidem utcunque non eodem se semper modo Pontificii explicant, sed castigatiùs aliquando loquuntur, aliquando intemperantiùs; at nihilo secius tamen, detractâ larvâ, non erit arduum ostendere quòd in eodem omnes errore versantur, quódque nòn parùm exorbitant etiam cùm custoditè & cautè agere videantur. Qui cautiùs sese gerunt, Monachismum collocant non in genere Perfectorum, sed Perfectibilium; & ob hoc distinguere solent inter Vitam perfectam & Statum perfectionis; & adhuc, inter Perfectionem adeptam & Perfectionem adipiscendam; & adhuc, inter Perfectionis culmen & Perfectionis media sive adjumenta; neque appellare se Vitam perfectam Monachatum dicunt, eò quòd perfectionem in se contineat, sed quia ad acquirendam perfectionem sit via omnium optima atque expeditissima. Sic Cardin. Bellarminus, l. 2. De membris Ecclesiæ militantis, c. 2. *Religio est status hominum ad perfectionem Christianam per tria vota tendentium:* & Joannes Gerson, Contra Assertiones Matthæi de Grabon parte primâ, *Non perfectionem dicit hic status acquisitam, sed acquirendam:* & Clichtoveus etiam, De laude Monast. Religionis, c. 6. *Jejunia, Vigiliæ, Meditatio Scripturarum, & Privatio facultatum, non ipsa perfectio sunt, sed perfectionis instrumenta; nec in ipsis consistit disciplinæ finis, sed per illa devenitur ad finem: neq; enim est omnis Religiosus perfectus, sed viam ingreditur quâ ad sublimitatem perfectionis tandem provehatur.* Ante omnes Aquinas, ex quo hauserunt reliqui: ipse in 2. 2æ has sæpius repetitas Conclusiones exhibet de Monachatûs perfectione, *Quòd habeant statum perfectum, etsi vitam perfectam non semper attingant;* q. 184. art. 4, 5. *Quòd non profitentur seipsos esse perfectos, sed ad perfectionem tendere;* q. 184. art. 2. *Quòd Monachatus est institutum sive disciplina perveniendi ad perfectionem charitatis;* q. 186. art. 3, 7. *Quòd est spiritale quoddam exercitium, ad Christianæ pietatis perfectionem consequendam longè convenientissimum;* q. 189. art. 1. *Quòd denotat statum perfectionis ex intentione finis, non quasi sub eâ viventes essent perfecti, sed in proposito perfectionis.* q. 186. art. 1. Quòd si hìc se sisterent, ferendi fortassis essent, atque nos haberent, etsi non consentientes in omnibus, at non adversarios tamen: Non adversarios, quia de levioribus non volupe est contendere; non consentientes, quia non possumus usquequaque iis consentire. Non in illo, quòd Monachatum aiunt medium & instrumentum ad perfectionem convenientissimum, cùm in multis sit impedimento, atque in omnibus à

perfectione longiùs distet, vel ipsorum sententiâ, quàm Episcopatus. Non in illo, quòd inter Statum perfectum & Vitam perfectam discernant, hoc nomen *Status* ad Ordinem Ecclesiasticum & Voti obligationem restringentes; cùm tamen Status rei nil aliud sit quàm ipsa rei conditio & natura, & Status vitæ nil aliud quàm solitus vitæ tenor, Professio & Vocatio cujuscunque, sive Sécularis sit sive Ecclesiasticus, sive in Ordine sive extra Ordinem. Postremò, non in illo, quòd Monachos sese profiteri asserunt perfectos non esse, sed tantummodo ad perfectionem tendere: cùm tamen ipsis nihil sit in ore frequentius quàm omnium quotquot uspiam sunt hominum se esse perfectissimos; & aut perfectissimos, aut nullos. Inter hæc quis est qui non videt hæc mera esse aurium oculorúmque ludibria, atque ad fallendum hostem consutos dolos? Non enim sunt sui similes, aut in una sententia manentes. Utcunque Aquinas & Gerson non ultra antedictam sententiam proficiscuntur: at verò Clichtoveus, eodem ipsissimo capite, oblitus sui, *Monachatum viam esse* dicit *quâ ad sublimitatem perfectionis provehantur*; & eodem libro Bellarminus, c. 39. vitam eremiticam non modò *sanctam & perfectam* esse asserit, sed *culmen & fastigium vitæ religiosæ*; quod eódem recidit ac si dixisset *perfectißimam*, vel, ut Anglo-Rhemenses, in Matth. 19. disertè loquuntur, *Magnæ perfectionis professionem*. Quid plures memorem? Imò quidni memorem? Etenim exilia sunt ista ad ea portentosa hyperbata quibus Franciscus, Bernardinus & Hieronymus Platus utuntur. Franciscus pater chori eò processit audaciæ, ut regulam suam, recitante in Apparatu Possevino, appellare sit solitus *Librum vitæ, spem salutis, medullam Evangelii, viam salvationis, scalam cœli, clavem paradisi, & æterni fœderis pactum*. Deinde Bernardinus in Rosario, parte secundâ, Ser. 27. Monasticum statum, *statum maximè meritorium* non veretur dicere, *eúmque qui vim habet Baptismi, & qui sit Martyrio potior, utpote spirituale & longum & continuum Martyrium*; ad hæc, *paradisum terrestrem, vineam & hortum Dei, per cœlum Crystallinum, imò Empyreum, figuratum*; *& propter hoc*, inquit, *Monachi atque Sanctimoniales soli sunt & verè perfecti, quia non pro suis tantùm peccatis, verùm etiam pro fundatorum & aliorum benefactorum peccatis satisfaciunt, & magis merentur in quacunque etiam minima bona operatione quàm seculares in maxima*. Quòd si hæc non satis sint hyperbólica, audiamus Platum, lib. 2. De bono status, cap. 9, & 10. *Monachatus quid aliud est quàm egregia quadam corona, & aureum diadema ex omni gemmarum atque unionum & margaritarum genere compactum? vita Apostolica, cœlestis, angelica, multò supra universa alia vitæ genera, etiam ipsum Episcopalem Ordinem: quia Episcopalis status est perfectionis aliena, perfectivus potiùs quam perfectus, quia ad alios perficiendos dirigitur; at Monachorum ordo habet perfectionem propriam, éstque verè status perfectorum, quia professores suos configurat Christo, & Angelis similes facit, dissimiles hominibus, & tales de præsenti quales in resurrectione futuri sunt omnes electi; ut rectè dici posit, Nil aliud Religiosum esse quàm perpetuum miraculum, & quot ubique sunt Religiosi, totidem esse miracula, cùm eorum vita ad miraculum usque sit perfecta*. Hæc ille. Ex quibus jam res est in confesso quanta habeant in veneratione vitam monasticam, & quàm sophisticè agant cùm inter ipsam perfectionem & perfectionis media atque instrumenta distinguunt; non quòd existiment à summa perfectione abesse vitam monasticam, sed ut nos ab iis quæ per se clara sunt præstigiis quibusdam & captionibus verborum depellant. Cùm se apud plebem venditare, cùm rudes ac ignaros adolescentulos laqueis involvere, cùm privilegia sua asserere, cùm in aliorum contumeliam dignitatem suam extollere volunt, jactant se esse in statu perfectio-

perfectionis Apostolico, cœlesti, Angelico: cùm propiùs urgentur quàm ut inanem hanc arrogantiam tueri queant, velut cucullati Sophistæ, ad istum cuniculum suffugiunt, Se nondum perfectionem esse assecutos; in eo tamen statu esse, quo ad ipsam præ aliis aspirent. Interim manet illa in plebe admiratio, quasi sola Vita Monastica sit Angelica, perfecta, & ab omni vitio repurgata. Ad Statum quæstionis hæc possunt sufficere, Juxta communiorem Doctorum sensum Monachatum verè esse vitam perfectam. At ego prætoribo tamen,& quia omnes non dicunt, quasi non dictum reputo; ac perinde cum illis agam, ac si nihilo plus suæ Professioni tribuerent quàm ut status sit optimus adipiscendæ perfectionis.

Hic cardo causæ, ex hoc tota res pendeat. Nos enim contrà tendimus, obsistimus, reclamitamus, Tam longè abesse Monachismum à vita perfectissima, ut non sit vita cæteris perfectior, neque in via proxima, neque medium maximè idoneum aut conducibile ad perfectionem consequendam.

Absolvi caput primum, de Statu Quæstionis in genere. Accedo ad secundum, de Terminis Quæstionis in specie: Termini explicandi duo sunt; Quid per Monachatum, Quid per Vitam perfectam sit intelligendum.

Pars prima est, ut videamus quid ipsi per hæc verba *Monachus* & *Monachatus* intelligant. Opinor ea omnibus cognita esse nomina, quòd Monachus sit alumnus aut discipulus; Monachatus, ipsa Professio vitæ sive Cœnobiticæ, sive simpliciter solitariæ. At verò in istis nominibus non conquiescunt, verùm & in scriptis, & in sermone etiam usitato, pro *Monachis*, *Religiosos* scribunt, pro *Monachismo*, *Religionem*; ut in Disputationibus suis centies invenias *Religiosi* nomen, & quàm rarissimè *Monachi*. Sic hanc quæstionem Aquinas instituit: non hoc modo, *Utrùm Status Monachorum sit perfectus*; sed hoc, *Utrùm status Religiosorum sit perfectus*. Sic loqui constanter solet, *Religio est status institutus ad perfectionem*; *Religio est disciplina perfectionis*; *Religiosi hunc statum perfectionis profitentur*. Sic ipse Bellarminus, & omnes Scholastici Polemicíque scriptores; prorsus quasi ad Claustrorum crepitum pietas reliqua facesseret, & religio nulla esset extra Cœnobium, nec virtutum corona alia præter Tonsuram, neque aliud insigne sanctitatis quàm malarum artium quotidianum operculum, Cucullus. At intoleranda est hæc ludificatio, & in omnium Christianorum opprobrium excogitata, ut sibi solis arriperent hæc omnibus communia & nunquam satis honoranda vocabula. Ecquis est qui sustineat? ecquis qui non indignetur extorqueri è manibus suis *religionis* & *religiosi* nomina, & non modò è suis, sed ab ipsis sanctorum Prophetarum & Apostolorum & Martyrum memoriis, ut cucullo & pallio affingantur? Quòd si falsum hoc crimen dixerint, respondeant velim, erántne Apostoli Religiosi, an non? aut S. Stephanus reliquíque purpuratæ cohortis invicti milites, non religionis causam egerint? Si non, ergò solvant religione totum populum Christianum. Si sic, quod novum est hoc commentum? quæ nova hominum religio, ut supra fidem Christianam sit aliqua religio, ut Christi fides vix sit religio dicenda, aut servi Jesu Christi religiosi? Quòd si rursus obtendant, Se non excludere à nominis consortio Christianos cæteros, sed prærogativam solam nominis Monachatui ascribere: Non ignoro hæc Aquinatem & Bellarminum prætexere. *Religiosi & alii dicuntur*, inquit Bellarm. De memb. milit. Eccles. l. 2. c. 3. *sed Monachi magis, quia se totos Dei obsequio mancipaverint, quódque ad ipsius cultum sub voto se obligant*: *quòd se totos & sua omnia totaliter Divinis obsequiis dedicant*, inquit Tho. qu. 186. ar. 1. *quantumlibet communes habeant significationes Religionis & Religiosi nomina*; *at antonomasticè & per excellentiam Monachi Religiosi dicuntur*. Absona hæc sunt & futilia.

Ecquis enim diffitebitur è Clericis multos esse, multos etiam ex Laicis, qui se totos Deo consecrant? Annon in Baptismo suo Christianus quilibet hoc ipso se voto obstringit? An Christianus est aliquis qui non hoc ipsum vovet? A *religando* nomen accepisse Religionem testatur Lactantius, eò quòd hoc vinculo pietatis Christiani omnes obstricti Deo sunt & religati. At illi novâ nominis notatione excogitatâ, extra Ecclesiam Dei in claustra amandatam curant, ut non jam ampliùs à *Religando*, sed à *Relegando*, dici posse videatur. Hinc natae illae quaestiones apud Scholasticos, quae à Tho. Aquinate (2.2^{x}, qu. 188.) & disputantur & definiuntur, *An una religio sit alterâ potior*; *An una tantùm sit, an verò variæ religiones*; *An cultus Dei sit religio, cùm tamen religio, definiente Isidoro, nil aliud sit quàm cultus Deo à credentibus exhibitus*. Hinc illae apud Aquinatem Conclusiones, *Non una tantùm, sed variæ sunt religiones*; *Religio una est alterâ potior & perfectior*; *Religiones quædam ad dilectionem proximi, quædam ad dilectionem Dei pertinent*; & nescio quot magni, sed sui, cerebri teretismata, vel magìs tragelaphos. Quòd si porrò dixerint, Non à se natum hunc abusum vocabuli, sed multis retroactis seculis cum ipso Monachatu germinasse: agant obsignatis tabulis, authores ostendant. Agnosco me hominem non multùm lectione exercitatum, sed spondeo me non modò gratias, sed laudes ei acturum, easque maximas, qui ante Gratiani tempora in hunc significationis usum intromissum vocabulum ostenderit, ut Monachismus sit Religio, & Religiosus Monachus. Transivi aliquos veterum libros, volvi & revolvi commentarios, sed non reperio hanc sanctis Patribus fuisse consuetudinem loquendi. Apud Thomam & Bonaventuram occurrit sæpissime; apud Humbertum Monachum, qui vixit circa annum 1263, nec non in spuriis quibusdam scriptis sub nomine S. Francisci editis, qui circa annum floruit 1220. At ille homo simplex fuit, nec eloquens, nec eruditus, omnibus fatentibus. In Actis Concilii Toletani decimi, *Religionis habitum* lego, & *Religionis vestem*, & *sanctum Religionis propositum*; & in Toletano octavo, anno 653 celebrato, *Tonsuram Religionis*, & *Religioni debitam vestem*; & in Toletano tertio, quod post annum sexcentesimum est habitum, *Religiosorum corpora*, & *Religiosorum officia*: sed vix credo inveniri apud aliquem ex antiquissimis scriptoribus Ecclesiasticis; aut si omnino, equidem quàm rarissimé. Non apud Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Sidonium, Gregorium, Isidorum Hispalensem; imò non apud ipsum Bernardum, Anselmum, aut Hugonem à Victoria. Apud Salvianum semel, l. 4. Ad Eccles. Catholicam, *Licèt religionem vestibus simules, licèt fidem cingulo adseras, licèt sanctitatem pallio mentiaris.* Apud Sidonium bis occurrit, *Professione Religionis arreptâ*, l. 4. Ep. 13. & Ep. 22. *Religio est professioni, humilitas appetitui, mediocritas obscuritati.* Apud Anselmum, in Evangelicis Enarrationibus, c. 16. semel, *Populus honorificatus est cœtus Religiosorum*: sed per *Religiosos* Christianos intelligit, non Monachos; ità enim se explicat, *Populus honorificatus est multitudo fidelium.* Apud Bernardum De Præcepto & Dispensatione, semel, *Insignem Religionis habitum.* Apud Augustinum in Regula Clericorum, semel, (si modò ipsius sit liber) *Religionem*, inquit, *ac propositum suum illicitis actibus nequaquam maculent*: sed de Clericis loquitur, nequaquam de Monachis; etenim alibi, cùm de Monastica vita loquitur, *vitam Canonicam* appellat, sicut & ipse Bernardus *Monasterialem disciplinam*. De Ecclesiæ Græcanicæ Theologis quid dicam? & ipsi etiam in honore Monachos habuerunt; at à *Religionis* & *Religiosi* nominibus abstinuerunt: nisi quòd à Philone & Dionysio θεραπευταὶ Monachos dictos Bellarminus observat; nam θεραπευτὴς est *cultor*, & θεραπεία *cultus*. Verùm illa dictio ab Essenis

Tom. 1.

Essenis est derivata, & cultorem non minùs superstitiosum notat quàm religiosum: neque in ullo Græcorum alio habetur. Habentur apud Patres Græcos, cùm πανηγυρικῶς loquuntur, non contemnenda de Monachatu elogia; τιμημένην ζωὴν Synodus Ephesina hanc vitam appellat; & τελείωσιν πνευματικὴν S. Basilius, & οὐράνιον πολίτευμα, & ἀγγελικὴν διαγωγὴν, *Angelicam vitam, cælestem conversationem, perfectionem spiritualem*: sed de vita omnium loquitur, etiam eorum secularium, qui mundo abrenuntiant. Huc referre possumus & illa altera Basilii vocabula in Sermone De Abdicatione rerum, ubi Monachos appellat εὐλαβεῖς, quæ vox est etiam secundæ Synodi Nicenæ, Can. 18. τινὲς τῶν λεγομένων εὐλαβῶν, *quidam eorum qui dicuntur Religiosi*: & in Serm. De Institutis Monachorum, ubi statum solitarium τοῦ σεμνοῦ βίου ἐπαγγελίαν, dicit, hoc est, ut Interpres vertit, *Religiosæ vitæ professionem*. At verò σεμνὸς ad summum nil aliud est quàm *Sanctus* & *Venerabilis*; & εὐλαβὴς Religiosum non significat, nisi in sensu secundario: nam Sacra Pagina *Religiosos* θρήσκους vocat, & *Religionem* θρησκείαν, Act. 26.5. Jacobi 1.26,27. & ipse Basilius Sermone quotidiano Monachos ἀσκητὰς, quasi *Exercitatores*, vocat, & vitam Monasticam βίον ἀσκητικόν. At nunc apud Papicolas loquendi consuetudo adeò invaluit, ut vix alio nomine Monachus cognoscitur quàm *Religiosi*; víxque quicquam sit ad Monachum spectans quod non à religione trahat appellationem: nam & Cucullus *Religiosus habitus* dicitur, & Claustrum *Religiosa domus*, & Professio ipsa *ipsa Religio*; quasi ipsi se soli Deo devoverant, aut nemo Religiosus esse poterat nisi sit Franciscanus aut Dominicanus. Audaciam hanc observavit insignis ille Theologus Jo. Gerson, & ut superbiam hanc contunderet, in tractatu Contra assertiones Matthæi de Grabon, parte primâ, religiones hujusmodi *factitias* vocat, *impropriè & abusivè & arroganter sic dictas*; atque addit præterea, *Abusionem hanc esse, & usurpationem vocabuli stultam & insanam, & hæreticam blasphemiam*. Neque id sine causa quidem. Nam quanta, obsecro, injuria fit Sanctis Dei, quanta Deo ipsi, si omnibus vitæ generibus ab eo ordinatis, ejúsque testimonio laudatis, commentitium nescio quod antefertur? aut quis hoc ferat, ut *religionis* nomen solenne & sacrum ad institutum speciale tam præcisè transferatur, ut idem jam sonent *Monachatus* & *Religio*, *Religiosus* & *Monachus*?

Basil. ser. De Abdic. rerum.

Quibus sic positis, hanc mihi indulgeant, obsecro, libertatem, ut in hac tractanda quæstione, *Religionis* & *Religiosi* sanctioribus sepositis vocabulis, in eorum vicem nativa *Monachatûs* & *Monachi* nomina substituam. Etenim in Religione, velut omnium virtutum confluxu, vitam perfectam constitutam esse nullus dubito; ut quò quisque sit religiosior, eò & perfectior: In Monachatu nequaquam. Utantur igitur illi suis terminis, ego meis; ità erit in promptu solutio, Monachatum non esse statum vitæ perfectissimum. De quæstionis primo termino non est quod amplius addam.

De Vita perfecta restat ut nonnulla dicamus, est enim hic alter terminus ordine suo explicandus: atque explicatu vel maximè indiget, quia aliud est loqui de Perfectione Patriæ & beatifica, de qua hîc non agitur; aliud de Perfectione Viæ & mortalitatis, quæ est Viatorum: & in hac, aliud est perfectum dicere simpliciter, & κατ' ἰδίαν: aliud κατά τι, & ex hypothesi. In sensu posteriori perfectio est attingibilis, in altero nequaquam. Nostrum est utramque notionem examini subjicere.

Perfectionis prima notio est simplex & absoluta; sic illud *Perfectum* dicitur, definiente Philosopho, quod in nullo deficit, nec recipit additionem, nec ullâ caret particulâ eorum quæ pertinent ad naturam sui. Juxta has leges perfectam Christiani formam S. Greg. Nyssenus depingit, hoc modo, *Perfectus*

Arist. de Cælo l.1. c.1. Metaph. 4.16. Nyss. De perfecta Christiani forma.

Perfectus est Christianus, qui talem se in omnibus præstat qualem requirit Christiani nominis excellentia. Pariter & secundum hanc normam vita perfecta est quæ à nullo Christiani hominis officio deficit, nec unquam de tramite pietatis vel tantillùm deflectit; sed omnia & facit quæ facienda, & credit quæ credenda, & cogitat quæ cogitanda, & diligit quæ diligenda Christus mandavit. Hæc illa est quam adversus Pelagium, l.1. Hieronymus *perfectionem Incomparabilem* appellat; Aquinas 2.2æ, qu.184. *perfectionem charitatis omnibus suis numeris Absolutam*; S. Ambrosius *perfectionem Plenariam*; *Perfectam perfectionem* S. Prosper, & Fulgentius, lib. 1. ad Maximum; nos, *perfectionem κατ' ἰδέαν*, sive *exsuperantiam*, quæ summum attingit gradum excellentiæ, ut non habeat ultrà quò progrediatur. De hac cùm eruditi loquuntur, unanimis est omnium consensus, Philosophorum, Scholasticorum, Patrum, ad has vitæ perfectæ metas neminem in hac carne mortalitatis aut pervenire posse, aut unquam pervenisse. Pro Philosophis Max. Tyrius loquatur, Diss. 5. *χαλεπὸν εὑρεῖν ἀκριβῆ βίον, ἀλλὰ παντὶ ἀνακέκραται ἔνδειά τις πρὸς τὸ ἄκρως καλόν, Difficile est invenire vitam undiquaque perfectam, sed in unaquaque est deficientia aliqua à perfectione summa.* Quod autem dicit *χαλεπὸν*, *difficile* esse, ex contextu apparet per *difficile* impossibile esse intelligendum. Neque hoc Plutarchum latuit, qui pro *χαλεπὸν* substituit *ἀδύνατον*, in lib. De puerorum institutione, *ἐν ἅπασι τὸ τέλειον ἀδύνατον.* Pro Scholasticis Aquinas, quia illum cæteri sequuntur, in 2am 2æ, qu. 184. ad art. 2um, *Cùm vita Christiana perfectio in charitate consistat, & universalitatem quandam perfectio importet, in via non est perfectio absoluta possibilis, quia nullius hominis affectus secundùm totum suum posse semper actualiter fertur in Deum, sed habent quantum ad peccata venialia perfectissimi aliquod imperfectum.* Pro Patribus Augustinus & Gregorius Magnus, quia illi ex omnibus sæpius in hac meditatione versantur. Greg. Mor. 18.29. *Homines justi quamdiu in hac carne corruptibili mortaliter vivunt, aurum quidem esse possunt, obryzum omnino non possunt, animam corpore aggravante. Nam quamvis in hac vita ex magna justitiæ claritate resplendeant, nequaquam tamen ad purum peccatorum sordibus carent:* & l. 5. c. 7. *Sæpe justitia nostra ad examen Divinæ justitiæ deducta, injustitia est*; atque nè parùm dixisse videretur dicendo *Sæpe*, pro *sæpe. Semper* ponit, l. 21. c. 15. *Sciunt sancti viri, quòd omnis humana justitia injustitia esse deprehenditur, si Divinitus districtè judicetur*; & l. 8. c. 23. *Quantâlibet justitiâ polleant, nequaquam sibi ad innocentiam vel electi sufficiunt, si in judicio districtè requirantur*; & l. 5. c. 23. *Si districtum fuerit judicium, nec ipsa perfectio nostra culpâ carebit, nec ipsa rectitudo tortitudine.* Similiter & S. Augustinus non uno in loco; de Civ. l. 19. c. 37. *Ea est justitia nostra in hac vita, ut potiùs remissione peccatorum constet, quàm perfectione virtutum:* & c. 35. De Spiritu & Litera, *Sine exemplo est in hominibus perfecta justitia:* & Ep. 29. *Plenissima charitas quamdiu homo hic vivit est in nemine.* In proclivi est ratio, quia nemo est qui Deum diligit non modò non tantum quantum est diligibilis, nam hoc nec ipsi Angeli faciunt, sed nec tantum quidem quantum est diligendus. Quid plura apponerem? cùm una hæc sit cujusvis seculi constantissima confessio, eáque & Scripturis & rationibus & experientiâ comprobata, Sanctorum omnium, etiam Prophetarum, etiam Apostolorum vitas ad hos calculos & hanc exactissimam amussim revocatas, fuisse imperfectas: tum quia erant in statu Proficientium, habuerunt singuli aliquod ultrà quò promoverent; tum quia in statu Peccantium, erat in cujusque vita, velut in malo punico, aliquod granum putre, ut cum S. Jacobo dicerent, *In multis offendimus omnes*; tum etiam quia in statu Petentium, à Salvatore edocti ut incessanter

Off. 3. 2.
De vita contemp. 1. 9.

cessanter orarent, *Adveniat regnum, Fiat voluntas, Remittantur debita:* quæ singulæ sunt voces eorum qui ex parte cognoscunt, & ex parte credunt, diligunt, operantur; & quia ex parte, imperfectè, si de hac perfectione plenaria loquamur, quæ in summo excellentiæ gradu constituitur.

Accepistis Perfectionis notionem primam, quæ quia à nemine acquiri potest, nullum habet in hac disputatione locum. Quocirca mittamus hoc sublime Perfectionis genus, & laxato rigore vocabuli, intueamur notionem secundam, quæ demum ex usu & indulgentia loquendi vita sit *perfecta* appellanda. *Est quædam perfectio*, inquit S. Ambrosius, *quæ medios, non plenos numeros habeat*, hoc est, quæ non est perfectio plenitudinis, sed mediocritatis. Hæc sæpius occurrit in Sacra Pagina: *Sapientiam loquimur inter perfectos*; &, *Ut exhibeamus omnem hominem perfectum*; &, *Quicunque perfecti sumus, hoc sentiamus.* In quibus omnibus de Perfectione Apostolus loquitur *quæ nostra competit fragilitati*, dicente Hieronymo: & hoc quidem sensu *perfectus status* dicitur & *perfecta vita*, cui nihil deest illorum quæ sunt ad conditionē salutis necessaria, quamvis in gradibus virtutum & gratiarum desint plurima. Hanc perfectionem Scholastici vocant *perfectionem secundùm quid*, videlicet *Absolutæ* contradistinctam; S. Hieronymus *perfectionem Imperfectam*; *Semiplenam* Ambrosius; nos *perfectionem Comparativam*, sive *Interpretativam*, quia non à se, sed à loquendi consuetudine perfectionis nomen obtinuit: ut quatuor modis *perfectus* quis dicatur, qui tamen sit imperfectus.

Amb. Off. l. 3. c. 2.

Hier. adversus Pelag. l. 1.

Inprimis, *perfectus* dicitur qui cæteris eminentior, is cui minimum deest. De hac Salomon loquitur, Prov. 12. 26. *Excellentior est proximo suo justus*; & Sanctus Moses, Gen. 6. 9. *Noah fuit vir justus, & perfectus in generatione sua.* Signanter dixit *In generatione sua*, ut ostenderet non perfectionem consummatam habuisse, sed comparativam; quia in mala generatione & inter homines virtutis expertes ipsius sanctitas quasi lumen aliquod exstinctis cæteris elucebat. Sic Jac. 3. 2. *In multis offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic vir perfectus est.* Quare autem *perfectus?* nimirum quia aliis antecellit, cùm rarus sit & quasi avis alba qui linguæ lubricitatem cohibere possit. *Perfectus* igitur qui cæteris eminentior. Hæc significatio prima.

Deinde autem, *Perfectus* dicitur qui fatetur se imperfectum; quâ nulla est apud S. Hieronymum & S. Augustinum vocis significatio usitatior. Augustinus in Serm. 49. De tempore, *Ipsa est perfectio hominis, invenisse se non esse perfectum:* & in Psal. 38. *Aliter hic non potes esse perfectus, nisi scias te hic non posse esse perfectum;* & lib. De perfectione justitiæ, *Si qua hic fidelium perfectio, in eo consistit ut se imperfectos cognoscant.* Pariter & Hieronymus, Ep. ad Ctesiphontem, *Hæc est hominibus sola perfectio, si se imperfectos esse noverint*; eodem modo quo *justi* dicuntur, quando peccatores se fatentur. Hoc S. Paulus non nescivit, qui Col. 1. 28. sui muneris esse profitetur, ut sisteret omnem hominem perfectum in Christo Jesu; exinde innuens, perfectionem nostram, sicut & justitiam, in Christo sitam esse: ut quemadmodum justi sumus, quando injustitiam nostram confitentes ad Christi justitiam nos recipimus; ità & perfecti etiam, cùm imperfectionem nostram & corruptionem agnoscentes ad Christum confugimus, & illius perfectionem fide apprehendimus. Ea est significatio secunda, *Perfectus* est qui videt se esse imperfectum.

Adhuc tertiò, *Perfectus* est qui sincerus & integer, qui verâ fide & mente simplicissimâ est Deo audiens; unde fit ut in Sacra Pagina duo hæc verba, *perfectus* & *rectus*, sæpissime jungantur; ut cognoscamus, in rectitudine cordis

cordis hanc interpretativam perfectionem consistere. Sic Psal. 37. 37. *Observa perfectum hominem, & vide rectum, quia novissimum ejus est pax.* Sic Job. 1. 8. & 2. 3. *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir perfectus & rectus, timens Deum, & recedens à malo?* & Jacobi 1. 4. *Ut sitis perfecti & integri, in nullo deficientes,* τέλειοι καὶ ὁλόκληροι· ὁλοκληρία est integritas omnium partium rei alicujus, cùm nulla pars est labefactata. Hanc integritatem qui habet, perfectionem habet; non quidem perfectionem Graduum, sed Partium; Statum perfectionis, sed non Staturam. Quemadmodum hoc nomen *Homo* est & ætatis nomen, atque sic quidem non est homo nisi qui adultus est, & annorum plenus; & est etiam nomen naturæ sive speciei, & hoc sensu infans est homo, quia partes humanas integras habet, quantumvis ad mensuram non adoleverit: ità & hoc *perfectionis* vocabulum & incrementi nomen est, ut is solus *perfectus* dicatur cui nihil est reliquum ultra quod grandescat; & est nomen etiam veritatis sive entitatis, ut illi omnes perfecti censeantur qui recti sunt, & fide integri, & simplices corde. Hæc significatio tertia.

Ad extremum, *Perfectus* est qui semper in melius proficit, qui hoc inprimis curat, ut indies crescat & progrediatur in gratia & sanctitate. Sic Gen. 17. 1. *Ambula coram me, & esto perfectus*; hoc age, ut ad perfectionem possis aspirare: & Matth. 5. 48. *Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est. Estote*, hoc est, properate, contendite, nervis omnibus annitimini; nam *proficientes benè dicuntur perfecti Viatores*, ut Augustinus loquitur. In hoc sensu S. Bernardus de perfectione nostra fidenter pronuntiat, *Neminem esse perfectum qui non appetit esse perfectior*; & Greg. Nyssenus, in libro De vita Mosis, *In rebus aliis*, inquit, *terminis quibusdam perfectio comprehenditur, at in virtute* εἷς ἐστιν ὅρος τελειότητος, τὸ μὴ ἔχειν ὅρον, *unus est perfectionis terminus, ut nullus in ipsa terminus statuatur:* atque hæc demum nostra erit perfectio, ἀεὶ θέλειν ἐν τῷ καλῷ τὸ πλέον ἔχειν, proficere semper & ad ulteriora ascendere. Quòd si strictè & excussè loquamur, *crescere*, & *proficere*, & *porrò pergere*, sunt imperfectionis magìs indicia quàm perfectionis, dicente Senecâ, *Crescere posse, imperfectæ rei signum est*; & S. Anselmo in Eph. 4. *Perfectus non est si habet ubi crescat*; nec non & S. Augustino, *Quamdiu augeri potest, charitas deficit, quia quicquid minus est quàm debet ex vitio est.* Manifesta res est, perfectum non minùs alienum esse debere ab incremento quàm à decremento: & hanc tamen perfectam vitam ex Scripturis definiunt Patres, quia in perfectionis meditatione quotidie versatur, & ideo ad perfectionem quotidie aspirat, quia cognoscit se nondum pervenisse. Hinc ortum illud Hieronymi de S. Paulo dictum, *Paulum lego perfectum & non perfectum:* & illud Fulgentii de Eodem, l. 1. Ad Monimũ, *S. Paulus & perfectus erat, & nondum perfectus; perfectus spe futuræ glorificationis, imperfectus onere corruptionis & mortalitatis; perfectus exspectatione muneris, imperfectus fatigatione certaminis; perfectus, quia desideriũ habebat dissolvi & esse cum Christo, imperfectus, quia dum erat in corpore peregrinabatur à Domino; perfectus, quia mente serviebat Legi Dei, imperfectus, quia carne serviebat legi peccati; perfectus denique, quia ex maxima parte profecerat, imperfectus, quia habebat insuper quò magìs proficeret.* Adeóq; est hæc vitæ perfectæ institutio prudentissima, semper crescere, & se exercendo procedere, semper esse in ascensu à gradu ad gradum, semper in profectu à gratia in gratiam. Hæc significatio quarta, *Perfectus* est qui semper est in profectu.

Aug. De Nat. & Grat. c. 12.

Sen. Ep. 66.

Aug. Ep. 29.

His ità constitutis, si proficiendi gradus quamplurimi sint, & nisi in proficiendo perfectio nulla reperiatur, non erit arduum *perfectæ vitæ* & *perfecti statûs* definitiones exhibere: ut ea sit *vita perfecta*, quæ plures gradus transiliendo,

filiendo, ad universæ virtutis fastigium proximè accedit; is *status perfectus*, qui per plures gradus ad hoc fastigium nos proximè ducit. Qui & quot sint illi gradus si semel monstravero, facilis erit quæstionis resolutio. Sed ad tertiam inquisitionis partem hoc spectat. Interea hoc unum firmum immotúmque manet, quòd quæcunque vita, sive secularis sive Ecclesiastica, ad maximum profectum ascendit, plures pietatis gradus transsiliendo, ea ædepol erit perfectissima. At hoc Monachismo non congruit, neque maximè neque soli, ut die sequenti ostendam, si Deus affulserit, cùm ad Definitionem quæstionis, quæ ultima instituti pars est, pervenero. De Statu & Terminis quæstionis, quæ παρασκευαστικῶς præfanda erant, abunde dictum puto.

LECTIO V.

De nostro hoc Monasticæ perfectionis scrutinio non inscitè dici potest quod de re poetica, in lib. De audiendis poetis, Plutarchus pronuntiavit, *ἡ ποίησις ἐστι ζωγραφία φθεγγομένη, Poesis est quasi picturá quadam vocalis*, edocta loqui. Cogitate hunc ipsum typum esse, hunc etiam scopum præsentis disputationis, ut possit ob oculos vobis indebitæ, quam sibi Eremitismi cultores falsò arrogant, perfectionis picturam quandam loquentem exhibere. Nam quemadmodum pictores, cùm rerum aut personarum similitudines ad vivum exprimere moliuntur, vestigiis quibusdam & obscuris lineamentis adumbrare priùs tabulam solent, atque postea colorum pulchritudine ac varietate collustrare, atque arte quâ possunt politissimâ perficere; & rursus, sicut pictoribus in more est positum, per intervalla temporum opera sua priusquam ea absolvant contemplari, unde fit, ut abducto ab illis paulisper visu, sæpius judicium revocantes, etiam exiguas quasvis aberratiunculas faciliùs observant, quas continenti & quotidianâ inspectione animadvertere non poterant; denique, ut pictores in gurgustiolo aliquo tabellam pingunt & exornant, atque dum pingunt integumentis & velis vestiunt, sed postquam opus perfecerint & graphicâ historiarum varietate repleverint, illud statim in medium proferentes, ablatis omnibus velamentis, multitudini spectandum proponunt, & spectantium judicio permittunt, neque interpretari quæ picta sunt opus habent, colore quolibet & quavis umbratica linea hoc ipsum præstante: Consimili ratione & mihi in hac causa, velut labore æmulo, est faciendum; ut quia vobis die pristino quæstionis umbram aliquam & primas lineas, & figuram magìs quàm formam, currente calamo levissimóque penicillo descripsi; nunc aliquot dierum intermisso spatio, quo secundis vacare licuit hujus operis curis & contemplationi, nunc, inquam, æquum est ut ipsam formam habitúmque ampliorem, argumentorum quasi colorum varietate in conclavi collustratum, in lucem hanc quæ circumfunditur educam, & in fide vestra deponam.

De lineamentis quæ priùs duxi, ut ad definitionem quæstionis via esset & apparatus, non opus est rursus dicere, neque ea repetendo interpretari. Accepistis explicationem terminorum, quòd de Perfectione loquimur non

beatifica illa quæ est Comprehensorum propria, sed de inferiori altera quæ ad Viatores pertinet: & rursus, non de Perfectione viæ sublimi & plenaria, quæ summum gradum excellentiæ & officii nostri fastigium attingit, quò nullus unquam Sanctorum pervenit; sed de semiplena illa quæ medios numeros habet, éstque nostræ fragilitati & mediocritati congruens, imperfecta perfectio. Non quòd Perfectio dici possit si strictè ad calculos revocetur, sed quòd laxato rigore vocabuli ex usu & indulgentia loquendi obtinuit ut Perfectio dicatur, vel sensu Comparativo, sic perfectus quisque est qui multò cæteris eminentior; vel Interpretativo, sic perfectus dicitur ex Sancti indulgentia Spiritûs qui sincerus, & integer, & rectus corde; perfectus etiam qui intelligit & fatetur se imperfectum; perfectus etiam qui indies ad perfectionem contendit, sempérque in melius crescendo proficit. Qui modi singuli si non æquè possunt reperiri, aut non etiam reperiantur, in vita Seculari atque in Monastica, habeant soli quem tantopere exoptant honorem perfectionis.

Sed fuere hæc omnia fusiùs jampridem exposita, & unà cum terminis status insuper quæstionis ex discrepantibus sententiis Adversariorum: quorum utcunque aliqui modestiùs loquantur, Profiteri se non perfectionem acquisitam sed acquirendam, vitámque Monasticam non in numero perfectorum statuere sed perfectibilium, ut sit instrumentum optimum & medium ad hunc finem, non finis ipse; at alii adeò expletam vitam cumulatámque esse asseverant, ut sit etiam in minimis maximè meritoria, tantùm non infra cœlum, & supra martyrium, Apostolicæ, cœlesti, Angelicæ vitæ exæquanda. Sic sibi semper dispar & discolor est erroris habitus; sed hâc ipsâ disparitate eatenus veritati deservit, ut ex duarum collisione sententiarum nativum quæstionis statum eliciamus, Tam longè abesse Monachatum ab hoc ut sit vita perfectissima, quòd non sit status perfectionis maximè susceptivus, nec medium aut adjumentum efficacissimum, nedum in via proxima aut in gradu propinquissimo eò perveniendi. Quod unum ut perstringam breviùs, de personis omnino non agam, sed de causa ipsa; neque erit mihi ulla cum Monachis litigatio, sed cum Monachismo: tum quia non volupe est calumniis datatim ludere; tum quia hoc omnes fatentur Scholæ Doctores, Aquinas, *Bellarminus, reliqui, Et esse perfectos multos qui non sunt in statu, & esse in statu multos qui non sunt perfecti; tum quia à suis scriptoribus jamdudum est hoc præstitum, à Gulielmo de Sancto Amore, Schola Parisiensi, Gersono, inprimis verò à Baptista Mantuano & Nicolao Clemange: quorum Ille de vita eorum corrupta & degeneri in libro De calamitatibus sui temporis tertio sic cecinit,

2.2æ, qu. 184. art. 4.
*Lib De Monac. cap. 2.

Hi quoque qui nomen de Relligione superbum
Usurpant, quanquam sanctis à Patribus ortos
Se jactant, ovium molli sub vellere fraudes
Mente Lycaonias servant, & crimine sordent,
Quod speciem virtutis habens scelus omne colorat;

Hic, in lib. De corrupto Ecclesiæ statu, eorum mores multis severísque verbis depingit, quòd *lupi rapaces sunt in vestimentis ovium, Satanæ in angelos lucis transformati, Pharisæi, hypocritæ, pseudoprophetæ; qui quò magis esse debent ex votis suæ religionis perfecti, & à cura secularium quibus abrenuntiant abstracti, quò magis continentes se jactitant & obedientes, & in contemplatione cœlestium suspensos, eò magis sunt ab his omnibus alieni, magis tenaces, avari, dissoluti, indisciplinati, inquieti, & secularibus immixti*, & quæ sequuntur. Hæc ego omnia prætereo, quia tædet

tædet in hac colluvie volutare: & quamvis non sit ullatenus largiendum, respondere eos suæ professioni; at in præsentiarum non invitus cedo ut supponatur, abusus in Monachatum irrepsisse nullos, labeculam nullam, nullam oscitantiam; concedatur velim quòd omnia sua ad eam pietatem referunt quam Christus nobis commendavit in Evangelio; quòd eousque in stadio virtutis progrediuntur, quò adducere eos possunt solitariæ vitæ commoda & professionis suæ pia exornatio. At nihilominus istis sic positis, resolutio quæstionis eadem est, eáque certissima, quam in unam Propositionem summatim compingo. Sic autem se habet;

In Monachatu non est aut via ad perfectionem compendiosior, aut media & instrumenta ad pietatis profectum magis efficacia, quàm in aliis multis Christianæ vitæ conditionibus quæ juxta Evangelicam regulam instituuntur.

In hac una Thesi tota res vertitur; quæ quia est Pontificiorum sententiæ ex diametro adversa, idcirco ipsius enucleatio ad duo Capita est referenda: ut videamus inprimis, Quibus argumentis & cui fundamento nixi Pontificii suam sententiam stabilire conantur; deinde, Quod sit firmamentum opinionis nostræ.

Pontificiorum rationes multæ sunt: Fundamentum unicum in gradibus perfectionis positum.. Rationes Bellarminus decuriavit, etiam & Bernardinus & Platus. Bellarmini ratio hæc est, lib. 2. De membris militantis Ecclesiæ, cap. 2. Quòd perfectio in Charitate consistit: ad perfectam autem Charitatem duo requiruntur, ut itinere recto totos nos Deo tradamus, & ut omnia itineris impedimenta amoveamus, quorum utrumque in statu monastico est conspicuum. Nam Deo se totos tradunt, quia animum, corpus & res externas ei soli addicunt; Animum per obedientiam, Corpus per continentiam, Res externas per paupertatem: & è contrario, omnia impedimenta removent; nam & luxuriam sive concupiscentiam carnis reprimunt, quod est opus continentiæ; & avaritiam sive concupiscentiam oculorum, quod est opus paupertatis; & superbiam vitæ, quod est opus obedientiæ. Bernardinus rationibus novem militat, vel magis octo, nam in duabus eadem dicit, in parte prima Quadragesimalis, Serm. 16. Quia in statu monastico vivit homo puriùs, radice malorum amputatâ; Quia cadit rariùs, sublatis omnibus peccandi illecebris; Quia surgit velociùs, in medio exemplorum virtutis constitutus; Quia incedit cautiùs, jugi lectione & orationibus velut præsidiis quibusdam præmunitus; Quia quiescit securiùs, à negotiis & clamoribus mundi solutus; Quia irroratur frequentiùs, cùm sit quotidie in præparatione animi proxima ad gratiam acquirendam; Quia moritur confidentiùs, minori peccatorum mole & majori bonorum operum cumulo fiduciam præstantibus; denique Quia præmiatur copiosiùs, cùm sit majoris meriti Consilia servare quàm Præcepta, & ea omnia facere ex voto quàm sine voto. Ad extremum, Hieronymus Platus in tres ordines argumenta disponit: inprimis ab Utili, Quia status est maximè omnium salutaris, propter uberius meritum, & pleniorem influxum gratiæ, & pietatis exercitia frequentiora, & clariora exempla virtutis, & Dei patrocinium certius atque vicinius: deinde ab Honesto, Quia est status nobilissimus, propter contemptum mundi, & abnegationem nostrî, & similitudinem Dei, & victorias animæ in peccatum, in carnem, in seculum, in Satanam, & adhuc, propter solatia præsentis vitæ & præmia futuræ; cùm sit & miraculorum splendore in terris honoratus, & peculiari gloriæ Laureolâ in cœlis honorandus: postremò à Jucundo, Quia est status vitæ omnium suavissimus, Libentiis Gratiis-

que cœlestibus refertissimus, molestiarum & passionum expers, in ipsis asperitatibus corporis animi gaudiis & amœnitatibus redundans; quæ cùm sint Paradisi deliciæ, aliunde non percipiuntur quàm ex Sanctorum consortio, & sodalitio Angelorum, & fruitione Dei in vita Monastica. Hæc summa est magni voluminis quod omni argumentorum varietate zelotypus frater implevit ad Monastici statûs perfectionem vindicandam.

Horum omnium si fundamenta quæramus, una est radix omnium in Gradibus perfectionis collocata. Hos perfectionis Gradus Innocentius tertius in Concione quam habuit in Concilio Lateranensi breviter absolvit, & duos statuit, unum in declinandis Vitiis, alterum in exercendis Virtutibus, secundùm Psalmographi illud, Psal. 36. *Diverte à malo, & fac bonum.* Aquinas aliquando tres, aliquando duos dinumerare solet: nam in 2.2æ. qu. 188. ar. 6. ad ternarium extendit, ut summus gradus sit in iis quæ ordinantur ad docendum, 2us in iis quæ ordinantur ad contemplandum, 3us in actionibus exteriorum virtutum: at qu. 184, articulis primo & tertio, in binarium contrahit, quorum unum dicit esse in exercitiis charitatis & virtutum ad charitatem pertinentium, alterum in observatione Consiliorum; & in illo quidem principaliter & essentialiter perfectionem consistere, in hoc secundariò & instrumentaliter. Franciscus, qui pater ordinis, decem gradus describit: sed qualiacunque sunt, ea omnia ex Cassiano deprompsisse Franciscum est verisimile, qui lib. 4. cap. 43. De institutis renuntiantium hos octo gradus statuit, Timorem Domini, & à Timore nascentem Abrenuntiationem seculi, & de Abrenuntiatione Humilitatem mentis, & de Humilitate Mortificationem voluntatis, & de Mortificatione Expulsionem peccati, & de Expulsione vitiorum Pullulationem virtutum, & de Pullulatione virtutum Puritatem pectoris, & de Puritate pectoris Perfectionem charitatis, quæ ipsum est fastigium: *Ut totis viribus Christianus militet contra peccatum; ut omnem Creaturam supra se ponat, & se subtus; ut cor suum ab omni re mundana abstrahat, & in Deum solum projiciat; ut eam habeat patientiam quâ inimicos suos hoc nomine plus diligat, quia injurii lacessunt; ut diligat omnes bonos, & omnibus malis compatiatur; ut reprehensione & vituperio gaudeat, & laudibus non afficiatur; ut omnibus libenter serviat, & se indignum reputet à quoquam serviri; ut studeat Deo gratias agere, non solùm pro se, sed etiam pro aliis; ut linguam custodiat non solùm à verbis malis, sed vanis & superfluis; ut super omnia prospiciat, ut in omnibus verbis ejus reluceat veritas, bonitas & humilitas.* Hæc ille, fortassis piè, dubio procul barbarè, & velut è claustro.

Hos quatuor arbitros produxisse sufficiat, de Senatu suo singulos, Cassianum, Franciscum, Thomam, Innocentium, Monachos excepto uno omnes, non existimatores leves aut aspernabiles, sed ipso adversariorum præconio inclyti atque polituli judicii. Ab adversariorum sententia si perfectionis scala repetatur, erit & definitio clarior, & illustrior victoria; quoniam, ut S. Greg. Nyssenus loquitur, τῆς ἰδίας ζωῆς ἕκαστός ἐστι ζωγράφος, *unusquisque est vitæ suæ pictor optimus*, testísque plenissimus contra causam suam. Quapropter ad definitionem sufficeret, si ex principiis suis monstravero, non esse monasticam vitam ad perfectionem per hos gradus à Pontificiis constitutos viam proximam; sed in aliis vitæ statibus non minorem aditum patere & ad Contemplationem Dei, & ad Dilectionem Proximi, & ad Repudium seculi, & ad Abnegationem sui, & ad Excidium peccati, & ad Exercitium cujuscunque virtutis, quàm in ipso Monachatu.

Nyss. in l. de perfecti Christiani forma.

Verun-

Veruntamen cùm non nisi ex Scripturis Sacris exquisita perfectionis mensura est petenda, cúmque perfectionis gradus veri non sunt alii quàm gradus Sanctuarii, idcirco ad majorem rei evidentiam hos perfectionis gradus confusiùs paulò ab ipsis positos ad meliorem ordinis textum conabor reducere, & ex sacris fontibus, nè supremâ authoritate careant, transferre. Sunt autem quatuor loca quæ nobis hos vitæ perfectæ gradus subministrabunt. Interdum enim Ad Deum solum, interdum Ad Deum & proximum, interdum Ad Proximum & nosmetipsos, interdum Ad hos ordines universos hi perfectionis gradus diriguntur.

De Deo solo locus est in Ecclesiaste, cap. 12. v. 13. *Summam rei totius audiamus, Deum time, & mandata ejus observa; quia hoc est totum hominis.* De Deo & proximo locus est Mic. 6. 8. *Indicavit tibi, o homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te; utique facere judicium, & diligere misericordiam, & modestè ambulare cum Deo tuo.* De proximo & nobis ipsis occurrit locus Jac. 1. 27. *Religio pura & immaculata,* hoc est perfecta, *coram Deo & Patre hac est, Visitare pupillos & viduas in afflictionibus suis, & immaculatum se custodire ab hoc seculo.* Postremò, De omnibus junctim habetur locus Tit. 2. 11. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos ut abnegemus impietatem & concupiscentias mundi, & sobriè & justè & piè vivamus in hoc seculo.* In horum verborum ambitu quoscunque suprà positos perfectionis gradus conclusos observare licet: nam in se continent *πάσης τῆς ἀρετῆς ὑπόθεσιν, virtutis totius argumentum,* ut Chrys. in locum; vel, ut sapientissimus Salomon loquitur, *totum hominis,* id est, totum in quo se homo occupare debet, totum quod ab homine exigitur, summam salutaris studii & perfectionis; ut si ullum sit officium erga Deum, aut proximum, aut nos ipsos, in hac una sententia id omne Apostolus complectitur, dicente Fulgentio, *ut sobriè quis vivat in semetipso, ut justitiam servet in proximo, ut pius perseveret in Deo.* Qui hoc trino perfectionis gradu fuerit formatus, omni ex parte censeri debet rectè institutus; quia his tribus perfectio Christiana definitur: Temperantiâ, quâ quis bene sit ordinatus erga seipsum, hoc est, *σωφρόνως*· Justitiâ, quâ erga proximos, hoc est, *δικαίως*· Pietate, quâ erga Deum, hoc ipsum est *εὐσεβῶς*. Ad hæc tria facilè revocantur quoscunque gradus à Cassiano, Francisco, Thoma, jam ante recensebam: quia tribus modis in Deum vita disponitur, Contemplatione, quâ fruimur; Imitatione, quâ sequimur; Cultu, quo veneramur, suspicimus, prædicamus, laudamus: & quatuor modis in Proximum, Consiliis & documentis, quantum ad animam; Auxilio & solatio, quantum ad necessitates; Indulgentiâ, quantum ad errores & lapsus; Exemplo, quantum ad commercium & conversationem: denique & innumeris modis in Seipsum; Prospiciendo cogitationibus, ut intus ardeat; Exercendo se in omni opere bono, ut luceat; Pugnando adversus carnem, mundum, Satanam, ut vincat. Hos ego vitæ perfectæ justos cancellos judico, ut sit non modò contemplativa, sed activa; neque solùm activa clandestina, sed exemplaris & bono addicta publico; & adhuc, non solùm activa in faciendo quod bonum est, sed passiva & victoriosa in malis æquanimiter fortitérque ferendis. Si sit istorum omnium in quocunque vitæ statu concursus, eum ego perfectum non dubito dicere, etiamsi sit Monasticus. At è contrario, si in ullo istorum graduum deficiat Monachatus, non est simpliciter vita perfecta: si ullus alius plures istorum assequatur, tum Monachatus aliarum comparatione non est vita perfectissima.

Fulg. l. 1. De rem. pecc. c. 28. apud Est. in Tit. 2. 11.

Hoc solum nunc superest demonstrandum, Monachatum tam longè ab-

 esse

esse ab hoc ut emineat in his omnibus junctim, ut vix istarum proprietatum aliquam sibi vendicet sigillatim, non activæ, non contemplativæ, non exemplaris, non victoriosæ gloriam; nec adjumenta afferre ad officia erga Deum, Proximum, Seipsum, aut plura aut probabiliora quàm vita Christiano-politica, si secundum Evangelicam regulam piè & prudenter instituatur: ídque tribus his Propositionibus firmabo atque docebo.

Propositio prima est de Officiis erga Deum, & sic se habet; Inter pietatis officia quæ Deum nominatim respiciunt omnino nullum est quod præstare potest Monachus, in quo se exercere non possunt, aut æquè aut magìs, Christiani cæteri. Ut Propositionis veritas pateat, sciendum est, ad tria Capita Officia erga Deum revocari, Obedientiam, Cultum, Contemplationem.

De Obedientia res est in aperto, vel ipsum Votum Monachis impedimento esse nè possint Deo intemeratum & universale præstare obsequium. Nam primò, ex Voto tenentur Præpositis suis eodem modo obtemperare eodémque rigore quo Deo ipsi: At non est obedientia casta quæ hominem Deo exæquat, & præcepta humana Divinis. Secundò, ex Voto tenentur Prælatis suis parere in omnibus, absque examine, absque inquisitione, etiamsi injusta videantur quæ mandaverint, imò verò si injusta fuerint. Sic enim à Cusano, lib. 6. Exercitat. & Ribadeneira, in cap. 4. lib. 5. De vita Ignatii, Monastica describitur obedientia. Quæ ratio si steterit, actum est de Obedientia Divina, ut de re secundaria & mandatis humanis subjicienda.

De Cultu, ad Eremitas & Anachoretas provoco; nam cultûs Divini pars maxima in Oratione & Psalmodia & sacrorum Mysteriorum participatione consistit. Loquantur pro se Monachorum perfectissimi Anachoretæ, an in cœlesti convivio, in Sacra Cœna, in supremo beatissimi Salvatoris instituto, solatii aliquid sit aut roboris quod Christianam perfectionem promoveat. Si sic, ubi est ipsorum perfectio, ubi solatium, qui ab hac Christi conjunctissima communione tantum distant quantum à societate hominum segregantur? Psalmorum & Precum non absimilis est ratio, quòd habeant hæc exercitia laudem suam, eámque insignem, si privatim & in occulto peragantur: at tum splendent maximè, cùm ex multarum vocum consensu & symphonia harmoniam quandam faciunt in ejus auribus qui præsentem se futurum pollicetur in medio duorum aut trium orantium aut psallentium in gloriam nominis ejus. Sed hæc solatia Eremitarum status non capit; possunt secum soli hæc factitare, cum aliis non possunt. At in istis exercitiis Christiani cæteri Sanctorum jucundissimo consortio frui solent, & secum mutuò de rebus Divinis colloquia serere, & se mutuò hortamentis, quasi cote quadam, acuere; possunt, in unum quoties coeunt, (quod sæpissime fit) cœlesti throno animis copulati vim sacram precibus suis inferre; & laudes Dei, affectuum velut nervorum sociatâ concordiâ coexercitati, buccinare. Eremitæ contrà, quia in desertis aut cellis procul ab hominum conspectu degunt, nec vocem turturis audiunt quâ ad pietatem excitentur, nec Sanctorum colloquia quibus perfruantur, nec quenquam habent aut in divinis laudibus celebrandis complicem, aut in precibus quo utantur administro; cùm tamen in sacris literis exercitationibus istis junctim præstitis & largissima repromissio & honor etiam maximus habeatur.

Jer. Epist. 4. ad Rust. unusquisque suo sensu ducitur; mihi oppidum carcer, & solitudo paradisus est.

Quòd si vacare se meliùs posse Contemplationi dixerint & meditationi in vita solitaria quàm in vita communi, non multùm expedit. Agnosco à Sanctis Patribus hoc inprimis nomine impensiùs laudatam fuisse

fuisse solitudinem: est enim S. Basilio in Ep. ad Chilonem discipulum, οὐρανοφόρον κλίμαξ, *scala ad Cœlum animas rectà subvehens*; & S. Hieronymo ad Heliodorum, Ep. 2. *locus familiariùs Deo gaudens.* Quid quòd eam S. Greg. Nazianzenus Apologet. Orat. 2. appellat μητέρα τῆς θείας ἀναβάσεως, καὶ θεοποιόν, *matrem Divinæ ascensionis, quæ ex homine quasi Deum faciat*; & Apologet. Orat. primâ, ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον, *purum speculum* Dei *ac rerum Divinarum*; & *Sanctuarium quoddam in quo cum Angelis anima versetur, & cum Deo ipso colloquatur?* Facile esset sexcenta hujusmodi proferre; sed Panegyrica non probant: nam quod Basilius & Nazian. de Solitudine, hoc ipsum Tertul. & B. Cyprianus in laudem Carceris dicunt. Cyprianus Ep. 81. ad Rogatianum & Confessores, *beatum carcerem* vocat, *qui homines Dei mittit ad cœlum, & tenebras facit lucidiores Sole ipso.* Pariter & Tertull. in libro Ad Martyres, de Carcere loquens, *Hoc*, inquit, *præstat carcer Christiano quod Eremus prophetis*; *ubi etsi corpus includitur, omnia Spiritui patent: Non videt ibi deos alienos, non imaginibus eorum incurrit, non nidoribus spurcis verberatur, non clamoribus spectaculorum cæditur, non in loca libidinum publicarum oculi ejus impingunt*; *vacat à scandalis, à tentationibus, à recordationibus malis, jam & à persecutione*, & quæ sequuntur. Quid igitur? num Carcer est Ecclesiæ Dei optabilior ob hæc tanta præconia? aut Carcerem putas speculationibus Divinis aptiorem locum quàm domus propria, quàm domus Dei, quia illum in hos usus Sancti Martyres immutarunt? Planè eadem ratio est & Solitudinis. Secularium rerum amorem velut pulverem & fumum esse oculis, quibus à contemplatione Dei prohibentur; velut viscum alis mentis, quod impediat sublimiorem volatum, non negamus: fatemur à Seculo perturbationes animi suscitari, Solitudine consopiri; & in Seculo quamplurima esse, in Solitudine paucissima quæ meditationem interpellant. At non idcirco sequitur contemplationum magistros solos Monachos esse, quia vir sanctus in quocunque loco fore contigerit, Solitudinem ad contemplandum facilè potest invenire; & si non invenire, facere. Celeberrimum est illud Tertulliani, lib. Ad Martyres, *Nihil interest ubi sit in seculo, qui mente est extra seculum*; & vice versâ, Nihil refert quàm longè sit extra seculum, qui mente est in seculo. Non locis perfectio, sed animis est metienda; cùm nemo nesciat multos esse in claustro seculares, aliquósque in seculo Monachos. *Non prodest*, inquit Gregorius, *solitudo corporis, si cordis defuerit*; *& si adsit cordis solitudo, molestia seculi non multùm erunt impedimento.* In Solitudine esse nemo est dicendus qui tumultibus conversationis humanæ & terrenorum desideriorum cogitationibus se inserit, etsi corpore remotus vivat; & in urbe nemo est dicendus qui secularium curarum motus & terrenarum cogitationum strepitum, quasi tot circumvolitantes muscas, abigit, & intra se secretum quoddam sibi cum Domino quærit, quamvìs in medio habitet multorum populorum. Quis nescit S. Job in medio seculi ætatem exegisse suam, & Lothum Patriarcham non modò in medio secularium, sed in medio impiorum? at verò non fuere homines seculi. Non mea est, sed S. Chrysostomi, Observatio, in Gen. 19. serm. 43. Justum illum virum cum uxore & liberis & famulis in Civitate degentem, atque inter tot malos conversantem, luminare magnum fuisse; nec solùm non extinctum, sed clariùs emicuisse, magísque Deo adhæsisse, καθάπερ σπινθῆρά τινα ἐν μέσῳ πελάγει διαλάμποντα, *velut scintillam quandam in medio mari radiantem: ut exinde addiscamus*, inquit, *delirare eos qui dicunt, impossibile esse in media civitate versantem se Deo devovere, nisi in Eremi*

Orat. 21.

Mor. li. 31. cap. 23.

secessum se subduxerit; *cùm revera* οὐκ ἔστιν ὁ τόπος ὁ τὴν ἀρετὴν κατορθῶν, ἀλλ' ὁ τρόπος καὶ ἡ γνώμη, *non locus est qui virtutem constituit, sed mens & mores.* De S. Davide id ipsum Nazianzenus testatur, in Or. 21. quæ est In laudem Athanasii, ὅτι ὁ πρακτικώτατος ἦν, καὶ ὁ αὐτὸς μονώτατος, *& maximè solus erat, & rebus gerendis etiam addictissimus: suo exemplo nos docens, Monasticam vitam* ἐν τῇ εὐσταθείᾳ τοῦ τρόπου μᾶλλον ἢ τῇ τοῦ σώματος ἀναχωρήσει χαρακτηρίζεσθαι, *morum potiùs gravitate & constantiâ quàm corporis secessione exprimi & definiri.* Consimilis huic est illa Monachismi definitio quæ à Clemente Alexandrino redditur, Strom. 7. *Hospes is est*, inquit, *& peregrinus in vita*, (addo, & Monachus, & Eremita, sic enim fortasse loqui voluisset, si in usu tunc temporis hæc vocabula fuissent: verùm eódem recidit) *hospes est & peregrinus in vita*, ὃς πόλιν οἰκῶν, τῶν κατὰ τὴν πόλιν κατεφρόνησεν, καὶ καθάπερ ἐν ἐρημίᾳ τῇ πόλει βιοῖ, *qui in seculo degens, contemnit ea quæ sunt seculi, & vivit in civitate tanquam in deserto.* Consimilis etiam ipsa Aquinatis confessio, qui 2. 2æ, qu. 188. art. 2. resp. ad tertium argumentum, ut Monachos excusaret, quòd dicuntur secularibus immixtos esse, *Sunt*, inquit, *in seculo quantum ad præsentiam corporalem, non quantum ad mentis affectum.* Si Monachus in seculo esse potest corpore, non mente, quidni & quilibet Christianus? Hoc S. Chrysostomus vidit, & observavit ex illo Beatissimi Salvatoris, Mat. 6. 6. TU CUM ORAVERIS, INTRA IN CUBICULUM TUUM, ET CLAUSO OSTIO, ORA PATREM TUUM IN ABSCONDITO. *His verbis ostendit*,
Chrys. Ser. 51. De Christ. prec. tom. 5. inquit Chrysostomus, *quòd ubique adsit pia menti solitudo: adest in ædibus*, οἰκίσκος ἐρημία ἐστί, *conclave est velut eremus; adest in pectore, penetrale animi est velut eremus.* Ut neminem jam latere possit, religiosas animas habere in urbibus, habere in cordibus quod deserto respondeat, & esse in carne extra carnem, & in mundo supra mundum:
Hom. de Eod. quod Faustus de sancto Maximo observavit, *illum sub habitu seculari Christi militem gessisse*; & de S. Martino Paulinus,

Jam meritis Monachus, sed solo nomine Miles;

Hier. ad Sal. De viduitate servanda. & de Nebridio, Salvinæ marito, S. Hieronymus, *Nihil nocuit militanti paludamentum, & baltheus, & apparitorum caterva, quia sub habitu alterius alteri militabat.* Ex quibus omnibus liquet, non minùs ex vita Christiana patere ad Divinam contemplationem aditum quàm ex Monastica; atque in profectu fidei ad eosdem perfectionis gradus pervenire posse cæteros Christianos cum Monachis ipsis, atque aliquoties pervenisse: cùm inter pietatis officia quæ ad Deum ordinantur omnino nullum sit, neque Contemplatio, neq; Oratio, neq; Obedientia, quod non ornare possunt reliqui æquè, imò magìs quàm Monachi, si secundum regulam suam vivant. Hæc propositio prima est, De Officiis erga Deum.

Secunda est de Officiis erga Proximum, & sic instituo; Inter charitatis officia quæ ad bonum proximi ordinantur multa sunt, eáque maximæ necessitudinis opera, quæ præstare non potest Monachus, in quibus se Christiani alii studiosissimè exercent. Cùm dico, non posse, non modò de Eremitis id velim intelligi, sed de altero genere Cœnobitarum. Cœnobitas paupertatis votum impedit nè omnia opera misericordiæ præstent; Eremitas tota vitæ ratio nè ullum opus misericordiæ exhibeant: tota, inquam, vitæ ratio prohibet nè aliis sint usui vel consilio, vel auxilio, vel exemplo; eò quòd ex professo aut vastas sequantur solitudines, aut in antris, speluncis, parietibus se includunt, vitæ suæ solum Deum testem habere cupientes, tantóq; se cœlo propiores existimantes, quanto magìs societatis

tatis

tatis humanæ extorres inveniuntur. Potui illos de Unitatis violatione reos sistere, in quam partem gravissimè peccant, dum tam invisa est eis hominum societas, ut qui plurimos annos hominem nullum viderit, is omnium maximè laude dignus censeatur. Sed Unitate missâ, de Charitate sola contendo, nam in hac ipsi perfectionis essentiam statuunt, eámque adeò deperire videntur, ut in perfectionis gradibus delineandis omnino Fidei nullam faciant mentionem vel Thomas, vel Bellarminus, vel Platus; cùm tamen Apostolus, Rom. 1. 17. ex fide justum vivere contendat, & profectum quendam esse ex fide in fidem. Sed concedamus hoc ipsis, ut in perfectionis cursu nullus Fidei locus sit relinquendus: an apud Monachos major est Charitatis cura? an minor neglectus? Charitatis opera S. Paulus summatim describit, *usibus Sanctorum communicare, non oblivisci beneficentiæ & communicationis:* & Christus in Evangelio, Mat. 25. *Esurivi, & dedistis mihi cibum; sitivi, & dedistis mihi potum; hospes eram, & collegistis me; nudus, & operuistis me; ægrotus & in carcere, & visitastis.* At Eremitæ qui possunt hæc facere, aut ullatenus Sanctorum usibus communicare, quorum commercium vitant cane pejus & angue? Et hi tamen sunt illi quos Aquinas *Cœnobitis antecellere* dicit: & lib. De Monach. c. 39. Bellarm. *ad culmen & fastigium vitæ religiosæ pervenire; neque sperare ab Eremo perfectionem, sed secum ut rem præsuppositam adferre.* Cœnobitas non nego retinere aliqua Charitatis vestigia, at intra suum Ordinem suósque parietes conclusa. Si non ità sit, quæro, cur Fratrum nomina, quorum usus in Ecclesia ab initio promiscuus erat inter omnes Christianos, adeò restringunt & contrahunt, ut Secularem Monachus *fratrem* non dignabitur appellare. Si non ità sit, quæro secundò, Quare à Scholasticis ea quæstio & proponitur & definitur, inprimis à Thoma, Quodlibeto tertio, art. 16. Utrùm Religiosus, si videat patrem esse in necessitate, absque Prælati sui licentia possit Claustrum exire ad subveniendum patri: & paulò pòst concludit, Quia Religiosus est mortuus mundo, deobligatur à cura impendenda parentibus; & ideo non peccat, nec contra præceptum Dei agit, si in Claustro remaneat, parentum ministratione prætermissâ. O Conclusionis portentum! Ecquis est qui non horreat? nam quid restat quo tuta sit charitas, si pietas filiorum in parentes dissolvatur? Postremò, Si non ità sit, quæro adhuc, Cur perfectionis partem magnam in paupertate statuunt; nam si illa ad perfectionem ducat, eleemosyna & misericordiæ opera quid habebunt cum perfectione commercii? Et de Capucinis quidem ac Minimis sperandum est, posse eos aliquando perfectionem consequi, quia revera pauperes sunt, & nihil in hoc mundo habent, nec in proprio nec in communi, sed victum sibi ostiatim emendicant: at de Benedictinis & Carthusianis spes pertenuis, qui solummodo in proprio sunt pauperes, divites in communi, ut cum seculi Principibus divitiis certare possint; quod quid est aliud quàm Deo & hominibus eludere, Votóque ipsi & perfectioni, paupertatémque in specie profiteri nè liberales esse possint? Scilicet si necessitatibus alii premantur, facilis est excusatio, Nihil habemus in proprio; nè ipsos premat, in promptu est remedium, Habemus omnia in communi. O artificium subdolum! non habent, & habent; non habent, & indigere non possunt. Mirum ni illud S. Pauli 2 Cor. 6. 10. didicisse se glorientur, sed perperàm & temere, *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes; sicut egentes, multos autem locupletantes*, hoc est, seipsos. Quid igitur restat quàm ut eodem jure perfectionem profiteantur quo paupertatem, in proprio ut habeant, non in communi? ex quo sequitur, ut

2. 2. q. qu. 188. ar. 8.

si

si in personis sita sit, non tamen in statu. Nos paupertatem propriè intelligimus, non carentiam rerum, sed indigentiam, quæ non dominio solùm opponitur, sed usui, sive in proprio sive in communi; atque contendimus, non rerum proprietatem aut dominium aut usum obstare spiritualibus, sed curam; & hanc quidem non quamcunque, sed suspensam & nimiam. Divitias scimus ancillari ei quæ est in actione virtutis beatitudini, adeóque perfectioni, tanquam instrumenta & adjumenta & ornamenta virtutis, inprimis charitatis & liberalitatis: Egestatem contrà & inopiam vel maximos animos frangere, & in summum discrimen adducere, nisi gratiâ suffulciantur, ut *nihil generosum possint sapere*, dicente Cicerone, *qui quotidiani victûs penuriâ premuntur:* quod in mendicantibus est manifestum; nam hi genus vitæ profitentur & Dei mandatis & charitatis officiis planissimè oppositum, quódq; omnium in se beneficentiam experiatur, suam in neminem exerceat. Interdicit populo suo Dominus, nè sit mendicus inter eos, Deut.15. Imperat ut esurienti panem nostrum demus, & nudum veste operiamus, Ezek.18. Enititur, instat, urget, ut indigentibus quod bonum est impertiamur, quia *beatum est dare potiùs quàm accipere*, Act.20.35. Absque omni dubio beatius, quia palma beatitudinis danti repromittitur. Quòd si ad beatitudinem largitio conducat, non video quomodo fiat ut circumforanei homines ad perfectionem tendant mendicitate, quam illi tamen ut paupertatem altissimam prædicant, prorsus quasi imperfectissimam dicerent perfectionem. Nè multa, ut conferantur hæc loca in compendium, totius rei *οἰκονομίαν* sub oculos subjiciam. Ponatur in summo Perfectio, velut caput scalæ; sub ea, in transversa linea, ad dextram Divitiæ, ad sinistram Paupertas; supponatur utrumque esse posse ad perfectionem vel adminiculum vel impedimentum, prout iis vel bene vel malè utamur: benedictio Divina si adsit, non est in se res mala Paupertas; nisi adsit, in bonis Divitiæ non sunt recensendæ. Si habuero divitias, est laqueus ad dextram in parte concupiscibili, nè augendi desiderio animus flagret: si paupertas urgeat, est laqueus ad sinistram & in irascibili parte & in concupiscibili; illinc de Intolerantia, hinc de Supplemento. Rursus, si paupertate utar sicut oportet, cedit in solatium proprium; si Divitiis, non solùm in meiipsius bonum, sed aliorum. Dic, utrum eliges? aut si vovere alterutrum necesse sit, quodnam erit in votis? quod in privatum commodum cedit, an illud quod præter proprium cedit etiam in publicum? Enimverò dubium non est quin ad perfectionem divitiæ magìs conferant, si quis iis uti cognoverit; neque alicui vovendam esse paupertatem, cùm majus bonum charitatis impediat; aut si vovenda sit aliqua, non alia esset quàm spiritualis illa de qua Christus loquitur, Mat.5. *Beati pauperes spiritu:* quæ quidem non Monachis solis, sed omnibus Christianis est imposita, ut disertè S. Chrysostomus attestatur, in l.3. Adversùs vituperatores vitæ Monasticæ; ubi de Monachis & Secularibus loquens, eandem & unam utriusque vitæ rationem esse ostendit in omnibus, excepto cœlibatu, quia mandata eadem præscribuntur, eadem monita, religio eadem. Non enim dixit Christus, Monachus non jurabit, jurabit Secularis; nec interdixit illis homicidium, & his permisit; nec voluit ut illi renuntiarent mundo, hi nequaquam; non beatos pronuntiavit pauperes voto aut rebus, sed pauperes spiritu, & utrosque eodem instituto vivere voluit, & in charitatis operibus proficere, quod impossibile est ut Monachi præstent, religionis suæ legibus impediti. Hæc secunda est Propositio, Perplurima esse charitatis opera quæ præstare non potest Monachus, & tamen reliquis sunt solennia Christianis. Hæc, inquam, est Propositio secunda, de Officiis erga Proximum.

Cic. apud Dio. Hal. l.4. c.12.

Tertia

Tertia est de Officiis erga Nosmetipsos, hoc modo; Monachorum status, ut in iis quæ Deum & Proximum respiciunt officiis quàm maximè deficit, ità in illis etiam quæ ad bonum cujusque proprium diriguntur longissimè distat à perfectione, & iisdem, aut pluribus, incommodis est circumplicatus quibus cæteræ vitæ conditiones quæ ad eandem vitam aspirant. Ad calcem hanc Theseos partem reservavi, quòd hæc illa est, si qua alia, in qua felicē sibi pollicentur exitū, & certissimò sibi persuadent, tum reprimendi corporis tum animæ poliendæ in suo vitæ genere conspicua fore adjutoria; ut & corpus erudiatur subservire animæ, & anima meliùs corpori imperare.

Ad Corporis disciplinam duo sunt media quæ sibi arrogant, Temperantia, & Continentia; illa ex Regula, hæc ex Voto.

De Temperantia Platus loquitur, propriam ejus sedem esse in Monachismo, lib. 2. cap. 9. qui parco & parabili victu utitur: & nos juxtà cum illo profitemur, cupiditàtum frænum matrémque virtutum esse Temperantiam; sed non puto ejus hodiernos Monachos esse nimiùm conscios, vix enim habent aliquid tam austerum ut veteres illi. Vetera exempla si vera fuerunt, nemo absque stupore legere potest quæ de Paulo & Antonio leguntur. Ego unum tantùm Hilarionem memorabo, quia piget reliquos persequi: Solebat ille, teste Hieronymo, super nudam humum stratúmque junceum usque ad mortem cubitare, herbarum succo & paucis caricis post triduum vel quatriduum deficientem animam sustentare, orans frequenter, & psallens, & rastro humum fodiens, ut jejuniorum laborem labor operis duplicaret; unde attenuatus est, in tantum exeso corpore ut ossibus vix hæreret. De Eremitis aliis testatur Isidorus, de Off. Eccles. lib. 2. cap. 5. quòd herbis tantùm arescentibus victitarunt, aut pane solo, qui eis per certa intervalla temporum deferebatur, vel aquâ contenti erant. Esto hæc omnia verissima; non video quid faciant ad perfectionem: cùm enim à vigore corporis etiam quoad spirituales operationes anima pendeat, necesse est, ut languescente corpore etiam & anima fatiscat, & non minus ab exili corpore vulnus accipiat quàm à pleno. Non nego peccati fomitem ab excessu nasci; non sum nescius profiteri S. Paulum, 1 Cor. 9. ὑπωπιάζειν τὸ σῶμα· sed temere illi faciunt qui ab uno extremo in aliud desiliunt, & mediocritatis nullam habent rationem. Temperantem oportere esse Christianum hominem quis dubitat? sed, ut Apostolus de Sapientia loquitur, usque ad sobrietatem. Aliud est temperantia, aliud feritas; temperantiam servare oportet, sed non hominem exuere: at Eremitæ mores adeò immanes & asperos contrahunt, ut vix homines dixeris, etenim nihil est adeò ἀπανθρωπινον. Contundendum esse Christiano corpus concedo, non destruendum; contundendum, sed exemplo S. Pauli, qui hoc ipsum in laude ponit, Eph. 5. quòd *nullus unquam suam carnem odio habuit*; imò *nutrit ac fovet eam*, *sicut Dominus Ecclesiam:* quòd si quis dum hostem nutrire metuit, civem interficiat, non est ad temperantiam hoc, sed ad temeritatem referendum.

De Continentia sequitur ut dicamus, vel potiùs de Cœlibatu, quem unanimiter extollunt ut statum & Deo gratissimum & perfectioni proximum, præsertim si sub Voto fuerit. In illius laudem non diffiteor multa passim esse à Sanctis Patribus conscripta, quæ Matrimonium elevare videntur infra splendorem Cœlibatûs: at interea non video unde natum sit ut perfectionis medium statuatur. Nam primò, Non positum est medium ex instituto Naturæ: Gen. 2. 18. *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium. Adjutorium* quale? non vitæ civilis tantùm, Creaturæ reliquæ fuerunt hoc sensu in adjutorium; sed vitæ religiosæ adjutorium,

jutorium, vel adjutorium ei in finem hunc propter quem ego creavi eum, hoc est, adjutorium pietatis. Deinde, Non positum est medium ex instituto Gratiæ: nam Patriarchæ sancti & Apostoli, si non omnes, plurimi erant conjugati, quibus nemo unquam exstitit qui propiùs ad perfectionem accessit. Ad cœlibes S. Paulus loquens, bonum eis esse dicit si in eo statu manserint; sed addit, *propter instantem necessitatem*, nè quis absolutè bonum putaret, sed pro tempore, loco, personis, respectivè. Est adjumentum pietatis Cœlibatus, sed non nisi ipsis solis qui Continentiæ donum habent: adjumentum non est, si in fœdos concubitus degeneret; non est, si cupiditatis molestiis aut carnis stimulis opprimatur. Quis enim non videt, facilius esse conjugato liberare se à secularibus negotiis, ut ad perfectionem ascendat, quàm cœlibi carnali istos fluctus componere? Quod si Adversarii videre nolunt, at vidit Sanctus pater Chrysostomus, Ser. 21. in Genesin; *Si nuptiæ*, inquit, *vel puerorum educatio præpedimentum forent in virtutum itinere, nequaquam in hanc nostram vitam nuptias introduxisset Dominus: sed ideo introduxit, quia nihil nos impediunt in Divina philosophia, sed & magnam afferunt consolationem, dum comprimunt insanum naturæ impetum, nec turbari quasi mare sinunt, sed efficiunt ut scapha feliciter in portum appellat:* & Serm. 4. de verbis Isaiæ; *Quoties cum quibusdam de vulgo disserimus, dicentes, Cur non rectè vivis? quamobrem non præstas mores absolutos? Quî possum, inquiunt, nisi divertam ab uxore? nisi valedixero liberis? nisi valere jussero negotia? Quamobrem? num obstat matrimonium? Adjutrix tibi data est uxor, non insidiatrix. Annon habebat uxorem Propheta? neque tamen gratia Spiritûs obstabat Conjugium. Moses nonne uxorem habuit? & tamen is petram dirupit, cum Deo colloquebatur, Divinam iram cohibuit. Abraham nonne habebat uxorem? & tamen pater factus est Gentium & Ecclesiæ: Annon vidisti totum & filii amantem & Dei?* Istis nihil est clarius, ex Chrysostomi sententia, Votivam illam Continentiam non esse sublime medium perfectionis, quæ non minùs matrimonio congruit quàm cœlibatui, ut optimè Clemens, Strom. 7. Accedat & illud, Quòd non solùm in rebus venereis Continentia consistit, nec in uno genere, sed, ut Clemens loquitur, cap. 5. Strom. 3. in quibuscunque aliis rebus quas luxuriosa concupiscit anima: ἐγκράτεια γάρ ἐστιν ἀργυρίου καταφρονεῖν, *Continentia est despicere pecuniam, voluptatem, possessionem, spectaculum, os continere, peccata vincere.* Ratio à Chrysostomo redditur, in 4. de Pœnitentia: Quia *sicut ab adulteriis corpus corrumpitur, sic à malis cogitationibus & perversis dogmatibus anima; ut si quis dicat* παρθένος εἰμὶ τῷ σώματι, *virgo sum corpore, animâ verò invidet fratri, hic non est virgo; virginitatem enim invidiâ vitiavit suam: nec inanis gloria homo est virgo animâ, nec qui odit fratrem suum, nec mendaces & vaniloqui, quia qualibet passio prava virginitatem solvit.* Quòd si juxta has rationes de Continentia loquantur, non negamus eam maximo esse perfectioni adjumento: at hæ non minùs emicare & possunt & solent in Christianis aliis quàm in Monachis. Hæc ratio prima, Monachatus non habet præstantiora media quantum ad Corporis disciplinam.

Secunda est de Prærogativis Animæ: sunt autem multæ quas Monachismo affingunt; quòd vivunt homines puriùs in Solitudine, quòd incedunt cautiùs, quòd surgunt velociùs, quòd mundo magìs moriuntur, quòd in vigiliis, lacrymis, jejuniis, aliísque quæ ad mortificationem tendunt, sunt magìs exercitati, quòd similitudinem quandam cum vita Dei & vita Angelorum acquirunt. Hæ duæ Prærogativæ præcipuæ; quod ad reliquas, non

non magis est Monachorum in iis eminere quàm cujusvis Christiani. Mundo emori potest in mundo positus, & Christo vivere. De similitudine duplici videamus; una est cum vita Dei, altera cum vita Angelorum.

Similitudinem cum vita Angelica Monasticam contrahere dicunt ex Contemplatione; est enim Contemplatio cibus, si quis alius, Angelorum. Sed quid tum postea? Num ex Contemplatione sola perfectio Christiana est dijudicanda? imò magis ex Actione. Sic olim philosophi statuerunt, universam justitiam virtutem esse perfectam, quia usus est perfectæ virtutis. Sic emunctiores inter Papistas Theologi, Hugo à Victoria & Gersonius. *Perfectiones hominis directivæ sunt decem præcepta*, inquit Hugo, in Institutis in Decalogum, c.2. vicissim & Gersonius, in Sermone Ad Ecclesiasticorum cautelam, *Perfectio Christiana est Dei dilectio, in qua qui ferventior est, hic perfectior judicatur.* Quid quòd ipsi Scholastici, etsi apertè perfectionem in Contemplatione ponant, at tacitè eam statuunt in Actione virtutis, & quia in Charitate eam collocant, quæ vitæ activæ summa est; & quia affirmant in Prælatis majorem esse perfectionem quàm in religiosis, propter actionem? quia Prælati sunt *perfecti perfectivi*, ut Thomas 2. 2æ, qu. 184. ar. 7. loquitur, h. e. illi qui alios ad perfectionem ducunt; Religiosi solùm *perfecti perficiendi.* Quòd si in Contemplatione perfectio statuenda esset, at de Perfectione Patriæ oportet ut intelligamus, de Perfectione Viæ nullo modo: & quia in hac vita Contemplatio valde manca est, & multò Actione debilior; & quia ad actionem nos Christus revocat in Evangelio, Joan. 13.17. *Si hæc sciatis, beati eritis si feceritis ea; ostendens*, inquit Ammonius, οὐ ζηλωτὸν εἶναι τὸ εἰδέναι τὴν ἀρετήν, ἀλλὰ τὸ ἐργάζεσθαι, *non esse laudabile scire virtutem, sed operari.* Sed permittamus hoc ipsis, Perfectionem in Contemplatione ponendam esse: num exinde sequetur Monachos solos esse perfectos? An nullus est locus Contemplationi idoneus præter Eremum & Claustrum? Obsecro, an generatim quot ubique sunt Monachi contemplativam vitam profitentur? In tria genera Bellar. lib. de Monachis, c. 3. hunc statum distribuit: Unum eorum qui profitentur vitam contemplativam solam; alterum eorum qui vitam activam solam; tertium eorum qui vitam mistam. Dic unde habeat perfectionem suam hoc secundum Monachorum genus, qui vitam activam solam agunt, si in Contemplatione perfectio statuatur. Enimvero si præcisè loquamur, neque ex actione sola neque ex contemplatione sola perfectio est definienda, sed ex utraque. Sic in l. De liberis educandis Plutarchus, perfectos viros eos esse, qui facultatem civilem norunt permiscere & contemperare cum philosophia; & Greg. Naz. Or. 20. quæ est In laudem Basilii, adeò inter se complicata hæc duo vitæ genera dicit, quemadmodum inter se terra & mare, ut non debeat esse ἢ τὸ φιλόσοφον ἀκοινώνητον, ἢ τὸ πρακτικὸν ἀφιλόσοφον· & ob hoc ipsum S. Athanasium magnopere extollit, Or. 21. quòd inter se hæc duo amicissimè consociavit, καὶ πρᾶξιν ἡσύχιον καὶ ἡσυχίαν ἔμπρακτον, *& tranquillam actionem & actuosam tranquillitatem.* Quibus ità se habentibus, impossibile est ut Eremicolæ perfectionem consequantur, quia ab actionibus virtutis universæ maximopere absunt. Sed æquum est ut de Angelica perfectione taceant, quia nondùm ad humanam pervenerunt. Mittamus hanc similitudinem Angelicam.

Et de Similitudine quam dicunt se habere cum vita Dei, videamus an hæc feliciùs procedat. Similitudinem cum vita Dei Eremiticam contrahere dicunt ex Solitudine; quòd cum Dei vita sit perfectissima, & in seipso solo reperiatur, sequitur ut qui ad vitam Dei propiùs accedunt, quod Eremitis convenit, illorum vita est perfectissima dicenda. Ædepol negandum non est à similitudine Divina perfectionem nostram pendere, ut quò quisque sit Deo

jutorium, vel adjutorium ei in finem hunc propter quem ego creavi eum, hoc est, adjutorium pietatis. Deinde, Non positum est medium ex instituto Gratiæ: nam Patriarchæ sancti & Apostoli, si non omnes, plurimi erant conjugati, quibus nemo unquam exstitit qui propiùs ad perfectionem accessit. Ad cœlibes S. Paulus loquens, bonum eis esse dicit si in eo statu manserint; sed addit, *propter instantem necessitatem*, nè quis absolutè bonum putaret, sed pro tempore, loco, personis, respectivè. Est adjumentum pietatis Cœlibatus, sed non nisi ipsis solis qui Continentiæ donum habent: adjumentum non est, si in fœdos concubitus degeneret; non est, si cupiditatis molestiis aut carnis stimulis opprimatur. Quis enim non videt, facilius esse conjugato liberare se à secularibus negotiis, ut ad perfectionem ascendat, quàm cœlibi carnali istos fluctus componere? Quod si Adversarii videre nolunt, at vidit Sanctus pater Chrysostomus, Ser. 21. in Genesin; *Si nuptiæ*, inquit, *vel puerorum educatio præpedimentum forent in virtutum itinere, nequaquam in hanc nostram vitam nuptias introduxisset Dominus: sed ideo introduxit, quia nihil nos impediunt in Divina philosophia; sed & magnam afferunt consolationem, dum comprimunt insanum naturæ impetum, nec turbari quasi mare sinunt, sed efficiunt ut scapha feliciter in portum appellat:* & Serm. 4. de verbis Isaiæ; *Quoties cum quibusdam de vulgo disserimus, dicentes, Cur non rectè vivis? quamobrem non præstas mores absolutos? Quî possum, inquiunt, nisi divertam ab uxore? nisi valedixero liberis? nisi valere jussero negotia? Quamobrem? num obstat matrimonium? Adjutrix tibi data est uxor, non insidiatrix. Annon habebat uxorem Propheta? neque tamen gratia Spiritûs obstabat Conjugium. Moses nonne uxorem habuit? & tamen is petram dirupit, cum Deo colloquebatur, Divinam iram cohibuit. Abraham nonne habebat uxorem? & tamen pater factus est Gentium & Ecclesiæ: Annon vidisti totum & filii amantem & Dei?* Istis nihil est clarius, ex Chrysostomi sententia, Votivam illam Continentiam non esse sublime medium perfectionis, quæ non minùs matrimonio congruit quàm cœlibatui, ut optimè Clemens, Strom. 7. Accedat & illud, Quòd non solùm in rebus venereis Continentia consistit, nec in uno genere, sed, ut Clemens loquitur, cap. 5. Strom. 3. in quibuscunque aliis rebus quas luxuriosa concupiscit anima: ἐγκράτεια γάρ ἐστιν ἀργυρίου καταφρονεῖν, *Continentia est despicere pecuniam, voluptatem, possessionem, spectaculum, os continere, peccata vincere.* Ratio à Chrysostomo redditur, in 4. de Pœnitentia: Quia *sicut ab adulteriis corpus corrumpitur, sic à malis cogitationibus & perversis dogmatibus anima; ut si quis dicat παρθένος εἰμὶ τῷ σώματι, virgo sum corpore, animâ verò invidet fratri, hic non est virgo; virginitatem enim invidiâ vitiavit suam: nec inanis gloriæ homo est virgo animâ, nec qui odit fratrem suum, nec mendaces & vaniloqui, quia qualibet passio prava virginitatem solvit.* Quòd si juxta has rationes de Continentia loquantur, non negamus eam maximo esse perfectioni adjumento: at hæc non minùs emicare & possunt & solent in Christianis aliis quàm in Monachis. Hæc ratio prima, Monachatus non habet præstantiora media quantum ad Corporis disciplinam.

Secunda est de Prærogativis Animæ: sunt autem multæ quas Monachismo affingunt; quòd vivunt homines puriùs in Solitudine, quòd incedunt cautiùs, quòd surgunt velociùs, quòd mundo magìs moriuntur, quòd in vigiliis, lacrymis, jejuniis, aliisque quæ ad mortificationem tendunt, sunt magìs exercitati, quòd similitudinem quandam cum vita Dei & vita Angelorum acquirunt. Hæ duæ Prærogativæ præcipuæ; quod ad reliquas,

non

non magìs est Monachorum in iis eminere quàm cujusvis Christiani. Mundo emori potest in mundo positus, & Christo vivere. De similitudine duplici videamus; una est cum vita Dei, altera cum vita Angelorum.

Similitudinem cum vita Angelica Monasticam contrahere dicunt ex Contemplatione; est enim Contemplatio cibus, si quis alius, Angelorum. Sed quid tum postea? Num ex Contemplatione sola perfectio Christiana est dijudicanda? imò magis ex Actione. Sic olim philosophi statuerunt, universam justitiam virtutem esse perfectam, quia usus est perfectæ virtutis. Sic emunctiores inter Papistas Theologi, Hugo à Victoria & Gersonius. *Perfectiones hominis directivæ sunt decem præcepta*, inquit Hugo, in Institutis in Decalogum, c.2. vicissim & Gersonius, in Sermone Ad Ecclesiasticorum cautelam, *Perfectio Christiana est Dei dilectio, in qua qui ferventior est, hic perfectior judicatur.* Quid quòd ipsi Scholastici, etsi apertè perfectionem in Contemplatione ponant, at tacitè eam statuunt in Actione virtutis, & quia in Charitate eam collocant, quæ vitæ activæ summa est; & quia affirmant in Prælatis majorem esse perfectionem quàm in religiosis, propter actionem? quia Prælati sunt *perfecti perfectivi*, ut Thomas 2. 2æ, qu. 184. ar. 7. loquitur, h. e. illi qui alios ad perfectionem ducunt; Religiosi solùm *perfecti perficiendi*. Quòd si in Contemplatione perfectio statuenda esset, at de Perfectione Patriæ oportet ut intelligamus, de Perfectione Viæ nullo modo: & quia in hac vita Contemplatio valde manca est, & multò Actione debilior; & quia ad actionem nos Christus revocat in Evangelio, Joan. 13.17. *Si hæc sciatis, beati eritis si feceritis ea*; *ostendens*, inquit Ammonius, οὐ ζηλωτὸν εἶναι τὸ εἰδέναι τὴν ἀρετὴν, ἀλλὰ τὸ ἐργάζεσθαι, *non esse laudabile scire virtutem, sed operari.* Sed permittamus hoc ipsis, Perfectionem in Contemplatione ponendam esse: num exinde sequetur Monachos solos esse perfectos? An nullus est locus Contemplationi idoneus præter Eremum & Claustrum? Obsecro, an generatim quot ubique sunt Monachi contemplativam vitam profitentur? In tria genera Bellar. lib. de Monachis, c. 3. hunc statum distribuit: Unum eorum qui profitentur vitam contemplativam solam; alterum eorum qui vitam activam solam; tertium eorum qui vitam mistam. Dic unde habeat perfectionem suam hoc secundum Monachorum genus, qui vitam activam solam agunt, si in Contemplatione perfectio statuatur. Enimvero si præcisè loquamur, neque ex actione sola neque ex contemplatione sola perfectio est definienda, sed ex utraque. Sic in l. De liberis educandis Plutarchus, perfectos viros eos esse, qui facultatem civilem norunt permiscere & contemperare cum philosophia; & Greg. Naz. Or. 20. quæ est In laudem Basilii, adeò inter se complicata hæc duo vitæ genera dicit, quemadmodum inter se terra & mare, ut non debeat esse ἢ τὸ φιλόσοφον ἀκοινώνητον, ἢ τὸ πρακτικὸν ἀφιλόσοφον· & ob hoc ipsum S. Athanasium magnopere extollit, Or. 21. quòd inter se hæc duo amicissimè consociavit, καὶ πρᾶξιν ἡσύχιον καὶ ἡσυχίαν ἔμπρακτον, *& tranquillam actionem & actuosam tranquillitatem.* Quibus ità se habentibus, impossibile est ut Eremicolæ perfectionem consequantur, quia ab actionibus virtutis universæ maximopere absunt. Sed æquum est ut de Angelica perfectione taceant, quia nondùm ad humanam pervenerunt. Mittamus hanc similitudinem Angelicam.

Et de Similitudine quam dicunt se habere cum vita Dei, videamus an hæc feliciùs procedat. Similitudinem cum vita Dei Eremiticam contrahere dicunt ex Solitudine; quòd cum Dei vita sit perfectissima, & in seipso solo reperiatur, sequitur ut qui ad vitam Dei propiùs accedunt, quod Eremitis convenit, illorum vita est perfectissima dicenda. Ædepol negandum non est à similitudine Divina perfectionem nostram pendere, ut quò quisque sit Deo

proximior, eò etiam & perfectior: quod Proclus Platonicus vidit, c. 25. Instit. Theol. τὸ τελειότερον μᾶλλον τοῦ ἀγαθοῦ μετέχει, *quod est perfectius, id magis participat ipsum bonum*; quod idem est ac si dixisset, Quod est propinquius primo perfecto, illud est perfectius. Sed animadvertere oportet, primò, A vita solitaria similitudinem nostram cum Deo non esse trahendam, sed à bonitate. Solus ille dicitur quia sibi sufficiens, in seipso habitat, nullâ aliâ re indigens in qua aut cum qua requiesceret: at homines etiam sanctissimi, cùm membra sint corporis Mystici, & diversa dona habeant, & singuli suum, non possunt sibi invicem dicere, aut oculus manui, aut manus pedibus, Non necessarii mihi estis. Secundò, Tametsi solus sit Deus, non tamen est solus dicendus; quod Aug. l. 6. de Trin. c. 7. observavit: quia etsi hoc vocabulum *Solus* removeat omne quod à subjecto diversum est, at non excludit consortium rerum ejusdem naturæ; ut Christus in Evangelio, Joan. 8. & Joan. 16. *Non sum solus, sed ego & qui misit me Pater.* Profectò ubi est beatissimum trium Personarum consortium, illa solitudo non est dicenda. Tertiò, Hoc posito, quòd solus erat ante creationem mundi, at perfectissimus cùm esset & nullius indigus, mundum fecit, ut creaturis bonitatem suam & perfectionem ad extrà communicaret & notum faceret; útque ipse quasi perfectiorem statum haberet, non ad intrà, sed ad extrà, non in se, sed in cultu. Postremò, Si esset hæc solitudo Dei imitabilis perfectio, at non sufficit ut quis sit proximior Deo secundum unam perfectionem, nisi etiam sit secundum alias, eásq; ad similitudinem ordinatas. Perfectiones illæ sunt puritas, sanctitas, bonitas, misericordia, & ejusmodi alia. In hoc Dei bonitas maximè elucescit, quòd cùm solus esset, diffundere voluit & communicare bonitatem suam. In eadem cõmunione beatitudinis est Angelorum perfectio, in eadem Sanctorum triumphantium, in eadem Sanctorum militantium, ut sint solatio, ut sint exemplo alii aliis, juxta illud Salvatoris, *Sic luceat lux vestra*; & illud Apostoli, 1 Tim. 4. 12. *Esto exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.* Quæ ratio? Quia unumquodque eò magis bonum quò magis diffusivum. At qui solitudinem Desertorum affectant contra hanc regulam gravissimè peccant, idq; triplici respectu. Respectu Dei, cui gloria nulla, aut ea quàm exigua, ex secessu illo accedit: respectu Proximi, quia nec verbo aliis prodesse possunt, nec exemplo; non habent vitæ socios, sed nec testes; si rectâ eant, non est qui eos sequatur, si aberraverint, non est qui revocet; sibi vivunt, sibi moriuntur, externis omnibus Communionis Sanctorum effectibus amputatis: cùm tamen vita optima sit quæ aliis, iisq; plurimis, inserviat; & is dicatur Vivere, qui multis est usui: quod Seneca & Cicero observarunt, Neminem sibi soli natum, sed omnes ad cœtum genitos & societatem, ut, velut in ædificio lapides, sustineant alii alios, &, quasi fermentum, multos ad imitationem sui trahant. Agnosco curarum laborúmq; portum solitudinem esse; sed potest esse vitiorum latibulum, cùm non sit aliquis vitæ nostræ conscius: quod Arrianus in Epictetum observavit, *Nisi*, inquit, *mens virilis fuerit, cùm soli sunt homines, pueris similes sunt, qui testulas arripiunt & pulverem, & primùm ædificant, deinde destruunt, ac tum denuo exstruunt; & nihil agentes, nunquam deest illis quod agant.* Agnosco immunem esse solitudinem ab injuriis seculi; sed multò gloriosius est in medio earum esse, & fortiter pati; si non est qui feriat, quis erit qui vincat? Agnosco tranquillitatis asylum solitudinem, sed etiam affectuum pravorum suscitabulum. *Omnia nobis mala solitudo persuadet*, inquit Seneca, Ep. 25. Sed nec ille solus hoc dixit, verùm ab exemplo Christi interpretes omnes, de loco occasionem tentandi Christum cepisse diabolum, atque tum maximè nos aggredi cùm solitarios videt. Ipse Aquinas *periculosum* esse dicit *incipientibus*,

pientibus, 2.2^æ^, qu. 188. art. 8. Gersonius verò, *certissimum quamplurimos solitudinem præcipitasse, quos tutius fuerat in seculo remansisse: In solitudine citò subrepere superbiam & fastum, ut putent se, si hominem non viderint, alicujus esse momenti; ut abstracti ab hominum frequentia, sordidis & impiis cogitationibus pateant, & pleni arrogantiæ & supercilii cunctos despiciant.* *Gers. De erroribus circa art. magic.* *Hier. Ep. 4. ad Rusticum, & Ep. 8. ad Demetriadem.*

Quæ cùm ità sint, non longè sumus à Definitione quæstionis, eritq; disputationis longæ brevissima solutio; Quòd cùm Monastica vita nec tutior sit, nec sanctior, nec pietati accommodatior quàm vita Christiana, nec perfectionem magis promoveat, nec plures gradus transiliat, sive in Officiis quæ Deum, sive quæ Proximum, sive quæ Nos ipsos respiciunt, sequitur ut neque vita sit perfectissima, neque medium perfectionis convenientissimum, neque ullatenus nobis exemplo Christi commendatum.

LECTIO VI.

Tunc ductus est à Spiritu.

DE Loco certaminis omnium gloriosissimi inter Redemptorem humani generis & hostem quæ dicenda erant jampridem audivistis; fusiori fortassis calamo quàm Historica verborum ratio, non quàm Theologica, postulavit, abstrahente me huc & illuc necessariâ rerum consequentiâ, & à deserto in desertum ducente, à deserto Christi in desertum Monachorum. Ad reliquas nunc circumstantias patefaciendus est aditus; ad Tempus in quo pugna suscepta est, & Præconem qui bellum indixit, & ipsius Qualitatem certaminis: in quibus singulis pertractandis Documentorum ampla messis erit, Controversiarum aut nulla aut quàm exigua, donec ad quadraginta dierum Jejunium pervenero. Disputationum materiam hæ tres appendiculæ non subministrant, sed Observationum. Utcunque fuerit, quamplurima sunt etiam in illis ad bonam frugem ducentia; sicut habent & Christi minima virtutem suam: neque erit incommodum, ut mutato verbo S. Ambrosius loquitur, *Dominicis inhærere Minoribus*. Ex istis Minoribus primum quod introspiciendum occurrit est Tempus certaminis, adverbiali particulâ indicatum, τότε, *Tunc ductus est*. Vis ejus non ex Significatione, sed ex Consignificatione petenda est; in se non magni est momenti, concomitantiis adjuncta maximi. Quapropter in ea sola perscrutanda totius hujus diei negotium collocabo, & sub triplici notione considerabo, Communi, Propria, magis Propria. Ad diem mensis nos Propria notio revocat; ad ætatis annum, Communis; Magis propria, ad ordinem Ministerii, & alia gesta Tentationi contermina. *Ambr. Præf. in Luc. 4.*

Exordior à notione Propria, quæ Mensis diem indigitat quo inceptum hoc magnum Christus est auspicatus: & illum quidem perbreviter attingam, quia adeò incerta est ipsius definitio, ut neque ratione indubitatâ nec certo calculo Chronologiæ possit circumscribi. Epiphanius, Advers. hæreses l. 2. to. 1. Hær. 51. contendit acriter, & sæpius urget, baptizatum Christum fuisse & tentationis prælium suscepisse, si Ægyptiorum mensium rationem habeas, die duodecimo mensis Athyr, h. e. octavo Novembris die juxta

computationem nostram. De Basilidianis Clem. Alex. Strom. 1. testatur, eos diem Baptismi, adeóq; exordii tentationis, celebrare die quintodecimo mensis Tybi, h.e. decimo die Januarii. Theobaldus Menschius, l.2.Chronol. Sacræ, c. 4. à Jordane in desertum se contulisse asserit die decimo Tisri, sive Septembris. Elias Reusnerus in Isagoge Historica, à die octavo Octobris, atque ibi mansisse usque ad decimum septimum Novembris, quod quadraginta dierum spatium in se comprehendit. Denique & alii, quos loco supradicto Clemens memorat, incepisse eum hoc vitæ Evangelicæ institutum die undecimo mensis Tybi, h. e. Januarii sexto. Hos Chronologiæ scrupulos aliis enucleandos relinquo, & hanc de sexto Januarii sententiam libentiùs sequor; tum quia in Ecclesia hæc sententia ferè obtinuit, tum quia in hac parte Patres penè omnes conveniunt, ut eodem die mensis ad desertum se contulisse putetur quo à Joanne sit baptizatus, quo adoratus à Magis. Ad sua tempora id Ecclesiasticâ traditione defluxisse testantur S. Maximus, in Sermone de Epiphania Domini, & Isidorus, l. 1. de Offic. Eccles. c. 26. & S.Bernardus, Ser. 1. de Epiphania Domini. Quid quòd Hieronymus in caput primum Ezechielis idipsum pro concesso sumit? Mihi magnopere placet illud S. Maximi, *Januarii sexto quid potissimùm factum sit novit ipse qui fecit; nos tamen credere, nec dubitare debemus, quicquid illud est factum, pro nobis factum, esséque hunc diem virtutis ejus quasi alterum Natalem.* Consultò dixit *Natalem*, propter cœlestia testimonia, & inchoatas victorias, & pulcherrimi facinoris exordia. Est enim apud antiquos solenne, diem quemcunque trophæis aut lætitiâ insignem *Natalem* vocitare. Sic diem quo erat ab exilio revocatus *Natalem reditûs sui* Cicero appellavit: & regressûs captivi filii diem Plautinus Hegio *Natalem vitæ*; *Dii immortales*, inquit, *iterum natus videor, si vera autumas.* Quid quòd & Ecclesiasticis Scriptoribus mos idem loquendi incessit? nam diem Cœnæ Dominicæ *Natalem Calicis* Paschasius dicit; & diem Ordinationis Felicis Episcopi *Natalem Felicis* Ambrosius, l. 1. Ep. 5. & primum Veris mensem, cùm terram Sol radiis de novo exhilarat, *Natalem telluris* Arnobius l. 7. Hæc omnia ea potissimùm de causa, quòd non minùs jucundi sint nobis illi dies quibus in honore & observantia habemur quàm quibus nascimur. Eodem, imò verò æquiori, privilegio atque indulgentiâ loquendi, hunc sextum Januarii *Natalem manifestationis*, *Natalem victoriarum*, *Natalem ministerii beatissimi Salvatoris* S. Maximus appellavit. Est enim utrinque aliquid, & in die & in mense, memoratu dignissimum. In die, quòd eum ex multis selegerit ad Evangelicæ vitæ præludia; quòd eum solenni suæ inaugurationi reservaverit; quòd in eo insidentis Columbæ & paternæ vocis præconia acceperit; quòd in eo Magos è Satanæ laqueis quibus implexi tenebantur ad fidei usque professionem evolverit; verbo, quòd in eo Satanam ipsum, ídque in loco & solio suo, ad pugnam provocaverit, dearmaverit, vicerit. Augustum Cæsarem hoc sexto Januarii triplici triumpho Romam ingressum esse Historici observant, & ab hoc die potestatem summam & fuisse penès ipsum, & permansisse. At hoc plebeium est & proletarium, si de amplissimis triumphis Christi loquamur, qui hoc ipso die, præter Magorum spolia diabolo priùs detracta, trophæa bina clarissima posuit; unum in Jordane, de peccato, aliud in Deserto, de Tentatore. Hoc illud est quod dixi de Die esse observandum.

Cic. l. 3. ad Attic. & Ora. pro Sextio.
Plaut. in Cap. Act. 4.
Pasch. De corp. & sang. Domini.

Deinde, quod spectat ad Mensem, brumale tempus erat, nivibus infestum cœlíque asperitatibus, quando gelu durescit terra, &, frigore velut cote acuminatus, pulmones saucians aer trahitur, atque longæ ducuntur noctes; inter imbres, nimbos, procellas, turbines, cæteràsque tempestates: in desertum, squalidissimum locum, hoc asperiori tempore Christus se contulit, non lectum,

lectum, non sedeculam habens quibus discumberet, non tugurium aut tentorium quo ab hac intemperie tegeretur. Quæ hujus mysterii ratio est? Fortassis illa, Ut victoria splendidior esset, quæ ex manu hostis non modò loco impari, sed durissimâ etiam tempestate, extorqueretur; aut illa, Ut jejunium magis claresceret, esuriei asperitatem asperitate temporis duplicante; aut denique illa, Ut præviâ asperitatum tolerantiâ contra injurias seculi quæ postmodum occurrerent se muniret atq; præpararet. Prospexit penitus quali comitate eum Scribæ & Pharisæi exciperent, eâdem scilicet quam sancti & religiosi viri in mundo plerumque consequuntur: contemptus, fastidium, irrisio, calumnia, insectatio, probrum, hæc erga homines pios humana est benevolentia; ut verè, cum S. Job, Militiam eorum vitam dixeris, vel potiùs Tentationem. Quod egregiè ab Hieronymo ab Oleastro est animadversum, in Num. 8. 24. *Hæc est lex Levitarum, à viginti quinque annis & suprà ingredientur ut ministrent in tabernaculo fœderis*, sic Vulgata editio legit; at Pagninus & Tremellius, juxta Hebraicam veritatem, rectiùs, *A viginti quinque annos nato, & deinceps, ingredientur ad militandum militiam in opere tabernaculi Ecclesiæ. Sæpius*, inquit Oleaster, *mirari mecum cœpi, cur qui ad serviendum Domino venit, dicatur venire ad militandum: verùm justissimè hoc factum esse credendum est, quia nemo est qui dicere queat quot oppositiones, objecta, contradictiones hodie patiuntur qui se Dei ministerio tradunt, & piè in Christo vivere volunt; armatus videtur orbis universus adversus eos, ità ut milites, & plusquam milites, imò & Martyres oporteat esse qui ad obsequia Divina propiùs accedunt.* Hoc Christus præscivit, & idcirco ad Ministerium suum velut ad militiam se paravit: locorum ut erat, ità & temporum suorum arbiter atque accuratissimus observator. In Nazareth concipi voluit, hoc est, *florilegio*, flos de radice Jesse; in Bethlehem nasci, *domo panis*, civitate David, panis cœli, filius David; in Deserto tentari, vermis hominum, ab hominibus deserendus; Jerosolymis mori, *visione pacis*, princeps pacis. Hæc selectio Locorum erat. Similisque selectio Temporum. Nam Concipi voluit 25 die Martii, ut Athanasius ostendit, in mysterio, quia eodem die primus homo erat creatus: Nasci voluit eo tempore quo universus Orbis ad pacem universalem indicandam describeretur; hoc etiam in mysterio, *ut orbe pacato, pacis perquisitor nasceretur; & cùm mundus describitur, qui electos scribit in æternitate*, ut Gregorius loquitur: Mori voluit tempore Paschatis; hoc iterum in mysterio, Agnus enim Dei erat, Agnus typicus, Agnus immaculatus, & *Pascha nostrum Christus, qui immolatus est pro nobis*, 1 Cor. 5. 7. Porrò, & Spiritum Sanctum misit in die Pentecostes, pariter in mysterio, ut Lex nova veteri responderet; illa post quinquaginta dies ab egressu de Ægypto scripta fuit in tabulis lapideis, itidem & hæc post 50 dies à Christi Resurrectione scripta est in tabulis cordis: Postremò, ad certamen se accingit hyemali tempestate, tempore duro, sævo, acerbo; ut contra sævitiã & inclementiam hominum sese exerceret, præcognoscens quàm duriter & immisericorditer eum essent tractaturi. Hæc Temporis seligendi ratio, quantum ego conjecturâ auguror. Atque hæc sufficiant de temporis respectu primo dixisse, de die Mensis, ad notionem Temporis primam spectante.

Qu. 17. ad Antiochum.

Secunda sequitur, de Anno ætatis, sub notione Communi comprehensa. Circa annum duo certa sunt ex Evangelio; exiisse Christum in desertum excurrente anno decimoquinto Tiberii, ut habetur Luc. 3. 1. & exiisse eum circa trigesimum ætatis suæ annum, ut ait idem Evangelista c. 3. 23. *Erat Jesus incipiens quasi annorum triginta.* Sed quia hæc verba variam admittunt expositionem, hinc variæ opiniones natæ sunt. Una est Cardinalis Cajetani, qui tempus Baptismi & Tentationis ad 29 ætatis annum retroducit,

quia dicitur, *quasi annorum triginta*, hoc est, ipso interpretante, prope inchoationem trigesimi anni; non enim dicitur incepisse tricesimum annum, sed *ferè* incepisse. Altera est opinio quæ ad trigesimum annum tempus rejicit; verùm cum aliquo discrimine: nam Euseb. lib. 1. Eccl. Hist. c. 10. & Irenæus, l. 2. c. 39. quos Pererius Jesuita sequitur, initium intelligunt anni trigesimi; Epiphanius Hær. 51. cui Corn. Jansenius astipulatur, trigesimi finem & exitum, *Triginta*, inquit, *erat annorum*, ἀλλ' οὐ πλήρεις, *non eos habuit plenarios, sed mancos, & cum duorum mensium defectu*. Tertia opinio sub initio anni trigesimi primi tempus constituit, quia tunc triginta annorum quis dicitur esse, quando annum trigesimum undiquaque implevit. Est hæc communior sententia & Sanctorum Patrum & optimorum Chronographorum, quòd per duodecim dies excesserat annum trigesimum: neque obstat quòd ab Evangelista dicitur, fuisse eum *quasi* vel *ferè annorum triginta*; nam hæ particulæ non semper ponuntur dubitativè, sed sæpe assertivè; neque semper diminutionem significant, ac si deesset aliquid ad numerum complendum, sed potiùs aliquid superesse. Sic Joan. 1. 14. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti Patris:* affirmantis particula *quasi* est, non dubitantis aut diminuentis; nec similitudinem notat, sed veritatem, ut Mor. l. 18. c. 4. Gregorius observavit. Sic Exo. 12. 37. Hebræorum numerus qui ex Ægypto egressi sunt *ferè* vel *circiter sexcenta millia virorum* reputatur: ubi illud *ferè* non significat defuisse aliquot ad explendum numerum sexcentorum millium, sed potiùs aliquot ei numero superfuisse; quia liquet ex Num. 1. 45. plenum & integrum eorum numerum fuisse sexcenta & tria millia, supérque quingentos & quinquaginta, præter eos qui eodem anno propter adorationem vituli interfecti fuerunt. Et hunc verborum sensum prolixè tuetur Scaliger ex vi textûs Græci, l. 3. Can. p. 2. num. 102. Apertè etiam illud Patres testantur: Ignatius in Ep. ad Trallianos, quæ omnium confessione genuina est, baptizatum eum dicit *cùm tres annorum decadas explevisset*, τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτευσάμενος· & Chrys. Ser. 1. in Matthæum, & ex ipso Euthymius, μετὰ τριάκοντα ἔτη ἐπὶ τὸ βάπτισμα ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς, *post triginta annos venit ad baptisma*; Epiphanius etiam, Hær. 51. paragrapho 27. *baptizatus est* μετὰ τὸ πληρωθῆναι τριακοστὸν ἔτος, h. e. *post trigesimum annum completum*, vel *trigesimo anno jam elapso*; & Hær. 66. sect. 50. *Anno decimoquinto Tiberii prædicationem exorsus est*, μετὰ τριακοστὸν ἔτος τῆς αὐτοῦ γεννήσεως, *post annum à nativitate trigesimum*. Hieronymus, prætérquam quòd in caput primum Ezechielis triginta annos eum natum pronuntiat cùm ad baptismum, adeóque ad desertum, venerit, in Sermone de Epiphania Domini triginta eum annorum ætatem explevisse asserit priusquam eum mundus ex baptismo cognoverit. Denique & Bernardus, Ser. 1. in Epiph. Domini, *Cùm*, inquit, *triginta annorum tempus Christus exegisset in carne, inter populares turbas ad baptismum Joannis advenit.* Ut nihil interea dicam de aliorum Patrum testimoniis, ex quibus est manifestum tricenarium eum ad baptismum accessisse. Sic Irenæus l. 2. c. 39. *Triginta annorum exsistens ad baptismum venit*; & Ven. Beda, li. De rat. temporum, c. 45. *Triginta annorum erat baptizatus*; & August. l. 15. de Trin. c. 26. *Triginta erat annorum à Joanne baptizatus*; Greg. Naz. Or. 40. quæ est In Sanctum Baptisma, Χριστὸς τριακονταέτης βαπτίζεται· est autem τριακονταέτης *tricenarius*, vel *tricennalis*, qui triginta annos integros exegit, si præcisè loquamur. In hanc ego, ut verissimam, sententiam non possum non discessionem facere, cùm sit & probabilior & communior, & beati etiam Ignatii testimonio confirmata, qui cùm Christi tempore vixerit, eúmque, ut testatur Hieronymus, in carne viderit, quo ætatis anno baptizatus fuerit facilè ignorare

Perer. l. 11. in Dan. 9. 6.

rare non potuit. Quanquam revera non videam quid capiat doctrina fidei detrimenti, sive ad exordium, sive ad exitum trigesimi anni, sive, quod veri magis simile est, ad trigesimi primi ætatis suæ anni inchoationem hunc in desertum secessum referamus. Verborum igitur sensus hic est, *Ductus est in desertum Tunc*; hoc est, quando ex parte sua triginta annos & quod excurrit compleverat, tunc in arenam descendit, & primum publici muneris vestigium in singulari hoc certamine collocavit. Quæ putas est ratio? Rationes si quis quærat quare hunc vitæ annum selegerit, duæ sunt, ut ego conjicio.

Prima est, Ut in hac ætate reliquas ornaret & sanctificaret, quia in hac una reliquæ continentur. Non mea est, sed Irenæi, l. 2. c. 39. *Per omnem venit ætatem, ut omnem sanctificaret ætatem*; infantibus infans factus, sanctificans infantes; parvulis parvulus, sanctificans parvulos; juvenibus juvenis, sanctificans, & exemplum pietatis se præbens juvenibus; senioribus senior, h. e. viris vir, secundum ætatem suam sanctificans viros, & exemplum eis exhibens: usque ad senectutem non descendit, duabus de causis. Primò, Propter intervenientia Obstacula. Tria erant quæ obstabant: Prædictiones Propheticæ de morte ejus, quæ cùm constitutum impletionis tempus haberent, senectutis moram præstolari non poterant absque præjudicio veritatis: Apostolorum ministerium, qui cùm ad conversionem orbis mittendi erant, idque post Ascensionem Domini, eo fungi munere nullatenus poterant si exspectassent dum Christus senesceret, ipsi simul senio confecti: denique & ipsum Salvatoris Institutum impediebat, qui in salutis opere peragendo impatiens erat crastini, minimæque cunctationis, avidusque non victoriæ solùm sed celeritatis, *Coarctor usque dum perficiatur*; sunt ipsius verba, Luc. 12. 50. Equidem necessarium erat ut senectutem præoccuparet qui tam alacri impetu ferebatur; obrepentis senectutis lentitudini festinatio illa non congruebat. Hæc ratio prima, Propter impedimenta.

Secunda sumitur ab Indecentia; Quia erat incongruum ut ejus sanctissima caro corruptionem videret, nè mortua quidem, dicente Apostolo, multò minùs viva & animata; quæ tamen est res contigua senectuti. Incongruum erat ut infirmitatibus istis se subjiceret, quanquam illas alteras infantiæ susceperat. Audiamus Baptistam, ipse sit hujus quæstionis arbiter, qui de Christo sic loquitur, Joan. 3. 30. *Illum oportet crescere, me autem minui.* Obsecrò quid illud est *Crescere*, nisi quod S. Lucas, cap. 3. ver. ult. *Crescebat staturâ & sapientiâ?* Utrumq; jungit, hoc, quia non erat possibile ut sapientiâ; illud, quia non erat consentaneum ut ætate decresceret, qui omnis solus est author incrementi. In hujus rei testimonium S. Augustinus annotavit Joannem fuisse decollatum, Christum crucifixum; obtruncatus Joannes decrevit in capite, Christus exaltatus crevit in Cruce. A nativitate idipsum S. Ambrosius colligit, quòd quando Joannes natus est, dies deficerent; cùm Christus, habebant augmentum. Neque enim æquum erat ut senectutis defectione premeretur: Posse senescere habuit ex natura hominis; nè senesceret, ex Divinitate Mediatoris. Totius Scholæ una est eáque rectissima definitio, quòd infirmitates naturæ nostræ assumpsit, non personæ, ut ægritudines & morbos: assumpsit ea quæ erant ἀδιάβλητα, ut Damascenus loquitur, l. 3. c. 20. at erant nonnullæ passiones *detrectabiles*, ut Durandus loquitur, l. 3. d. 15. indignæ Christo, quarum aliquas non assumpsit ullatenus, alias verò potentialiter assumpsit, non actu, ut senectutem. Posse senescere, & posse mori, à matre contraxit, ut si morte violentâ sublatus non fuisset, proculdubio fuisset tandem senectute defecturus ac moriturus: sed noluit senescere, quia non erat decorum; non congruebat ipsius excellentiæ &

plenitudini, quia ipsa senectus est morbus; neque erat expediens, quia ipsam senectutem in virili ætate sanctificavit. Propterea ad maturam ætatem ascendit, & non ultrà. Hæc prima est Ratio.

Secunda est, Quia hæc ætas est ætas consummata atque perfecta. Hæc à Gregorio Nazianzeno redditur, Oratione quadragesimâ, quia habet hæc ætas τελείαν βάσανον τῆς ἀρετῆς, καὶ τοῦ διδάσκειν καιρόν, *plenum virtutis argumentum, docendique maturitatem:* nec non ab Hieronymo, in Ezech. c. 1. *In homine perfecta est hæc ætas, sive ad docendum, sive ad pugnandum; tum roboris vigor se prodit simul & sapientia.* Non quòd ætas aut apud Deum æstimetur, aut à Christo exigatur, qui à primo incarnationis momento summam Spiritûs Sancti habuit plenitudinem; sed partim ut nobis exemplo esset, partim ut adversariis os obstrueret, decebat eum qui omnes ad se esset pertracturus sua singula tam prudenter dispensare atque disponere, ut neque inimici haberent quod raperent in calumniam, neque alumni & sequaces quod in malam traherent imitationem. Hoc Christus à longinquo prospexit, quòd, cùm esset Divinâ lege cautum, Num. 4. 3. ut non nisi à trigesimo annò Sacerdotes inciperent in Tabernaculo ministrare, si ante hos annos ad Doctoris munus se accingeret, foret ut eum obtrectatores velut Legis violatorem coarguerent. Prospexit multos futuros homines temerarios, qui in sacra & officia & certamina absque cumulato aut annorum aut donorum apparatu præcipiti saltu desilirent; cùm tamen utrinque, & magnæ molis prælium sit Tentatio, & adeò formidandi laboris opus Sacerdotium, ut novitiorum humeri sustinere non valeant. Nobis igitur est exemplo, & duo sunt Documenta quæ nobis frugi erunt, ex Communi hoc temporis respectu elicienda.

Documentum primum hoc est, Non omnis ætas est Militiæ Christianæ idonea, nec cujusvis est in pugnam se cum diabolo aut instrumentis ejus immittere; sed certo & erecto animo opus est ad hos incursus sustinendos; quibus ferendis cùm se scioli impares sentiant, statim aut succumbunt, aut fugiunt. Ex ore lactentium potest Deus & laudem suam perficere & fidei
Ep. 56. causam communire; potest, quod de Sanctis Innocentibus Cyprianus dicit, *ætatem inhabilem ad pugnam habilem facere ad coronam*; potest peritos victoriâ facere qui sunt imperiti sermone, & efficere ut simul sint triumphare & vivere. Verùm meminisse oportet, interesse multum inter arrogantiam & fidem. Submissæ infirmitati adesse Deus aliquando dignatur, temeritati nunquam: parare nosmetipsos jubet ad pugnam, non in pericula irruere; cùm nemini ruina propior sit quàm de suis viribus præsumenti. Hoc S. Petri nos exemplum docet, si penficulatiùs consideremus. Is tyro cùm fuerit ac sciolus, veteranum se existimavit & invictum; ergò virtuti suæ confidens sublatiùs gloriatur, *Quamvìs omnes negaverint, quamvìs fuerit mihi tecum moriendum, non negabo te.* Attendite, obsecro, quæ sunt consecuta. Ductus est Jesus ad principem Sacerdotum, & vinctus in judicio sistitur. Sequitur Petrus, quamvìs à longinquo. Illud egregiè. In atrium Sacerdotis, veniâ priùs impetratâ, ingreditur. Audax facinus! Accedit ad focum, & fidens animi, virtutique suæ subnixus, cum calefacientibus calefaciebat se. Quousque, invicte? Exaudit verba ancillæ dicentis, & percontantis, *Numquid tu unus es ex discipulis ejus?* Nunc quid agitur? quid est quod respondet? Dixisti quod res est, Unus ego sum, imò primus ex illis; non me pudet Dominum meum dicere quem suum Angeli confitentur? Nihil minùs; negat, pernegat, dicta iterat, malúmque sibi comprecatus discipulatum ejurat, *Non novi quid dicis, Non novi hominem.* O virum fortem! ô Discipulorum decus! ô fidei promissíque memorem! Quid agis, ô Petre,

futuræ

futuræ Rector Ecclesiæ? quid loqueris? Hoc illud est quod in te persanctè receperas? Hæccine fiducia tua? Hæ fortitudinis primitiæ? Quid est quòd trepidas? Cogita, quis est qui te interrogat? non Pharisæorum aliquis aut Scribarum, non centurio, non miles, non spiculator, non custos carceris te adoritur: mulier tantùm, &, quod minus est, puella, & ostiaria, abjectum mancipium; & simplici voce te interrogat, nec proditura confessum. O res stupenda! Videsis tyrocinii pusillanimitatem: fidem Petri nondum aliquis tentavit, adversariorum nemo persequitur, nemo trahit ad publicum, ad minas nondum est processum, non ad flagella, nondum sunt admota tormenta; & Petrus ancillulæ voce consternatus ad suspicionem vulneris pallescit, atque puellulæ labiis immobilis Columna concutitur. Enimvero non inscitè à S. Chrysostomo est animadversum, non absque Divina mente & providentia factum ut omnes Evangelistæ Petri negationem concorditer scriberent, ut nos docerent quantum novitio malum sit in se confidere, cùm Petri soliditatem non turbo aut imber, sed roris levissima gutta, & umbra periculi, & auræ tenuis sibilus transfixit. Quæ ratio? Præstò est: nondum erat Petrus triginta annorum, novitius, tyro; aut si cæteris ætate grandior, at infans gratiâ, miles adeò inexercitatus, ut mirum non sit si primum impetum ferre non valeat. Hæc nostrum est nobiscum sæpius commentari, Non cujusvis esse hanc pugnam capessere, nisi satìs ætatis habeat, & multorum annorum decursu in spiritualem virum evadat, qui plenus est virium; nè Saulis illud ad Davidem fortasse audiat, *Tu puer es, neque vales resistere Philistæo illi, nec pugnare adversus illum:* sin minùs, Salvatoris nos saltem exemplum erudiat, qui cùm esset etiam ab utero ingens animi & viribus exsuperantissimis, at ad deserti & seculi certamina se non contulit antequam ad ætatem maturissimam pervenisset, ut nobis specimen daret, non nisi ætate provectos in hanc arenam esse deducendos. Hoc Documentũ primum.

Documentum secundum non multum est absimile, In Sacerdotii ministerium neminem esse cooptandum nisi qui virtutis aliquam, ætatis perfectam maturitatem habeat. Quæ sit ætatis maturitas si quis roget, à Christo discat: exemplum ejus loquitur, ætatem perfectam & masculam esse triginta annorum, etenim hâc ætate ille Ministerium suum ordiebatur, nos docens, ut inquit Cyprianus, *Hoc tempus esse rationabile prædicandi; nec antè suscipi* Cypr. De jej. *debere concionandi provinciam quàm fuerit perventum ad perfectionem*, καὶ jun. & tentat.
τῆς πνευματικῆς καὶ τῆς σωματικῆς ἡλικίας, ut Nazianz. loquitur. Suffragatur Naz. Or. 39.
ratio, Quia usq; ad illud tempus, ut annotatum est à Dionysio, proficit homo in rationis vigore ac viribus corporis: cùm infantia sit ætas infirmitatis, & Euthym. in c. 3. Matth.
pueritia insipientiæ, & juventus intemperantiæ; ætas hæc solidæ atque perfectæ prudentiæ est. Quod ab Altitudine Templi Beda Venerabilis illu- Bed. in Luc.
strare conatur; quia ut altitudo templi triginta cubitis mensuratur, 1 Reg. 6. 2. 1. 10.
ità mensura hominis triginta annis in altitudinem surgit. A Resurrectione S. Hieronymus & S. Augustinus; quòd in hac ætate, nec ultrà nec infrà, corpora Hier. in Epit. Paulæ.
mortuorum sunt resurrectura, in ea scil. ætate ad quam Christum pervenisse Aug. in Civ.
dicitur. Consentiunt authores & seculares & sacri. Id Solon Lege sanxit, nè quis juvenis ad Magistratum admitteretur, quamvìs prudentissimus videretur, διὰ ἀμελετησίαν τῶν ξυμφερόντων, *propter inconsiderationem rerum utilium*, Stob. Ser. 114. Cùm Socrates apud Xenophontem quæreret, Ad quot us- Xenoph. lib. 1. Memorab.
que annos existimandum sit homines esse juvenes, Charicles respondit, p. 717.
Quousque Senatoribus esse non licet, ad annum viz. trigesimum. Non Atheniensium solummodo, sed & Romanorum eadem erat sententia, à quibus lege cautum erat, Nè quispiam ante trigesimum ætatis annum aut Consul efficeretur aut triumphum duceret: & utcunque de Mario Marii Arpinatis filio

filio legimus, eum annos natum viginti Consulatum invasisse; at eum honorem velut immaturum mater flevisse dicitur, & Romana juventus sic irrisisse, *Remigem esse priùs oportet, quàm ad gubernacula dimovere manus.* Judæorum hanc fuisse sententiam nemo dubitabit. Nam præterquam quòd à Mose ea lex est conscripta, ut Levitæ non admitterentur ad opera Tabernaculi nisi trigesimum ætatis numerum in annis consummaverint: etiam Rabinorum traditione cautum est, Nè quis unquam auderet exordium libri Geneseos, vel Canticum Canticorum, vel prima octo capita Ezechielis, propter arcanos sensus, legere, nisi trigesimum ætatis annum implevisset; eò quòd hanc ætatem virilem existimarent, & perfectam, & propter prudentiam atque constantiam ad præclara munia, sive Civilia sive Ecclesiastica, cómmodissimam. Hinc de Josepho Patriarcha Hieronymus in observatione posuit, eum tricenarium jam factum regni Ægyptiaci gubernacula suscepisse; in signum Christi, ut Hieronymus loquitur, eodem ætatis anno regiminis sui primordia à deserto ducentis. Quod idem in S. Davide videre est, qui licèt priùs sacro ceromate delibutus erat, at regni Sceptrum non priùs attigit quàm ad annum trigesimum decurrisset; quia hæc ætas, ut Juristæ loquuntur, ἔννομος ἡλικία ἐστὶ, *est ætas legitima*, hoc est, ut Concilium Agathense loquitur, Can. 17. *perfecti viri ætas*. Quod si in Reipublicæ administratione teneat, in Ecclesiæ multò magìs; quia in nullo vitæ genere virtutum perfectio magìs est necessaria quàm in Sacerdotio: At in juventute perfectio non est speranda functioni sanctissimæ ullatenus congrua, & propter imperitiam rerum, & propter morum atque passionum repugnantiam. Temperiem animi Vocatio hæc desiderat: ferocior paulò & fervidior est juventus; κατὰ πάθος ζῶσι, ut Ethic. 8. c. 3. & l. 10. c. 11. Philosophus loquitur. Ad Sacerdotium morum gravitas requiritur, & animi constantia, & multarum rerum experientia, & quæcunque alia S. Paulus recenset, 1 Tim. 3. *Sint sobrii, irreprehensibiles, prudentes, pudici, hospitales, modesti; non vinolenti, non percussores, non cupidi, non litigiosi:* quæ ferè in minoribus natu vix reperiuntur; sunt desultorii, leves, instabiles, temerarii, in lubrico positi, rerum suarum negligentes, vicini lapsibus, iíque qui, ut Hieron. loquitur, *vitiorum incentivis obsiti, velut ignis in viridibus lignis, suum nequeunt explicare fulgorem.* Ea propter hoc ipsum S. Paulus in mandatis reliquit, ut sacrorum Antistites non sint *neophyti*, aut *novitii*, 1 Tim. 3. 6. eadémque de causa *Presbyterorum* nomina huic Ordini literæ Evangelicæ imposuerunt; Presbyteri autem *seniores* interpretantur, & ab ætate dicuntur. Firmata erat consuetudo in veteri Ecclesia, ut ante trigesimum annum nemo ad Sacerdotium promoveretur. Id Concilium Neocæsariense decrevit, Can. 11. & Concil. Trull. Can. 14. πρεσβύτερος πρὸ τῶν τριάκοντα ἐτῶν μὴ χειροτονείσθω. In Decreto sæpius occurrit, Dist. 78. *Si quis triginta annos ætatis suæ non impleverit, nullo modo presbyter ordinetur, etiamsi valde sit dignus*; Can. 1. & Can. 2. *Nemo presbyter consecretur qui minor triginta annis sit*; & Can. 4. *Presbyter ante triginta annorum ætatem non ordinetur, quamvìs sit probabilis vitæ, sed maneat usque ad præfinitum tempus: Dominus enim noster Jesus Christus trigesimo anno baptizatus est, & tunc prædicavit.* Nunc tempora mutantur, & ad Sacerdotium admittuntur in ætate viginti quinque annorum exsistentes in Romana, viginti quatuor in nostra, laxato paululùm propter messis Dominicæ amplitudinem veteris institutionis rigore, ad exemplum instituti Levitici, Num. 8. 24. Etenim utcunque cap. 4. vers. 3. mandatum est, ut non nisi post triginta annos in Sacerdotium eligerentur, *à trigesimo anno & suprà*, sunt verba textûs: at cap. 8. vers. 25. legimus quòd post vigesimum quintum annum permittebantur, *A viginti quinque annis & suprà ingredientur*

Hier. in 1. Ezech.

Theop. l. 1. Institut. tit. 5. sect. 4.

Hier. ad Nep.

Isid. Orig. l. 7. cap. 12. De off. Eccl. l. 2. c. 7. Hier. ep. 61. ad Theoph. adversus Joan. Hieros.

dicuntur in Tabernaculum. Duplex occurrit conciliatio: Vel quòd à vigesimo quinto anno erant Levitæ, à trigesimo Sacerdotes, in quibus ætas maturior requirebatur; vel, ut omnium Interpretum optimè Hieronymus ab Oleastro, *in Num. 8.* quòd à trigesimo anno erant consummati ministri, sed anno vigesimo quinto accedebant, & illis quinque annis ministrare docebantur ministeriis assistendo. Juxta hanc regulam Pontificii Sacerdotibus vigesimum quintum annum præstituunt, Episcopis trigesimum: sed Canones suos ipsi non observant, quod Albertus Magnus in Luc. 3. 23. annotavit; *Ab exemplo Jeremiæ & Danielis, minorum natu Prophetarum, dispensandi rationem summi Pontifices accipiunt, ut nepotes suos pueros in dignitatibus Ecclesiæ constituant: cùm tamen ostendere debeant, aut ab utero sanctificatos esse nepotes suos, sicut Jeremiam; aut quòd Deus eis hunc senectutis honorem indulserit, ut in Daniele. Alioquin pro certo suâ abutuntur potestate.* Hæc Albertus. Summa est, Non omnes, sed perfectæ ætatis & eruditionis viros, ad sacros Ordines admittendos esse: quia in Pastores, & Vigiles, & Custodes, & Duces ordinantur, ad quæ munera obeunda imbecillitas adolescentiæ non sufficit. Non quòd existimem ab annis simpliciter perfectionem pendere, aut ætatibus merita semper esse æstimanda.

In animo non est novellorum germinum ætatulam ulli calumniæ subjicere. Non me latet esse aliquos, ut S. Ambrosius loquitur, *in juventute senes*, sicut juvenes alios in senectute; viri sunt, quantumvìs juvenes, qui incanâ prudentiâ & senili animi gravitate vigent, quia *Prudentia hominis canities ejus*, Sap. 4. 8. Timotheus juvenis erat, is tamen Ecclesias multis qui senio incanuerant sapientiùs moderatus est; & Daniel juvenis, vel magìs ætate minor, qui in Seniores ferebat sententiam damnationis; & Joseph admodum juvenis, cùm durissimum illud depugnavit bellum, non adversus hominem, sed adversus tentationem, naturæque tyrannidem, & victoriam tamen reportavit: & beatus David cùm juvenis admirabile illud trophæum erexit super Philistæum; senior multò cùm grave illud peccatum commisit: & Salomon juvene minor, annos natus duodecim, cum Deo sermocinabatur, & barbaros sapientiæ suæ spectatores ad se traxit, ut vocem ejus audirent; qui senio confectus detraxit plurimum de pristina virtute. Huc accedit quòd seniores plurimos à Domino fuisse reprobatos Sacra narrat Historia, & juniores electos; Abelem ante Cain, Isaacum ante Ismaelem, Jacobum ante Esauum: *ut sciamus*, inquit Hieronymus, *Presbyteros non ab ætate dici, sed à prudentia; neque sapientiam canos esse reputandos, sed canos sapientiam. Maximum*, inquit Chrysostomus, *est discrimen inter* νέον καὶ νεόφυτον, hoc est, *inter juvenem & novitium*; de quo S. Paulus loquitur, cùm ab hoc ministerio novitium arcendum docet, juvenem nequaquam. Quòd si *Neophyti* nomine intellexisset ætate juvenem, Timotheum utique apprimè juvenem ad tantum Ecclesiasticæ dignitatis fastigium nunquam sustulisset, nec permisisset tot onera ferre amplissimarum Ecclesiarum: sed ipse nos docuit, ὅτι οὐ χρὴ τῇ συνέσει ἡλικίᾳ κρίνειν, οὐδὲ τὸν πρεσβύτην ἀπὸ τῆς πολιᾶς δοκιμάζειν, *quòd non oportet aut prudentiam ætate metiri, aut senem canitie probare.* Novi, inquam, hæc omnia, Non esse impedimento teneritudinem ætatis, si mens fuerit sana & confirmatus animus: cæterùm quia consuevit hoc quidem rariùs contingere, illud autem diversum est in usu frequenti, miserum esse Ecclesiæ statum cujus Præsules pueri sunt, ludicrásque ac deridiculas fieri res Christianas, si in ovile Christi ad Divini Verbi prædicationem admittantur qui præ infantia nec pascere nec regere possunt, nec ad Sacerdotium quicquam conferre norunt præter ipsum velle, ut Nazianzenus loquitur, in laudibus Basilii; idcirco nos Christus suo exemplo docuit, debere eum qui cœlestia mysteria

Ambr. in Ps. 36.

Hier. ep. 13. ad Paulinum. Isid. de Eccles. Off. l. 2. c. 7.

Chrys. l. 2. De Sacerdotio, to. 4. & in Is. 3. to. 3.

mysteria tractare expetit, per multa graduum incrementa & per multas exercitationes ad ætatem perfectam ascendere, & latere aliquando priusquam emergat: quia ut infans imperfectus in utero non confestim in hominem concrescit, sed paulatim formam recipit & gignitur, tum demum nascitur, posthæc multarum ætatum augmenta nactus in virum evadit; eodem modo in spiritualibus per multa studia & labores multos paulatim homo progreditur, evadítque in virum perfectum & plenitudinem ætatis. Hoc, inquam, nos Christus docuit, dum per longissima triginta annorum spatia in occulto delitescere voluit, priusquam per suum in desertum secessum proximam ministerio viam aperiret; ut nos indè addiscamus, in hoc sacrum munus neminem nisi maturæ ætatis & virtutis esse cooptandum. Hoc documentum est secundum.

Absolvi secundum Temporis respectum, de Anno ætatis, sub Communi temporis notione nobis commendato.

Accedo ad rationem tertiam, quam magis Propriam appellavi, quia cum ordine rerum à Christo gestarum est conjunctissima. Est autem ex Antecedentibus & Consequentibus dignoscenda. Hæ duæ sunt Dependentiæ, Antecedentium, & Subsequentium.

Quæ subsequuntur duo sunt, Vocatio discipulorum, & Exercitium Ministerii. *Tunc ductus est*, Antequam famulitium conduxerit; antequam in propria persona prædicaverit.

Inprimis, Antequam prædicaverit, duabus de Causis.

Primò, Ut per deserti tentamenta probaret seipsum, & quasi aliquod experimentum sui caperet, quo apparatu instructus ad publicum ministerium properaret. Deinde, Ut rectum incedendi ordinem exemplo suo aliis præscriberet, ab actione incipit, non à doctrina. Hæc Christi methodus erat, Luc. 24. 19. *Propheta potens opere & sermone*; quod à S. Luca est observatum, Act. 1. 1. *Primum librum confeci, O Theophile, de omnibus quæ Jesus cœpit facere & docere*. Attende, Doctor erat utriusque facultatis, Operum & Sermonum; sed inprimis Operum, deinde διδασκαλίας· illud *Facere* Evangelista ponit ante hoc *Docere*; & quia Christus faciendo docebat, & quia semper operibus & miraculis inclaruit priùs, illísque, tanquam nolâ aut campanâ, ad Conciones suas populum convocavit. Ex istis duo sunt quæ emanant Documenta.

Primum est, Tunc quilibet aptus est Ministerio verbi cùm tentationibus probatus fuerit: vel, si placet, sic potiùs instituatur, In Ministerium nemo est recipiendus nisi qui priùs exploratus & examine scrupuloso probatus fuerit; nemo nisi qui donorum suorum legitimam rationem reddere possit tum sibi tum aliis: nam Christus ipse, qui alium supra se exploratorem non habuit, periculum sui fecit & recognitionem sui in deserto, & tentatione præludit prædicationi, ut hoc certamine, quasi subscriptione authenticâ aut diplomate, licentiam sibi & facultatem muneris exercendi indulgeret. Hoc primum est.

Documentum secundum, Ordo optimus Ministerii ad actionem nos ducit priùs quàm ad prædicationem. Quæ ratio? Quia doctrinæ exornatio est pietas vitæ; atque apud plebem exempla plus valent quàm verba. οὐδὲν ψυχρότερον, inquit S.Chrysostomus, τοῦ διδασκάλου ἐν λόγοις μόνον φιλοσοφοῦντος, *Nihil Doctore frigidius est illo qui verbis duntaxat philosophatur*; neque enim doctoris hoc est, sed histrionis. Ad hanc Nazianzeni disjunctionem se debet quilibet Concionator revocare, ἢ μὴ διδάσκειν, ἢ διδάσκειν τρόποις, *aut non docere, aut docere moribus. Hoc ordine usi sunt Apostoli*, inquit Chrysost. *Exemplis priùs docebant, deinde verbis*; & hoc mandatum

Chrys. hom. 1. in Acta.

mandatum priùs à Christo acceperunt, *Sic luceat lux vestra*, &c. deinde magnum docendi Epistalma, *Ite, & docete omnes gentes*. Hunc ordinem Christus nobis commendavit, qui fecit priùs quod alios facere voluit, ut dictis suis per opera fidem conciliaret; ut ab actione inciperet, antequam prædicaret in desertum tentationis secessit. Hic primus Respectus Subsequentium, *Tunc*, id est, Antequam prædicaverit.

Secundus sequitur, *Tunc*, id est, Antequam discipulorum famulitium conciverit; ad incommoda vitanda quæ necessariò sequutura erant si priùs discipulos ad se convocaverat quàm expeditionem hanc peregisset. Ex duobus unum est inevitabile, ut aut secum eos in desertum adduceret, aut aliquantisper derelinqueret. Si dereliquisset eos, atque diebus quadraginta se occultasset, dic, quæ solicitudô cepisset, qualis anxietas, quantus tumultus? Dominus se subduxit, & nescimus ubi conveniamus eum: nos ipsum sperabamus redemptorem; sed, Hei nobis! excessit. *Adjuramus vos, filiæ Hierusalem, si inveneritis dilectum, ut nuntietis ei quia amore languescimus*. Accedit quòd Christus & ex amore & ex consuetudine hoc inprimis curavit, ut discipuli essent testes operum & comparticipes victoriarum; atque hoc ipso nomine eos inprimis gratulatur, Luc. 22, 28. *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis*. Ex adverso, si adduxisset eos in desertum, indiguisse eum mens contumax diceret aut auxilio aliorum ad pugnam, aut saltem consórtio aliorum ad solatium. Solus igitur incedit & sine commilitone, ut solus gloriam, ut solus laureolam reportaret. Porrò, non erat idoneum ut exinanitionem tantam quisquam hominum cerneret; ut Salvatorem mundi quisquam videret ab immundo spiritu deprehensum, & primùm in monte excelso, deinde in pinnaculo templi positum. Annon deperditum eum & potestate diaboli superatum adjudicassent? Ut his præjudiciis occurreret, in desertum tunc abiit cùm solus esset; nec ullos asseclas haberet; aut testes spectaculi: & prudenter id quidem, nequa esset facti optimi perversa offensiuncula, si priùs à Satana in sublime evectum quàm victorem cognovissent.

Hinc Documentum tertium emergit, Ad hominem Christianum quàm maximè spectat posse inter officia discernere, quæ illa sunt quæ secretè & clanculùm gerenda sunt, quæ palàm & in propatulo; neque enim sunt ejusdem generis omnia, nec idem tenor omni tempore est servandus. Est quando supra candelabrum lucerna, est quando supra montem civitas est erigenda, ut oculos spectantium ad se rapiant sanctioris vitæ exempla: E contrà, est etiam quando ostium occludere oportet intuentibus, & occultare opera dextræ à sorore sinistra, ut & nos ipsi, si fieri queat, nesciamus quod fecimus, nec manus sint consciæ quibus id peragitur. Hâc disciplinâ quicunque imbutus fuerit, ipse erit, si quis alius, qui totum se & sua omnia in Dei gloriam effundet; ut habeat & in officiis publicis gloriam theatri, & in occultis gloriam abditorii; ad Christi hanc similitudinem, qui licèt mori voluit in conspectu populi, at pugnare voluit & vincere salutis hostem præsente nemine. Hic Respectus secundus est Subsequentium, *Tunc*, id est, Antequam Discipulorum selectionem fecisset. Hæc primæ Dependentiæ sunt Documenta.

Dependentia secunda est eorum quæ antecedunt, & ad duo Capita rediguntur; ad Insignia gloriæ, & ad Privilegia gratiæ. *Tunc ductus est*, post expansa honoris insignia: hoc Caput primum est.

Tunc, postquam Joannes agnovisset, *Ego debeo à te baptizari*, postquam cœlestis vocis testimonio comprobatus esset, tunc proficiscitur in

desertum. Quæ ratio? Nè videretur his quæ acceperat præconiis elatus, non statim ad prædicandum prorumpit, verùm subducit se aliquantisper, & post has laudes in desertum se tentationis confert. Non quasi Salvator noster in elationis periculum incurrere posset, sed ut nos facto suo doceret, quòd tum quidem tentationibus proximi sumus cùm maximè laudibus ornamur: ut videre est in Sancto Job, qui cùm primùm voce Domini commendatus fuit, quòd non esset similis ei super terram, in graves tentationes incidit; similiter & in Sancto Paulo, qui fræno sibi opus esse ad deprimendum fastum ingenuè fatetur, nè honoribus Divinis cumulatus plus nimiò attolleretur. 2 Cor. 12. *Nè magnitudo revelationum me extolleret, datus est mihi stimulus carnis, angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Hoc nihil est usitatius, ut honorum & laudum excessum vanitas quædam & luxuria animorum comitetur; *laudem enim gaudium, gaudium exsultatio, exsultationem tumor & nimia sui æstimatio sequitur*, ut scitè Seneca. Post laudes & præconia se subducit. Hoc caput primum.

1. De Ira, c. 21.

Caput secundum ad Privilegia gratiæ refertur; *Tunc*, hoc est, postquam è salutari lavacro ascendisset, & Spiritu Sancto plenum Columbæ super caput permansio declarasset, tunc in desertum iter pedibus confecit. In hac parte est messis quædam Observationum, respectu Dei, respectu Satanæ, respectu Nostri.

Inprimis respectu Dei. Deus quando gratiam largitur, non nudam largitur & solitariam, mittit etiam & tentationem; sed non semper eodem ordine: interdum præviam, ut præparet ad gratiam recipiendam; interdum subsecutivam, ut incitemur ad exercendam. Utrinque tentatio adjacet, & gratia in medio constituitur, velut Christus inter Herodem & Herodem: Illud, ut addiscamus per tentationes ire ad gratiam, velut ad ditissimum thesaurum, cum omnibus incommodis & difficultatibus amplectendum; Hoc, ut ex adverso discamus per gratiam ire ad tentationem; hæc enim est spiritualis armatura, quàm non accipimus ut otiemur, sed ut pugnemus, hoc est, ut utamur & exerceamus, dicente Apostolo, 1 Cor. 12.7. *Unicuique datur manifestatio Spiritûs ad utilitatem,* aliorum scilicet & nostram.

Deinde respectu Satanæ. Eos magìs diabolus persequitur qui magìs sunt Christi, hoc est, Credentes: & Credentes maximè insequitur cùm Christi esse incipiunt, ut possit in ipsa gemma gratiam suffocare, & quasi in limine à Christi fide suscepta sejungere. Ab Euthymio ratio redditur, in Matth. 4. *Ubi divitias videt hostis, ibi potissimùm aciem instruit, velut fur aut latro prædæ avidus:* & à S. Ambrosio etiam, *Tunc maximè nos invidet Diabolus, cùm ad meliora tendimus:* & ab Hilario, Can. 3. in Matth. *Quia victoria ei est magìs exoptata de Sanctis:* & adhuc quarta ab Anselmo, *Eos maximè odit qui sui non sunt*; quos suos existimat, non ità acriter aggreditur. Quod de Pharaone legimus, eum Israelitis maximè infestum fuisse cùm Ægyptum derelinquerent; & quod de Canibus experientia docet, quòd adversus domesticos non sæviunt, sed contra eos qui foris sunt: *ità hostis noster*, inquit Gregorius, *insequitur eos à quibus ipse deseritur, & quantò minùs suos putat, tantò magis expugnare contendit.* Quos jure proprio possidet, non adeò insequitur; verùm justus & fidelis & Dei servus si quis fuerit, huic insidiatur, huic adversatur, *ut possit*, dicente Cypriano, *virtutum germina in ipso ortu strangulare.*

De Jej. & tent.

Postremò, respectu Nostri. Documentum primum est, Nè post gratiam acceptam securi simus, sed magis vigilemus, ut cor nostrum tunc inpri-

inprimis custodiamus, cùm gratiam aliquam aut donum à Deo fuerimus assecuti. Siracidis est consilium, Ecclesiastic. 2. 1. *Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem.* Quæ ratio? Quia sumus jam tentationibus propiores, & respectu vocationis nostræ, Renatorum officium est, certamen contra Satanam & consilia ejus & regnum ejus instituere; & respectu malitiæ Adversarii, qui hostes suos reputat amicos Dei, ut si in filios Dei simus adoptati, proximum est ut tentationes exspectemus. Hoc primum.

Documentum secundum est, Nè velut animis fracti turbemur si tentationes circumcingant, quasi insolitum aliquid obviaverit. Sanctorum omnium sors est communis, quò magis sunt Deo familiares, eò magis invisi Satanæ. Adversus Adamum insurgit in ipso vitæ exordio, cùm vidit eum præclaris virtutum donis exornatum, multâque dignitate conspicuum; adversus Sanctum Job, quando sensit eum Deo gratissimum; adversus Christum, secundum Adamum, in ipso Ministerii exordio, postquam Unigeniti elogium exaudivit: exinde *nos docens*, ut inquit Theophylactus, ὅτι μετὰ τὸ βάπτισμα μᾶλλον δεῖ προσδοκᾶν πειρασμούς. *Tentatur statim post baptismum, tentatione suâ indicans, in sanctificatis nobis maximè diaboli tentamenta grassari*, inquit Hilarius; Can. 3. in Matth. & post nomina Christo data, malitiam diaboli esse sustinendam; & post baptismum aquæ, baptismum ignis esse exspectandum. Hæc omnia verbo unico S. Evangelista optimè expendit, dicens, *Tunc ductus est in desertum*; *Tunc* ait, & quando *tunc? Tunc* quando Pater filio suo testimonium clarum exhibuit; *Tunc* quando Spiritus Sanctus in Columbæ specie visus est; *Tunc* quando cœli aperti sunt super eum; *Tunc* quando Baptista seipso longè majorem prædicavit; *Tunc* denique, quando ministerio suo se consecraverat à fluentis rediens non tam Jordanis quàm gratiæ; *Tunc*, inquam, *ductus est in desertum.* Hæc dependentia secunda est Respectu eorum quæ antecesserant: & de Tempore hæc dixisse sufficiat. De reliquis in posterum videbimus, prout Deus affulserit.

LECTIO VII.

Ductus est à Spiritu.

TA' ἰλλιπῆ ἐπιτελεῖν ἡδὺ, ut loquitur Philosophus, Rhet.1.11. *Jucunda res est maximaque voluptatis inchoata perficere*; præsertim post intermissa studia, cursúmque longis intervallis impeditum. Eapropter veteres vel ipsis Musis feriata tempora indulserunt, ut receptis ex otio viribus attolleret se animus, alacriúsque ad metam perveniret. De Avibus M. Cicero in observatione posuit, quòd cùm nidos construunt, non id assiduè agunt & nunquam intermissâ operâ; sed postquam aliquid effecerint, levandi laboris sui causâ, passim ac libere volitare solent, & tum demum post hæc ludicra ad novos se labores, donec opus totum peregerint, revocare: similiter & nos, Auditores, post hæc quantacunque silentii spatia, laxandi levandíque animi gratiâ concessa, ad illud quod intermisimus jam tandem sumus reversuri, ut eâdem operâ & interrupta contexere possimus, & absolvere instituta. Quocirca cùm in superioribus de Præludio hujus magni certaminis pro captu nostro nonnulla, ut potuimus, digessimus; nunc, si placet, reliqua adoriamur.

De Div.c.6.

De Loco quem ad hanc pugnam Salvator elegerit quæ animadvertenda erant accepistis, nec non de altera Temporis circumstantia; ídq; tum respectu Ministerii, tum etiam Ætatis.

Proximum est ut de Modo Demigrationis agamus, quo vehiculo & instinctu quibúsve mediis in hanc Solitudinem Christus trajecerit. Modus duobus istis verbis depingitur, ἀνήχθη ὑπὸ τοῦ Πνεύματος, *Ductus est à Spiritu.* In eorum altero Qualitatem motûs habemus depictam, in altero Principium. Principium motûs, sive Motor, in voce *Spiritus* indicatur, & in hoc solo omnis hodierna inquisitio versabitur; atque id libentiùs, ut ad concordiam Evangelistarum demonstrandam inserviat, inter quos est aliqua similitudo repugnantiæ. Nam S. Matthæus eum à Spiritu Sancto ductum tradit, S. Lucas eum in Spiritu ivisse; ὑπὸ τοῦ Πνεύματος ille, hic ἐν τῷ Πνεύματι. Deinde etiam duo sunt, Matthæus & Marcus, qui simpliciter à Spiritu illud evenisse asserunt: at S. Lucas non solùm à Spiritu, sed à plenitudine Spiritûs; *Plenus*, inquit, *Spiritu Sancto reversus est à Jordane*, & tum, *in Spiritu profectus est in desertum.* Duo igitur sunt quæ hîc sese offerunt excutienda; Qui Spiritus? & Quæ plenitudo? Primum est De Spiritu implente, secundum De Spiritûs impletione quam Christus acceperat.

De ipso Spiritu inprimis est quæritandum; neque inanis erit quæstiuncula, cùm multa sunt quæ Spiritus vocabulum significet, & tum quidem quando de Christo Sacra Pagina loquitur. Interdum spiritum significat humanum, Luc.23.46. *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, id est, animam meam. Interdum verò spiritum malignum, Mar. 9.25. *Dixit illi, Surde & mute spiritus, exi ab eo.* Interdum Spiritum Sanctum, Joan. 1.32. *Vidi Spiritum descendentem de Cælo, & mansit super eum.* Ex istis percontandi occasio nata est, Utrùm à spiritu suo, an à spiritu malo, an à Spiritu

Spiritu Sancto hîc Christus ageretur; neque desunt suæ singulis conjecturæ. Quòd à spiritu malo, verba sequentia videntur extorquere, quia dicitur versu 5. *Assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, & statuit eum super pinnaculum Templi.* Quòd à spiritu suo, verba S. Lucæ, cap. 4. ver. 1. ἤγετο ἐν τῷ πνεύματι, *in spiritu ibat in desertum.* Quòd à Spiritu Sancto, & ratio recta, & analogia fidei, & verba etiam Evangelistæ, qui eum plenum Spiritu Sancto à loco in locum migrasse signanter dicit. Hæc illa est sententiarum diversitas; ex quibus ut certum & indubitatum sensum possimus elicere, donum nobis opus est de quo Apostolus loquitur, 1 Cor. 12. quódque versu decimo διάκρισιν πνευμάτων appellat. Non quòd existimem adeò investigatu arduum: sed quia, ut Didymus Alexandrinus loquitur, *Res est periculi plena de Spiritu Sancto dubitare; cautóque est opus, nè vel fortuitò aut per ignorantiam blasphemiæ alicujus error obrepat, cùm in eum blasphemiæ vix unquam indulgentia reperiatur.* Verùm non est quòd hæc nos formido remoretur, cùm ipse Spiritus, dicente Apostolo, infirmitates nostras adjuvare dignetur, & pro ineruditis precandíque nesciis postulare. Quòd si se nobis comitem præstet in orando, in perorando cur non sperarem adjutorem se nobis præstiturum. Hâc igitur spe freti, pergamus porrò, duce Spiritu, de Spiritu Christum ducente paulò pressiùs loqui, ut aliis excussis sententiis in verissima tandem acquiescamus. *De Spir. Sancto lib. 1.*

Et quod ad primam attinet, quæ est de spiritu maligno, authorem, quod sciam, habet neminem, præter unum Eusebium Emissenum, eúmque magìs fautorem quàm dominum. Rupertus in Matth. 4. in dubio positum dicit: *Dubitatum est,* inquit, *super hoc à quibusdam, propter hoc quod subditur, Assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem: sed verè & absque ulla quæstione convenienter accipitur, ut à Sancto Spiritu in desertum ductus credatur, ut illuc eum suus Spiritus duceret ubi malignus spiritus inveniret.* Pariter & Paschasius, lib. 3. Evang. Matth. non damnat eam, sed rejicit; verba ejus sunt, *Non abhorret à vero, ut is qui à membris diaboli crucifigi sustinuit, ab ipso diabolo tentandi gratiâ se duci permitteret: sed magìs ad sensum congruit, ut Spiritus Sanctus hoc faceret.* Sed Euseb. Emissenus magìs presse loquitur: verba ejus in locum hæc sunt; *Præcipui sanctæ Ecclesiæ Doctores Dominum Jesum in desertum à suo Spiritu ductum esse exponunt, quem si ab alio quoque Spiritu ductum fuisse exposuissent, non esset inconveniens, cùm Lucas Evangelista eum in montem excelsum à diabolo ductum apertissimè scribat. Quòd si ibi ab alio Spiritu ductum esse non est inconveniens, cur in desertum eum ab alio Spiritu ductum fuisse videatur inconveniens?* Hæc ille, temere & inconsultó: sed indigna tamen sunt quæ fusiùs refutentur, cùm unicum solummodo habeat sive patronum sive alumnum hæc interpretatio, eúmq; aut nullius aut incerti nominis. Neque operæ pretium erit cum magni nominis larva luctari. Hoc liquidò constat, quicunque istius operis fabricator fuit quod sub Eusebii titulo circumfertur, sive Cæsarius Arelatensis, sive Lugdunensis Eucherius, sive Faustus Rhegiensis Episcopus, quòd maximopere & à recta ratione & à textu Evangelico exorbitârit; quia neque Ratio fidei, neque Historiæ veritas id patitur, ut nomine *Spiritûs* malus spiritus intelligatur. Inprimis non Ratio fidei, propter multiplices indecentias, sensúsque sanctissimo Salvatore indignos qui explicationem istam comitantur. Inprimis illud Christo indignum est, nec solùm Christo, sed Patre & Spiritu Sancto, ut post paternum de cœlesti thalamo testimonium, & post visibilem specie columbinâ in caput ejus Spiritûs Sancti descensum, immundus statim Spiritus arriperet, & quasi vi atque ingratiis quà vellet

circumgestaret. Hoc ipso ecquid est absurdius, ut inferis superna cederent, mutatísque vicibus, unus se Spiritus præsentem ostenderet, alter, ísque contrarius, prævaleret; Sanctus impleret, malignus abduceret? Deinde & illud est longè indignissimum, ut tantam & tam insignem muneris Mediatorii partem non suo, sed alterius & adversarii impulsu Christus susciperet, & in arenam descenderet non suo judicio aut voluntate suâ, sed ab hoste trusus, & diabolo monstrante viam. Ecquid est quod ab honore, ecquid quod à prudentia Redemptoris magìs abhorret? *Supervacuum est in quod imus impelli*, inquit Seneca; & suâ sponte rectè facere multò est gloriosius quàm motu alieno. Quis verò est qui nescit, in toto salutis negotio fuisse nihil nisi spontaneum, & à Christo nutu suopte susceptum? Sponte ad Jordanem properavit, nec ductus, nec vocatus; nè si Baptista vocasset, quod dispensatione factum, id necessitate fieri videretur. Similiter & in horto, cùm instare Passionis horam persentisceret, non se abscondit, non capessit fugam, non latibula quærebat, sed sponte quærentibus occurrit, & satellites trepidos provocavit, & eorum sese manibus tradidit: ut utrinque ostenderet, & devitare se posse eorum insidias si voluerat, & comprehendi non posse nisi voluisset. Porrò & in Cruce positus, nè quis extortam ei vitam tormentis & cruciatibus existimaret, libenter eam ipse deposuit; non quia non potuit diutiùs vivere, sed quia voluit mori. *Emisit spiritum*, inquit unus Evangelista; *inclinato capite tradidit*, alius. Enimvero nos miselli in vicinia mortis positi, quando fati lex urget, exspiramus priùs, deinde caput inclinamus: Christus contrà, quia sponte mori voluit, priùs inclinat, postea exspirat; ut vel exinde nos doceret, non necessitate se, sed voluntate emori; neque amisisse spiritum, sed emisisse. De ipso in Eremum secessu haud aliter est dicendum; nam una est omnium ratio, etsi nominibus differant. Neque verò mirandum est, si qui sponte suâ obviàm prodiit adversariis hominibus, eodem arbitrio occurreret adversario Satanæ: quíque ad equestre prælium in campo Crucis peragendum ultro se contulit, ut cum morte & peccato de imperio certaret; absit ut putemus eum ad pedestre deserti certamen calcaribus indiguisse, aut hoste bajulo; imò verò, velut miles voluntarius, prudens sciens acceleravit iter, & in suo solio principem tenebrarum ad pugnam provocavit, ut indè & illustrior victoria foret, & augustior triumphus. Quòd si quis adhuc urgeat, Non magìs absonum fore ut in desertum à Satana traheretur, quàm in excelsum montem, & in pinnaculum Templi: in promptu est responsio nonnullorum Interpretum, & nominatim Cypriani, Anselmi, Drithmari, Non solùm in Eremum, sed etiam ad montis & templi culmen voluntariè Christum cum Tentatore ascendisse: *Quia videtur inconveniens*, inquit Cyprianus, *ut humeris ejus insideret quem præcipitatorem sciebat*; &, *putandum non est*, inquit Anselmus, *immundum Spiritum inferre posse violentiam illi qui Spiritu Sancto plenus & qua volebat fecit, & quò volebat gradiebatur.* Sed in hoc non ausim acquiescere, quia apertè S. Matthæus asserit, assumpsisse eum diabolum in montem excelsum. Hoc unum sufficit, infirmam valde esse quæ ex locis disparibus sumitur consequentiam. Etenim posito hoc, quòd in deserto à loco ad locum se Christus à Satana transferri permiserit: at est valde incongruum, ut ad desertum ejusmodi vehiculo uteretur. Dum in conflictu esset, æquum erat ut se circumduci pateretur, nè videretur tergiversari; æquum ut ei se ferendum committeret, quia insigne est roboris specimen portari & vincere; æquum ut hoc facto Tentatoris audaciam reprimeret, Ecce trado me tibi in manus tuas, duc quò vis, invenies me in omnibus

omnibus fortiorem. At contrà, antequam ad conflictum veniret, nullatenus fuit consentaneum ut illuc se sineret ab hoste subducendum quò Redemptionis nostræ ordo postulavit ut sponte suâ proficisceretur; atque ea potissimùm de causa, nè tanti incepti splendor & gratia evanesceret, si alterius impulsu fieret quod ultro & libenter erat faciendum. Hoc argumentum primum est, Idcirco non posse nos hîc per *Spiritum* malum Spiritum intelligere, quia rectæ repugnat Rationi.

Argumentum alterum est, Quia Evangelico etiam textui adversatur. Sunt autem quinque ad minimum rationes quæ contrarium evincunt ex ipsa historia texendæ.

Ratio prima à Temporis interstitio petitur, versu secundo, *Cùm jejunasset*, tunc *accessit tentator*. Eccere, non accessit ad eum Spiritus malus nisi post multorum dierum jejunia; atque, utì est veri simillimum, ipsissimo die quadragesimo. Quòd si in desertum duxerit Christum, cur ergò dicitur eum post nonnullos dies accessisse, ídque jejunio peracto? Imò quis non videt solœcismum, si & duxisse Christum & ad eum accessisse asseramus? Hæc prima est.

Secunda sumitur ab Antithesi personarum, versu primo, *Ductus est à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo*. Obsecro, quid sibi vult duorum hæc oppositio Vocabulorum, *ductus à Spiritu, ut tentaretur à Spiritu?* Equidem non aliud quàm quod nunc agitur, ductus est à bono Spiritu ut tentaretur à malo. Res ipsa loquitur hæc omnino esse disjuncta, Spiritum & Tentatorem, vel, ut B. Cyprianus loquitur, *Spiritum & Anti-spiritum:* nisi sit fortasse quisquam tam aversus à vero, ut dicere audeat bonum malum, & malum bonum, ad Spiritum immundum sanctissimi Spiritûs partes transferendo. Hæc ratio secunda.

Tertia ex duorum Capitum copulatione depromitur, ex ultimis tertii & exordiis quarti capitis apud Matthæum Evangelistam. In calce tertii legimus descendisse super Christum Spiritum Dei; atque statim post hæc, in principio quarti, *Tunc ductus est à Spiritu*. Ecce quàm pulchrè & consultò connectuntur historiæ de descensu Spiritûs & de ductu Spiritûs? nè cui veniret in dubium à quo eum Spiritu ductum Evangelistæ dicerent; nimirum ab eo ipso qui de cœlo descenderat, capitique insederat, hoc est, à Spiritu Dei, hoc est, à Spiritu Sancto. Hæc ratio tertia.

Quartam habemus ex totius Scripturæ Idiomate; ex quo Doctores sacri colligunt quòd nomen *Spiritus* sine auctario semper Spiritum Sanctum denotat in utraque pagina. Non mea est observatio, sed multorum ex antiquis Doctoribus, Origenis, Didymi, Hieronymi, Eucherii, & ab ipsis sæpius repetita, velut regula sive axioma Theologicum. Non quidem sum nescius quòd S. Augustinus in libro De mirabilibus Scripturæ, cap. 10. id sæpe fieri existimet, ut nomen *Spiritus* sine additione diabolo tribuatur; quódque in Epistola ad Serapionem Athanasius contra hæreticos fidenter & acerrimè urgeat, Spiritum Sanctum nunquam in Scripturis dici ἁπλῶς πνεῦμα, sed sæpe τὸ πνεῦμα, & semper aut cum Articulo aut cum additamento. Hæc, inquam, me non fugiunt, neque est quòd multum moveant, cùm nihil statuant quod est supradictæ regulæ contrarium. Sit verum illud Athanasii, *Spiritum Sanctum nunquam dici simpliciter Spiritum absque aut Articulo, aut additamento vel Dei, vel Patris, vel Filii, vel Sancti, vel alterius alicujus appendiculæ:* sit æquè illud Augustini verum, *Spiritum malum sæpe dici nudè & simpliciter Spiritum, sine additamento*, ut 1 Reg. 22. 21. *Egressus est Spiritus, & stetit coram Domino*;

Math. 26. 41. Spiritus cū Articulo pro nostro spiritu; τὸ μὲν πνεῦμα πρόθυμον, &c.

Jo. 3. 5. Spiritus sine Articulo pro Spirit. S. Nisi quis renatus fuerit ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, non potest introire, *&c.*

mino; & Luc. 9. 39. *Ecce Spiritus apprehendit filium meum:* Sint hæc, inquam, verissima; at nihilominus immota manet Observatio, quòd Quotiescunque in Scriptura nomen *Spiritûs* occurrit ὑποστατικῶς aut personaliter sumpti cum Articulo & sine additamento, ibi Spiritus Sanctus semper indicatur. Huc spectat illud Origenis, lib. 1. De Princip. cap. 3. *Ex prædecessoribus nostris quidam observant, quòd sicubi Spiritus in Novo Testamento nominatur sine adjectione, de Sancto Spiritu debet intelligi:* Huc illud Didymi, l. 3. De Spiritu Sancto, *Nomen Spiritûs, si in bonam partem sumatur, sæpe caret additamento; in malam partem additamentum habet:* Huc illud Hieronymi, cujus in Micheæ caput secundum hæc sunt verba, *Quòd nomen Spiritûs, tam in Novo quàm in Veteri Testamento, ubicunque sine additamento ponitur, in bonam partem intelligatur, sæpe diximus:* Huc denique nostri scopus argumenti, Quòd si sit solennis loquendi formula ut nomen *Spiritûs* cum articulo & sine additamento designet Spiritum Sanctum; ergò necessariò sequitur ut hîc quoque Spiritus Sanctus significetur, quia ab omnibus Evangelistis articulus affigitur, ὑπὸ τοῦ πνεύματος apud Matthæum, τὸ πνεῦμα Marcus, ἐν τῷ πνεύματι Lucas. Hæc quarta est ratio, à Scripturæ Idiomate.

Postrema ex alterius Evangelistæ disertissimis verbis est desumenda; nam capite quarto S. Lucas breviter, sed palàm, enuntiat, fuisse Christum plenum Spiritu Sancto cùm in desertum concessit. Equidem si Epitheton tacuisset, ac simpliciter dixisset *plenum Spiritu*, particulâ *Sancto* non additâ, at nemo est qui dubitare posset de alio eum Spiritu quàm de Sancto loquutum; quia, ut Didymus Alexand. De Spiritu Sancto, observavit, *Non quisquam est, sive in Scriptura sive in consuetudine, qui plenus creaturâ dicitur; nec sermo communis, nec Sacra Pagina sibi hoc vendicat, ut Angelo plenum quempiam dicat, aut Throno, aut Dominatione, sed soli Divinæ naturæ hic sermo convenit.* Huc accedit quòd S. Ambrosius ex hoc ipso loco Divinitatem Spiritûs Sancti probando conficit, quia universas creaturas implet, etiam & ipsum Christum, quod in Angelorum aut Archangelorum quempiam non cadit: *Implere mentem ipsi non possunt, quia ipsi aliunde complentur; ad eum solum hoc spectat qui dicit, Cælum & terram ego repleo; ad eum solum de quo dicitur, Erat Jesus plenus Spiritu Sancto. Manifestum igitur quòd eo Spiritu Christus agebatur quo plenus erat, hoc est, eo Spiritu qui Deus est, & implet omnia: neque enim vel potuit Spiritus alius Christum complentem omnia implere quàm Sanctus; vel alius esse Deus, nisi qui orbem implevit, &, quod ultra totum orbem est, Jesum Christum mundi totius Redemptorem.* Hæc Ambrosius. Quibus sic constitutis non video quid possit in hac claritate Solis aut adjici à nobis, aut objici à contra-sentientibus, si unicus hic qui superest scrupulus tantummodo amoveatur, Quæ possit esse ratio cur additamentum sit prætermissum, neque affixa illa honoris appendiculà; Cur non potiùs expressè dicitur, *ductus est à Spiritu Sancto*, sed, nudâ formulâ, *ductus est à Spiritu.* Verbo dicam, Duas esse ejus, ut opinor, rationes. Una est, quia peculiari quodam & eximio modo est Spiritus, non modò respectu Spirationis activæ, sed passivæ, ut Scholastici loquuntur; hoc est, & ut Spirator, respectu Sanctificationis nostræ, & ut Spiratus, respectu Processionis suæ. *Nam licèt nomen Spiritûs Sancti*, ut Aquinas loquitur, *in vi duarum dictionum ad totam Trinitatem pertineat, quia unaquaque Persona est Spiritus, & unaquaque Sancta; si vocis significationem ex utraque sui parte æstimemus: at in vi unius dictionis soli tertiæ Personæ hoc nomen est accommodatum, ut & dicatur Spiritus Sanctus; & intelligatur etiam,* cùm

Lib. 1. De Sp. Sanct. c. 7.

1a. q. 36. art. 1.

cùm simpliciter dicitur Spiritus. Hæc ratio prima est quare omittitur auctarium.

Secunda hæc est, Quia revera non est omissa additio, sed suprà posita: à Luca Evangelista, *Plenus Spiritu Sancto regressus est à Jordane*; à nostro Evangelista, *Descendit Spiritus Dei super eum:* neque ultra hoc erat necesse ut semper fieret, quod satìs abunde fit si sæpe fiat. Et nos etiam aliquando de Sanctis Patribus, imò de Sanctis Apostolis verba facientes, non semper dicimus Sanctum Augustinum, aut Sanctum Ambrosium, aut Sanctum Paulum & Petrum, sed nunc Paulum & Petrum, honoris titulo prætermisso, nunc Sanctum Paulum & Petrum, prout res exegerit. Neque id injuriâ quidem, nam de Spiritu Sancto quando Scriptura loquitur, nunc *Spiritum Sanctum* vocat, nunc nudè *Spiritum.* Nec putandum est prætermitti quod alicubi factum est; verùm utroque modo Scriptura loqui solet, ut possit & ex uno nomine dignosci quòd sit solus Sanctus, & ex altero quòd sit per excellentiam Spiritus. Hæc ratio altera est, quæ omnem jam tollit dubitationem de Spiritu qui Christum duxerit, eum Spiritum Sanctum fuisse, cùm & temporum spatia, & rerum gestarum series, & Spirituum ab Evangelista facta distinctio, & peculiaris implendi potestas, & loquendi consuetudo, & expressissima Spiritûs Sancti mentio id apertissimum & indubitatum reddunt, nec esse, nec esse posse malignum spiritum quo sanctissimus Salvator ducebatur. Hactenus de illa quam posui sententiarum prima.

Secunda & tertia in effectu eædem sunt, licèt in specie discrepare videantur: etenim cùm Interpretes reliqui omnes, tam veteres quàm neoterici, per *Spiritum* hoc loco Personam tertiam sanctæ & individuæ Trinitatis intelligant, at sunt nonnulli tamen è vetustioribus qui Spiritu proprio agitatum dicunt, & articulatè hoc modo explicant, *Ductus est spiritu, videlicet Suo.* Sic B. Cyprianus, in Serm. de Tentatione & Jejunio, *Suo Spiritu eum credendum est ductum, & super Templum, & in desertum:* & post eum M. Gregorius apud Drithmarum, *Dignum fuit ut eum suus Spiritus illic duceret, ubi eum ad tentandum spiritus malignus inveniret:* postremò, & noster etiam Beda Venerabilis, in Luc. 4. *Non,* inquit, *virtute spiritûs mali Jesus agitur in desertum, sed voluntate sui Spiritûs boni locum certaminis ingreditur.* Quod ad hanc interpretationem attinet, eatenus vel maximè placet, quòd non extrema petat, sed media: nam talis est, ut nec planè possit probari, nec debeat tamen penitus rejici; quia vera quidem est, sed non plena; neque idcirco peccat quasi haberet in se aliquid falsi, sed tantùm nonnihil mutili, ut si jam grano Salis condiatur, & plenissima erit & Orthodoxi saporis. Sic igitur se res habet; Si cùm dicunt eum Spiritu suo ductum, disjunctivè loquantur, & per contradistinctionem ad Sanctum Spiritum, hoc est, si *Spiritum suum* accipiant pro spiritu merè humano; non solùm est incongrua locutio, sed falsa, cùm prorsus nihil sit quod Christus puro puto humano impetu aut egerit aut dixerit, sed omnia & loquebatur & fecit ex Sancti dictamine Spiritûs, quo indesinenter regebatur, etiam tum cùm flevisse eum legimus, & dormivisse, & derelictionis querelam protulisse; quæ singula sunt infirmitatis, sed non nisi dictante Spiritu Sancto disposita, qui ipse voluit ut sic pro statu Viatoris & ageret Christus & loqueretur. At verò si in hac phrasi, *Spiritu suo,* Deitatis Spiritum comprehendunt, quo plenus erat ut homo, eique juxta humanitatem indivulsim unitus ut Christus, proba est & pulchra & germana explicatio, quòd Suo Spiritu ducebatur. Atque hanc fuisse mentem istorum Patrum nullus dubito, quoniam ipse Cyprianus palàm

palàm & expressè sententiam suam exponit verbis dilucidis; *Desertum*, inquit, *Christus ingreditur, & ibi conversatur, suo*, id est, *Sancto, Spiritu duce & comite.* Hæc Cyprianus. Nec ea absque firmamento; nam ei Scripturæ sacræ authoritas suffragatur. In Evangelio sæpius occurrunt locutiones similes, idque non uno in loco. Sunt loci nonnulli qui Spiritum Sanctum *Spiritum suum* appellant, ut 1 Cor. 2. 10. & Ephes. 3. 16. & 1 Thes. 4. 8. & 1 Joan. 4. 13. *Revelavit hæc nobis per spiritum suum*, & *dedit nobis Spiritum suum Sanctum.* Sunt alii qui *Spiritum* Dei & *Spiritum Christi* pro eodem accipiunt, ut 1 Pet. 1. 11. & Rom. 8. 9. *Vos non in carne estis, sed in Spiritu, si Spiritus Dei habitet in vobis; si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Hujus generis est illud Sancti Pauli, Gal. 4. 6. *Quia estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* Videsis, cùm *Spiritus Patris* dicatur Matth. 10. 20. in Gal. 4. est *Spiritus Filii.*

In summa, etiam lippis est notum verba hæc esse singula æquipollentia, sparsim in Sacris fontibus posita, *Spiritus Promissionis, Spiritus Veritatis, Spiritus Gratiæ, Spiritus Sanctus, Spiritus Filii, Spiritus Christi, Spiritus Patris, Spiritus Dei.* Quapropter non multum refert utrùm dicatur *Spiritu suo ductum*, aut *Spiritu Sancto ductum*: nam si Suo, Sancto; si Sancto, Suo. Non quòd eadem sit persona Filii & Spiritûs Sancti, sed eadem utriusque æterna & infinita essentia: nec etiam quasi humanus Christi Spiritus reipsa idem esset cum Divino. Absit! non faciunt unum Spiritum Divinus & humanus, sed unum Christum: sunt duo Spiritus, sed unus & idem motor; aut si diversi motores, in Christo tamen induunt rationem unius, sic ut primus motor statuatur Sanctus Spiritus, secundus, quoad subordinationem, humanus, qui paruit Sancto. Hoc ut magìs pateat, videamus si possit idoneâ aliquâ similitudine collustrari: duæ autem occurrunt ex Scholasticorum placitis; una de gemina Nativitate Christi, altera de Voluntate.

De gemina Christi Nativitate Veteres Patres, & post eos Scholastici, asserunt, Duas habuisse eum Nativitates, temporalem ex matre, & ex Patre æternam, & utrâque nativitate eum filium esse naturalem; æterno quidem Dei Patris, temporali verò Virginis matris. Non tamen dicendum duos esse filios, sed unum, propter unitatem Personæ, in quam utraque illa cadit nativitas; quia eadem Persona quæ ab æterno suum esse, i. e. naturam Divinam, accepit ex Patre, etiam in tempore alterum suum esse, nempe naturam humanam, accepit ex matre.

Estius in Sent. l. 3. d. 8. s. 2.

Huic simillimum est quod de gemina ejus Voluntate commodè pronuntiant Scholastici, quòd quia Voluntas naturam sequitur, non personam, idcirco cùm duæ sint in Christo naturæ, etiam duas in eo fuisse & esse Voluntates, Divinam & humanam, sive creatam & increatam; & secundum utramque duplices operationes, de quibus ipse loquitur in Evangelio, *Non veni voluntatem meam facere, sed ejus qui misit me*, Joan. 6. Et tamen utraque voluntas secundum duas volitiones habuit unum & idem velle, quia nulla erat in eo voluntatum contrarietas, nulla pugna, sed altera alteri, id est, rationalis Divinæ, semper & per omnia fuit conformis, ità ut nihil vellet aut velle posset voluntate rationali, quatenus rationali, nisi quod absolutè beneplacitum esset voluntati Divinæ, cui subjacebat.

Est. in Sent. l. 3. d. 17. s. 3.

Eodem sanè modo se res habet in præsenti negotio; quamvis duplex erat Christi Spiritus, Divinus & humanus, at in actionibus ejus pro eodem motore supponunt, quia humanus usquequaque conformis erat Divino.

vino. Propterea duplex est ratio quâ dicimus eum Spiritu Sancto ductùm, & Suo. Una respectu Deitatis unientis: Suo & Sancto, quia Suus erat Sanctus; quoad essentiam non differunt Divinitas Christi & Divinitas Spiritûs Sancti, ἀλλ' ἔστι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τοῦ Χριστοῦ θεότης, ut Athanasius loquitur. Altera respectu Humanitatis unitæ & assumptæ, quæ præter unionis privilegium, plenitudinis insuper Spiritûs Sancti altero privilegio delibutus est: & sic quoque Spiritu Sancto agebatur & Suo, quia Spiritus Sanctus erat in Suo, & Suus Sancto adeò demersus, eique tam exquisitè subjectus, ut quasi absorberi ab ipso modo quodam videretur. Quemadmodum modica aquæ gutta multo vino infusa à se tota deficere videtur, viníque saporem & colorem induere; & ferrum candens, quanquam ferri formam retineat, at pristinam formam videtur exuere propter ignis similitudinem implentis; & Solis radio aer perfusus, quamvìs aer semper maneat, in luminis tamen transformatur claritatem; & speculum radiis solaribus directè irradiatum Solis in se adeò recipit similitudinem, ut alterum putares esse Solem: sic, sic de motore Christi Spiritu est dicendum; Hominis Christi Spiritus utcunque manebat humanus, & suas distinctas operationes habuit, at irradiatione Deitatis ex unione personali adeò erat transfiguratus, & Spiritûs Sancti influxu perfectissimo ità per omnia adimpletus, atque impletione istâ adeò conformis & Deiformis effectus, ut in Divini Spiritûs similitudinem, quasi alter, si non Spiritus Sanctus, at alter per omnia Spiritus sanctificatus, transformari videbatur. Sic duplici Spiritu agebatur & uno Spiritu, Spiritu Sancto & Spiritu suo; Suo, ut motore corporis, Sancto, ut motore spiritûs, dum à Sancto Suus, ut corpus duceret, duceretur. Ath. Qu. 72. ad Antioch.

Videtis, Auditores, non esse incompertum aut in ancipiti positum, sed spectatæ firmitatis atque immobile, quódque convelli non potest, Ductorem Salvatoris ad desertum non alium fuisse quàm Spiritum Sanctum; quod eò sæpiùs conor repetendo inculcare, quia Fidei dogma est, si quod aliud, utilitatis non parvæ, imò incredibilis consolationis. Ex Documentis consolationum spicilegia sunt colligenda: sed ea non sunt hujus speculationis, verùm in alium proroganda diem, quando erit mihi copia de Qualitate motûs juxta ordinis rationem disputandi.

De Spiritu implente hæc dixisse sufficiat. De Spiritûs impletione dies insequens perorabit.

LECTIO

LECTIO VIII.

Plenus Spiritu.

DE Spiritu Christum in locum certaminis ducente in superioribus accepistis, Eum non fuisse aut ullatenus spiritum malignum, quod abhorret à pietate; nec nudè & simpliciter Suum, hoc est, humanum, quod non convenit Majestati Mediatoris: sed revera Spiritum Sanctum, quo fuit ab utero plenus, & quasi de integro post baptismum palàm in conspectu omnium delibutus, ut à Jordane ad desertum in ipsius plenitudine proficisceretur. Hujus rei ergô inunctum eum legimus, non solùm oleo Prophetico ad Ministerium, & Sacerdotali ad mortis Sacrificium, sed Athletico etiam oleo ad militiam & pugnam multiplicésque victorias. Atque in iis omnibus unguentum non fuit aliud quàm Spiritus Sanctus. Quid igitur superest quàm ut, cum Sponsa in Canticis, in odore & suavitate istius unguenti curramus rursus post eum; & quia De Spiritu implente diximus, ut ad ipsam etiam Impletionem demonstrandam ordinatim progrediamur; quia Sanctus Lucas docet, eum & Spiritûs ductu & in plenitudine etiam Spiritûs ad eremum se contulisse? Non quòd omnino dubitem hoc vobis absque signis & argumentis jamjam esse persuasissimum; *Vos scitis verbum hoc*, ut ad Cornelium S. Petrus loquitur, *quòd unxit eum Deus Spiritu Sancto & virtute:* at nihilominus, quia, ut Sanctus Ambrosius loquitur, *inclusum in vase unguentum, quamvis vim suam servet etiam in vasis angustiis cohibitum, attamen ad plures odorem suum diffundere non potest nisi fuerit de vase quo clauditur effusum*; idcirco frangenda necessariò est pyxis, & in partes suas secanda hæc speculatio, ut possit esse hujus mysterii, si non magìs certa, saltem magìs distincta, cognitio, accedátque aliquid ad intellectum ejus, si non ad fidem. Quod ut enucleatiùs fiat, hoc unum in antecessu est præmittendum, Hanc de qua loquimur Spiritûs plenitudinem solius Christi prærogativam fore, eíque singulari quodam & eximio modo competere. De Sanctorum plurimis Historia Sacra testatur, eos plenitudinem aliquam habuisse: de S. Petro, Act. 4. 8. de S. Paulo, Act. 13. 9. de patre Baptistæ Zacharia, Luc. 1. 67. de omnibus Apostolis, Act. 2. 4. de omnibus credentibus, Act. 4. 31. quòd repleti erant Spiritu Sancto; de S. Barnaba, Act. 11. 24. quòd plenus erat Spiritu Sancto & fide; de S. Stephano, Act. 6. 5, 8. quòd plenus erat gratiâ, & fortitudine, & fide, & Spiritu Sancto. At omnes isti tamen ab hac de qua loquimur Domini nostri plenitudine longissimè absuere.

Quapropter sejungenda est necessariò Plenitudo à Plenitudine, ut constare possit ad quem quæ & qualis plenitudo pertineat. Quod ut clariùs & lucidiùs expediam, conabor, si potero, totum ad duas inquisitiones revocare. Prima ad demonstrationem Rei spectat, Qualis sit hæc plenitudo; Secunda ad demonstrationem Privilegii, Cur solius Christi proprium sit existimandum.

Exordior

Exordior à prima, quæ est Rei ipsius inquisitio: & ejus quidem complura exstant in Scripturis testimonia, quòd fuit in Christo homine hæc Spiritûs plenitudo: etenim S. Lucas, præterquam quòd cap. 4. eum *Spiritu Sancto plenum* fuisse affirmet, in capitis secundi versu 40, *sapientiâ plenum* prædicat; & S. Joannes, cap. 1. *plenum gratiâ & veritate*; &, quod adhuc majus est, Deitate plenum S. Paulus, Col. 2. 9. *In eo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter*; similiter & cap. 1° ejusdem epistolæ, ver. 19. *Complacuit Patri ut in ipso omnis plenitudo inhabitaret.* Cùm dicit *Omnis*, videtur mihi eo uno vocabulo rem totam complecti, fuisse in Christo & omnem Gradum plenitudinis, hoc est, plenitudinem cujusq; gratiæ in summo gradu; & omne Genus plenitudinis, hoc est, & plenitudinem Deitatis, quæ ad Col. 2. & plenitudinem Gratiæ habitualis, quæ Joannis primo celebratur. Etenim hoc est certissimum, & fuisse & esse utramque in Christo plenitudinem; & propterea ipsius plenitudinem Spiritûs tum ex utraque tum in utraque elucentem. Inprimis ex eo quòd *Deitate plenus* dicitur, necessariò sequitur ut sit plenus Spiritu; tum quia ejusdem essentiæ est cùm Verbo Spiritus, tum etiam quia opus Incarnationis seu Conceptionis ejus, in qua humanitas est adunita Deitati, peculiariter tribuitur Spiritui Sancto. Deinde quòd dicitur *Plenus gratiâ*, ex eo etiam sequitur eum Spiritu Sancto plenum fuisse; quia motu reciproco in se mutuò recurrunt istæ consequentiæ, Ubi Gratia ibi Spiritus, & ubi Spiritus ibi Gratia: ubicunque Spiritus infunditur, ibi magnarum est plenitudo virtutum; & ubi illa plenitudo virtutum, ibi plenitudo Spiritûs; quia non est donum aliquod gratiæ, nisi ex operatione Spiritûs, 1 Cor. 12. 11. Sicut igitur non est omnino gratia ulla nisi à Spiritu, ità non potest esse gratiæ summa plenitudo nisi à plenitudine Spiritûs; quod de Christo Propheta jamdudum prænuntiavit, Isa. 11. 2. *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectûs, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Hæc igitur sunt duo genera plenitudinis ad quæ loquutiones reliquæ omnes quæ passim hujus ordinis in Scripturis occurrunt sunt referendæ: nam si de plenitudine sapientiæ & bonitatis increatæ loquimur, referenda est ad plenitudinem Deitatis; si de plenitudine scientiæ & sapientiæ creatæ, pertinet ad plenitudinem gratiæ habitualis. Quòd si accuratè eas secernere velimus, duo sunt potissimùm consideranda, In quibus conveniunt, & In quibus discrepant.

Ambr. in Luc. l. 1. c. 1.

Ea in quibus conveniunt sunt duo, Temporis ratio, & Originis.

Quòd in Temporis ratione concordent, obscurum non est; etenim utramque plenitudinem homo Christus simul & semel accepit, primo conceptionis suæ momento. Ab initio conceptionis habitavit in eo plenitudo Deitatis σωματικῶς, hoc est, οὐσιωδῶς, ut rectissimè Theophylactus exponit, *essentialiter*, sive *personaliter*; non per assistentiam solam aut efficaciam, ἀλλὰ καθ' ὑπόστασιν, hoc est, *per unionem hypostaticam.* Similiter & ab initio ejusdem Conceptionis inunctus est à Spiritu Sancto gratiarum omnium plenitudine. Quòd autem dicitur *Sapientiâ & gratiâ profecisse*, Luc. 2. Scholastici de Scientia experimentali & acquisita id accipiendum respondent, quâ ex similibus similia, ex contrariis contraria, ex causis effecta, & ex effectibus causæ intelliguntur. Nec malè Damascenus & Lombardus, *Eum non in se, sed in aliis profecisse, dum aliis hominibus munera gratiæ & sapientiæ suæ secundùm ætatis processum magis magísque ostendebat.* Quòd si hæc non sufficiat, planior est aliorum Scholasticorum responsio, *Profecisse eum in istis non secundùm habitum, sed secundùm actum & effectum:* quia licèt habitus gratiæ & sapientiæ, ab initio conceptionis animæ ejus infusus, nullum acceperit

Damasc. l. 3. De fide, c. 22.

perit incrementum, ab eo tamen habitu per accessum ætatis majora subindè opera gratiæ & sapientiæ procedebant; unde factum est ut ipse habitus, qui revera non crescebat, hominum tamèn opinione cresceret. Hæc summa est, Habituali incremento eum non profecisse, quia utramque plenitudinem à primordio habuit; & *plenitudo nescit augmentum*, ut rectè Ambrosius, l.1. De Spir. Sancto, c. 7. Hæc Convenientia prima est, quantum ad rationem Temporis.

Secunda est quantum ad Originem & emanationem utriusque, quia utraque plenitudo ab Unione Hypostatica profluit atque in ea fundatur, licèt modus sit diversus, ut mox videbimus. Ab Unione illa plenitudo Deitatis emanavit, quia in ipso unionis instanti ipse λόγος, Deus verus & perfectus, cum omnibus suis attributis Divinis, infinita scilicet potentia, sapientia, bonitate, inhabitavit in ejus humana natura: ab eadem unione donorum omnium & gratiarum plenitudo profluebat, scientiæ, sapientiæ, aliorúmque omnium charismatum, quæ singula sanctissimo unionis vinculo innituntur; juxta illam sæpius decantatam regulam, *Quantò aliquid est propinquius causæ influenti, tantò copiosiùs participabit de ipsius influxu.* Cùm igitur ipse Deus sit fons gratiæ, fieri non potuit ut anima Christi, Deo tam propinqua ut propinquior esse non potuit, omnimodâ non abundaret gratiâ. Hæc secunda est Convenientia, quantum ad rationem Emanationis.

Videamus nunc de Discrepantiis; tres autem sunt.

Primum in quo hæ Plenitudines differunt est σχέσις sive relatio ad suum Principium, quia plenitudo utraque, etsi ab unione Hypostatica proveniat, non tamen eodem modo; non tam propriè, neque tam immediatè ab eo fluit habitualis gratiæ plenitudo atque plenitudo Deitatis: nam Deitatis plenitudo in Christo homine est unionis effectum; at gratiarum plenitudo non tam est effectum ipsius, sed magìs consectarium. Ratio hæc est, quia dona illa habitualia Christi animæ non minùs à Patre & Spiritu Sancto data sunt quàm ab ipso λόγῳ, quibus tamen natura humana Christi non est hypostaticè unita, attestante Scripturâ, *Deus unxit eum, Spiritus Sanctus unxit eum.* Quòd si à Deo trin-uno data sunt ei ista dona gratiarum, sequitur ut sint unionis hypostaticæ consequentia magìs quam effecta. Consequentia appello, quia non pendent ab ea essentiali illo connexu qui est inter causam & effectum, sed ordinis duntaxat ratione, ex Congruitatis debito: æquum enim erat & congruum ut natura illa cui Deitas se unire voluit supremam haberet donorum excellentiam & quoad Genera gratiarum & quoad Gradum. Hæc Discrepantia prima est, A relatione ad commune utriusque principium.

Secunda est ex modo participandi: nam prima illa, quæ est πλήρωμα τῆς θεότητος, non potest ulli creaturæ realiter communicari; at verò secundæ, quæ est πλήρωμα τῶν θείων ἀγαθῶν, participes nos facit. Quantum ad effecta ejus creata & finita, etiam primæ potest esse communicatio; in se verò non est Sanctis communicabilis, quia ea est plenitudo quæ per personalem humanitatis assumptionem ipsum constituit Christum θεάνθρωπον, sive Verbum incarnatum. E contrà, gratiarum illa plenitudo transfunditur in fideles, ut ipsos sanctificet, & donis gratiæ locupletatos exhibeat. Hoc ipsum Evangelista ostendit, Joan. 1. 16. *Ex plenitudine ipsius omnes accepimus*; & Apostolus, Eph. 4. 7. *Unicuique nostrûm data est gratia secundum mensuram donationis Christi*; & Col. 2. 10. *In illo estis repleti, qui est caput omnis principatûs & potestatis.* Ratio est in promptu, quia plenitudinem primam Christus habuit sibi, at secundam hanc non sibi soli accepit, sed nobis: neque enim purè personalis est & in se manens plenitudo, sed relativa, & ad Ecclesiam

ſiam ordinata, & toti corpori impertienda. Vultis diſcrimen? Verbo: Ex illa Deitatis plenitudine Juſtificationis noſtræ ratio potiſſimùm pendet, quia illa eſt quæ humanitatem ſibi perſonaliter copulando Chriſtum conſtituit θεάνθρωπον, adeóque Mediatorem; illa eſt quæ pretium & dignitatem infinitam, & infiniti meriti virtutem morti ſuæ præſtitit, ut poſſit pleniſſimè pro peccatis mundi ſatisfacere: at verò ex hac altera gratiarum plenitudine Sanctificatio noſtra & vita ſpiritualis decurrit, tanquam à fonte ad rivulos implendos deſtinato; tanquam à capite, unde membra hauriant gratiam poſt gratiam. Quòd ſi quis ſcire expetat (ut curioſorum magna eſt ubique frequentia) quorſum qui habuit Deitatis plenitudinem plenitudine etiam gratiæ habitualis ornandus erat, quoniam ſupervacuum videtur ut gratiarum plenitudinem acciperet qui Deo plenus erat; ex his quæ diximus facilis erit hujus Quæſtionis & expedita ſolutio. Etenim noſtræ rationes & ſalutis noſtræ ordo id poſtulabant, ut plenitudinem hanc alteram acciperet: atque ex ſuppoſitione finis neceſſaria erat, propter Chriſti habitudinem ad genus humanum; quia cùm non eſſet Deitatis plenitudo in ſe nobis communicabilis, neceſſariò conferenda illi fuit plenitudo hæc altera, non tanquam privatæ perſonæ, ſed tanquam capiti & univerſali principio, à quo in totum corpus gratiarum flumina dimanarent. In principio autem omnia debent eſſe plena & perfecta, alioqui impoſſibile eſt ut ſit perfectio in principiato, ſi non ſit cumulatiſſima plenitudo in principio. Hæc Diſcrepantia ſecunda eſt, Ex modo participandi, Quòd illa non ſit in ſe ſed in effectis participabilis, hæc in ſe; Quòd ex illa habuit ut gratiam nobis promereret, ex hac ut gratiam nobis communicaret.

Ultima in Amplitudine utriuſque ſpatiiſque & finibus eſt conſtituenda: nam illa Deitatis plenitudo fines nullos habet aut terminos, nullam circumſcriptam menſuram; infinita eſt in ſe & incomprehenſa, & per gratiam Unionis hoc efficit ut Chriſto homini ea verè tribuantur quæ ſunt Divinitatis propria; nam ex iſta oritur ut veriſſimè dicamus, Chriſti hominis potentiam, ſcientiam, bonitatem eſſe infinitam. Non quòd hanc plenitudinem anima Chriſti in ſe habeat, ſed in Verbo: in Chriſto eſt, quia in λόγῳ, quia, ut inquit Cyrillus, *Sicut Deus propter unitatem propria ducit humana, ità etiam homo propter unitatem propria ducit Divina.* Hinc eſt quòd Apoſtolus aſſerat, in illo ad Coloſſenſes 2°, non portionem aliquam Divinitatis habuiſſe eum, neque dona tantùm eximia Divinæ gratiæ & munificentiæ, ut Angeli, Prophetæ & Apoſtoli, ſed ipſam Deitatis plenitudinem, quia ipſe λόγος, Deus plenus, verus & perfectus, unione hypoſtaticâ habitaculum ſibi poſuit in humana ejus natura. Hinc etiam eſt quòd Joan. 3. 34. Evangeliſta nos doceat, Eum non accepiſſe Spiritum ἐκ μέτρου, hoc eſt, *Ad menſuram:* quæ verba utcunque nonnulli Interpretes de Chriſto ratione humanitatis explicent, quòd dona Spiritûs acceperit tantâ perfectione quantam potuit natura humana capere; attamen Chryſoſtomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, aliíque multi ratione Divinitatis hoc dictum contendunt, ut hunc ſenſum habeat, Non dat Deus ipſi ad menſuram Spiritum, quia dedit ei totam Spiritûs operationem, dum ſuammet communicavit ſubſtantiam; & ſine menſura dedit τὸ πνεῦμα ὁλόκληρον οὐσιωδῶς, *totum & integrum Spiritum eſſentialiter, modo quodam illimitato & infinito*, ut Theophyl. loquitur. At de plenitudine habitualis & infuſæ gratiæ hoc ipſum non poſſumus affirmare; ad gratiam infinitam hæc non ſe extendit plenitudo: nam cùm ſit creata qualitas, & inhæreat in mente Chriſti quæ creatura eſt, infinita eſſe non poteſt. Equidem non dubito dicere plenitudinem eam maximam fuiſſe, adeóque infinito proximam; ſi modò ulla poſſit eſſe finiti ad

De Incarn. Unig. c. 26

 infinitum

infinitum vicinitas aut approximatio. Maxima, inquam, & infinito proxima quamplurimis de causis est dicenda.

Primò, Quia non est, quantum ad captum nostrum, limitata neque quoad Genera gratiarum, neque quoad Gradum. Secundò, Quia tanta erat quantam ea sanctissima anima recipere potuit, tanta ut animæ Christi capacitatem impleret; imò tanta, ut Lombardus dicere audeat, *non potuisse ei Deum gratiam pleniùs conferre.* Quod intelligendum cum Thoma, secundùm ordinem Divinæ sapientiæ, aut magìs secundùm animæ ipsius capacitatem. Postremò, Quia tanta est ut in se contineat quicquid ad rationem gratiæ pertinet, hoc est, omnes perfectiones ad quas ratio gratiæ se extendit. Nam longè latéque sese fundit ad omnes gratiæ effectus, tanquam fons gratiarum uberrimus; &, ut Aquinas loquitur, *tanquam principium quoddam universale, ex quo in membra Ecclesiæ procedit omnis varietas gratiarum.* His, inquam, de causis maxima dicitur, & infinito proxima. At nihilo secius tamen non significat propriè gratiam immensam aut infinitam, sed eo ipso quòd creata est, finitam esse necesse est; quia nihil creatum simpliciter est infinitum, sed certum habet capacitatis modum. Hoc ultimum est Discrimen inter has duas plenitudines, in Amplitudine & finibus utriusque collocatum.

Atque sic absolvi primam Inquisitionis partem De Natura & qualitate hujus plenitudinis, idque & ex Sanctorum Patrum, & Scholasticorum, & nostrorum etiam Theologorum comparatis inter se placitis, quâ potui & perspicuitate & compendio. Porrò ex Scripturis ipsis indicavi, quæ Genera plenitudinis Salvatori tribuuntur, qui Gradus; quæ Ratio, quæ Origo utriusque; quas Convenientias habent, quas Discrepantias.

Nunc superest ut ad alteram Inquisitionis partem accedamus, ut & illud intelligere possimus, Quale sit hoc Christi Privilegium, & ipsius proprium quatenus sit dicendum. Privilegium Jurisperiti rectè definiunt, *prælationem aut prærogativam quandam singularem, in certa personæ vel causæ gratiam favorémve indultam; quâ causâ aut personâ cessante, ipsum quoque extinguitur privilegium.* Atque is est Privilegiarius, vulgò *privilegiatus*, cui honor aut dignitas singularis propter utilitatem, & suam & publicam, est concessus. Hoc non putavi prætereundum, quia instituto nostro commodissimè inservit particula quælibet utriusque definitionis. Nam

Primò, Quòd sit prærogativa quædam Christi & prælatio singularis in hac plenitudine supra omnes creaturas, in Psal. 45. duobus versibus à Psalmista est annotatum: vers. 3. *Speciosus es formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis*, vel, *plena sunt gratiâ labia tua*; & vers. 8. *Unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

Deinde, Quòd in honorem Christi & utilitatem publicam sit ipsi concessum, id duobus locis designat Apostolus: Col. 2. 9. *In ipso inhabitat omnis plenitudo, & vos estis repleti in illo, qui est caput omnis principatûs & potestatis*; & cap. 1. v. 19. *Ipsi data est omnis plenitudo, ut in omnibus primatum teneat, & omnia reconcilaret Deo, sive quæ sunt in terris, sive quæ in cœlis.*

Postremò, Quòd ex indulgentia Divina hæc dignitas sit in ipsum collata, quódque exstingui non potest, quia causa & persona nunquam desinunt, & hoc quoque Apostolus in observatione posuit, capite supradicto, *Complacuit Patri ut in ipso omnis plenitudo inhabitaret. Complacuisse* dicit, ut indicaret Indulgentiam; & *inhabitare*, ut Perpetuitatem: nam παροικία est *incolatus*, 1 Pet. 1. 17. sed κατοικία est *permanens habitatio.* Ergò jure optimo dicitur *Privilegium.*

Hoc solum restat indagandum, Quod culmen sit aut quis apex plenitudinis, in quo hoc privilegium est statuendum: quia & beatos Angelos scimus plenos

plenos gloriâ, & de Sanctis Viatoribus legimus, eos plenos fuisse Spiritu, & fide plenos ac sapientiâ. Non quòd cuivis vestrûm in dubio positum esse existimem, quamplurima esse, eáque maxima, discriminum spatia inter plenitudinem Christi & aliorum: sed ut ad rem in se claram major claritas ex lucubrationibus nostris accedat. Idcirco ad quædam Capita conabor quanto potero transcursu hos differentiarum apices revocare. Capita generalia quatuor sunt, Exordium, Duratio, Mensura, & Communicatio plenitudinis. Percurram ordine.

Primum Discriminis caput ad Exordium plenitudinis nos remittit; nam Christi plenitudo est Originalis: & respectu æternitatis, ut Deus est, in se habet & à se incircumscriptam ab æterno plenitudinem; & respectu temporis, plenus Spiritu erat in primo instanti incarnationis. Non sic fideles in Ecclesia, non tam multo manè elucescit illis Spiritus, nedum adimplet; guttatim ipsis infunditur juxta temporum vicissitudines: non primâ luce emicant nè radii quidem Spiritûs; quid putas de plenitudine? Enimvero duos legimus in utero Spiritum accepisse, Jeremiam & Joannem: sanctificatus erat Jeremias priusquam natus, Jer. 1. 5. & Joannes non sanctificatus modò in utero, sed Spiritu repletus, Luc. 1. 15. *Erit magnus coram Domino, & Spiritu Sancto replebitur, adhuc ex utero matris suæ:* de quo pulchre Ambrosius, *Nondum erat illi spiritus vitæ, & erat Spiritus gratiæ:* & post eum Augustinus, *Ante accepit Divinum Spiritum quàm humanum, & Divina munera quàm humani corporis membra; antè cæpit Deo vivere quàm sibi; imò antè vixit ille Deo quàm Deus, hoc est Christus, viveret illi.* Quid ergò, num privilegii participatione imbutus est Joannes? Numquid erat illi plenitudo hæc de qua loquimur Originalis? Nequaquam; nam primò, non repletus dicitur ἐν κοιλίᾳ, *in utero,* verùm ἐκ κοιλίας, *ab utero:* & ut prætereeam illud, quia in utero positus exsiliisse dicitur, ut salutaret Salvatorem; concedatur fuisse plenum in ipso utero, obsecro quæ erat plenitudo? equidem respectu Christi angusta & imperfecta; &, ut Polybius de quibusdam remigiis loquitur, ἀπλήρωτον πλήρωμα, *implena plenitudo;* siquidem præter Christum hoc nemini contigit, ut in primo conceptionis momento veram plenitudinem haberet. Solus ipse est πηγὴ καὶ ῥίζα, ut Basilius; imo magìs αὐτοπηγὴ, καὶ αὐτόρριζα, ut Chrysostomus loquitur. Hic primus est apex Privilegii, adeóque Discriminis, In Christo solo est Plenitudo Originalis.

Ambr. in Luc. 1.

Pol. l. 1. c. 9.

Bas. in Isaiam. Chrysost. in Col. 1. 19.

Secundum Discriminis caput in Duratione ponitur, quia Christi plenitudo est plenitudo permanens. In Viatoribus se exserit Spiritus secundum fluxus & refluxus quosdam; & quamvìs eum habeant fideles fixum firmúmque ad salutem, at nemo est vel Prophetarum vel Apostolorum cui assiduè aderat, absque omni intercapedine, ad illuminationem & disciplinam. Hoc Christo soli servatum est, in quo nihil erat vacuum, nec ulla unquam aut remissio hujus aut intermissio plenitudinis. Ecce iterum dico, iterúmque ingeminando affirmare non desinam, Plenitudo Christi tanta erat, támque signata impressáque animo, ut nullam sit passa nec dolorum interjectu nec intercussu passionum reale deliquium aut diminutionem. Non me fugit, S. Paulum Phil. 2. 7. *Evacuationis* verbo usum esse, ἑαυτὸν ἐκένωσε, *exinanivit seipsum, formam servi accipiens:* Dic autem quomodo. B. Ambrosius nos docet, l. 1. De Spiritu Sancto, c. 8. *Exinanivit se, non quòd ipse esset vacuus suæ plenitudinis, sed ut nos, qui plenitudinem ejus sustinere non valeamus, pro eo quod capere possumus nostris eam animis perciperemus.* Hoc modo se exinanivit subjiciendo se, humiliando se; & quantum ad incarnationem, *assumendo quod non erat, non amittendo quod erat,* ut scitè Primasius; & quantum ad mortem & passiones, occultando plenitudinem, non deponendo.

Dic, obsecro, quanta est ea plenitudo, quæ in ipsa exinanitione plena permansit? Hoc quatuor vocabulis Sacra Scriptura in diversis locis explicat: verbo *Inhabitandi*, Col.1.19. *Placuit Patri ut in ipso inhabitaret omnis plenitudo*; & *Reponendi*, Col.2.3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abditi*, sive *reconditi*; & *Quiescendi*, Isa.11.2. *Requiescet super eum Spiritus Domini*; & *Permanendi*, Joan. 1. 32. *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum.* Ex quibus verbis Hieronymi hoc est
Hier. in Ps.67. Consectarium, *Quòd in nullo alio Spiritus Sanctus jugiter inhabitavit nisi in Salvatore solo.* De Sanctis legimus, *venisse super eos Spiritum Domini*; ut de Gedeone Jud.6.34. & de Samsone, Jud.14.6. *Irruit super eum Spiritus Domini.* Hinc idem Hieronymus colligit in Ezech. 35. in illa verba, FACTUS EST SERMO DOMINI AD ME; *Si semper*, inquit, *in Prophetis esset Spiritus aut sermo Dei, & juge in pectore eorum haberet hospitium, nunquam tam crebrò Ezechiel poneret, Et factus est sermo Domini ad me: sed quia ob humanam fragilitatem & hujus vitæ necessitates interdum recedebat ab eis, ideo dicitur venisse super eos. At de Christo Baptista loquens ait Spiritum super eum mansisse; Super quem videris Spiritum Sanctum in specie columbæ descendentem, & manentem in eo, ipse est. Nunquam enim Christi proprium esset quòd maneret, nisi ab aliis nonnunquam recederet.* Hæc Hieronymus, ut ostenderet in Christo nunquam aut recessisse Spiritum, aut plenitudinem defecisse; quia requievit & mansit super eum, & in eo inhabitavit, non separabiliter, sed tanquam in fixa & propria sede. Hic secundus est apex Privilegii, In Christo solo est Plenitudo permanens.

Discriminis caput tertium est Communicatio, quia Christi plenitudo est diffusiva per communicationem sui, ut ubique Sacræ Literæ testantur; & haurire & impleri credentes non aliunde quàm ex plenitudine ipsius. Aliorum plenitudini hæc virtus non convenit: Sit licèt magna credentium, & Apostolorum major, & Angelorum maxima plenitudo; at non est sui communicativa propriè loquendo, sed impropriè, & quasi per irradiationem. Haurimus quidem aliquid ex Angelorum plenitudine, sed in ministerio suo; ex Apostolorum, sed in scriptis suis; ex Sanctorum, sed in exemplo suo: hæc non est communicatio, sed accommodatio & usus. At à Christo, cùm fons sit & caput plenitudinis, abundantia omnis gratiæ suppeditatur universæ Ecclesiæ; nec suppeditatur solùm, sed diffunditur; nec solùm diffunditur, sed infunditur, velut à summo atque influxivo principio. Hoc S. Paulus vidit & docuit in Col. 2. 10. *In eo sumus repleti*, nimirum quia ab ipso est omnis gratiæ influxus: à Deitate ejus principaliter, ut à primario agente, qui gratiam creat in anima per modum authoritatis; ab humanitate ejus instrumentaliter, ut à sancto organo conjuncto huic primario agenti. Hoc idem uno quasi spiritu & Baptista & Evangelista docuere, Joan. 1. 16. *Ex ipsius plenitudine nos omnes accepimus*, ὥσπερ ἐκ τοῦ περισσεύοντος, inquit
Chrysost. in Psal.44. Chrysostomus, καὶ ἐκ τοῦ ὑπερβλύζοντος, καὶ ἐκ τοῦ ὑπερεκχεομένου, quia ipse est inexhaustus thesaurus, & fons indeficiens gratiæ; nec solùm fons gratiæ, sed canalis; ídque & merito passionis, & beneficio intercessionis, & gratiæ operationis. Quòd autem dicit Evangelista, *Nos omnes*, & Prophetas & Apostolos sub hoc nomine complectitur; quia & Prophetæ & Apostoli, adeóque omnes Sancti, ex ipsius exuberantia hauserunt. Nec tamen ullam passa est ipsius plenitudo imminutionem, quia inexhausta erat & indefici-
Amb. De Sp. S. c.7. ens. *Erat in ea quod semper redundaret, & ex abundanti superflueret*, ut Ambrosius loquitur: *Neque est quod mirum videatur, quia fons spiritualis cùm sit, quò plus indè haurimus, eò magìs scaturit*, ut Chrysostomus optimè. Hic apex tertius est Privilegii, In Christo solo est Plenitudo sui communicativa.

Discrimi-

Discriminis ultimum caput Mensuram dixi, quia Christi plenitudo respectu Deitatis inhabitantis est infinita, respectu gratiæ infusæ omni donorum genere cumulatissima; ut non possit vel à Prophetis, vel ab Apostolis, vel à Sanctis triumphantibus, vel ab ipsis Angelis, vel ab his omnibus simul sumptis ipsius plenitudo exæquari. Plenos agnosco gloriâ beatos Spiritus, & suas etiam habuisse plenitudines Prophetas & Apostolos, Sanctósque in terris agentes alios; verùm à Christi plenitudine tot intervallis distantes, ut si à singulis hauseris suum cujusque donum, & ex omnibus unam plenitudinem composueris, quid dico de guttulis? vix tantillum erit ad supremam illam quam dixi Salvatoris plenitudinem.

Ut hoc clariùs luceat, quia non est una tantùm plenitudo quæ in Sacris occurrit Literis, sed multæ & diversi generis, videamus quam οἰκονομίαν habent hæ plenitudines; ut postquam ad ordinem & seriem redactæ fuerint, & quasi in scala quadam positæ, quis sit cujusque tenor & quæ singularum à se invicem distantiæ, si non oculorum, at saltem animorum intuitu perlustremus. Hujus igitur Scalæ latera sive scapi duo sunt, Plenitudo Viæ, & Patriæ: gradus in utroque latere fixi, ad imum duo, versus summitatem pariter duo; respectu Viæ, plenitudo Sanctorum & plenitudo Apostolorum, respectu Patriæ, plenitudo Corporis & plenitudo Capitis. Breviter, quatuor sunt Scalæ gradus spatiis suis disterminati; Plenitudo Christiana, Plenitudo Apostolica, Plenitudo beatifica, & Plenitudo suprema omnes transscendens numeros.

Prima est Credentium, & vocari potest *Plenitudo Competentiæ*, sive *Sufficientiæ*, quia etsi non fuerat perfecta, at tanta fuit quæ ad statum Viatoris satìs esset; ut cum Elia possent in virtute ipsius quadraginta dierum, hoc est totius vitæ, incolatum absolvere.

Secunda est Apostolorum, & potest dici *Plenitudo Affluentiæ*, sive *Abundantiæ*, quia illi majorem mensuram habuere, non eam solam quæ sibi satis esset, sed & aliis etiam convertendis; nec eam quæ solùm ad statum sufficeret, sed ad munus insuper quo fungebantur.

Tertia est Triumphantium, & *Plenitudo Præcellentiæ* est dicenda, quia nostram excedit & capacitatem & captum; sed non est major capacitate suâ, verùm dimensa est, & divisa singulis, pro cujusvis vasis magnitudine & receptivitate.

Postrema est Christi, & est *Plenitudo Redundantiæ*, sive *Superfluentiæ*, à capite ad barbam & ora vestimenti, ad Angelos, Prophetas, Apostolos, Sanctósque quotquot uspiam fuerint universos decurrentis.

Hi gradus sunt Scalæ; qui quoniam in mensura discrepant, & secundum suos singuli modulos, excepto Christi ultimo, sunt commensurati, non erit incommodum eos denuo novo examine altiùs repetendo percurrere.

Pars ima Scalæ est Plenitudo Fidelium in hac vita: nam & ipsi repleti Spiritu dicuntur, & Plenitudine Comparativâ, si majorem cæteris gradum accipiant; & Plenitudine Sufficientiæ, quæ statui suo serviat & conditioni. Sed duo sunt quæ hanc elevant plenitudinem. Primum, Quòd non sit absque nævo & labecula, non pura est & integra & imperturbata plenitudo, sed & maculis permista, & vacuitatibus obsita. Macularum admistio duplex est, Carnis & Peccati. Caro militat, Peccatum polluit, quomodo erit plenitudo? cùm Gratiæ plenitudo nullum peccato, & Spiritûs nullum carni relinquat locum; neque ullo modo stare potest cum tot reliquiis peccati & carnis; nam *stipendium peccati mors est*, Rom. 6. & *Sapientia carnis inimicitia*, Rom. 8. Huc accedit quòd multæ sunt in ea vacuitates; ad quamcunque eorum gratiam oculos convertimus, sive ad Fidem, sive ad Obedientiam,

sive ad Resipiscentiam, sive ad Charitatem, in singulis sunt inanitates, quia ex parte sunt & imperfectæ: ubicunque autem est aliquid imperfectum, est aliquid nondum impletum, adeóque vacuum. In Fide vacuitas, propter inane infidelitatis; in Pœnitentia, propter duritiem nunquam satis pœnitendam; in Obedientia & Charitate, propter defectus Obedientiæ & Charitatis: ut jam de fidelibus singulis dici potest quod de Israelitico populo Propheta, Hos. 10. 1. *Vitis vacua est Israel*; quia habet in omnibus hæc plenitudo nonnullas vacuitates. Hæc primæ plenitudinis natura est, quam dixi *Plenitudinem credentium*, hoc est, plenitudinem non plenam, &, ex loquendi indulgentia, *Plenitudinem Competentiæ*.

Secundus Scalæ gradus est Plenitudo Prophetarum & Apostolorum; erant enim illi peculiari quodam modo repleti Spiritu. Hanc *Affluentiæ plenitudinem* dixi, quia donis Spiritûs imbuti sunt longè supra cæteros, eámque copiam acceperunt quæ non modò ad Statum sufficeret, sed ad Officium; nec ad suam solam salutem conduceret, sed aliorum. At erat tamen hæc commensurata plenitudo; & non solùm commensurata, sed imperfecta: Erant in ipsorum gratiis non tam hiantes quidem atque in aliis, sed rimæ tamen atque vacuitates. De Prophetis S. Jacobus testatur, Jac. 5. 17. *Elias homo fuit passionibus obnoxius sicut & nos.* De Apostolis S. Paulus, Act. 14. 14. *Nos homines sumus, iisdem passionibus sicut & vos obnoxii*; *Iisdem, scil. & mortalitatis & carnis*, ut Beda explicat. Quòd si quis dubitet, audiat S. Joannem, 1 Joan. 1. 8. *Si dixerimus quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas non est in nobis.* Hæc magna plenitudinis remora est, quòd erant in statu Peccantium; & si hæc absuisset, attamen aderat alia, erant in statu Petentium; quid enim est petere nisi desiderare? & desiderare quid nisi indigere, & parùm se plenos confiteri? ut appositissimè Parisiensis observavit de Universo, primâ primæ, c. 52. *Desiderium omne est fames & sitis spiritualis, & per hoc signum & effectum vacuitatis spiritualis*, i. e. vacuitatis cordis, quemadmodum fames & signum & effectus est vacuitatis stomachi. Ac si ità se res habeat, de hoc quoque gradu plenitudinis dicendum est, ut suprà, quòd cùm esset in ipsis aliquid vacui, proinde & plenitudo graduum susceptiva capáxque incrementi: quæ quamvis erat major solito, at erat tamen minor debito, & plenitudo tantùm Copiæ & Affluentiæ.

Tertius gradus est Plenitudo Triumphantium, sive Angelorum sive Beatarum mentium, quam *Plenitudinem Exsuperantiæ* vel *Præcellentiæ* appellavi, quia præ cæteris longè eminet & antecellit, & quia vacuitatem nullam admittit, & quia incrementi non est capax, aut ullius quantum ad essentiam additamenti: siquidem illi soli verè pleni sunt qui Deum vident; revera pleni, quia in termino; & ille solus Plenitudinis nomine status est dignus qui, ut Parisiensis loquitur, *implet in ultimitate plenitudinis obtinentem*; ultimitas autem plenitudinis est, quæ nihil omnino vacuitatis in continente relinquit: nihil, inquam, vacuitatis, nimirum positivè loquendo; at locutione comparatâ etiam ipsi Angeli ad Christum vacui sunt dicendi. Habent omnes Beati illam gratiæ & gloriæ amplitudinem quam capere potest maximam mens uniuscujusque: sed non habet illam capacitatem vel gratiæ vel gloriæ mens cujusvis creaturæ quam habet anima Christi. Si enim, dicente Apostolo, *stella à stella luce differat & magnitudine*, tum multò magis stellæ differunt à Sole, à Christo, qui Sol Justitiæ non esset, nisi solus plenus esset. Ad eum solum

Paris. ibid.

Supremus gradus Scalæ pertinet, quam *Plenitudinem Redundantiæ* (neque enim aptius verbum novi) liceat appellare. *Superabundantem* voco, quia origo

origo eſt reliquarum omnium plenitudinum ; & *ſupremam*, quia augmentum neſcit ; & *immenſam*, quia Baptiſta nos docet, Joan. 3. 34. quòd non ad menſuram datus eſt ei Spiritus : reliqui omnes habent Spiritum κατὰ μέτρον, *juxta menſuram* & diviſionem. Quòd juxta diviſionem, habetur 1 Cor. 12.11. *Hæc omnia operatur idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult :* Quòd juxta menſuram, Eph.4.7. *Unicuiq; noſtrûm data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti :* Quòd utrumque ſimul, in Rom.12.3. *Diviſit unicuique menſuram fidei.* Viden' ? dividit ſecundum menſuram, ut & diſtributionem ſignificaret, & proportionem. Non quaſi ulla eſſet diviſio Spiritûs ex parte Spiritûs, ſed tantùm ex parte noſtrî. Ex parte ipſius Spiritûs nulla eſt, quaſi partitionem ſuſcipiat aut menſuram ullam habeat Spiritus Sanctus, qui *æqualiter ubique diffuſus eſt*, ut Hieronymus obſervavit ; *Non ipſe dividitur Spiritus, ſed dona per Spiritum*, ut ſcitè Auguſtinus, Hom. 4. in Apoc. ſed ex parte noſtrî, quia juxta menſuram vaſculorum infundit Deus liquorem hunc, tantum cuique largiens quantum poteſt ille cui donatur accipere. *Recipimus,* inquit Chryſoſt. κατὰ δύναμιν ἡμετέραν, οὐχ ὅσον ἐστὶν, ἀλλὰ ὅσον ἡμῖν ἐφικτὸν, *Non quantum ipſa ſit, ſed quantum nobis licet.* Juxta hunc ſenſum ad menſuram datur Sanctis, tum Sanctis in Via, tum Sanctis in Patria poſitis : illis, ſecundùm quod expedit ; his, ſecundùm quod recipere poſſunt ; utriſque *pro ſuæ facultate naturæ, & pro ſuæ poſſibilitate virtutis*, ut Ambr. loquitur. Hinc eſt quòd *diverſo locutionis genere Scriptura utitur*, ut idem notavit Ambroſius, *cùm de Chriſto & nobis loquitur, quantum ad Spiritum : cùm de Chriſto loquitur, manere dicit ſuper eum Spiritum ; cùm de nobis, non Spiritum ait, ſed de Spiritu, Effundam de Spiritu meo.* Quòd ſi hæc Obſervatio non teneat, at hæc altera firma eſt, Quòd Chriſtum ipſam plenitudinem habuiſſe affirmet, Nos de plenitudine ; *Ex ipſius plenitudine nos omnes accepimus*, Joan.1.16. quódque Sanctorum unuſquiſq; ſuam habeat plenitudinem, Chriſtus verò omnem plenitudinem, atteſtante Apoſtolo, Col.1. *In eo inhabitavit* πᾶν πλήρωμα, *omnis plenitudo.* Quæ ratio ? Quia in Chriſto eſt Plenitudo fontis, in Sanctis Plenitudo vaſis ; in Chriſto plenitudo maris, in Sanctis plenitudo fluminis ; in Chriſto plenitudo Solis, in Sanctis plenitudo Stellarum. Luce plenæ ſunt ſtellæ, & aquis cœleſtibus plena vaſa gloriæ, ſed ſecundùm menſuram, tantum capiunt quantum de ſuo arbiter omnium pro ſua voluntate diviſit ; tantum quantum beatæ mentis amplitudo recipere poſſit. At verò Solis & Fontis plenitudo eſt multò major ; & hæc ſolius eſt Chriſti.

Hier. in Eph.4.

Ambr. De Spir. Sancto, l.1. c.8.

Ut verbo omnia expediam ; Habent Sancti Spiritum ſecundùm modulum & menſuram, hoc eſt, portionem quandam commenſuratam ; Credentes commenſuratam ſtatui, Apoſtoli commenſuratam muneri, Triumphantes commenſuratam capacitati : at Chriſtus habuit ἀμετρήτως, *ſine menſura.* Habent in terris Sancti diviſiones gratiarum, Chriſtus totum confluxum. *Solus non habet modum, qui habet totum*, ut ſcitè Bernardus, Ser. 70. in Cant. Non habet eum particulariter aut per ſubdiviſiones, ſed generaliter & univerſaliter omnem Spiritûs operationem. In nobis eſt quantum convenit, & quantum pro ſtatu eſt idoneum, ex affluenti liberalitate largientis : in illo eſt totius Spiritûs redundantia. Quòd ſi de plenitudine gratiæ loquamur ex parte habentis, ſic S. Paulus & Stephanus & beatiſſima Virgo plenitudinem habuerunt ſinguli plenè & ſufficienter, quoad ſuum ſtatum & conditionem ; Maria plenam, pro ſtatu Virginis ; Paulus, pro ſtatu Apoſtoli ; Stephânus, pro ſtatu Martyris : at ſi de ea loquamur ex parte gratiæ habitæ, ſic nemo plenus dicitur niſi qui illam habet in maxima extenſione, quoad omnem gratiæ ſpeciem, & in maxima etiam

etiam excellentia quoad Gradum : hæc plenitudo ſolius eſt Chriſti. Et hic eſt gradus quem dixi Supremus, qui gradus omnes plenitudinis in ſe comprehendit.

Sic tandem accepiſtis Scalam Jacobi ſcalæ non multùm abſimilem; etenim pars ejus infima eſt in terris, cacumen cœlos tangit, éſtq; in ſummitate Chriſtus. Inter gradus hæ ſunt differentiæ, quòd plenitudo prima, quæ eſt Credentiûm, ſufficiens quidem eſt ipſorum conditioni, ſed anguſta, & incrementi capax, & commenſurata; ſecunda, quæ erat Apoſtolorum, anguſta quidem non fuit, ſed & incrementi capax, & commenſurata; tertia, quæ eſt Triumphantium, neque anguſta eſt, neque incrementi capax, ſed commenſurata; ſuprema, quæ eſt Chriſti, neque anguſta eſt, neque incrementi capax, neque commenſurata, ſed in ſummo poſita, ut ipſi *Nihil ultrà* ſit inſcribendum : quò quia pervenimus, æquum eſt ut quod inſcriptum eſt Scalæ, ego quoque Chartæ inſcribam, Nihil ultrà addendo; præſertim cùm, juxta utramque inſtituti partem, pro captu meo oſtenderim & Qualis ſit hæc plenitudo, & Quòd ſit ſolius Chriſti ſingulare Privilegium.

Ex iſtis documenta ſi quæ ſunt quæ deducantur, ad partem proximam de Motûs qualitate, velut ad locum proprium, ſunt releganda.

LECTIO IX.

Ductus eſt à Spiritu.

De Qualitate motûs quo Chriſtum Spiritus Sanctus in deſertum ad certamen deduxerit non eſt quòd putetis id à me oratione omiſſum, ſed tantùm in ſuſpenſo relictum, conſultóque ad tempus magis idoneum prorogatum, ut de proprio haberet diem, ad ſpecialem ſui commentationem deſtinatum, in quo poſſit ex profeſſo & ſigillatim commodiùs cumulatiúſque tractari. Et res quidem ipſa exigebat ut priùs de Spiritu implente quàm de ducente differerem, cùm abſque aliqua, ſaltem modica, iſtius plenitudinis notitia, de ductu & motu vix ſit poſſibile judicare. At verò jam conſummatâ de Plenitudine diſputatione, admonet me promiſſi ordinis fides ut ad Motûs quam diximus qualitatem appreperemus, quò naſci de integro in hac altera ſui parte cauſa poſſit quæ ſuperiùs in prima eſt uberiùs perorata.

Sunt autem tria Vocabula quibus ad hanc Motûs qualitatem explicandam Evangeliſtæ utuntur. Primum à S. Matthæo ponitur, ἀνήχθη ὑπὸ τοῦ πνεύματος, quod Editio Vulgata vertit, *Ductus eſt à Spiritu*; Maldonatus, *Abreptus*; Eraſmus, *Subductus*, ſive *ſublatus*, aut *abductus è medio*; Budæus aliíque, *Subvectus*, quaſi in montanam regionem, aut editiorem locum, vel potiùs, quaſi honoris eſſet aut privilegii : etenim ἀνάγειν non ſolùm eſt *geſtare* aut *portare*, ſed *ſurſum tollere*, & *in altum erigere*. Brugenſis & Beza volunt ut ſit ad verbum, *Seductus*, hoc eſt, ſeorſum ductus, ut ἀνὰ pro χωρὶς, vel ἀπὸ, & ἀνήχθη pro ἀπήχθη ponatur : eſt enim hic uſus verbi apud autho-

res

res classicos, Ciceronem, Virgilium, Ovidium, Terentium, aliósque, ut non solùm in malam partem accipiatur *Seducere* pro *Decipere*; sed aliquando, & id quidem frequentiùs, in bonam, ut idem sit quòd *Avocare*, & *aliò ducere*. Hæc primi vis est vocabuli, *Abduxit*, aut *Subvexit*, *eum Spiritus*.

Secundum est S. Marci, τὸ πνεῦμα αὐτὸν ἐκβάλλει, quod Montanus & Beza convertunt, *Ejicit*; Erasmus & Vulgata, *Expellit*, sive *Extrudit*; Laurentius Valla *Emittit*, quia *Expellere* est ei paulò durius: nam etsi ἐκβάλλειν aliquando idem significet atque *ablegare* aut *in exsilium mittere*, at interdum idem valet atque τὸ ἐξάγειν καὶ ἐκπέμπειν, ut Joan. 10.4. & Matth. 12. 35. *Vir bonus de bono thesauro cordis* ἐκβάλλει τὰ ἀγαθὰ, *profert*, vel *expromit*, *bona*. Utcunque fuerit, at hoc tamen est necessariò concedendum, vehementiam quandam esse & impetum in verbo ἐκβάλλει, nec simplicem quidem illam, sed conduplicatam: alteram in natura vocis, quæ in mollissimo sensu Concitationem quandam significat; alteram in flexu, quia non est præteriti temporis, sed, pro præterito, præsentis; quod majorem habet efficaciam, & rem præteritam ut præsentem exhibet, & quasi ante oculos ponit. Hæc vis est secundi Vocabuli, *Emittit*, *expellit*, aut *ejicit*, *eum Spiritus*.

Postremum occurrit apud S. Lucam, ἤγετο ἐν τῷ πνεύματι, quod omnes Interpretes per verbum *Agebatur* explicant, nisi quòd in Præpositione aliquantulùm discrepent: nam Vulgatus & Beza sic legunt, *Actus est A Spiritu*, ὑπὸ τοῦ πνεύματος· Erasmus, *Actus est Per Spiritum*, διὰ τοῦ πνεύματος· Montanus, Græco textui adhærens, *actus est In Spiritu*, ἐν τῷ πνεύματι. Quæ singula sunt soni magìs discrimina quàm sensûs; cùm *duci In Spiritu*, ex usu Hebraico nil aliud sit quàm *duci A Spiritu*, ut Beza observavit. Nec ego sanè is sum cui volupe est litem viris doctissimis intendere. Interpretationem bonam esse non diffiteor; an adeò germana sit & genuina, hoc illud est quod dubito. Hoc nemo est qui nescit, solenne esse Evangelistis, ex Hebraicis literis sæpius loquendi formulas mutuari: at supervacaneum est tamen ad Hebraismos confugere, ubi ab Idiomate Græco locutio ipsa non abhorret; sicut in hac de qua loquimur phrasi est summè manifestum. Nam ex Homero Hesychius notat, quod ἄγειν sæpe idem sit quod *ire & proficisci*, &, ut Plautus loquitur, *agere seipsum*. Porrò & Budæus, quòd Deponens ἄγομαι significationem habeat activam, ídemque esse Xenophonti aliísque Græcis quod Latinis *trajicere*. Quòd si hoc in loco sic accipiatur, simplex est & aperta locutio, ἤγετο ἐν τῷ πνεύματι, hoc est, *Ivit in Spiritu in desertum*, aut *trajecit in desertum*. Quòd si passivè interpretemur, *Actus est Spiritu*, necesse est ut aut Hebraismum prætexamus, aut saltem Præpositio ἐν redundabit, ut sæpenumero apud Græcos: si activè verò, nec Hebraismo est opus, & in Græco οὐδὲν περιττόν. Atque sic quidem se S. Lucas explicat, c.4. vers. 14. cùm dicit, peractis tentationibus regressum esse Christum virtute Spiritûs à deserto in Galilæam. Verba sic habent, ὑπέστρεψεν ἐν τῇ δυνάμει τοῦ πνεύματος εἰς τὴν Γαλιλαίαν, *Reversus est in virtute Spiritûs in Galilæam*. Equidem veri est simile, utrobique eodem sensu S. Lucam fuisse locutum, quia idem sonant quantum ad formulam loquendi, ὑπέστρεψεν ἐν τῷ πνεύματι, & ἤγετο ἐν τῷ πνεύματι, h. e. ivisse eum in spiritu, sicut è deserto, sic in desertum; nimirum, ut sæpiuscule monui, & Spiritu Sancto, & Spiritu Suo. Hæc tertii est Vocabuli proprietas, *Ivit in Spiritu*, vel *Profectus est in Spiritu in desertum*.

Hæc ego eò distinctiùs ex tribus Evangelistis transcribenda judicavi, ut mutuâ vocabulorum inter se sive collisione sive copulâ, & veritatis scintilla clarior, & verborum intellectus plenior redderetur. Atque est in ipsis umbra quædam & species repugnantiæ, re verò ipsâ conspirant. Quod in re simili

Chryſ. tom. 5. Hom. 24.

ſimili S. Chryſoſt. διαφορὰ μόνον ἐστὶν, οὐκ ἐναντίωσις· καὶ διαφορὰ οὐ κατὰ τὴν οὐσίαν ἐστὶν, ἀλλὰ κατὰ τὴν τῶν ῥημάτων ἐναλλαγήν. Et hîc quoque ità ſe res habet; ſola eſt in nominibus differentia, non contrarietas; & nominum differentia, non rerum: adeò non impediunt hiſtoriæ aut veritatem aut ſenſum, quia tria ſunt vocabula, ut ipſum clariorem cumulatiorémque reddant, dum in trium vocabulorum proprietate exprimitur ſingularitas ejuſdem inſtinctûs, *Ivit ductu impulſúque Spiritûs.* Eſto aliud in uſu quotidiano *Ire* quàm *Duci*, & minus multò *Duci* quàm *Pelli* & *Trahi*, quod verſiculo illo Seneca ſignificavit, *Fata volentem ducunt, nolentem trahunt*; & alter Seneca philoſophus, *Generoſus animus faciliùs ducitur quàm trahitur:* at de Salvatoris in deſertum ſeceſſu, cùm Spiritu Patris & Spiritu Sancto non minùs plenus erat quàm ſuo, & veriſſimè hæc omnia prædicantur, & *Iviſſe eum*, & *A Spiritu ductum*, & *A Spiritu pulſum fuiſſe*; atque inſuper ab Evangeliſtis prudentiſſimè in noſtram gratiam ſunt diſcriminata, ut nos & ex ſingulis ſeorſim & ex univerſis junctim clariorem hauriamus pleniorémq; intelligentiam. Nos utroq; modo ea perluſtrabimus, & diviſim, ut ſibiipſi unumquodque, & conjunctim, ut ſingula ſingulis mutuas ſuppetias ferant.

Inprimis ex ſingulis interciſè & ſeparatim ſumptis uberior ſenſus redditur, quia habet vox unaquæque multiplicem poteſtatem, quâ ſibi ſuccurrat, ſi quis eam perperàm explicaverit. Nam primò, quod *Iviſſe* dicitur, nè quis humanitus dictum putet, quaſi ſolo humano conſilio iter inceptum eſſet; ἄγεσθαι non ſolùm eſt *trajicere*, aut *ire*, ſed *agi*, & *ab alio duci*, ut divinitus hoc iter ſuſceptum pro certo teneamus, & motore Spiritu. *Non ivit*, inquit Cajetanus, *velut ſolâ humanâ utens ratione, ſed Spiritu Sancto inſpirante, regente, & agente ipſum.*

Deinde, quòd dicitur *Expulſus à Spiritu*, nè quis ejectum crederet, velut ignobilem & è plebe aliquem; ἐκβάλλειν non tantùm eſt *expellere*, ſed *emittere*, ut emiſſum eum intelligamus & aſſignatum ad has partes ſubeundas; & ἀνάγειν non ſolùm eſt *abducere*, ſed *ſurſum & in ſublime tollere*, quia honor erat & prærogativa vexillarium Spiritum Sanctum habere & præconem certaminis.

Ad extremum, quòd *abductum* eum tertius Evangeliſta memorat, nè quis ad motum corporeum extorqueat; ἀνάγειν non ſolùm eſt *geſtare* & *portare*, ſed quemcunque motum ſignificat; ut ſpiritualiter ductum, non per aera raptum intelligamus. De nonnullis aliis non diffiteor Sacram teſtari Hiſtoriam, eos à Spiritu abreptos, atque à loco in locum tranſmotos fuiſſe. De Habakkuk, in parte Apocrypha Danielis, c. 14. v. 35. *Apprehendit eum Angelus Domini in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis ſui, poſuitque eum in Babylone ſupra lacum.* De Ezechiele, c. 8. v. 3. *Emiſſa ſimilitudo manûs apprehendit me in cincinno capitis mei, & elevavit me Spiritus inter terram & cælum.* De Philippo Evangeliſta, Act. 8. 39. quòd Spiritus Domini eum rapuit à Gaza in Azotum, quadraginta plùs minùs milliaribus. De Elia idem conjiciebat Obadias, 1 Reg. 18. 12. & filii Prophetarum, 2 Reg. 2. 16. An credendum eſt hoc ipſum Chriſto obtigiſſe? Nequaquam, quia ἀνάγειν non ſolùm ad corpus ſpectat, ſed ad animum; neque externum ductum denotat, ſed internum. Hoc Titus Boſtrenſis obſervavit, in Luc. 4. οὐκ ἔξωθεν, inquit, *non ab extrinſeco ei aderat Spiritus Sanctus, ſed virtute Spiritûs Sancti tanquam ſuâ utebatur:* & poſt eum Cajetanus, in Marc. cap. 1. *Quòd tam efficaciter movebat ejus animum Spiritus Sanctus, ut tanquam pellere & portare videretur; cùm tamen nihil eſſet, quòd Spiritus Sanctus movebat ejus animum, quod corporeum pulſum ſaperet, ſed emiſit eum ſpirituali inſtinctu, non portavit.* Ex iſtis in comperto eſt variam multiplicémque

plicémque esse istarum vocum potestatem si separatim sumantur; ut si ex una earum significatione sensum expiscari non valeamus, ex altera id possit fieri, quia unaquæque succurrit sibi.

Intueamur nunc eas comparatè & junctim, ut collatione alternatim factâ appareat, in trina discordia singulorum quàm amicissima sit concordia omnium, quámque opportunè verba singula singulis subveniant, secundum primo, tertium secundo, & primum tertio; ut ex omnibus lector addiscat quod ex singulis non potest deprehendi.

Discordia prima est inter Matthæum & Marcum: *Ductus est*, inquit Matthæus, voce placidâ; *Pulsus est*, inquit Marcus, concitatiori usus vocabulo. Viden' concordiam? Nè motum debilem languidúmque putemus, hoc Marcus supplet, non solùm ductus est, sed à Spiritu impulsus; nè coactum suspicemur aut violentum, hoc Matthæus leniendum putavit, dicendo eum ductum fuisse à Spiritu Sancto: uterque apposité & juxta genium suum: S. Matthæus, qui faciem Hominis præfert, *Duxisse eum Spiritum* dicit, humano vocabulo; S. Marcus, qui in Leone præfiguratus creditur, rugientis in morem, *Expulit eum Spiritus*. Hæc concordia est discordiæ primæ.

Discordia secunda est inter Matthæum & Lucam: *Ductus est*, inquit Matthæus; *Ivit*, Lucas. Viden' concordiam? Nè minorem eum Spiritu suo quis somniaret, cùm legit *Ductum à Spiritu*, S. Lucas *Ivisse* eum dicit; & rursus, nè temere aut mero humano motu hoc iter suscepisse eum arbitremur, *Ductum eum à Spiritu* Matthæus asserit. Hæc est concordia discordiæ secundæ.

Tertia est inter Marcum & Lucam: *Spiritus eum expulit*, inquit Marcus; *ivit in Spiritu*, Lucas. *Pulsum eum* Marcus dicit, ut ostendat non frustrà eum accepisse Spiritum, aut irritam fuisse tantam plenitudinem; imò verò tam præpotentem, ut non modò eum ageret, sed impelleret. E contrà, nè abreptum fingamus, aut in aerem corporaliter subvectum, aut velut nullius numeri hominem in desertum ejectum, *Ivisse eum sponte* Lucas docet. Obsecro, quò tendit variorum hæc commutatio verborum, nisi ut exinde benignitas Dei nostri atque in docendo munificentia magis enitescat, qui pro unius notiunculæ explicatu verborum suppeditat uberrimam copiam; neque id rarò aut casu; sed crebriter atque ex professo per universam Scripturam; uti omnes norunt qui vel mediocriter in Sacris Literis versantur? Satis erit nobis in re tam quotidiana id unico exemplo indicasse. Ab Ascensione Christi hoc exemplum petemus; nam & hoc iter erat Christi novissimum, à deserto seculi in cœlos, éstque illud non uno vocabulo, sed diversis & dissimilibus, nobis commendatum. In aliquibus locis Assumptum eũ legimus, in aliis virtute propriâ ascendisse: quod Græcos Patres impulit ut eã & *Assumptionem* ejus dicerent & *Ascensionem*; nunc passivè, τὴ Χριστῦ ἀνάληψιν, nunc activo vocabulo, τῦ Χριστῦ ἀνάβασιν. Passivo vocabulo S. Marcus utitur, cap. 16. ver. 19. ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανὸν, *assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei*; pariter & S. Lucas, cap. 24. ver. 51. ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανὸν, *recessit ab eis, & ferebatur in cælum*: quibus utrísque innuitur, eum non potestate propriâ sed alienâ, non tam perrexisse in cœlum quàm raptum & sublatum fuisse. E contrà, apud S. Paulum activum verbum occurrit, Eph. 4. 8, 9, 10. ἀνέβη, *ascendit in altum*, ter repetito vocabulo; necnon apud S. Lucam, Act. 1. πορδόμενος, ídque conduplicatum, versibus decimo & undecimo. *Videbant eum*, οὐκ ἀναλαμβανόμενον, οὐδὲ βασταζόμενον, ut notat Theophylactus, ἀλλὰ πορδόμενον, *euntem in cælos*. Quæ causa discriminis,

minis, ut illic Ductum in cœlum, hîc Ivisse in cœlum Evangelistæ assererent? Nimirum illa, ut ex discrimine verborum & naturarum distinctio eniteſceret, & unitas Suppositi: illinc, quia virtute Deitatis humanitas sursum ferebatur, idcirco *sublatum* legimus & *assumptum*; hinc, quia virtute propriâ, non adjutore alieno, à Christo θεανδρικῶς est effectum, idcirco *euntem* prædicat Scriptura & *ascendentem*. Eodem modo se res habet in præsenti negotio, respondet motus motui, & verbum verbo; nam *ductum* & *raptum* à Spiritu duo Evangelistæ tradunt, *euntem* tertius introducit: non quòd inter se discordent Evangelistæ, sed quòd liberaliter & largè nobiscum Deus agat, rem in se unicam multiformiter explicando, nè quid desit intelligentiæ nostræ: *Ivit* inquit Lucas, *pulsus* inquit Marcus, *ductus* Matthæus; tergeminâ voce, sed afflatu unico. Etenim *Ducere* quid denotat nisi instinctum Spiritûs? & *Agere*, quid nisi virtutem & efficaciam Spiritûs? quid tandem *Pellere*, nisi vehementiam & impetum? Juncta eòdem recidunt, quòd fervore devotionis Spiritus Sanctus agebat eum, & amoris quasi funiculo ducebat eum, & indignationis zelo expulit eum contra Tentatorem. Quòd si ista non sufficiant, aut adhuc quisquam sit qui hæc verba cupiat penitius introspicere, audiat quid à Did. Stella est religiosè observatum, *Per tria hæc vocabula indicasse Evangelistas indivisum opus indivisæ Trinitatis: quia eum expulit potentia Patris, & duxit sapientia Filii, & egit sive traxit ad hoc opus benignitas Spiritûs Sancti.* Non quidem est ejusmodi Observatio ut vobis ausim obtrudere, sed non est tamen nihili æstimandum. Mihi satìs erit pro modulo meum vobis sensum explicasse; qui ut perfectior sit, Cautiunculas quasdam pro & ex suprà dictis existimo adjiciendas: quæ si semel fuerint positæ, nescio an quicquam aliud sit quod in hac parte desideretur. Cautiones tres sunt, pro numero vocabulorum.

Prima est circa S. Matthæi vocabulum: quòd cùm Christum à Spiritu Sancto *Ductum* legimus; absit ut eum motum vulgarem aut influxum ordinarium putemus, sed singularem & summum; & quia Spiritu plenus erat, & quia idem qui duxit impulit. Vulgaris & usitatus instinctus *ductus* dicitur, éstque Prophetarum omnium & Apostolorum, imò & credentium omnium commune privilegium. Apostolos agebat Spiritus, agebat & Prophetas, & duces Israeliticos agebat, & etiamnum agit Sanctos alios. Jud. 3. 10. & Jud. 11. 29. *Spiritus Domini venit super Othniel*; *Spiritus Domini venit super Jephte.* Similiter & Rom. 8. 14. *Quicunque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Porrò & de Samson, Jud. 14. 6. non *venisse*, sed *irruisse* super eum Spiritum Domini, *Irruit in eum Spiritus Domini*; juxta LXX Interpretes, ἥλατο ἐπ' αὐτὸν τὸ πνεῦμα Κυρίου, *Insiliit in eum Spiritus Domini*. Quòd si hoc adoptivis filiis aut nunc conveniat, aut olim obtigerit; quantò magìs naturali & unigenito, qui supra Samson magnus Dux est salutis nostræ, Heb. 2. 10. & magnus Propheta, Act. 7. 37. & magnus Apostolus confessionis nostræ, Heb. 3. 1? Enimvero æquum est ut arbitremur insignem hunc impulsum Christi fuisse, & supra ordinem; Christus, qui Spiritu plenus erat, non potuit non habere concitatiores Spiritûs motus isti plenitudini respondentes. Inter caput & membra hoc saltem intersit, ut si alios ducat Spiritus, si super alios veniat, quo putas impetu super Christum irruebat, cùm ad pugnam se accingeret? Idcirco S. Marcus, ut vehementiam hanc significaret, non *ductum* modò, sed *impulsum* annunciat. Hæc Cautio prima.

Secunda est de S. Marci vocabulo: quòd *Ejectum* sive *Expulsum* asserat, putandum non est violentiam ullam aut coactionem adhibitam fuisse,

isse, ac si invito & contra voluntatem id ei obtigisset, quia idem qui impulit duxit. Cùm *impelli* dicitur, id οἰκονομικῶς dictum est, ut Chrysost. loquitur: quia *non necessitatus fuit*, inquit Abulensis, *sed ad id quod necessariò erat faciendum, sponte motus.* Ergò & *impulisse* dicunt, & *duxisse*; nam impellendo ducit, & ducendo impellit. Tametsi non semper sit idem tenor eadémque in omnibus dispositio influentis Spiritûs: quia cum aliis placidiùs agit, ducendo, cum aliis ferventiùs, cum utrisque efficaciter; etenim cùm impellit, tam suaviter agit nobiscum, ut ducat; & cùm ducit, tam fortiter, ut rapere & impellere videatur. Itá est mistura quædam in toto opere & Potestatis & Amoris: Potestatis, ut agendo fortiter repugnantiam nostram possit vincere; Amoris, ut suaviter agendo ad sui amplexum & obedientiam voluntatem nostram possit attemperare. Potestate utitur, nè operatio Spiritûs aut convertendi propositum fiet irritum: Suavitate, nè opus ipsum linguarum petulantium calumniis esset obnoxium, si præcisè fides cogeretur. Quòd impellit Spiritus, est virtutis & efficaciæ; quòd ducit, comitatis & mansuetudinis. Hæc dispensationis Divinæ via est & modus cùm ad se suos trahit.

Quod de Vino & Aqua author libri Machabæorum, lib. 2. cap. ult. ver. ult. aut vinum aut aquam seorsim bibere esse adversum valetudini; at si permista sint, suavia sunt & salutaria, acuente aquam vino, & vinum aquâ leniente: similis certè est duarum istarum vocum effigies, quando & nos *pellere* & *ducere* Spiritum Sanctum affirmamus; nè alteram ab altera sejungamus, & invitando ducit, & excitando pellit. *Rapit homines*, inquit in locum Brugensis, *quocúnque velit; non quòd vim faciat eorum animis, sed quòd facilè mobiles reddat & morigeros:* ut ejus sequantur instinctum in quovis genere rerum agendarum & allicit & attrahit, non cogendo voluntatem, sed efficaciter attrahendo, movendo, applicando, & determinando ad volendum & ad eligendum; ídque miris modis, ut Augustinus loquitur, *non ut homines nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant*; hoc est, & impellendo, & ducendo. Hæc Cautio secunda.

Tertia est de vocabulo S. Lucæ. Cùm *ivisse* Christum dicit, non simpliciter significat eum à seipso ut homine hoc opus inchoasse, sed imperio & jussu Spiritûs Sancti; nam S. Matthæus dicit eum *ductum* fuisse à Spiritu Sancto. Quòd si eum ut Θεάνθρωπον, vel, quod majus est, ut Filium Dei contemplemur, sic sui planè juris erat, nec sui solùm ductor ut iret, sed ipsius etiam Spiritûs, ut ipsum ad alios duceret, à quo ducebatur. at si hominem Christum spectemus, Euthymii illud est verissimum, quòd *humanitas Salvatoris tanquam magistrum habuit Spiritum Sanctum, à quo per totius vitæ curriculum regebatur:* sic revera ductus est qui alios esset ducturus; & discipulatum Spiritûs sequebatur, ipse discipulorum magister futurus. Hoc ipsum alternæ loquendi formulæ demonstrant, quibus nihil est Scripturis usitatius: Pater eum tradidit morti, Rom. 8. 32. & ipse tradidit se, Gal. 2. 20. Spiritus Sanctus misit eum, Isa. 61. 1. & ex se quoque à cœlis ipse veniebat, Joan. 6. 51. Erat igitur & actio sua, & actio Spiritûs: Spiritûs, quia à Spiritu mittebatur, *A me facio nihil*, Joan. 8. & Joan. 14. *Pater in me manens ipse facit opera*; Suiipsius, quia sponte iter suscepit & suopte arbitrio. Sic se res habet in operibus gratiæ, quando & Dei dicuntur, & Nostræ, utrumque sensu congruo: Nostra subjectivè, ut Suppositi, quia certum est nos velle quando volumus, & nos agere quando agimus; Dei causaliter, quia ipse facit ut velimus & ut faciamus: Dei, inquam, ut principii supremi, & causæ primæ atque per-

perfectissimæ, quia ea omnia operatur in nobis, Isai. 26. 12. *Domine, omnia opera nostra operatus es nobis*; Phil. 2. 13. *Deus operatur in vobis velle & perficere.* Hoc S. Augustino ansam dedit ad edendas illas concinnas valde reconditásque sententias: *Deus magis habet in potestate voluntates hominum quàm ipsi suas*, De Corrept. & gratia, cap. 14. *Sunt opera hominis, quæ magis dicenda sunt opera Dei*, lib. De Continentia, cap. 13. *Ipsa bona opera nostra, ipsius Dei potiùs intelliguntur esse quàm nostra*, De Civit. lib. ult. cap. ult. *Quæcunque sunt bona opera mea, abs te mihi sunt, & idcirco tua sunt magis quàm mea*, in Psal. 137. Quibus illud Aquinatis meritò attexere possumus, *Hominis opera qui à Spiritu Sancto agitur, magis sunt opera Spiritûs Sancti quàm ipsius hominis*, 1ª 2ª, qu. 93. art. 6. Quòd si quem admiratio teneat in nobis hæc ità esse, qui primitias tantùm Spiritûs accipimus, at huc convertens oculos habebit abunde quod satisfaciat; quia de ipsius Christi rebus præclarissimè gestis, qui intra se habuit plenitudinem Deitatis, quoties Scriptura loquitur, non dubitat ea Spiritui Sancto tribuere. Imò verò & *ponitur hæc pars historiæ*, ut Abulensis disputat, *tanquam clausula quædam generalis ad omnes actus Christi, & in principio omnium constituitur, ut per hanc de cæteris omnibus ostendi possit, eos à Spiritu Sancto defluxisse.* Hæc cautio est ultima.

in Mat. 4. q. 3.

Quæ si cum superioribus connectatur, ostendit liquidò, non inutilem fore hanc verborum copiam & varietatem; verùm adeò necessariam, ut absque jactura & damno nostro prætermitti nullum possit, quia se mutuò singula illustrant, adeóque perficiunt, ut secundum primi, & tertium secundi commentarius quidam & supplementum esse videatur.

His ità constitutis, nunc instituti mei ratio me monet ut Coronidis loco ad Documenta properarem; nam hoc est illud ultimum quod non solùm sum vobis pollicitus, sed confirmavi etiam me in hac parte perfecturum. Est autem ipsorum uberrima copia, sed brevitatis ergô in paucissima conferam, & ad duo Capita revocabo, ad Ductum Spiritûs, & ad Plenitudinem.

Ad Plenitudinem Spiritûs primus ordo spectat, & ex ea Duo sunt quæ elicimus Documenta.

Documentum primum, Quia in Christo solo est gratiæ Spiritûsque plenitudo, ergò solus est ipse Ecclesiæ suæ caput. Ratio est, Quia caput est influxivum principium; ergò oportet ut pleniùs & perfectiùs omnes sensus possideat quàm membra ei supposita; quia ejus est motum & sensum reliquis membris impertire. Cùm igitur Ecclesia sit corpus Catholicum, neque locorum neque temporum cancellis circumscriptum, necessarium est ut qui tam amplissimo corpori vitam & gratiam spiritualem communicat, gratiæ plenitudinem ipse habeat; at hoc est solius Christi. Is gratiam multò abundantiùs possidet quàm omnes alii homines & Angeli in unum conglobati; is vitam spiritualem & motum gratiæ uberrimè infundit membris suis alioqui stupidis & mortuis, & ab omni motu spirituali destitutis. Ob hoc ipsum data est ei omnis plenitudo, ut plenè & perfectè omnia adimpleret. Si quis sit cui deest hæc plenitudo, bene cum illo agitur si inter membra Ecclesiæ censeatur: at Capitis nomen & honorem sibi assumere non potest absque summa & stultitia & superbia. Quid tam est absonum quàm ut tanti corporis caput sit plenitudine vacuum, solâ vacuitate plenum? Est enim hoc indubitatum, Non solere Deum alicui imponere officium, quin simul det illi ea omnia quæ ad illud obeundum sunt necessaria. Si quem caput constituat, eum omnibus donis cu-

mulabit

mulabit quæ requiruntur ad idoneam capitis naturam; & capiti, obsecro, quid est necessarium? revera non potest esse aliquid infra plenitudinem, & hæc plenitudo est solius Christi. Hoc Documentum primum.

Documentum secundum, Quia in Christo solo est hæc plenitudo, ergò ab illo solo est exspectandum ut salutis & gratiæ rivuli ad nos transferantur: quia ab hac plenitudine habet ut pro peccatis omnium satisfaciat; ab hac plenitudine, ut ipse non potuit peccare, cùm hoc pro certissimo sit tenendum, quòd absoluta plenitudo gratiæ peccato nullum relinquat locum; sed alternatim sequuntur, ubi peccatum, ibi non est plenitudo, ubi plenitudo, ibi non est peccatum. Denique ab hac plenitudine habet ut omnes implere possit. Ergò impium est & absurdum alibi quàm in Christo salutem vel totam, vel partem quærere; imò vanum & inutile. Conduplicatum malum propheta dicit, Jer. 2. 13. *Ecce duo mala fecit populus meus, dereliquerunt me fontem aquæ vivæ, & effoderunt sibi cisternas fractas, quæ non capiunt aquas.* Est igitur hoc hominis Christiani aut solum aut summum solatium, quòd Christo per fidem insitus, domi, & in promptu, & quasi in se, ut est membrum mysticum, semper habet quicquid sit ad salutem necessarium: atque ità habet, ut quotiescunque velit, liceat ei ex illa plenitudine accipere. Quocirca ad Christum nos solos recipiamus, extra ipsum nihil quæramus aliud: quò Christo quisque propior, eò proximior est plenitudini. Quòd si ex nobis vacui sumus, at ex ipso haurire possumus quæcunque plenissima: completam Sapientiam, quia Evangelium ejus est plena & perfecta & consummata doctrina; & consummatam Justitiam, quia obedientia ejus est plena satisfactio; & completam Sanctificationem, quia in ipso & ab ipso solo est plenissimus donorum cumulus & gratiarum; denique & plenissima omnia, cùm nihil deesse ei possit qui bonorum omnium indeficienti & inexhausto fonti est agglutinatus. Ad ipsum igitur nos convertamus totos. Si ad alios Salvatores, aut ad aliam Salutem abducere nos seductores moliantur, scrutemur sedulò, an habeant hanc gratiæ plenitudinem quam in Christo sæpius percepimus: sin minùs, ut acus à magnete tacta convertit se ad polum Arcticum, ità cor nostrum hâc plenitudine Christi jam vivificatum magìs magísque ad omnem fontem gratiarum se vertat, ut in eo possimus jugiter & indivulsim quiescere; quia ejus solius est habere hanc plenitudinem. Hic Documentorum ordo primus, à Plenitudine Christi.

Secundus est à Ductu & operatione atque exercitio Spiritûs, cujus plenitudinem acceperat: quòd plenus Spiritu, juxta illam plenitudinem ambulavit, & motus singulos ultro sequebatur. Ex eo duo nascuntur Documenta.

Primum est Documentum Solatii, quia recipimur in Consortium & Plenitudinis & Dispensationis. In Consortium Plenitudinis, quia ut ipse habet suam, ità ab ipso nos nostram habemus plenitudinem; ipse immensam, nos commensuratam; ipse Divinitatis plenitudinem hypostaticam, nos influxivam. In Consortium Dispensationis, quoad modum & Inessendi, & Testificandi, & Operandi. Quoad modum Inessendi, quia ut in ipso manet, sic & in nobis, 1 Joan. 4. 15. *Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo.* Ut in ipso inhabitat, ità & in nobis, 1 Cor. 3. 16. *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* sed magnum est intervallum discriminis, quia in ipso inhabitat per excellentiam, in nobis mediocriter, secundùm receptivitatis

 modum;

modum; in ipso manet jugiter ὑποστατικῶς & personaliter, in nobis ἐνεργητικῶς & per intercessus. Quoad modum Testificandi, quia credentibus testimonium perhibet Spiritus non minùs quàm Christo, Rom. 8. 16. *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei*; & inungit eos etiam oleo gratiæ desideratissimo, sicut olim Christum, 1 Joan. 2. 27. *Si manserit in vobis unctio quam accepistis ab illo*; denique & obsignat eos sicut ipsum Christum, Eph. 1. 13. *Signati estis spiritu promissionis.* Denique, quoad modum Operandi, quia sicut ipsius ductor erat in omnibus, ità etiam & nostrî, Gal. 5. 18. *Qui Spiritu ducuntur, non sunt sub Lege:* Rom. 8. 14. *Quicunque Spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei.* Hoc tantùm interest, quòd Influxus in Christum locupletior erat & uberior, in nobis est restrictior; & Testimonium ipsi indultum visibile erat atque solenne, in nobis est occultius, & pectore penitissimo absconditum; adhuc & Obsignatio ejus intimior multò & augustior erat quàm nostra, quia *nostra est facta velut odore balsami*, ut Augustinus loquitur, *in ipsum defluxit substantia unguenti.* Hoc, hoc solamen nostrum, hoc oblectamentum, quo majus afferri nullum potest, quòd unius & ejusdem Spiritûs est effusio in caput & in corpus, & verbis iisdem exprimitur, & iisdem notis atque effectibus se prodit, manendo, habitando, ungendo, testificando, obsignando, ducendo. O ineffabilis consolatio! Hoc Documentum primum est, respectu Solatii, quia recipimur in Consortium.

Documentum alterum est Imitationis, Ut tradamus nos totos in obsequium, cùm Christus post acceptam plenitudinem permiserit se totum Spiritui Sancto, ut ab ipso duceretur: est enim accepti doni in his verbis demonstratio, quòd ductu Spiritûs ivit; ut nobis esset exemplo, non debere nos nostrum spiritum sequi, si Dei Spiritu imbuamur. A S. Paulo ratio petatur, Rom. 8. 5. *Qui secundùm Spiritum sunt, quæ Spiritûs sunt sapiunt*; & 1 Cor. 6. 20. *Non estis vestri, quia empti estis pretio.* Neque hoc totum est, mihi liceat hoc unum attexere, Non estis vestri, quia obsignati estis Spiritu Adoptionis; & per hoc sciatis non esse vos vestri juris, sed totos, quanti estis, Spiritûs magisterio cessisse. Quocirca videndum est sedulò in omnibus operibus nostris quo Spiritu ducamur: nam si nostro, vivimus nobis; si Dei, Deo. Quod si à Spiritu Dei proficiscantur opera nostra, consona erunt & conformia præceptis Divinis, quia hæc exarata sunt calamo Spiritûs Sancti; tunc Deo cordi erunt & longè acceptissima, si non secundùm carnem vivamus, sed secundùm eum quem accepimus spiritum; tunc erit in oculis omnium, nos non incassum eo Spiritu ditatos esse, qui neminem frustrà possidet, si secundùm Spiritum quem accepimus ambulemus. Sic S. Davidem orasse legimus, Psal. 143. 11. non solùm ut haberet Spiritum, sed ut ab eo regeretur, *Spiritus tuus bonus deducat me in terram rectam:* sic S. Simeonem, Luc. 2. venisse in templum ductu Spiritûs; & S. Stephanum, Act. 6. signa & prodigia fecisse plenum Spiritu; & quatuor Animalia, Ezech. 1. quocùnque Spiritus agebat ivisse; & Apostolos, Act. 2. 4. cœpisse loqui variis linguis, Spiritu Sancto repletos. Quæ ratio? Ut extrà luceret donum in opere, quod intus fervebat quidem, sed latebat in pectore conclusum. Postremò, sic Christum ipsum Spiritu Sancto plenum in desertum ad pugnam secessisse, eundémque post tentationis victorias in virtute Spiritûs in Galilæam remigrasse, ut esset omnibus manifesta doni probatio quod acceperat; non descendisse in eum Spiritum, ut eum tantùm ostenderet populo & discederet, sed prorsus permansisse, ut regeret & gubernaret; útque nos exemplo ipsius configurati, sicut Apostolus loquitur,

quitur, non extinguamus aut contristemus Spiritum Sanctum, sed magis nos totos ipsi subjiciamus, in omnibus ducendos, agendos, etiam & pellendos, quocúnque & quomodocunque placuerit. Hoc Documentum postremum est, quod dixi Imitationis.

De Motu & Motore hæc dicta sunto: de suscepti itineris Fine cura erit proxima, in illa clausula, *Ut tentaretur à Diabolo.*

LECTIO X.

Ut tentaretur à Diabolo.

DE Spiritu qui Dominum Jesum & impleverit & in desertum duxerit, distinctè & articulatim suprà est disputatum, spatiosiùs aliquantulò quàm primulùm putabam, sed breviùs multò quàm mysterii tanti veneratio postulabat. Decreveram id ocyùs perfecisse, & cum minori temporis impensa: verùm ea fuit argumenti jucunditas, ex deliciis Spiritûs & Plenitudinis Christi oblectamentis proveniens, ut ab illa non poteram ratione ullâ aut animum aut calamum avocare; quantumlibèt ad ipsam tentationem, velut totius itineris metam, avidiùs festinarem. Neque nova profectò res est, si in itinere longo moram & tarditatem aliquam ipsa rerum incidentium delectatio injiciat, & paulisper consistere cogat. Viatoribus nihil est usitatius, cùm ad longinquas regiones habitandi gratiâ se conferunt, etsi hoc fit potissimùm in votis, ut ad locum ubi commorandum est peropportunè veniant, at de via aliquando deflectere non gravantur, ut mores gentium, & celebriorum urbium situm ac pulchritudinem observent, invitante ipsos amœnitate locorum. Sic Ulysses ille, homo seculi, post decem annorum exsilia ad patriam reversurus, licèt patrii soli esset amantissimus, at Lotophagos tamen legimus eum baccarum suavitate tenuisse, & Alcinoi hortos retardasse, & cantu vocis illectum ad famosum illud voluptatis naufragium Sirenes penè deduxisse, nisi adversus illecebrosæ sonitus cantilenæ sociorum aures cerâ impositâ clausisset. Quantò magis nos decet historiam hanc Sacram pertractantes, cœlestium factorum Salvatoris religiosâ admiratione mulceri: ubi non baccarum suavitas haurienda, sed panis Angelorum; nec olera Alcinoi spectanda, sed Sacramenta Christi; nec mores hominum, aut nutantia urbium mœnia visenda, sed calcati seculi honor, & deserti sanctificati victoriæ, & sanctæ civitatis triumphi, & tentationis superatæ laurea, & excelsi montis ovationes, imò ipsius cœli. Non igitur claudendæ sunt aures, sed reserandæ, ut Christum ducentis Spiritûs Sancti vox possit audiri, quam quisquis perceperit naufragium non timebit; nec corporeis vinculis, ut Ulysses, ad arborem alligandus est animus, sed ad Crucis lignum & tentationis scalam est vinciendus; nec abscedendum priùs, donec ab ipsius Spiritu vitam, & ab ipsius plenitudine plenitudinem, denique ab ipsius exemplo robur hauserimus ad tentationes omnes frangendas, aut potiùs superandas.

Ambr. in Luc. 4.c.4.

Huc nos versiculi pars ultima deducit, in qua & Qualitatem certaminis, & itineris etiam Finem graphicè depictum esse jamdudum præmonui. Eam ego nunc in duas Speculationes secabo, Historicam & Theologicam.

In Theologica Quæstiones istæ sunt eventilandæ, Quid sit Tentatio, Quæ Genera Tentationum, Quomodo inter se discriminentur, Cur Christus tentari voluit, & Quare hoc genere tentationis, postremò, Quid indè nobis commodi & utilitatis obtigerit. Hæc erunt Theologicæ Speculationis capita.

Historica in verborum tenore & diversitate examinanda versabitur, ut sit parti Theologicæ ad instar præludii, vel magìs fundamenti. Non quòd sint inter se hæc duo adeò segregata, ut Historicis Theologica non sint omnino miscenda: sed ut rerum perturbatio declinetur, quæ confusionis mater est; cùm contrà, si idonea notionum distributio fiat atque accurata interpunctio, & meliùs veritas historiæ elucidata placitis inserviet Theologicis, & speculatio Theologica explicabit clariùs, ampliabit, implebit veritatem Historiæ.

Ordiamur à Speculatione historica, quæ sita est in diversitate vocum quibus Evangelistæ utuntur. Est autem vocum diversitas duplex, Verbi & Nominis: *& tentabatur, ut tentaretur*, hæc Verbi; *à diabolo, à Satana*, hæc Nominis est differentia. In diversitatem Verbi hoc quicquid est temporis est insumendum.

Diversitas Verbi materialiter sumpti nulla est, sed formaliter; non quantum ad se, sed quantum ad inflexionem. Verbum apud omnes Evangelistas idem est, sed S. Matthæus modo infinitivo utitur, *ductus est* πειρασθῆναι, *tentari*; S. Lucas & S. Marcus passivo Participio præsentis temporis, πειραζόμενος. Lectionis primæ explicatio facilis, quia Infinitivi circumlocutio est familiaris, πειρασθῆναι, hoc est, εἰς τὸ πειρασθῆναι, vel τοῦ πειρασθῆναι ἕνεκα, *tentationis sustinendæ gratiâ*; sive, ut Latini codices omnes, *ut tentaretur*. Secundæ tralatio est difficilior, quia Participii præsentis temporis apud Latinos aut nullus est usus, aut rarissimus. Est enim inter Grammaticos regula, quæ à Flavio Charisio traditur, *In passivis participia præsentis temporis nulla sunt:* sed explicant illud vel per præteritum verbi, & sic Arias Montanus, *erat tentatus*; vel per præteritum imperfectum, ut Erasmus & Vulgata, *& tentabatur*; vel circumloquuntur per Nomen Verbo additum, ut Lucas Brugensis, *erat tentationem patiens*; vel passivum in activum mutant, ut Veteres sæpe,

——Genibúsque volutans
Hærebat,

Virg. &, *Præcipitans traxit omnia.* Quæ locutiones sunt imperfectæ, nisi aut particula *Se* addatur, *volutans se*, *præcipitans se*; aut pro passivis accipiantur, *volutans*, *præcipitans*, id est, *volutatus*, *præcipitatus*. Atque hæc, ut opinor, est ratio, quòd Theodorus Beza, in Novi tralatione Testamenti, quando Participium passivum præsentis temporis occurrit, per activum putavit commodiùs exprimendum: ut Luc. 4. 15. *Docebat ipse in Synagogis eorum*, δοξαζόμενος ὑπὸ πάντων· Vulgata per passivum reddit, *& magnificabatur ab omnibus*; Beza per activum, *omnibus ipsum glorificantibus:* & Luc. 4. 2. *Erat diebus quadraginta in deserto*, πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ διαβόλου, hoc est, *& tentabatur à diabolo*, ut reliqui Interpretes vertunt; sed Beza per activum explicat, *Tentante eum diabolo.* Utcunque fuerit, sive per activum interpretemur sive per præteritum passivum, hoc liquidò constat, distare multùm inter se has formulas, πειραζόμενος, καὶ πειρασθῆναι, *Et tentabatur*, atque *Ut tentaretur.* Nam πειραζόμενος exponit & narrat rem

factam

factam, *πειρασθῆναι* proponit rem faciendam; *& tentabatur* eventum notat & exitum, *ut tentaretur* intentionem & finem; illud est permissionis Divinæ, hoc instituti & propositi; in illo verborum cohærentia est tantùm consequentialis, *ductus est & tentabatur*, in hoc causalis, *ductus est ut tentaretur*. Enimvero nollem libenter vim facere Divinitus inspiratis vocabulis, aut collisione temerariâ exprimere potiùs sensum quàm invenire: at negandum tamen non est & discriminis multum esse inter has formulas, & ex utrisque pleniorem hauriri posse intellectum quàm si alterutro contenti Evangelistæ ab altero temperassent. Dicam quod in re simili Ambrosius, *Plus multò in his intelligo quàm lego; istque occulti aliquid quod magis animo sese ingerit quàm oculis.* Hoc aliquid ut excutere valeamus, Lectiones Evangelicas seorsim contemplemur, & melioris ordinis gratiâ suo utramque nomine distinguamus, ut una Declaratio Facti dicatur, altera Declaratio Propositi. l. 2. Luc. c. 5.

Declaratio Facti prima erit, in S. Marci vocabulo comprehensa, *ductus est à Spiritu, & tentabatur.* Nuda hæc est & simplex rei gestæ descriptio, in qua tanquam in speculo Tentatoris indolem intueamur, subdolam illam multiplicémque. Is Salvatori multò antè præparaverat insidias, nec tamen ausus est eas opponere, nondum adeptâ licentiâ tentandi: nunc tandem permissione Divinâ laxatas ei habenas sentiens, consurgit illico & adoritur; facto uno triplex Specimen nobis exhibens, Vigilantiæ, Malitiæ, & Impotentiæ.

Vigilantiæ Specimen est, quòd statim postquam duxisset Christum Spiritus Sanctus præstò est Spiritus nequam, paratúsque ad irruendum: est quippe insomnis adversarius, inconnivos habens oculos, semper in promptu, semper ante ostium; pulsans quotidie ut irrumpat, circumambiens jugiter ut incautos implicet. Hinc est quòd Fulguris similitudine describitur, Luc. 10, 18. quod ab Oriente in Occidentem usque tantâ incitatione fertur, ut celeritatem ejus nè mente quidem sequi possumus, & tanta est quanta nè cogitari quidem possit. Hinc 1 Pet. 5. 8. circumcursitantem introducit Apostolus, *Obambulat*, inquit, *quærens quem devoret. Obambulare* dicit ut & diligentiam notaret & pernicitatem ad malum perpetrandum. Etenim Spiritus cùm sit, tametsi non moveat in instanti, sed in temporis aliquo spatio: at verò tantæ est mobilitatis ut, ventorum instar, motu rapidissimo feratur; tam potens, ut nihil eum retardare queat; tam expeditus, ut nullum laborem aut molestiam possit ex motu perpeti; tam velox, ut tempore imperceptibili se hominibus præsentem exhibeat, insistens operi, locutioni, cogitationi, utpote qui nec loco clauditur, nec distantiâ prohibetur, sed quocúnque velit volitat, & extemplo apparet. Ut breviter dicam, *Omnis spiritus ales est*, ut Tertull. loquitur; hoc Angeli, hoc Dæmones. Igitur ubique momento sunt, totus orbis illis unus locus est; quid ubique geratur tam facilè sciunt quàm enunciant; velocitas Divinitas creditur, quia substantia ignoratur. Hoc est quod legimus 1 Reg. 22, 22. cùm de Achabo seducendo deliberaretur, confestim ultro se offert malignus Spiritus, *Ego egrediar & decipiam eum:* adeò semper est in expedito & ad manum, si Deus concesserit; ad manum S. Job, ut exagitaret, & S. Davidis, ut in errorem induceret; ad manum S. Petri, ut cribraret, & S. Pauli, ut colaphis cæderet, & ipsius Christi, ut circumveniret. Quamprimùm Spiritus Sanctus eum ducit ut tentaretur, mox malus adest, & tentabatur. Hoc argumentum est Vigilantiæ. Apol. adv. Gentes, c. 22.

Deinde & Malitiæ, quòd Christum adoriatur cùm Spiritûs Sancti ductum sequeretur. Hoc, si quod aliud, Malitiæ est fastigium, neque enim est quic-

quicquam in quo magìs malitiam suam possit prodere, quàm quòd filiis Dei & Spiritûs Sancti assectis maximè insidiatur, quódque Sanctorum sit hostis juratus; non tam spe obtinendi quod expetit, quàm ipsorum felicitatis invidiâ, odióque sanctitatis. Est pulcre hoc à S. Augustino animadversum, in vita S. Antonii, quòd Christianis adeò invident dæmones, ut nostrum in cœlos ascensum impediant, nè illuc nos unde ipsi delapsi sunt ascendamus. Nec non à S. Ambrosio, Ep. 84. ad Demetriadem, quòd Dei servos potissimùm insequantur quos viderint probitate & virtute clariores; ut quibus non possunt vitiorum persuadere amorem, immittant iis laudis cupiditatem; & quos impulsione non movent, elatione dejiciant. Pariter & à S. Gregorio, quòd Sanctos magìs odit diabolus, quia sui non sunt; cùm quos suos putat, negligat, prædâ certâ potitus: haud aliter atque canes assolent, qui adversus domesticos non sæviunt, sed contra eos qui foris sunt; sic hos Satanas insequitur à quibus ipse deseritur, & quantò minùs suos putat tantò magìs expugnare conatur. Porrò & ab omnibus antiquioribus Theologis, quòd ubi divitias videt diabolus, ibi aciem instruit, velut fur aut latro prædæ avidus. Quemadmodum in terris latrones, (est similitudo Chrysostomi) non ubi sunt paleæ vel fœnum, nec ubi arena aut furfur, sed ubi aurum & argentum & uniones, ibi insidias parant: & sicut in mari piratæ, non tum ubi conspexerint navem è portu exeuntem, invadunt eam, quia nihil ipsis commodi foret si scapham inanem demergerent; sed ubi redierit onusta & plena sarcinis, tum demum molesti sunt, tunc aggrediuntur: sic etiam hostis noster, sceleratus ille dæmon, ubi collectas viderit opes animæ, ac pietatis facultates auctas ex jejuniis, precibus, eleemosyna, castitate, ubi navigium nostrum plenum persenserit pretiosis virtutum lapidibus, tunc demum irrumpit, & machinas suas admovet, semper illis occursum pergens qui secundùm Spiritum ambulant; ut feriunt summos fulgura montes. Obsecro, quid non cadat in hunc animum? quid non recipiet hæc malignitas, quæ Sanctos insectatur eo ipso nomine quòd secundùm Spiritum ambulent, Deóque adhæreant? Hoc argumentum Malitiæ.

Postremò, etiam & Impotentiæ, quòd nisi acceptâ potestate non potest lædere, imò nè tentare quidem. Hinc est quod de S. Petro Christus in Evangelio testatur, expetivisse Satanam ut eum ventilando concuteret, Luc. 22. 22. *ut ostenderet*, inquit Beda, *nullius fidem à diabolo nisi Deo permittente tentari:* idcirco petiisse dicitur & postulasse; nimirum quia per se nihil potuit, petiit, nam si potuit, non petiisset. Hinc est quòd de Sancto Job Augustinus doceat, quòd contra eum nihil potuit calumniator antequam bis postulasset, bísque ei Dominus potestatem dedisset; *Ecce in manu tua sunt universa quæ habet, sed ipsum nè tetigeris:* & rursus, *Ecce ipse est in manu tua, veruntamen animam illius serva.* Quid clarius? non potuit, non ausus est vel unam oviculam viro sancto tollere, nisi priùs Deo diceret, *Mitte manum tuam,* hoc est, permitte mihi, da mihi potestatem: nec omnino tunc quidem, nisi priùs ei Dominus dixisset, *Ecce est in manu tua*; usquehuc venies, & non procedes ampliùs, & hîc pones elationem fluctuum tuorum. Denique, hinc etiam quòd de Gadareno illo apud S. Matthæum, cap. 8. Tertullianus observat, Qui hominem occupabant dæmones, nè in porcorum quidem gregem habuisse potestatem, nisi eam à Deo postulassent. Quòd si non habeant in porcos imperium, multò minùs in Dei filios: síque injussu Dei oviculas hominis non possint lædere, oves Dei proculdubio non possunt. Hoc infirmitatis, ut dixi, signum est & Impotentiæ, quòd in se debiles sunt & invalidi, viribus destituti, cùm nibil

nihil possint nisi potestate impetratâ. Et hinc est, Fratres, consolatio nostra, nè animo concidamus, aut nobis ipsi terriculamenta fingamus, dicendo, Nè fortè dæmon veniat eversum me, nè sublatum prosternat, nè tentationibus obruat. Absit ut talia cogitemus; non habent potestatem nisi accipiant, Divino arbitrio eam aut relaxante, aut cohibente. Mali sunt, agnosco, & malitiosi, sed bonus est Christus. Imperante Christo, ipse vel invitus diabolus prædæ suæ custos erit; & malitia in gratiam convertetur, non suam, sed Christi. Semper nocere cupiunt, verum est; *Si sui juris essent, nemo Christianus per ipsos viveret, Sanctorum nullus remaneret*, ut scitè post Athanasium Augustinus: at quamvis nocere volunt, non possunt, quia Christus obsistit. Non contra nos, sed contra Christum certamen instituitur, si ejus fide muniamur. An fidem illam auferre possunt quam Omnipotens dedit, quam Christus custodit? Sicut igitur ipse qui dat non vincitur, ità illud quod dat non aufertur; quia *si auferri potest quod datum est, dator vincitur*, ut optimè Augustinus. Astuti sunt & ingenii callidissimi, robusti hostes, viribus præpotentes, serpentes, lupi, canes, leones, dracones, milvi: at abducere non possunt nos, nisi nostrâ ipsorum culpâ; quia in nobis est tentationum sagittas aut admittere, aut non admittere: suggerere enim possunt, non cogere; quia tentandi licentiam accipiunt, non copiam subruendi, nisi nostrâ sponte labamur; nec cor intrare possunt, nisi nos ipsi aperiamus. Post pulsationem secundam aut tertiam, si nemo responderit, evanescunt; si observatos se sentiant, in speluncas recurrunt. Et *canis*, inquit Chrysost. *quando mensæ assistit exspectans ut aliquid eorum quæ in mensa sunt ipsi projiciatur; quamvis diu maneat, at si semel atque iterum nihil adeptus fuerit, discedit & abstinet, velut frustrà exspectaturus: similiter, si exspectanti Satanæ nos nihil largiamur, nisi nos eum comiter excipiamus, recessum properabit, nè ludat operam.* Sint leones, sint dracones, sint milvi: verùm ipsis Deus terminos statuit, & potestati frænos injicit, ut tantum faciant quantum ipsis permittitur. Si mentior, cur nobis, Satana, parcis, qui ubique discurris? An quia Sanctos diligis? at quid tam charum tibi esse potest quàm eos lædere? Si non sit ità, cur indulgeri tibi postulas tentandi licentiam? nemo enim quod suæ ditionis est ab alio deprecatur. Quòd si ità sit, erigamus animos, vigiliis, precibus, jejuniis, fide reddamus eos munitissimos. Sub illius gallinæ alis sumus, ubi nos non potest milvus contingere: sub illo duce militamus, qui draconis & leonis tyrannidem conculcavit, ut nihil possit absque permissu imperióque ipsius à quo solo & versutia eorum & malitia & potestas circumscribitur; ut nobis in comperto foret, quàm sit in vigore summo debilitatæ virtutis, quia sub imperio imperium est subjectio, & limitata potentia imbecillitas. Hæc declaratio prima est, nimirum declaratio Facti, Vigilantiæ, Malitiæ & Impotentiæ diabolicæ nobis specimen exhibens ex S. Marci vocabulo, *ductus est*, inquit, *& tentabatur*.

Amb. De Pœnit. lib. 1. cap. 13.

Athan. De Vita Antonii.

Aug. in Ps. 96.

in Psal. 26.

Damasc. l. 2. c. 4.

Ambr. De Paradiso, c. 2.

Chrys. Con. 4. de Lazaro.

Athan. in Vita Anton.

Aug. in Ps. 82.

Accedo ad secundam, quæ est Declaratio Divini Propositi, à S. Matthæo explicata. In ea duo occurrunt scrupuli, Ex parte Christi euntis, & Ex parte Spiritûs ducentis, ut tentaretur. Siquidem cùm res sit plena discriminis tentatio, sponte se ei objicere temerarium; cúmque sit vel mala, vel saltem malo proxima, suadere aut ducere vix congruum aut Deo dignum videtur. Duo igitur hujus partis sunt ζητήματα, De Christo eunte, De Spiritu ducente, ut tentaretur.

De Christo est quæstio prima, An temeritatis fuerit quòd ultro se tentandum offerebat. In nobis quidem insignis esset nota incogitantiæ, si falsâ æstimatione nostrî istis nos periculis obtrudamus: verùm Salvatori nostro,

qui

qui caput Serpentis jamdudum fregerat, idque multis retro annis, in Paradiso, antequam natus fuerat, honorificum erat, & tutum, & gloriosum. Propterea neque à nobis ad Christum valebit consequentia negativè, ut quia nos non debemus ultrò Satanæ occurrere, ipse non debeat: neque à Christo ad nos valebit affirmativè, ut quia ipse consultò certamen hoc iniit, & nobis tutum foret in similem arenam descendere. Vestigiis Christi insistendum esse nobis non diffiteor, verùm humanis, non heroicis; est in hoc facto supra hominem sublime aliquid. Igitur sicut non habet ascendendo à nobis ad Christum vim argumenti, ità nec à Christo ad nos descendendo speciem exempli. Breviter, non est à nobis ad Christum res argumentativa, Nos non possumus, ergò Christus non potuit; nec à Christo ad nos res exemplaris, Christus fecit, ergò nobis est faciendum.

Ex parte nostrî hæ rationes impediunt.

Prima est Divina Prohibitio, Mar. 14. 38. *Vigilate & orate, nè intretis in tentationem.* Si cavere debemus & fugere, an liceat in ea nosipsos injicere? Neque obstat S. Jacobi illud, cap. 1. ver. 2. *Omne gaudium existimate, Fratres, cùm in varias tentationes incideritis*; & quia de afflictionum tentationibus loquitur, & de incidendo in eas, non insiliendo. Quòd si Deus miserit, animosè sunt perferendæ; at non sunt tamen quærendæ & expetendæ.

Secunda ratio est Inæqualitas certaminis: ex nobisipsis nos nullarum sumus virium, ipse robustissimus; ipse veteranus, nos tyrones. Ut ad Davidem de Golia Saul loquitur, 1 Reg. 17. 33. *Non vales pugnare adversus Philistæum hunc, quia puer es tu, ipse vir bellator ab adolescentia*; & ut terræ promissæ exploratores de Cananæis, Num. 13. 34. *Monstra sunt hominum filii Anak, de Gigantum stirpe, quibus nos comparati quasi locustæ videbamur:* & nobis ità de hoc impari congressu loqui possumus, Hostis ipse adeò est ferox & prævalidus, ut ejus robur ex se sustinere nemo hominum possit; nos adeò infirmi, ut nostris viribus vel minimam tentatiunculam haud valemus superare.

Tertia ratio, Arrogantiæ labes & præsumptionis. Inepti hominis est id suo Marte suscipere quod conficere non potest nisi Divino præsidio juvetur; nec quisquam est qui citiùs succumbit quàm qui suis viribus confidit. Non me movet, quòd Sanctis sæpe fructus dulces amaræ tentationum radices suppeditent: sed non sunt res ambiguæ ex eventu metiendæ: per se diaboli tentatio ad hominis perniciem tendit; ad salutem non tendit nisi per accidens, quatenus auxilio Divino Tentator vincitur. Victoria hæc cùm sit anceps, nobisque parùm præcognita, non est incertæ spe victoriæ in tam æstuantem clibanum irruendum; quia contingens causa non habet ad effectum proportionem nisi sub certis conditionibus.

Ratio postrema est Nota Temeritatis. Qui in diaboli tentationes sponte se injicit, Dei se tentatorem facit: quod duplicati criminis reatum denotat, illinc tentando Dominum, & hinc nosipsos tentationibus objiciendo. Quòd si periculum corporis foret, aut vitæ difficultas parva aliqua & incerta, at præsumptionis est, imò dementiæ, vitam in dubium vocare, si possit in tuto esse. *Scintilla parva contempta magnum sæpe excitavit incendium*, ut scitè Curtius lib. 4. De salute quid dicam? quid de anima? Audi prophetam, *Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, quia currebant, & ego non mittebam eos*, Jer. 23. 19, 21. Audi rursus Ecclesiasticum, *Qui amat periculum, peribit in illo.* Quæ ratio? Multiplex. Quia

Quia pretiosum animæ depositum in minimis ponit, neque exspectare potest ut Deo sit charum quod vile sibi. Quia Divinæ voluntatis contemptor magisterio suo vivit; & humilitatis disciplinâ excussâ, elatione animi ad exitium voluntarium præceps volvitur: adeò est certo certius quòd tentator Dei est proditor sui. Postremò, Quia inermis & nudus incedit, Divinóque adjutorio tam penitus destitutus, ut nec sperare illud possit, nec petere: non sperare, quia inceptum Deus non comprobavit; non petere, quia Deus non promisit velle se temeritati & audaciæ suffragari, sed vocationi suæ & ordinationi. Ergò in nobis est impium, certissimúmque interitûs præsagium, in tanti casûs aleam nos dare.

Hæ sunt rationes Ex parte nostrî, cur nobis non licet.

Ex parte Christi, quòd prudenter ab ipso factum est, hæ rationes militant. Quia constabat illi de victoria, eámque certissimò prævidebat, non solùm in seipso, sed in causa proxima, scil. in plenitudine illa gratiæ quam habebat. Quia pars erat muneris mediatorii tentationes nostras subigere in se eas recipiendo. Non igitur dicitur, *Ivit ut confligeret cum diabolo*, sed *ut tentaretur*, quia sanctificare voluit hoc Tentationis vocabulum. Adhuc, Quia necessarium erat, cùm tentandus esset, ut tentatorem quæreret, dicente Chrysostomo, *Attende discrimini, Ad homines*, inquit, *vadit diabolus, ut tentet eos; non homines ad diabolum, ut tententur ab eo: Christus contrà, cùm adversus eum ire diabolus non poterat, idcirco contra diabolum ipse processit*. Ad extremum, Quia solus ut debuit suscipere, itâ solus potuit vincere, cùm fuerit extra periculi aleam positus, utpote nullis viribus superabilis; cúmque insuper habuerit non instinctum duntaxat, sed ductum plenissimum Spiritûs: idcirco nec nudè ductum legimus, nec nudè ivisse, sed utrumque junctim. Ivit, ut libertatem suam ostenderet; ducebatur, ut libertatem Spiritûs Sancti, *hominem suum jam diabolo offerentis ut tentaretur*, ut Hilarius loquitur, Can. 3. in Matth. *Ivit, ut significaret non à Deo diabolum, sed à carne vincendum*, Hil. ib. ducebatur, ut sciamus tentationes esse voluntatis & ordinationis Divinæ, ut præire Sanctis Deum Spiritu suo in his altercationibus pro certo credamus, útque cognoscamus ad hanc pugnam Spiritum Sanctum ducere quoscunque replet, denique, ut addiscamus simul, nec immunitatem Divinam Sanctos habere nè tententur, & ordinationis Divinæ esse ut tententur. Hæc ratio discriminis, ipse ivit & ductus est; ergò nobis non est eundum nisi ducamur. Quapropter ab ipso ad nos consequentia non valet, quia non fuit actio exemplaris; nec vicissim à nobis ad ipsum, quoniam non est de ipso secundùm infirmitatis nostræ modulum cogitandum, sed planè confitendum pulcherrimum facinus fuisse, consiliíque plenissimum, salutíque nostræ maximopere necessarium. Hactenus de Quæstione prima, Cur ivit? Ad hoc ipsum ut tentaretur.

Autor imperf. in Matth.

Succedit secunda, De Spiritu Sancto ducente, éstque paulò spinosior; cùm videatur & Orationi Dominicæ parùm consona, & loco etiam tum Evangelico tum Apostolico tantùm non contraria. In illa cœlesti formula Christus nos orare docet hoc modo, *Nè nos inducas in tentationem*. In Mar. 14. 38. discipulos suos sic hortatur, *Orate nè intretis in tentationem*. Porrò & in sua S. Jacobus Epistola, c. 1. v. 13. *Nemo cùm tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur; nam Deus, ut malus tentari non potest, itâ ipse neminem tentat*. Hæc, inquam, specie tenus, à loco qui præ manibus est discrepant: nam si itâ sit quòd servos suos Deus Spiritu suo ducat ut tententur, videbitur ex eo sequi, & esse illud à Deo quod à Deo non est, & illud Deum facere quod tamen nobis imperat ut fugiamus, & illud quoque agere quod orare nos jubet nè agat: *Cavete nè intretis*, & ipse nos mittit; *Orate nè vos*

ducat, & ipse nos ducit; *Deus neminem tentat*, & Spiritu suo agit Christum ut tentaretur. Præterea, non Scriptura sola, sed recta Ratio refragatur: quia si tentatio Satanæ sit impulsus ad illicitum, & sollicitatio quædam sive incitatio ad peccandum; hinc quoque videtur sequi, ut si sit malum propriè dictum in sollicitando, erit saltem mali species in ducendo; quia si non habet respectum causalem, at certè occasionalem, ad ipsum peccatum.

Ut fiat istius Dubitationis brevis & expedita solutio, in animo non est in præsentiarum quicquam dicere vel de optimo tentandi genere, quod Tentatio Probationis dicitur, quia res ipsa loquitur, solere sæpius Deum servorum suorum periculum facere; vel de genere pessimo, quod Tentationem pravæ Dispositionis appellant, quia nemo est tam impos sui, ut hoc sensu asserat à via veritatis quenquam excutere veritatis Spiritum. Erit locus in posterum, cùm ad Theologicas Speculationes pervenero, ista fusiùs pertractandi; nec ad illa præsens se porrigit disputatio, sed ad pugnam tantùm cum diabolo susceptam, & ad instinctum Spiritûs Sancti, quo ad hanc pugnam Christus ferebatur. Et de istis non erit arduum ostendere, nec esse in iis quicquam mali, nè per speciem quidem; nec ulli Scripturæ loco adversari Evangelistam, cùm Christum asserat à Spiritu ductum ut tentaretur.

Hæc singula ut clariùs peragantur, præmittendæ sunt duæ *Distinctiones*: Una erit De ducente Spiritu bono, Altera De tentante Spiritu malo. Duabus istis tota disputatio innititur, & ab iis facilè hauriet, non dico *firmitudinem*, at evidentiam (audeo dicere) & perspicuitatem.

Distinctio prima est De tentante Spiritu malo. In ea duo sunt consideranda: Emissio sive instigatio ex parte tentantis; hæc semper est mala, neque habet authorem ullum præter ipsum Satanam: & Susceptio ex parte tentati; hæc, si consensum adjunctum habeat, aut delectationem intrinsecùs exsurgentem, non est sine peccato; si in depulsionem exeat & detestationem, peccatum non est; imò non solùm non est peccatum, sed pars victoriæ. Ratio est, quia peccatum est voluntarium quid, & in actu proprio cujuslibet consistit; ità ut actus unius simpliciter non potest esse peccatum alterius, nisi sit aliqua vel directa vel indirecta communicatio: at tentatio dæmonis, si nullus effectus exterior sequatur, est actus non noster, sed solius dæmonis; quia circa illam nos nihil agimus nisi delectemur aut consentiamus, sed tantùm passivè habemus; neque potest hæc passio vitari, neque in nostra potestate situm est ut à dæmone, si Deus permiserit, non tentemur. Summa huc redit, In hac pugna tentationum secernendos esse actus nostros ab actibus Tentatoris. Tentatoris actus sunt suggerere, urgere, incitare: Hæc peccata sunt sua. Actus nostri vel à sinistris sunt, vel à dextris. A sinistris, oblectari, assentire, cedere, parere, succumbere: Pravitates sunt istæ, & in peccatis vel maximè recensendæ. A dextris actus sunt alii, obsistere, indignari, repellere, vincere: Hæc à peccato abstrahunt, cedúntque & in Dei gloriam, & in nostram Coronam. Sunt igitur actus nostri, & actus sui. Si non admittamus tentationem, est involuntarium; si admittamus, ex involuntario fit voluntarium. Si admittamus, non est ejus solius actio, sed nostra; si non admittamus, manet sua: sicut eruditè ab Augustino est observatum, De Civ. lib. 21. c. 22. *Non vincit aut subjugat aliquem diabolus, nisi societate peccati; si quis autem certat & vincit, ad instar S. Job, qui morsum diaboli pertulit, sed venena non sensit, non solùm non est perniciosa tentatio, sed utilis & gloriosa.* Sit igitur hæc Distinctio prima, de tentante Spiritu malo, cujus hæc Summa est, Tentationem interiorem semper peccatum esse, sive sit intus orta, sive intus admissa: exteriorem non item, si modò retundatur.

Distinctio

Distinctio secunda est De ducente Spiritu Sancto, Quòd quoties in Scripturis Sacris legimus à Deo duci quenquam, non semper eodem modo est intelligendum. Sunt enim duo genera Deductionis Divinæ: una est Permissiva; Imperativa, activa & Operativa altera.

De Permissiva loca illa sunt intelligenda, *Quare errare nos fecisti de viis tuis?* Isa. 63. *Mittet illis Deus efficaciam deceptionis, ut credant mendacio,* 2 Thess. 2. *Tradidit eos Deus cupiditatibus cordis ipsorum ad impuritatem,* Rom. 1. *Nè nos inducas in tentationem,* ut sextâ petitione precamur. Hæc omnia ultra deductionem Permissivam nullatenus sunt extendenda: nam *errare nos facere* dicitur, quando non prævenit nè erremus, quando permittit ut in errores labamur. Sic dicitur *mittere,* & *tradere,* & *ducere in tentationem,* non positivè, sed negativè, videlicet permittendo, deserendo, non miserendo, non præveniendo: quemadmodum de excæcatione & induratione cordis Augustinus sæpius, *Excæcat, non illuminando; obdurat, non molliendo, non adjuvando; non, impartiendo malitiam, sed, non impartiendo misericordiam,* Ep. 105. & qu. 2. ad Simplicianum, *Non ab illo erogatur aliquid quò sit homo deterior, sed tantùm quò sit melior non erogatur.* Idem dicendum est de tentationibus quibuscunque simpliciter malis; atque ità Doctores veteres petitionem illam interpretantur. Sic Orthodoxus apud Theodoretum, *Nè nos inducas, id est, nè nos permittas incidere in aliquam tentationem quæ nociva sit aut ad corpus aut ad animam; quia tu potens es nos liberare, & non aliter inducis, nisi quia non liberas.* Sic aliorum nomine Augustinus, *Multi sic exponunt illud, Nè inducas, ut sit, Nè patiaris nos induci in tentationem: Non enim per seipsum inducit Deus, sed induci patitur eum quem suo auxilio deseruerit.* Taceo reliquos, quia in re confessâ verbum sufficit, Quòd quotiescunque in Scripturis occurrit in aliquam pravam aut peccabilem tentationem deductio, permissivè & negativè est intelligendum.

In Joan. tract. 53.

E contrà, interdum de deductione Imperativa, activa & operativa fit sermo in Scripturis, quando hominem tradit Deus ad certamen cum adversario ineundum: & illius duo sunt modi; dupliciter enim contingere solet, ut S. annotat Augustinus, *In supplicium, ad homines pro peccato puniendos; & In experimentum, ad eos exercendos.* Hoc est quod verbis aliis B. Cyprianus, *Vel datur ad pœnam, cùm delinquimus; vel ad gloriam, cùm probamur.*

Cypr. De Orat. Dom.

Ad Pœnam primus Modus pertinet. Sic missus est adversus Achabum, 1 Reg. 22. 22. *Egredere, decipies & prævalebis:* sic contra Israelitas aliquos, ex Psalmographo dicente Augustino in Psal. 77. 49. *Misit iram indignationis suæ per Angelos malos; Tradidit Deus,* inquit Augustinus, *Achabum in pseudoprophetarum mendacium, optimè usus pessimo diabolo, ut idem peccatum esset & peccatorum supplicium præteritorum, & suppliciorum meritum futurorum.* Secundùm hunc ducendi modum tentationes deprecari nos Christus docuit, malas simpliciter, dubias sub conditione, non ut omnino non sint, sed ut non sint pœnales; non ut nullatenus nos eis tradat, sed ut non derelinquat; non nè ducamur, sed nè superemur; vel, ut Augustini verbis utar, *non ut igne non contingamur, sed ut non exuramur.* Et est hic quidem petitionis sextæ sensus, si quis alius, optimus, Non sit nobis pœnalis aut destructiva aliqua tentatio, non cedat in supplicium. Iste est Modus primus.

Secundus ducendi in tentationem Modus est cùm ad Honorem intenditur & Gloriam. Ad Gloriam missus est Satanas adversus S. Paulum, & S. Jobum, de quo S. Ambrosius sic loquitur, *Tentabatur Job, ut fides luceret, ut illuderetur*

Amb. in Ps. 37. Id. de Pœnit. l. 1. c. 13.

retur diabolus, & ipse se morsu suo vulneraret, & contra se armaret quem debilitandum putavit. O potestatem magnam! O magnam gratiam, quæ imperat diabolo ut se ipse destruat! se enim destruit, cùm hominem quem tentando supplantare studet, ex infirmo fortiorem reddit: quia dum carnem debilitat, mentem ejus corroborat. Hæc Ambrosius. Enimvero, nemo est qui nescit quàm plurima mala S. Job Satanam intulisse, pessiméque tractasse: attamen non est dubitandum ab ipso Domino hæc sanctissimo viro obtigisse, cùm Dominus dixerit, *Ego trado eum in manus.* Atque hoc vir sanctus agnovit; *Dominus dedit, & Dominus abstulit*, cap. 1. & c. 19. 21. *Manus Domini tetigit me. Non dixit*, inquit Augustinus, in Psal. 32. *Dominus dedit, & diabolus abstulit; sed Dominus abstulit, ut à Domino factum indicaret:* nec dixit, observante Ambrosio, in Psal. 37. *Diaboli manus tetigit me; sed manus Domini, quia cùm diabolus vulnerat, manus est Domini, & sagitta Domini, qui diabolo vulnerandi permisit potestatem, ut sanctissimi viri virtus magis enitesceret; quia nullum est sine hoste certamen, nulla sine certamine gloria, nulla sine congressione victoria.* Hic Distinctionis secundæ modus secundus. Cujus hæc etiam summa est, Non ducere quenquam Spiritum Sanctum ad tentationes simpliciter malas positivè, sed permissivè & negativè; ad alias ducere quæ non sunt malæ aut bonæ nisi ex eventu; & ducere dupliciter, In pœnam, ut mali puniantur, In gloriam, ut boni coronentur.

Quòd si ad hos calculos præsentem dubitationem revocemus, facilis erit & expedita solutio. Inprimis, cùm ductum ad tentationem Christum legimus, ad deductionem permissivam non est referendum; angustior est ea dictio quàm quæ scopum Evangelistæ attingat. Est energia quædam & operatio, atque ea non exigua, in *ducendi* vocabulo; neque Deo solùm permittente hoc factum significat, sed ordinante, disponente, dirigente, mittente, tradente, quæ operativam deductionem sonant, non nudam permissionem. Proximò, suspicandum non est hanc traditionem aut deductionem operativam aut ad peccatum, aut ad pœnam respexisse: quia *omnis illa diabolica tentatio foris, non intus fuit*, ut Gregorius loquitur; & sic S. Paulus testatur, Heb. 4. 15. *Tentatus est per omnia pro similitudine nostrî, sed absque peccato*; sic ipse de se Christus, Joan. 14. 30. *Venit princeps mundi, & in me nihil invenit*, aut, ut Vulgata, *nihil habet.* Requisivit in Christo aliquid suum, hoc est, peccatum, sed invenire non potuit. In nobis invenire potest aliquid suum, superbiam suam, invidiam suam, infidelitatem suam: Non similiter in Christo, qui & sine originali natus est, & sine proprio peccato mortuus. Quid igitur superest? Si non ad pœnam propendebat, ergò ad palmam & gloriam. Hæc prora est & puppis, ut Græcorum proverbio utar, Honoris ergô ductum, ut nos in Adamo victos liberaret, & nostrî victorem vinceret; idque *non potentiâ Deitatis, sed humilitatis mysterio*, ut Leo loquitur. Quocirca quod S. Ambrosius de duplici traditione Domini ad mortem peracutè pronuntiat, *Quando Scriptura asserit & Deum & Judæos eum tradidisse, multùm diversi multúmque contrarii sunt isti actus; quia ab hominibus ad solam oblatus est mortem, à Domino per mortem missus est ad vitam, ut morte suâ mortem superaret:* de hac ad tentatorem deductione haud aliter est dicendum, eritque hujus exodium disputationis, Ad tentationis pugnam quando audis Christum ductum, absit ut putes eum in discrimine positum, quia non tam ad pugnam ductus quàm ad victoriam, ut sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret, sicut mortem nostram venerat suâ morte superare.

Ser. in Quadr.

Hæc

Hæc sufficiant de Quæstione secunda, Cur & quomodo ad hoc ipsum ductus est, ut tentaretur; adeóque de prima parte historicæ speculationis, quæ sita est in diversitate verbi, *& tentabatur, ut tentaretur.* Possunt quidem ulteriùs ista dilatari: sed quia abunde est quod disseruimus, reliquum est ut ad sequentia properemus; nè, ut Gregorius loquitur, *dum satìs discussa repetimus, tardiùs ad indiscussa veniamus.* Greg. mor. l. 3. c. 1.

LECTIO XI.

Ut tentaretur à {*Diabolo.* / *Satana.*}

IN quocunque argumento persequendo, præsertim si fuerit intercisa disputatio, & vicissatim redintegranda, tria sunt quæ Tractatorem oportet secum sæpius reputare: Quid suprà dixerit, nè eadem multoties repetat; Quid proximò sit dicturus, nè instituti pars aliqua effluat; Quid in totum dicendum sit, nè fortassis excurrat, si non in scopum teneat animum oculósque defixos. De istis omnibus celeberrima est Plinii Regula, in illa ad Apollinarem Epistola, *Officium primum scriptoris esse ut titulum suum legat, atque identidem interroget se quid cœperit scribere, sciàtque, si materia immoratur, non esse longum; longissimum, si aliquid accersit atque attrahit.* Hoc mihi in re præsenti faciendum esse nemo est qui non videt, ut distinctiùs possim in ea quæ sequuntur considerationem intendere. Nam primò, totum hoc quòd dicendum est argumenti titulus ostendit, videlicet Tentatio Salvatoris, quæ & itineris Finis erat, & Qualitas certaminis. Deinde, quid adhuc dixerim diei pristinæ recordatio docebit, quæ Speculationis Historicæ membrum primum vobis exhibuit, de Verbo ab Evangelistis diversimodè posito: nam S. Matthæus id explicat per Infinitivum, πειρασθῆναι, *ductus est ut tentaretur*; S. Marcus & S. Lucas per passivum præsentis temporis Participium, πειραζόμενος, *ductus est, & tentabatur.* Postremò, quid hodie dicturus sim ipsa ordinis ratio indicabit, quòd Historicæ partis membrum alterum superest, De Diversitate Nominis in textu Evangelico occurrentis; quia *à Satana* tentatum S. Marcus asserit, S. Matthæus & S. Lucas *à Diabolo.* Quòd si cuiquam curiosior videatur Observatio, exspectet parumper dum ad exitum pervenero; nec dubito quin efficiam ut intelligat, quàm sit istarum vocum & sensus reconditus & enucleatio necessaria. Plin. l. 5. Ep. 6.

Quod ut apertiùs fiat, ad duas Disquisitiones rem totam revocabo.

Quæ sit utriusque vocabuli propriissima significatio: &

Quæ ratio delectûs, quòd ex tam multis nominibus quæ passim sese offerunt hæc duo usurpentur ad Tentatoris indolem depingendam.

Exordiar à prima, ut videamus Quis sit istorum nominum sensus & significatio. Ex ipsa significatione hoc emolumenti proveniet, ut indè præmo-

neamur & quos & quotnam habeamus circumquaque hostes, quid cogitent, quid cupiant, quo adversus nos odio ferantur, & quid moliantur nobis mali: & propterea non esse nobis obdormiscendum, sed vigilandum, sed pugnandum, sed precibus ad Christum pro ope adversus eos impetranda accedendum, quia adversarii sunt & calumniatores, prout ipsa nomina edocent, *Diabolus*, *Satanas*. Illud Græcum, hoc Hebraicum est vocabulum; utrumque cognitu necessarium, distinctámque inspectionem postulans, quia utrumque est multiplicis, & horrendæ, & maligno Spiritu dignæ in significando potestatis.

Inprimis, quod ad nomen *Diaboli* spectat, pervulgata est ipsius & origo & significatio, nisi quòd in ipsius explicatione sit aliqua inter veteres Doctores, quamvìs perexigua, discrepantia. Etenim Suidas ob tentationum Tela sic dictum putat; *Diabolus dicitur*, inquit, *propter hoc*, ὡς δυνάμενος βάλλειν, *quia ferire potest homines*, *suisque telis vulnerare:* est enim διαβάλλειν in usu proprio, *trajicere*; & in usu Metaphorico est *Culpam aut reatum in alterum trajiciendo transferre*. At verò Interpretes cæteri omnes à *calumnia & obtrectatione* verbum deducunt, idque unanimi consensu. Quod nè temere dictum putetis, loca paucula è Veterum monumentis proferam, ut ex istis sentiatis hanc solam & veram esse nominis notationem. Inprimis sic interpretatur in Apoc. 12. Aretas Cæsariensis; *Diabolus dicitur*, ὡς διαβάλλων Θεὸν ἀνθρώποις, *tanquam Deum calumnians apud homines:* & Cyrillus, Catechesi 2, *Cùm bonus creatus esset, propriâ voluntate factus est diabolus*, ἐκ τῆς πράξεως λαβὼν τὴν προσηγορίαν, τοῦτ᾽ ἔστιν ἀπὸ τοῦ διαβάλλειν, *ab actione*, inquit, *nomen cepit*, *hoc est*, *à Calumniando:* & Chrysostomus, Hom. De diabolo tentatore, Tom. 1. Διάβολος ἀπὸ τοῦ διαβάλλειν εἴρηται, διέβαλε γὰρ τὸν ἄνθρωπον πρὸς τὸν Θεόν, *ab Accusando dictus*, *quia hominem apud Deum accusavit:* & Justinus, in Oratione parænetica ad Gentes, διάβολον αἱ θεῖαι γραφαὶ καλοῦσιν, ἀπὸ τῆς πρώτης αὐτοῦ πρὸς τὸν ἄνθρωπον διαβολῆς, hoc est, *diabolum Divinæ Scripturæ vocant*, *à prima sua adversus hominem calumnia & criminatione:* & Theodoretus, Ser. 3. De Græcorum infidelitate, *Dæmonum principem Sacræ Literæ Diabolum appellant*, *quippe qui Deum Patrem apud homines criminando traducit*, *intérque ipsos homines lites controversiásque* ἐμβάλλει, hoc est, *injicit*. Adhuc & Isidorus Hispalensis, lib. 8. Originum, c. 11. *Diabolus Græcè*, *Latinè est Criminator*; *vel quòd crimina quæ ipse injicit ad Deum referat*, *vel quia Electorum innocentiam fictis criminibus accuset*. Ad extremum & Tertullianus in locis pluribus; in libro De Anima, c. 17. secundùm Rhenanum, 35 secundùm Junium & Pammelium, *Legimus eum*, inquit, *Sanctorum criminatorem*, *& de ipso etiam Diaboli nomine Delatorem*; & l. 2. Advers. Marcionem, cap. 10. *Quod factus est à Deo, id est, Angelus, id erat ejus qui fecit; quod autem factus à Deo non est, id est, diabolus, id est delator, superest ut ipse se fecerit, deferendo de Deo, & quidem falsum*; & l. 5. *Ipsum vocabulum Diaboli, quæro ex qua delatura competat Creatori*. Ex quibus innuit, nomen *diaboli* à voce διαβολὴ desumptum, i.e. *calumnia delatione*, sive, ut ipse loquitur, *delatura*; quæ vox in eorum nominum classem referenda est, observante Rhenano, qualia sunt *læsura*, *paratura*, *supparatura*, *occursura*, *suffectura*, *fluxura*, *subjectura*, *farsura*, *inscriptura*. Est igitur hæc illa de Origine & sensu vocabuli Theologorum veterum sententia; neque opus est plures attexere, quia in ipso Evangelio eadem occurrit Nominis interpretatio. Apoc. 12. cùm versu 9. dicatur *diabolus*, *Projectus est draco ille magnus*, *serpens antiquus*, *qui vocatur diabolus*; mox versu 10 nominis adjicitur expositio, *Dejectus est* ὁ κατήγορος τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν, *accusator fratrum nostrorum*, *qui accusabat eos in conspectu Dei die*

ac

ac nocte. Propterea hoc jam est in confesso, ab *accusando, obtrectando, calumniando*, vim nominis esse trahendam: & meritissimò id quidem, nam ut Abigail de marito suo Nabal ad Davidem loquitur, Conveniunt facta nomini; & ipsum id quod geritur in vocabulo concluditur, *secundùm nomen sic est, Diabolus* ei nomen est, atque est criminationum & obtrectationis præses artiféxque; calumniator ab initio, non minùs quàm homicida.

In summa, quatuor sunt Accusationis genera in quibus se solet mentiendo exercere.

Accusatio prima est quâ Deum apud homines calumniatur, ut in ipsô Orbis conditi principio; *Etiámne*, inquit, *præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradisi?* Quis criminationem non videt? Ut fidem Divini mandati & dilectionis pignus in suspicionem adduceret, interrogando mulierem aggreditur, *Cur dixit Deus?* vel, ut editio Chaldaica, *Verúmne est quod dixit Deus?* Síccine vobiscum agitur? num hæc est illius erga vos benevolentia, ut tanto vos beneficio privaret? Quæ igitur utilitas est in Paradiso vivere, & ejus deliciis non frui? Equidem aut injustus est qui præcepit, aut invidus qui interdixit, aut falsus dum interminatur: mihi magìs credite, mihi obtemperate; nam ego & quod melius est consulo, & quod verius est loquor, *Non utique moriemini.* Ecce hoc est venenum calumniæ quam in Deum ipsum transmittere meditabatur. Quod Deus jussit, refellit; quod minatus est, levigat; quod indulsit, vile & exiguum ducit. Hæc prima est Accusationis species, quâ Deum apud homines calumniatur.

Secunda est quâ calumniatur homines apud Deum, ut contra servos suos bonitatis Dominum accendat; de qua si factum unum ex sacra Antiquitate protulero, plura non dicam. Non est autem obscura illa quam in S. Job instruxit criminatio. Laudavit impensiùs servum suum Deus, ut virum perfectum & integrum: opponit diabolus, possessiones objicit, vituperat mores, spuriam ejus esse virtutem contendit, & magìs in crimine capitali ponendam; Num putas te illum gratis colere? Tu ei dedisti abundantiam: si nudetur, hypocrisis apparebit, quòd non te diligit, sed seipsum, neque filii obsequium præstat, sed mercenarii; *Mitte manum tuam, & attinge ea qua habet, & videbis si non sit in os tuum maledicturus tibi.* Enimvero hoc unum satis est ad obtrectatoris pessimum probandū ingenium. Sed hîc se non continuit criminandi prurigo: nam postquam irritos labores cerneret, nec profecisse se quicquam in hac prima delatione, obtrectationis pharetram alteram aperiit; Nihil, inquit, magnum si opibus excidit, libenter omnia sprevit, quò se servaret, *pellem pro pelle, & cuncta qua habet dabit homo pro anima sua:* fac periculum in corpore, carnes ejus tange, atque manifestò comperies quòd si te magìs diligat quàm sua, at multò minùs quàm seipsum; nam in faciem benedicet tibi. Hæc species est secunda.

De reliquis duabus quid dicam, cùm tam claris argumentis signísque res luceat? Quòd hominem homini criminetur testatur Sacra Pagina, apud complures Judæos eum Christum traduxisse, ut Impostorem eum dicerent ac Præstigiatorem: testantur passim Annales Ecclesiæ, quàm falsò & putidè apud Gentes Christianos est calumniatus, infinita eis scelera imponens, ut gentes contrà suscitaret, Orbíque universo infensos eos redderet; de quibus omnibus uberrimè est à Tertulliano in Apologetico disputatum.

Postremò, quòd hominem sibipsi, proh dolor! vix ullus est locus qui non exempla subministret; vix quisquam est hominum sanctissimorum in quem hæc tela non contorqueat. Quid tibi cum Christi sanguine? ad te salutis spes nulla pertinet; tu nec fidem habes nec pœnitentiam; ficta sunt atque colorata quæcunque obtendis; illud quod fidem vocas est præsumptio, &

 obedientia

obedientia nugæ, & obsignatio Spiritûs ludibrium, & amor tuus non charitas sed fucus, & professio tua non est religio sed prætextus: hypocrita es, simulator, pseudochristianus, utrâque indignus vitâ, & meo tenebrarum regno dignissimus. Hic accusationum textus est, hæ calumniatoris artes, quibus nostrî nos faciat proditores. Hoc primùm agit ut ad peccatum adigat, post hoc ad laqueum; primùm ut sumamus animos quantum ad peccatum, & tandem ut despondeamus quantum ad indulgentiam; primùm ut artibus dolosis circumventos ad defectionem trahat, mox ut attonitos reddat defectionem exprobrando. Sic in peccatis nostris, καὶ συνεργός ἐστι καὶ κατήγορος, ut Basilius, Homil. Quòd Deus non sit author peccati: *Idémque qui incendiator, tortor*, ut Cyprianus loquitur, l. De Jejunio & Tentationibus. His ipsis de causis *Diaboli* nomen habet, ut animadvertit Chrysost. ἐπειδὴ καὶ Θεὸν πρὸς ἀνθρώπους, καὶ ἡμᾶς πρὸς Θεὸν, καὶ ἡμᾶς αὐτοὺς πρὸς ἀλλήλους διαβάλλει, *Deum contra homines, & homines contra Deum, & homines contra se irritans, accusans, detrahens.* De primi nominis significatione ex S. Matthæo sumpti hæc dicta sunto.

Restat ut in secundum similiter introspiciamus, quæ ratio sit nominis Hebraici, cùm non *Diabolus* solùm, sed *Satanas* dicatur. Est illa dictio utrique communis Testamento, nisi quòd non habeat ubique eandem terminationem; nam *Satan* Hebraicum est, Græcum σατανᾶς, *additâ ornatûs gratiâ syllabicâ particulâ*, ut Origenes Cont. Celsum 6. vel *plenioris significationis gratiâ*, ut in Dial. cum Tryphone Justinus Mart. existimat. Mihi non tam sonus curæ est quàm significatio; quæ licèt varia sit & multiplex, at una tamen est princeps in quam reliquæ recurrunt. A Græcis exponitur Ἐναντίος, Ἀντικείμενος, Ἐχθρὸς, Ἀποστάτης, Παραβάτης· à Latinis, *Contrarius, Adversarius, Hostis, Apostata, Transgressor.* Sunt igitur duæ quas apud Veteres reperio ipsius significationes: Una, quæ Lapsum denotat & Apostasiam; Altera, quæ Pertinaciam & Malevolentiam.

Ad Lapsum & Apostasiam Irenæus devocat, l. 5. c. 21. *Satan*, inquit, *Apostatam significat & fugitivum, quia qui priùs bonus Angelus erat, divertit & defecit à Deo:* etiam & Theodoretus, Ser. 3. De cur. aff. & in Dialogo cum Tryphone Justinus, τὸ Σατὰν, inquit, ἀποστάτης ἐστὶ τῇ Ἰουδαίων καὶ Σύρων φωνῇ, *Judæorum & Syrorum voce Satan est Apostata & Desertor*: pariter & Suidas, in Vocabulario, Σατανᾶς, inquit, κατὰ τὴν Ἑβραίων γλῶσσαν ὁ ἀποστάτης λέγεται, nam Satan est *divertere, declinare, deficere.* Denique & ipse Christus eò videtur respicere, Luc. 10. 18. *Spectabam Satanam ut fulgur è cœlo cadentem.* Quæ quidem verba utcunque intelligantur, sive de imminutione potestatis, sive de primo è cœlo casu, est pulchra nominis circumlocutio, Satanas, quasi de cœlo cadens; quia quietus in cœli culmine stare contempsit, sed superbiæ pondere deorsum corruens cecidit. Hæc prima est vis vocis, si referatur ad Lapsum.

At contrà, ad Malevolentiam major pars Interpretum revolvit, ut ad originationem meliorem; nisi quòd in Collectaneis nominum Hebraicorum Hieronymus nunc per *Adversarium* exponit, nunc per παραβάτην sive *Transgressorem.* At, inquam, cæteri in hac sola versione uno ore acquiescunt. Tertull. l. 3. con. Marcion. c. 20. *Satan, i. e. hostis:* & Origenes, l. 6. con. Celsum, & l. 10. ad Romanos, *Satanas in lingua nostra Adversarius exponitur; unde fit, ut quicquid animæ tendenti ad Deum resistit & adversatur, aut paci ejus est contrarium, hoc Satanas esse memoratur:* & S. Chrys. Hom. in S. Eustathium, τὸ Σατὰν Ἑβραϊκὴ λέξις ἐστὶ, Σατὰν γὰρ ὁ ἀντικείμενος λέγεται· & S. Basilius, in Serm. Quòd Deus non est author mali, Σατανᾶς λέγεται διὰ τὸ ἀντικεῖσθαι τῷ ἀγαθῷ, h. e. *Satanas dicitur, quia bono adversatur*; id enim significat vox Hebræorum. Quòd

Quòd si quis istis parùm contentus Scripturam ipsam audire gestiat, in promptu est sacra lectio, in 1 Reg. 11. 14. *Suscitavit Dominus Salomoni Satan, Ader Idumaeorum*; & versu 25. *Fuerunt Satan Israeli omnibus diebus Salomonis. Quid hoc sibi vult?* inquit Theodoretus, *aut quemnam dicit Satan?* τὸν ἀνθιστάμενον, τὸν ἐναντιούμενον, *repugnantem, adversarium.* Sic Zach. 3. 1. *Ostendit mihi Jehoshua, Sacerdotem magnum, stantem coram Angelo Domini, & Satan stabat ad dextram ejus, ut adversaretur ei.* Quare obsecro annectitur hæc clausula, *ut adversaretur ei, nisi ut ostendat*, ut inquit Justinus, *quòd nomen obtinet* ἀπὸ τῆς πράξεως, *à rebus ipsis quas agit, servis Dei resistendo & oppugnando.* Mitto id genus alia, quæ doctissimus Drusius delibavit atque congessit, in Numerorum librum, c. 98. *Stetit angelus Domini in via, in Satanam*, vel *adversarium, ei*, Num. 22. 22. *Quid mihi & vobis, filii Serviæ, quia estis mihi hodie in Satan*, sive *adversarium?* 2 Sam. 19. 22. Unus erit instar omnium locus, ex Matth. 16. 23. etenim illic ipsum Petrum, nuperum Filii Dei confessorem, Christus Satanam vocat, quòd affectu cæco hortaretur nè de passione cogitaret, *Vade retro me, Satana, quia scandalum mihi es.* An Petro putas hæc Salvatorem dixisse, ac si in sensu verbi pessimo pro diabolo habendus esset? Nihil minus: ad proditorem Judam rectissimè dictio spectabat, propter perfidiæ scelus malitiámque ingenii; neque mirum est si ipse audiat, *Ex vobis unus est Diabolus*, Joan. 6. 70. quia prævidit Christus de statione Apostolica, tanquam de cœlo, Judam casurum, & facturum esse inter Apostolos quod inter Angelos diabolus fecerat. De S. Petro in mentem Christi nil tale subiit: sed hoc illud est, quòd cùm *Satanam* vocat, in laxiori sensu usus est vocabulo; non ut est nomen proprium maligni Spiritûs, sed ut est appellativum, & omnis commune adversarii, quia omnes qui Divinæ adversantur voluntati *Satanæ* possunt dici, ut Origenes observavit; *Quicunque*, inquit, *aut virtuti, aut veritati, aut etiam justitiæ contrarium quid loquitur, Satanas est, & Dei Filio adversatur.* Hoc Petrus satagebat, opposuit se Salvatoris voluntati, & planè contrarium eloqui non dubitavit; cùm illius voluntatis esset ut pro salute hominum moriatur, Petrus se velle asserit nè moreretur. Ergò Satanam vocat, τοῦτ' ἔστιν, inquit Theophylactus, ἀντικείμενον· atque eo ipso monstravit, hoc vocis nativum esse significatum, *Satan*, hoc est *adversarius.* Ergò de nomine constat; nec res ipsa abludit, neque enim quicquam est aut in *Inimici*, aut in *Hostis*, aut in *Adversarii* cognomine, quod non in diabolum aptissimè quadrabit.

in Dial.

l. 6. cont. Cels. & Hom. 15. in Jos.

Quinimo hæc sunt tria nomina quæ in Sacris Literis ex aliis multis Spiritus Sanctus excerpsit ad ipsius multiplices repugnantias vividiùs depingendas, quando & *Inimicum*, & *Hostem*, & *Adversarium* appellat; æs triplex pectoris ad contradictionem penitus compositi. Inter eas voces quid distet, non vos, ut opinor, fugit: nam *Inimicus* dicitur ex malitia, tametsi occulta sit, neque externis signis se prodat; *Hostis* est qui apertè insurgit, sed vi & armis, non actione forensi aut litigatione juris; *Adversarius* est qui in jus vocat, & in conspectu omnium dicam impingit, neque id modestè aut affectu sedato, sed asperè & mordaci animo. Attendite locis ex quibus hæc nomina hauriantur. Ex Matthæi 13. 39. primum, *Inimicus qui seminavit ea est diabolus*, ὁ ἐχθρὸς ἐστὶν ὁ διάβολος. Ἐχθρὸς est ex odio & simultate inimicus, qui in affectu talis est. Ex 1 Tim. 5. 14. secundum, *Volo vos nullam occasionem hosti dare maledicendi; nullam Hosti*, τῷ ἀντικειμένῳ· ἀντικείμενος est qui non minùs situ quàm affectu est contrarius, & corporis viribus in occursum vadit æquè ac veneno animi. Ex 1 Pet. 5. 8. tertium, *Vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit*; ἀντίδικος ὑμῶν, *adversarius vester*: ἀντίδικος dicitur, *qui* ἐν τῇ δίκῃ, hoc est, *in judicio, &*

homini

homini adversatur & causa, delicta & crimina objiciendo; ut Matth. 5. 25. *Esto consentiens adversario, τῷ ἀντιδίκῳ, dum est in via, nè fortè te tradat judici*; & Luc. 18. 3. *Vindica me ἀπὸ ἀντιδίκου μου de adversario meo*, est vox viduæ ad judicem: ἀντίδικος est *adversarius pro tribunali & in judiciis*. Quid plura? hic Satanæ genius est, hi tituli, est *Inimicus*, *Hostis*, *Adversarius*: & quibus obsecro? num homini soli? num Deo soli? imò & Deo & homini, & in Deo homini, & in homine Deo; & unicuique qui habet in se aliquid aut summi Dei, aut hominis probi; hoc est, & Deo ipsi, & Angelis Dei, & Ecclesiæ Dei, & veritati Dei, & ministris Dei, & Sanctis Dei.

Quòd Dei sit adversarius, & præceps tentandi Filium Dei audacia, & tota etiam studiorum series machinationúmque evincit. Non quòd sit propriè loquendo ipsius Dei adversarius dicendus; nam Deum contra belligerare non potest, nec voluntati ejus vel tantillùm resistere. τῷ Θεῷ οὐδὲν ἐστι πολέμιον ἢ ἀντίδοξον, ut pulchre Epiphanius, *Nihil deo repugnans est aut inimicum*: quia si esset, statim esse, hoc est, exsistere in rerum natura, desisteret; ad nihilum illud Divinâ omnipotentiâ reduceretur. Sed Triplex tamen est modus quo Deo dicitur Adversarius. Non quidem in se, sed in operibus suis; nec rursus ei in se, sed in servis suis; denique & Deo in se, non quidem ad pugnam, sed usque ad stomachum; non quantum ad præjudicium Divinæ dominationis, quia est mancipium & flagrio Dei, sed quantum ad malitiam suæ nequissimæ voluntatis. Hoc sensu Dei Adversarius est dicendus.

Secundò, Quòd Angelis Dei, apparet ex S. Judæ Epistola, vers. 9. *Altercavit diabolus adversus Michaelem Archangelum de corpore Mosis*; & Apoc. 12. 7. *Draco & Angeli ejus præliabantur cum Michaele & Angelis ejus*. Ecquid clarius? ex invidia prælium nascitur; de præda certamen conferitur. Adversantur mali Spiritus bonis, quia hæredes sunt & possessores istius beatitudinis à qua ipsi dejecti sunt; quia ministri sunt voluntatis Divinæ, & candidatæ gentis custodes, quam illi expilatam cupiunt.

Tertiò, Quòd Veritati Dei, apparet ex Matth. 13. 24. Postquam Deus bonum semen in agro suo seminaverat, venit inimicus, & inter triticum seminavit zizania. Hoc diabolo est in deliciis, Veritati errorem inserere, & frumentariam segetem avenâ suâ nocte interpolando permiscere.

Quartò, Quòd Sanctis Dei, Rev. 2. 10. *Ecce futurum est ut ex vobis aliquos diabolus in carcerem conjiciat, ut exploremini*. Nec Sanctis solummodo, sed præcipuè Sacerdotibus & Ministris, ex Zach. 3. 1. *Ostendit mihi Satanam stantem à dextris Josue*; & ex 1 Thess. 2. 18. *Venire volui ad vos ego Paulus semel atque iterum, sed impedivit nos Satanas*.

Porrò, Non solùm Ministris, sed toti Ecclesiæ, ex Apoc. 12. 13. *Persequebatur draco mulierem quæ pepererat masculum, & volavit à conspectu serpentis in desertum*. Quapropter Sole illustrius est quod priùs dixi, adversari omnibus tenebrarum principem in quibus vel micam aliquam Divini salis vel minimum supernæ lucis conspexerit; & quia non potest Deo aut Christo in se insidiari, in membris, in imagine repugnat: ut si quis homo scelestus, quando regem inimicum attingere non valet, ejus simulachrum cæderet; & ut de Pardali narrant Historici, quòd qui deludere furorem feræ quærunt, hominis imaginem ei ex charta ostendunt, quam simul ac illa conspexerit, protinus furibunda concerpit atque dilacerat, hoc argumento satìs ostendens, quanta sit ejus adversus hominem inimicitia. Sic item & diabolus est Dei inprimis Adversarius, & ante omnia ipsum, si potuit, læderet: sed cùm in Deum sævire nequit, in hominem, imaginem Dei, suam exercet malitiam; hoc ipso docens quo sit erga Creatorem odio. Quòd si simplex esset inimicitia,

micitia, & circumscripta aliquo aut loco, aut tempore, aut actu, aut objecto, sperarem me illam posse oratione complecti: sed cùm sit adeò latè patens & multiplex, ad terras, ad cœlos se indesinenter extendens, nullis conclusa finibus, nullum aut actûs terminum habens aut objecti, ad doctioris Musæ calamum remittendam esse duco, si quis sit qui eam verbis consequi possit; nam ego me libere fateor non posse, hoc satis judicans, indicasse quòd sit & μισόθεος, & μισάνθρωπος, & χεισομάχος, & πισομάχος, qui nec Deum timet, nec homines diligit, sed est ipsorum hostis utroque nomine; quantum ad calumnias, detrahendo, ἀντίδικος, h. e. *Diabolus*, *criminator*; quantum ad machinas, oppugnando, ἀντικείμενος, h. e. *Satanas*, *adversarius*. Hæc sufficiant pro secundi explicatione Vocabuli, ex S. Marco, *Et tentabatur à Satana.*

Explevi primam instituti partem, in Disquisitione prima comprehensam, ex qua quæ sit utriusque dictionis significatio audivistis.

Accedo nunc ad secundam, sed breviter, & ὡς ἐν τύπῳ. Duæ autem sunt quas in se continet Quæstiunculæ; Quorsum in una eâque tam exigua historiæ clausula duobus nominibus Tentatorem Evangelistæ describunt, & Quorsum inter tot nomina istis duobus utuntur.

Primæ solutio erit facilior, secunda est paulò tectior & occultior.

Inprimis, quòd duobus utuntur, partim ad intelligentiam nostram est referendum, ut nos naturæ & indolis istius Spiritûs, qui hostis humani generis est infensissimus, scientiores faciant; partim ut ex diversitate vocum nocendi varias artes significarent: neque enim unico nobis contrariatur modo, sed multis; cominus, eminus; vi, dolo; ut Calumniator, ut Adversarius. Propter hoc multa habet nomina, & revera tot fraudes quot nomina. Sunt quædam nomina similitudinis: nam *Serpens* vocatur, è reptilium; & *Draco*, è volatilium; & *Leviathan*, è natantium; & *Leo rugiens*, è quadrupedum; & *Homo inimicus*, è rationalium creaturarum numero. Sunt alia nomina potestatis: ut cùm *deus seculi* vocatur, & *angelus abyssi*, & *mundi princeps*, & *princeps aeris*, ἐπειδὴ περίγειός ἐστιν ἡ αὐτοῦ ἀρχὴ, ut Basilius loquitur, *quia circa aerem & terram est ejus imperium*; terra est ipsius solium, non nascendi, sed circumcursitandi; in hoc sensu πατρὶς σατανικὴ, ut Macarius loquitur. Sunt demum alia pravæ dispositionis nomina: quando *Spiritus malus* dicitur, & *Spiritus immundus*, & *Spiritus mendax*, & *Tentator*, & *Belial*, & *Inimicus*, & Ἀπολλύων, & *Diabolus*, & *Satanas*. Hæc sunt ipsius multiformia nomina, sed insidiarum viis multò pauciora, quarum nè ulla fortasse nos latere possit, magna est Spiritûs Sancti in Scripturis cura & studium, ad hostis notitiam per hanc semitam ducere nos, ad insidias per nomina. Estque hoc secundæ quam dixi Quæstionis enodandæ quasi præludium,

Bas. hom. Quod Deus non sit author peccati.
Mac. ho. 14.

Quorsum in duobus istis Tentatoris naturam nobis Evangelistæ subjiciunt. Sine dubio non propter vocum penuriam; est enim, ut monstravi, ingens numerus: sed duæ sunt, ut opinor, hujus delectûs causæ, Proprietas, & Cognatio.

Proprietas duplex est, respectu Rei, & Personæ.

Respectu Rei opportunè aptata sunt hæc nomina historiæ, *Tentabatur à Diabolo, à Satana.* Adversarii & criminatoris adeò proprium est tentare, ut tentare non possit nisi adversando, nec criminari nisi tentando, cùm ipsa criminatio sit maxima tentatio. Hinc est quòd eruditi observant, quòd diabolus & Satanas pluralem numerum in Scriptura non habent, nec ferè apud Patres, quia nomina sunt Tentatoris propria. Hinc etiam quod in Tertull. Ludovicus de la Cerda animadvertit, in illa verba, in l. De Oratione, c. 8. *A diaboli malitia est tentatio, Quòd qui dicit, Dæmon tentat, non ità propriè loquitur;*

Ballester, in Onomatograph.

Just. in Orat. ad Gentes.

loquitur; *sed propriè qui ait, Satan tentat, aut, Diabolus tentat, quia ab hoc actu nomen diaboli accepit, nempe à prima in paradiso tentatione*, ut Justinus docet. Quod idem videre est in tentatione Christi: etenim diabolum se præstitit, quia tentavit; sed non se dæmonem probavit, quia nescivit Christum esse Filium Dei. Igitur hæc est Proprietas respectu Rei.

Pariter & respectu Personæ nescio an sit aliquod nomen quod magìs ipsi congruat. Si *Draco*, aut *Serpens*, aut *Leo* dicatur, sunt nomina similitudinis, non naturæ; aliarum specierum hæc sunt communia nomina, non sua sola: at cùm *Diabolus* dicitur & *Satanas*, hæc sua sunt, & ex natura ei conveniunt, non ex similitudine. Præterea, cùm *princeps aeris* dicitur & *deus seculi*, abusivè hæc dicuntur, súntque ex permissione Divina umbræ magis titulorum quàm tituli. Adhuc & cùm *dæmon* dicitur, non nomen est ipsius proprium; nomen hoc habuit ante lapsum, erátque semper, & jam num est, quantum ad rem ipsam, bonorum magìs quàm malorum Angelorum proprium, quia scientiâ longè antecellunt. Agnosco cum S. Augustino, *ex usu loquendi accidisse ut vocabulum Dæmonis procliviùs in malam partem accipiatur*. Sed si præcisè loquamur, quantumvìs vox sit ex consuetudine mala, at in significatione bonam esse nemo diffitebitur: etenim Julianum Libanius Sophista cùm laudare vellet, sic eum est allocutus, *O dæmonum alumne, ô dæmonum sectator, dæmonum assessor!* quia *dæmones* dicuntur quasi *Scientes*, ut rerum peritissimi. Plato in Cratylo, δαίμονες q. δαήμονες. Utcunque fuerit, medium esse vocabulum omnes norunt, tam bonis commune quàm malis; licèt cum hoc discrimine, quòd bonis magìs competit secundùm esse quàm secundùm dici; malis magìs secundùm dici, minùs secundùm esse, quàm bonis. Non sic *diaboli* nomen; fuit quando illo gaudebat absque hoc, nam Dæmon erat quando Diabolus non erat; & per hoc antiquius est illud existimandum: ex institutione enim bonus erat & sciens, lapsu se fecit diabolum; in statu integro dæmon, at *diabolus*, ut inquit in Matthæum Hieron. *postquam homini invidebat.* οὐκ ἔστι φύσεως ὄνομα, ἀλλὰ προαιρέσεως, ut Chrysost. loquitur, *Non est naturæ nomen, sed arbitrii & præsumptionis.* Nunc verò *diaboli* & *Satanæ* nomina antestant cæteris; & licèt non sunt ex natura, at omnino in naturam post ipsius casum transierunt, ut nihil jam possit aliud nisi tentando & criminando se & diabolum probare & Satanam. Hæc prima ratio, A nominum Proprietate.

l. 9. Civ. c. 19.

Tertull. lib. 2. advers. Marcion.

Chrys. Ser. 3. in Job, & Ser. de Tentat. Hom. 25.

A Cognatione secunda est petenda. Cognatio duplex est, Cum aliis nominibus, & Inter se.

Cum aliis tantam habent hæc nomina affinitatem, ut sint quasi fæces, vel potiùs radices aliorum, quibus innituntur, & à quibus profluunt. Quòd *Draco* sit, veneno plenus malitiæ, ad Satanam pertinet; quòd *Serpens*, ex calumniæ sibilo, ad diabolum. Rursus, quòd *Spiritus mendax* & *Tentator*, ad diabolum; quòd *Spiritus malignus* & ἀπολλύων, ad Satanam. In summa, à duobus istis adeò reliqua pendent, & eorum amplexu adeò circumplicantur, ut si hæc dixeris, omnia dixeris; & si hæc duo noveris, facilè conjicies ex his de cæteris quid sit sentiendum. Hæc est Cognatio prima, Cum aliis nominibus.

Deinde & Inter se est affinitas alia, ídque respectu & Significationis & Idiomatis. Est primò utriusque Significatio similis: inter ea si quid intersit, est quàm exiguum; nam Satanas *adversarium* notat, diabolus *calumniatorem* aut *obtrectatorem*. Exiguum forsitan, quia criminatio non sine verbis fit, adversari & verbis & factis possumus: sed perexiguum; nam reciprocantur, Nemo criminabitur nisi adversarius, & adversarius nemo major est quàm qui criminatur. Unde fit ut 1 Pet. 5. 8. junguntur simul, *Adversarius*

rius vester diabolus, hoc est, Satanas vester diabolus; ὁ γὰρ Σατανᾶς τὸν διάβολον μηνύει, ut Catech. 2. Cyrillus loquitur: & expressiùs Apoc. 12. simul ista verba leguntur, *Serpens antiquus*, ὁ καλούμενος διάβολος, καὶ ὁ Σατανᾶς. Unde etiam fit ut LXX Interpretes sæpe *Satanam* per *diabolum* reddunt, & pro *adversari, calumniari:* ut Psal. 109. 4. *Pro dilectione mea, adversati sunt mihi*; Septuaginta, ἐνδιέβαλλόν με, *calumniabantur me*, aut *detrahebant mihi:* & ver. 6. *Constitue super eum peccatorem, & Satan stet à dextris ejus*; LXX, *diabolus stet à dextris ejus:* & ver. 20. *Hoc opus adversariorum meorum à Domino*; LXX, τοῦτο τὸ ἔργον τῶν ἐνδιαβαλλόντων, *detrahentium mihi.* Ergò quantum ad Significationem magna est convenientia. Secundò, & in Idiomate alia intercedit affinitas, quia quamvìs unum eorum sit Græcum, alterum Hebraicum vocabulum, at est & illud Græcum Hebraizans, & hoc Hebraicum Atticissans; nam sicut vocem Hebraicam ab Evangelistis habemus in Græcam mutatam, ità vice versâ, Drusius lib. 10. Præteritorum observat, quòd Græcum κατήγορος Apoc. 12. 10. *accusator*, Hebræi suum fecerunt; διάβολος autem idem est quod κατήγορος. Imò verò quod ad ipsum Diaboli nomen spectat, utcunque hoc sit certissimum, Græcum vocabulum fore: attamen Isidorus Hispalensis, loco supradicto, Hebraicum putat esse; nescio quo argumento ductus, nisi illud forsan fuerit, quòd apud antiquiores Doctores legerit diabolum *Zabulum* nuncupatum. Ab Erasmo hoc reperio annotatum, in Matth. 4. *diabolum Zabulum à S. Hilario vocari:* quod unde inoleverit, non est facile conjecturâ assequi. Sunt qui Græcismum putant, ut *za* ponatur pro δια, quod sæpe à vetustis Græcis fit, juxta proprietatem Æolicam. Erasmus id putat errori librariorum esse ascribendum: sed hoc non est probabile, ut toties hunc errorem errarent; etenim non semel, ut Erasmus annotavit, sed sæpius occurrit apud Hilarium. Can. 12. in Matth. *Confusa est in prima tentatione omnis Zaboli potestas*; & Can. 26. *Furem esse ostendit Zabulum ad detrahenda ex nobis spolia pervigilem.* Imò non solùm apud Hilarium, sed semel apud Cyprianum, in Epist. ad Demetriadem, *Quid te sternis in ruinam diaboli?* Pammelius affirmat in quatuor Manuscriptis legi, *Quid te sternis in ruinam Zabuli?* Postremò, etiam apud Ambrosium, lib. 5. De Fide, cap. 1. *feralem illum cetum Zabulum Christus passione suâ prostratum perculit:* & cap. 8. de Ario loquens, *Imitatur authorem suum Arius, patrem suum Zabulum:* & adhuc, *Zabulus verum Dei Filium fatebatur, Arius negat*; *Zabulus*, id est, diabolus. Hæc ego indicare magis vobis volui quàm urgere, ut collectorem me haberent, non censorem. Nec revera opus est ut ad istas conjecturas pro affinitate vocum fugiamus, satìs est si in sensu & significatione conspirent: quæ si non sola sit, præcipuam causam autumo, quæ Evangelistas movit ut in duo nomina notionem unam diffunderent, Hebraicum & Græcum; nimirum in majorem rei & certitudinem & evidentiam, ut clariùs cernamus, ut certiùs sciamus, non solùm veteris Ecclesiæ Sanctis, sed & Christianis insuper juratum hostem diabolum fore. In rebus fidei Evangelicis familiare est literis, privilegiarum communitatem duplicato utriusque linguæ verbo obsignare; ut Mat. 1. 23. *Vocabunt nomen ejus Immanuel, quod est*, μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός, ex lingua duplici, Hebræa & Græca, non Judæorum modò, sed Gentium eum Salvatorem subinnuens, quia nomen traxit ab utrisque, Jesus Christus. Sic Rom. 8. 15. *Accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus* Ἀββᾶ ὁ πατήρ, quod idem est repetitum Gal. 4. 6. Ex quibus verbis S. Augustinus argumentatur tam Gentium quàm Judæorum in unum verum Deum San-

ctúmque Spiritum consensum; quia ab eodem Spiritu uterque sanctificatur, qui intus clamat & Judæorum linguâ Abba,& Gentium Πατήρ. Quòd si privilegiorum consociatio duplicato vocabulo designetur, quidni etiam & periculorum consortium? etenim & hoc quoque in eadem positum est consuetudine loquendi: Apoc. 9. 11. *Habebant super se regem, angelum abyssi, cuj nomen Hebraicè* Ἀβαδδών, *Græcè* Ἀπολλύων & Apoc. 12. 9. *Projectus est draco magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satan.* Eodem consilio factum quis dubitat quo in hac historiæ parte Evangelistæ usi sunt? Nè quis somniaret aut illàc alium esse Spiritum diabolum, alium Satanam; aut hàc, Judæis alium adversarium salutis suæ fuisse quàm nobis nostræ: sed contrà, sicut ex utraque gente nomina Christus assumsit, ut Salvatorem se promulgaret utriusque populi; ità ab utraque lingua Tentatori nomina sunt imposita, ut eundem adversarium dignoscamus utriusque Ecclesiæ; eundem qui Davidem & Jobum adoriebatur in Vet. Testamento, Petrum etiam & Paulum incessisse in Novo; eundem qui cum Michaele Archangelo certabat de corpore Mosis, cum eodem Michaele pugnasse de partu mulieris, Apoc. 12. eundem qui ad dextram Josue stetit, Zach. 3. stetisse & ad sinistram Christi, velut unum & eundem utriusque populi hostem. Propter hoc probabile est, Evangelistas cùm de Christi certamine loquerentur, partitos esse hæc duo nomina, *Tentabatur à diabolo, tentabatur à Satana.*

His ità constitutis, & utrâque quæstione jam elucidatâ, quid superest quàm ut in documentum nostrum hæc singula vertamus, ut sicut intellectui inserviunt, ità etiam & usui? In quem verò usum? inquis; quid meâ refert quo nomine vocetur? Dicam cum Apostolo, Rom. 3. 2. πολὺ κατὰ πάντα τρόπον. Prodest ad Doctrinam, quòd ex utraque parte habemus adversarium; à dextris oppugnando, Satanam, à sinistris accusando, diabolum. Prodest ad Solatium, quòd utroque modo victus est,& quantum ad fraudes diabolicas,& quantum ad Satanicam malitiam. Prodest supra omnia ad Cautelam: abundans non nocet; imò & abundans elicitur ex utroque vocabulo.

Inprimis, Si Accusator noster sit, cavendum est nobis à peccato, nè, ut Apostolus monet, *in condemnationem incidamus diaboli*; quia idem qui Tentator, est delator, ut bis possit prodere, & nobis, & Deo: Nobis, si sollicitanti auscultemus peccando; Deo, postquam peccavimus accusando. Proinde sicut illud Apostoli 1 Joan. 2. 1. facit ad fiduciam, *Si quis peccat, habemus apud Patrem advocatum, Jesum Christum:* ità hoc faciat ad præmonitionem, quòd si quis peccat, habemus accusatorem apud Deum, Satanam. Hæc Cautela prima.

Rursus, Si calumniator sit, & hoc ipso nomine Diabolus, cavendum est denuo ut ab omni peccato, ità potissimùm à detractione & calumnia: ideo quòd nihil est aut magìs alienum à similitudine Dei, aut propinquum magìs similitudini Diaboli. Hoc Synesius vidit & agnovit in illa ad Joannem 44. Epistola, οὐχ ἕτερος οὕτω τρόπος θεομισής ἐστιν ὡς ὁ λογοποιός, *Nullius mores sunt æquè Deo exsecrabiles atque famigeratoris.* Hoc ipse inter Ethnicos Demosthenes, in Or. pro Ctesiphonte, πονηρόν, ὦ ἄνδρες, πονηρὸν ὁ συκοφάντης ἀεί, *Improba, O Athenienses, improba res est omni tempore calumniator*; improba non solius hominis judicio, sed Dei; *Perdam*, inquit, *calumniatorem*, Psal. 101. 5. Videte quale malum est quod Deum habet vindicem; quale malum, quod diabolum habet authorem; quale malum, quod Angelum in diabolum transmutavit. Hæc Cautio secunda.

Ad extremum, Si adversarius sit idem & affectu ἐχθρός, & astutiâ

tiâ ἀντίδικος, & potentiâ ἀντικείμενος, cavendum est & à malitia, nè communicemus; & à subtilitate, nè capiamur; & à potestate, nè cedamus ei, ut Eph. 4.27. Apostolus loquitur. Invidet nobis, fratres, invidet, & defectionis socios sibi inter homines quærit. Hostis est omnium communis, & omnium perniciem sitit; ídque non uno modo: nunc ut Draco excubat, horam vix ullam prætermittens, quò torpentes capiat; nunc delitescit ut Latro, *Lucifuga bestia*, ut Tertulliani verbo utar, in curarum & deliciarum latebris ipsâ densitate tenebrosis, ut incautos apprehendat; nunc circumcurrit ut Leo rugiens, quærens quem devoret; nunc, imò perpetuò, Divinæ imaginis prædo, divina hominum studia oppugnat, eóque refert sua omnia ut nos vituperabiles reddat & invisos Deo. Hic igitur totius rei scopus, ut hoste agnito simus semper in excubiis: &, ut Gregorius loquitur, *Si multiformis sit adversarius, nos multipliciter contra eum paremus.* Quod S. Petrus monet, 1 Pet. 5.9. *Resistite ei fortes in fide*; & S. Jacob. 1. 7. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis. Fugiet*, inquit Apostolus, non quasi non sit etiam post multas victorias rediturus ad pugnam redintegrandam, cùm istius sit impudentiæ ut contra resistentes vehementiùs insurgat: sed *fugere* dicitur cùm vincitur, interpretativè loquendo; quia qui vincitur debilitatur, & debilium est fugere. Imò verò non interpretativè solùm, sed verè & realiter; quia dum resistimus, dolores ejus & tormenta multiplicamus, convertente Deo in ipsius caput quicquid contra servos suos consarcinârit. Resistite igitur, *memores nobilitatis vestræ*, ut Basilius loquitur, memores patriæ, unde ipsius insidiis excidistis. Mementote quanto olim vos damno mulctavit. Bis vos læsit: primùm cùm vos ab initio ejecit, in uno omnes, &, Tertull. verbo adver. Gentes, *damnationis suæ traduces* fecit; nunc quoque cùm reditum vestrum impedire contendit, & de secunda salutis tabula hostili manu deturbare. Vos duplici telo duplex Apostoli scutum opponite, 1 Pet. 5. νήψατε, καὶ γρηγορήσατε, *Sobrii estote & vigiles*: vigiles, ut hostem observetis; sobrii, ut resistatis. Quòd si crapulæ deditos viderit, accusabit; si somno, absorbebit: est enim & Diabolus & Satanas.

L. adv. Valentin.

Mor. 29. 6.

Hactenus de Speculatione Historica, in gemina Verbi & Nominis diversitate constituta, *Ut tentaretur, Et tentabatur*; *A diabolo, A Satana.* Proximum est ut ad Speculationem Theologicam descendamus, si Deus permiserit.

LECTIO XII.

Ut tentaretur à Diabolo.

AB horum verborum Speculatione Historica ad Theologicam, ut cætera taceam, ipsa admiratio trahit, nec finit in una aliqua parte acquiescere, donec ad ipsam medullam & animam, & quicquid aut usui aut delectationi esse possit, perventum fuerit. Etenim hæc est admirationis natura, explorare omnia & curiosiùs introspicere, ut quod cognitioni deest, inquisitione possit explere, & ad fruendum propiùs accedat perscrutando. Hoc Philosophorum princeps intellexit, cùm scientiæ physicæ cursum ex admiratione nasci affirmavit, Metaph. 1. 2. Διὰ τὸ θαυμάζειν, οἱ ἄνθρωποι ἤρξαντο φιλοσοφεῖν, *Ab admiratione philosophiam ortum suum ducere*; & rationem adjicit, ὅτι ἐν τῷ θαυμάζειν ἐστὶ τὸ ἐπιθυμεῖν μαθεῖν, καὶ ἀεὶ τὸ θαυμαστὸν ἐπιθυμητὸν, *Admirabile quicquid est, idem est*, inquit, *& concupiscibile, & eo ipso quò ad mirandum provocat, excitat etiam ad investigandum,* Quòd si quis sit cui minùs hæc arrideant Philosophi, attendat Psalmographo eadem inculcanti, Psal. 111. 2. *Magna sunt opera Domini, exquisita omnibus qui delectantur illis. Ex istis instituimur*, inquit Augustinus, *quòd magna opera magnam generant admirationem*; *& magna admiratio magnam quæstionem*; *& magna quæstio ad magnum perscrutandum mysterium studium pia mentis erigit.* Nè multis vos morer, præsentis hæc est negotii facies, hæc hujus de Tentatione Christi disputationis protelandæ occasio: nam magnum illud opus fuisse nemo diffitebitur; & operis magni magnam admirationem in se nemo est qui non sentit; & ex magna admiratione magnas multiplicésque quæstiones ortas esse, non decursi solùm itineris recordatio indicat, sed & hodierni etiam laboris renovatio comprobabit. In qua post expeditas Historicæ Speculationis quæstiones aliquas, pergendum porrò est ad alias, eásque non minoris difficultatis, & majoris fortasse ponderis, quæ ex verborum Speculatione Theologica pullulabunt.

Qu. 49. super Judic.

Sunt autem hujus partis duo principalia ζητήματα· Cur Christus tentari voluit; &, Quare hoc genere tentationis. Sunt alia quæ istis duobus ancillantur, velut appendiculæ, in comitatum, vel magìs in antecessum; Quid sonet hæc vox Tentatio, Quæ proprietates, Quæ genera sint Tentationum, & Quibus spatiis inter se discriminentur.

De istis singulis seorsum agendum est; & de tribus postremis quæstionibus primò: quæ quia sunt quasi προπλάσματα quædam sive προλεγόμενα, ad duo quæsita principalia viam introitúmque patefacientia, ratio ordinis postulat ut ab illis exordiamur, velut à parte introductoria; ut postquam Definitiones & Genera & Differentias Tentationum investigavimus, de Christi hac suprema omnium claro & non errante calamo decernere possimùs.

Partis introductoriæ tres sunt, ut videtis, Quæstiones: quarum prima ad naturam & definitionem & proprietates Tentationis pertinet; & in eam solam diei hujus impensam collocabo, videlicet in verbi Propagine &

natura

natura enucleanda; Hanc omnes norunt; nam Tentatio Latinis idem est quod Græcum πειρασμός. Illud à *tenendo* dicitur, quia *Tentare* est exquirere, & quasi manu tenere; hoc à πειράζειν, id est, *experiri*: est enim *in prima significatione*, ut Parisiensis loquitur, *nil aliud quàm experimentatio, hoc est, exploratio, rei vel personæ alicujus*; sive, ut Aquinas definire maluit, *Experimenti sumptio de eo quod tentatur, an sciat, vel velit, vel possit: est* enim *quasi tactus quidam tentatio*, ut Bonaventura explicat, *quo illud quod tangitur probatur*: sicut cæcus dicitur *tentare*, quando tactu suo vult aliquam certitudinem habere de re quam tangit; sic & in spiritualibus, tentatio est quasi tactus quidam ad probandum ordinatus. Hæc, inquam, prima est & nativa vocis significatio; quia, ut Galenus ait, ἡ πεῖρα κριτήριον ἁπάντων ἐστὶ βεβαιότατον, *Certissimus judicandi de re aliqua modus est per experientiam.* Idcirco tentare est experimentum capere de quacunque re, ad cognoscendum ipsam: & per hoc, quia qui ad malum solicitat, explorat vires & ingenium alterius, quid valeat, quámque in partem propendeat, nec alium explorandi finem constituit quàm ut habeat secum in peccando consortem; hinc fit ut in secundam significationem vox transeat, útque ex usu loquendi Tentare idem sit atque decipere & corrumpere, atque in errorem & peccatum de fide ac pietate deducere. Hoc ut liquidiùs constet, nè quis sit in ipso limine ambiguæ vocis error, quia πολύσημον est Tentatio & multiformiter dicitur, nunc de Deo in sensu bono, nunc de Satana in pessimo, nunc de homine in mixto & quasi confinio utriusque; operæ pretium erit in utramque vocis notionem distinctiùs paulò introspicere, nè ex mixtura inæquabili perturbatio intellectûs sequatur, & totius confusio disputationis, si non diligenter res inter se disparatæ secernantur.

2. 2ª, q. 97. art. 10.

l. 2. D. 21. q. 1. in Conclus.

l. 1. De simplic. medicam. facult. c. ult.

Ad primam igitur vocis notionem me primùm convertam, ut videamus quæ prima sit notio & generalis & simplex. Secundùm hanc si vox Tentationis consideretur, in se & ex natura sua nudum experiundi aut probandi actum complectitur, quacunque ex parte eam intuemur; sive Hominis sit in Deum, sive Dei in hominem, sive Hominis in hominem, sive Diaboli in hominem, sive Hominis in seipsum. Hæ sunt quinque species, & de istis omnibus Scriptura attestatur, Tentare nil aliud esse quàm probare aliquid, & de eo experimentum sumere, ut sciatur.

Species prima est Hominis in seipsum: & de hac patet, quòd quando homo seipsum tentat, non alio consilio id efficit quàm ut ad certam sui notitiam perveniat, & fidei suæ vel obedientiæ, vel patientiæ etiam & pœnitentiæ, experimentum capiat, ad examen ea singula revocando. Non quidem sum nescius tentari aliquando hominem à seipso per insitam concupiscentiam, quando à seipso sumit motivum malè agendi, ídque non in experimentum sui, sed in peccatum: de ea loquitur S. Jacob. 1. 14. *Unusquisque tentatur, dum à propria cupiditate abstrahitur.* Verùm non est ea propriè dicta tentatio, sed magìs deceptio & seductio dicenda, eò quòd nulla est intentio de se experimentum sumendi. De suiipsius virtuosa & laudabili tentatione nunc sermo est, cujus hæc est Definitio apud Gregorium Naz. ἔρευνα τῆς τοῦ Θεοῦ πλοκῆς, *Exploratio copulationis nostræ cum Deo.* De hac S. Paulus loquitur, 1 Cor. 11. 28. *Probet* sive *exploret quisque seipsum.* Verbum est δοκιμάζειν, quod non est planè idem cum πειράζειν, quod est nunc præ manibus, sed æquivalet tamen; atque in alio textu πειράζειν est usurpatum, 2 Cor. 13. 5. ἑαυτοὺς πειράζετε, *Vos ipsos tentate, an sitis in fide; vos ipsos explorate, annon cognoscitis vosmetipsos?* Hic scopus est cohortationis Apostolicæ, ut ostendat, ad cognitionem sui

(si quis se nesciat) hanc viam expeditissimam fore, &, ut Clemens Alexan. 3. Pæd. loquitur, πάντων μέγιστον μαθημάτων, versare in omnes partes animum suum, cúmque tentamentis velut obryzâ perspectum reddere, ut ad experimentum sui possit pervenire. Hæc est prima species.

Secunda est Hominis in Hominem: & hoc etiam est in confesso, quòd cùm homo hominem tentat, sive honestè id fiat sive captiosis interrogationibus, in utroque ad hoc collimat, ut scientiæ, aut virtutis, aut instituti voluntatísque alterius experimentum habeat. Sic Mar. 8. 11. accessisse ad Christum Pharisæos legimus, & quæsivisse ab eo signum de cœlo, ipsum tentando: & Joan. 6. 6. interrogasse Philippum Salvatorem de panibus emendis; hoc autem dixit, ut Evangelista explicat, πειράζων αὐτὸν, *tentans eum* quid existimaret. Sic discipulos suos tentare magistri solent, ut experimentum sumant illius aut artis aut facultatis quam profitentur; útque ipsi aliique qui adsunt intelligant quantos progressus fecerint in ea arte addiscenda. Pariter & in Disputationibus Scholasticis hoc sæpius contingit; Opponentibus est in more positum Respondentis sententiam & judicium quæstionibus & argumentis explorare, ut ex his quæ ipse sentiat refellere possint. Et hoc argumenti genus, in 8. Topicorum, & Elenchorum cap. 2. λόγον πειραστικὸν Aristoteles vocat, de quo librum integrum scripsisse creditur, licèt ad nos non pervenerit: atque in hoc differre dicit à modo differendi Dialectico, quòd *Dialectica concludit* ἐκ τῶν ἐνδόξων, *ex probabilibus*; *Tentativa* ἐκ τῶν δοκούντων τῷ ἀποκρινομένῳ, *ex iis quæ Respondenti videntur*, & quæ necesse est eum scire qui artem profitetur; idcirco explorat sæpenumero & examinat, ut expiscari queat quid teneat, & in argumento progredi postquam expertus fuerit. Hæc secunda est species, Hominis in Hominem.

Tertia est Hominis in Deum: & de hac non minus certum est quàm de cæteris, quòd cùm homo Deum tentat, ad experiundum se vertit, & ad sciendum aliquid cognitione experimentali quod in præsentiarum aut nesciat, aut minus sciat. Hoc modo eam omnes Scholastici describunt, tunc Deum tentari, quando ex dubitatione, aut curiositate, aut etiam ex pietate, circa aliquam perfectionem Divinam aliquid agitur experiendi causâ, utrùm Deus habeat eam perfectionem, aut ad eam demonstrandam hoc vel illud facere velit. Non est ipsius una orbita, sed multæ, eæque singulæ experimentis innituntur. Duplex ipsius est, ut arbitror, ratio. Una probandi Deum ratio in laude ponitur; alia venit in vituperationem: illa est probatio fidei, hæc infidelitatis; utraque in probando versatur. Fides probat sperando & præstolando; Infidelitas quæritando & insimulando: Fides quia credit, ut magis credat; Infidelitas quia fluctuat, atque non eò ut credat rem esse, sed ut sciat an ità sit: Fides, ut quod Deus velit faciat; Infidelitas, ut arguat, lacessat, obloquatur.

De Fidei probatione exstat mandatum Divinum, Psal. 34. 8. *Gustate & videte quàm suavis sit Dominus*; hoc est, probate & experimini: & Mal. 3. 10. *Afferte omnes decimas in horreum meum, ut sit cibus in domo mea; & probate me jam in hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam.* Ex se satis aperta sunt verba absque commentario, nam & ad Tentandum Deus vocat, & ad Experiundum: ad Tentandum, in illis verbis, *Probate me super hoc*; (Theodoretus ex Aquila vertit πειράσατε, *in hoc periculum facite*) ad Experiundum, in verbis sequentibus, *Si non aperuero vobis cataractas cœli.* Imperfecta videtur locutio, nisi vel præponatur, vel postponatur aliquid quod expleat. Si postponatur, hoc erit supplementum,

mentum, *Si non aperuero vobis cataractas cæli, dicite me mendacem, ampliùs non credite.* Est enim mos Scripturæ, ut quæ de Deo durè sunt dicta, aut honestiori vocabulo exprimat, *Benedic Domino & morere*; *Sic faciat mihi Deus,* & *Sic addat:* aut omnino prætereat, ut intelligantur magis quàm dicantur; *Si non aperuero, si non benefecero, arguite me mendacii.* Rursus, si præponatur, hoc erit supplementum, *Probate me super hoc, ut cognoscatis, ut experiamini an sciam benefacere observantibus mandata mea, si non aperuero vobis cataractas cæli.* Est probatio veritatis & benevolentiæ Dei juxta legem Fidei.

De probatione Infidelitatis loca habentur plurima, juxta diversam à qua descendit originem. Interdum pullulat ex radice Diffidentiæ, vel plenæ & obfirmatæ, vel subsultantis, cùm quis de potentia aut bonitate Dei desperans, quia non videt media, fit hæsitabundus, & suspensus bonitatis & potentiæ Dei inquisitor. Exemplo sunt Israelitæ Psal. 78. 19, 40, 41: *Exacerbaverunt eum in deserto, irritaverunt eum in solitudine; & tentaverunt eum, & sanctum Israelis circumscripserunt: & locuti sunt contra Deum, dicentes, Numquid parare poterit mensam in deserto?* Interdum ex Præsumptione nascitur, cùm quis à solo Deo exspectat effectum quod humanâ ratione ipse potest assequi, temere neglectis vel non adhibitis mediis. De ea Christus loquitur Matth. 4. quando perniciosum illud præcipitandi se consilium idcirco rejecit, quia scriptum esset, *Non tentabis Dominum Deum tuum,* experiundo scilicet omnipotentiam extra viam & fines quos ipse constituerit. Interdum ex Curiositatis prurigine oritur, quando aut non inspicienda scrutamur, aut promissiones Dei injusto examini subjicimus, aut indubitata ejus attributa in dubium vocamus; idque vel formaliter & expressè, vel implicitè & interpretativè, ut Scholastici loquuntur, agendo illud quod suapte naturâ ad nihil aliud videtur ordinabile quàm ad sumendam experientiam de Dei benignitate, veritate, justitia, & potestate, quasi de illis dubitaretur. De eo S. David loquitur Psal. 95. 10. *Tentaverunt me patres vestri, probaverunt me, etiam experti sunt opus meum, ipsi ignorantes viarum mearum.* Hoc illud est quod dixi, tentationem in Experimentis sumendis consistere; & quòd *tentare Deum,* ut Altissiodorensis succinctè, *est velle explorare Divinam voluntatem erga se indebito modo.* Hæc tertia est Species, Hominis in Deum. *l. 3. tit. De intentione.*

Quarta est ipsius Dei in Hominem: & hanc quoque ad experientiam respicere Sacræ Literæ testantur, quòd semper est aliquid explorandum quando hominem Deus tentat; sive Immediatè id fiat sive per Media, sive Benedictionibus sive Afflictionibus, sive Permittendo sive Præcipiendo.

De Tentatione Mediata & Permissiva est locus Deut. 13. 3. *Si surgat in medio tui propheta, aut somnians somnium, & signum ediderit aut prodigium, non auscultabis ipsi: quia tentat vos Jehova Deus vester, ad cognoscendum vel experiundum, an diligatis eum ex toto corde vestro & toto animo vestro.* *Tentationem* consultò vocat Doctorum falsorum insidias, & in hunc finem à Deo ordinatam pronuntiat, *ut,* S. Pauli verbo, *qui probati sunt manifesti fiant,* dum non se sectis jungunt, nec ab unitate recedunt, quamvis aliorum technis & exemplis provocati; sed sinceritatem fidei retinent, è tentationibus velut è camino puriores prodeuntes.

De Tentatione Benedictionum est similis locus Deut. 8. 16. *Cibavit te Manna, quod non noverant majores tui, ut tentaret te, ad benefaciendum tibi:* & Exod. 16. 4. *Ecce ego faciam ut pluat huic populo panis de cœlo, ut tentem eum, utrùm ambulaturus sit in lege mea necne.* *Tentare* eos dicitur Benedictionibus suis, quia istis mediis de manu sua effusis exploravit eorum

& de præſenti gratitudinem, & de futuro fidem. Rurſus, de Tentatione Affiictionum occurrit illud Deut. 8.2. *Deduxit te Deus*, inquit ad populum Moſes, *quadraginta annos per deſertum, ut affligeret te, tentando te, ad cognoſcendum id quod erat in animo tuo, utrùm obſervares mandata ejus necne.* En nobile tentandi genus ex adverſitatibus ortum; nam & ipſæ afflictiones ſunt πρὸς πειρασμὸν, 1 Pet.4.12. *Has Deus inſtituit vel ut χωνευτήριον, ut aurum ſuum probare poſſit, quaſi è conflatorio, per ea quæ nos cruciant.* Non malo eas mittit animo, ſed, ut Gregorius Naz. loquitur, εἰς βάσανον ἀρετῆς, καὶ πεῖραν φιλοσοφίας· ut non tam ſit pœna criminis quàm virtutis examen, & tentatio fidei, & experimentum patientiæ.

Chryſ Ho 4. ad Antioch.

in Epitaph. patris.

Ad ultimum, de Tentatione ex parte Præcepti Abrahami exemplo erudimur, cùm pii ſenis filium unicum ſibi Deus petiit immolari, Gen.22.2. *Tentavit Deus Abrahamum*, inquit Scriptura, *& dixit, Aſſume filium tuum unicum*, & quæ ſequuntur. *Tentaſſe* dicitur, quia obedientiæ ejus hoc facto experimentum habebatur, ipſo Domino hoc confitente, verſ.12. *Ecce nunc cognovi*, vel *nunc expertus ſum, quòd timeas Dominum.* Nunc ſe ſcire dicit, non quaſi non priùs novit, ſed quia per hoc fecit ut & Abrahamus ipſe & cæteri omnes cognoſcerent: Sciebat utique mentem Abrahæ priùs, neque ullis experimentis indigebat; ſed ſciens tentare dicitur, ſicut in Euangelio dicitur, Joan. 6. quando de emendis panibus Philippum interrogat, *tentans eum*, inquit Evangeliſta, quid eſſet reſponſurus; & tamen ipſe ſciebat quid facturus eſſet. Duobus iſtis modis de Dei *Scire* Patres loquuntur, quòd probando *nos* dicitur *cognoſcere*, & reſpectu aliorum & reſpectu noſtrî. Reſpectu noſtrî *nos* dicitur *cognoſcere*, cùm tentando nos nobis prodit. Sic Mor.l.8.c.27. Gregorius explicat, *Tentare Dei eſt magnis nos juſſionibus interrogare; & Scire Dei eſt noſtram obedientiam ſcire nos facere:* & S. Auguſtinus non uno in loco, *Tentat Deus non ut ipſe hominem inveniat, ſed ut homo ſe inveniat*; quia multa ſunt in unoquoq; homine ipſi occulta homini, quæ nec aperiuntur, nec inveniuntur niſi in tentationibus. Dein reſpectu aliorum, *Cognoſcere* dicitur, cùm aliis facit nos cognitos. Theodoreti eſt Qu.72. in Gen. *Probat nos*, inquit, οὐχ ἵνα αὐτὸς ἅπερ ἠπίστατο μάθῃ, ἀλλ᾽ ἵνα ἀγνοοῦντας διδάξῃ· & S. Hier. in Job. c.31. (ſi modò illius ſit) *Tentat Deus, non ut ipſe ſciat, ſed ut alios ſcire faciat:* & S. Aug. Civ.16.c.32. *Si ſciebat ſe Abrahamus, at nos non noveramus; tentat igitur, ut ſeculis innoteſceret, non Deo. Sicut venditor ſedulus*, inquit Rupertus, *retexit ſarcinam, revolvit merces, quidlibet examinat; non ut ipſe quæ vendit cognoſcat, ſed ut emptor videat & ſciat:* eodem modo & ſervos ſuos explorat Deus, non ut ipſe ſciat, quem nulla cogitatio latet, ſed nè alii ignorent quos & quales famulos alat. Hæc quarta eſt ſpecies Dei in hominem.

Ser.2. De Immolat. Iſaac Quæſt.58. in Gen. Ser.72. de Temp.

in Gen. li.6. c.31.

Quorſum verò hæc omnia? aut quò, putas, tendit hæc tam prolixa de experimentis diſſertatio? Equidem non aliò, quàm ut jam oculis teneatur quod in anteceſſu poſui, adeò indiſſolubilem eſſe iſtorum actuum nexum, ut nunquam ſejungantur; unámque eſſe & eandem in ſingulis tentationis rationem quoad primam & genericam notionem: ut ſive Homo ſeipſum, ſive Homo hominem, ſive Homo Deum, ſive Deus hominem tentare dicatur, ad probandi & experiundi intentionem id revocetur. Quæ ſingula nè πάρεργα putetis & extra cauſam, attendite quantùm maximè faciant ad tentationes Satanæ, quæ quinta eſt ſpecies, intelligendas. Eſt enim explorator peritiſſimus, & in omnibus tentationibus hoc primùm collimat, ut certitudinem aliquam, aut ſaltem conjecturam, de nobis accipiat, quales ſimus, quid cogitemus, quò tendimus. Quod de S. Job S. Ambroſius obſer-

lib. 5. Ep. 33.

observavit, Epist. ad Marcellinam, *Tentavit eum modis omnibus, tentavit eum in patrimonio, tentavit in filiis, tentavit in conjuge, tentavit in dolore corporis, & nihil intentatum reliquit, ut usquequaque probaret:* De insidiis & laqueis hodiernis idem est existimandum; vix enim quicquam est aut in homine, aut ad hominem spectans, quod non solet vertere in experimentum. Si dives sit, experitur an possit adigere in superbiam aut luxuriam; si pauper, an ad displicentiam & diffidentiam & anxietatem: si quid boni fecerit, periculum faciet de tumore & fastu; si quid mali, de securitate. Nonnunquam aliena bona ostendit homini, ut ad livorem tentet & ad invidiam; nonnunquam aliena mala, ut ad odium moveat & vindictam: si lætus fueris, adiget ad dissolutionem; si tristis, ad desperationem. Sic omnes sensuum januas pulsat, in omnium affectuum se insinuat conclavia, quatuor domûs angulos percutit, ut ventus ille è deserto in S. Jobi historia, ab omni parte explorans, à tergo, ut ad peccata præterita recurrant; à fronte, ut à bonis inceptis resiliant; à sursum, ut de bono opere superbiant; à deorsum, ut terrena ambiant; à dextris, ut in prosperis elevantur; à sinistris, ut in adversis dejiciantur. Breviter, sive dormiamus, sive vigilemus, sive comedamus, sive bibamus, sive quodcunque aliud operemur, instat perpetuò, die ac nocte, nunc palàm, nunc occultè sagittas venenatas contra nos dirigens, ut exploret undique vires nostras: idque duplici de causa, tum quia nescit ante examen factum quid sit in homine, idcirco exquirit ut possit scire, hic finis proximus; tum quia saluti hominis insidiatur, idcirco pertentat ut possit fallere, hic finis ultimus. Summa huc rediit, quòd primus tentationis actus sit experimentatio: quódque in prima vocis potestate, *Tentare nil aliud sit quàm experimentum sumere de aliquo, ut ejus virtus, conditio & qualitas cognoscatur.* Vel si adhuc descriptionem magìs plenam exspectetis, habitote verbo: *Tentare* in genere, prout in se comprehendit omnem tentationem, *est experimentalem notitiam alicujus rei in se vel in alio causare; sive principaliter & primò, sive occasionaliter & adventitiè. Notitia* dicitur, quia tentatio omnis in cognitionem intenditur; sive verbo id agatur, sive instinctu, sive facto aliquo, semper ad notitiam vergit, ut prudentia, aut voluntas, aut potestas alterius intelligatur; an sciat quod quærimus, & exinde an possit aut velit implere. Additur *Experimentalis*, ad differentiam notitiæ ex causis rei & per rationes acquisitæ: neque enim cognovisse simpliciter est tentasse; sed exploratione practicâ, h. e. quæstionibus & responsionibus, & experimentis, ad rei sive conjecturalem sive certam cognitionem pervenisse. Subjungitur, *causare in se vel in alio hanc notitiam*, propter finium diversitatem: *in alio*, propter Deum, qui nullam in se novam gignit notitiam, cùm sit omnisciens; sed vel in illo quem tentat, vel in aliis qui animadvertere possunt: *in se* dicitur, propter hominem vel dæmonem tentantem; nam homines tentant ut sciant, Dæmones ut magìs sciant ad quæ vitia prócliviores sumus propensiúsque inclinemus. Ad extremum, ista clausula attexitur, *sive principaliter, sive occasionaliter*, ad ipsorum discrimen Agentium: quia Caro & Mundus experimenta de humanæ dispositione mentis subministrant & excitant, non ex intentione & efficienter, sed materialiter & manifestativè, ut mox videbimus; at verò Deus & homo & Satanas in suo quisque genere ex intentione experiri dicuntur, atque per se sunt causa hujus vel illius probationis. Igitur si in hoc primo actu acquiescamus, nihil est in hac Tentationis voce obliqui aut defectuosi, quia nuda est experimentatio abstractivè considerata: sed quatenus ad aliquid ulterius, h. e. ad aliquem secundum actum, vergit, eatenus aut bona aut mala est

est judicanda; nimirum secundum principii rationem à quo fluit, & finis ad quem respicit.

Ut verbo dicam, Duplex est Probationis sive Tentationis Linea, Continuata & Intercisa. Continuata duplicem situm habet, Ad Dextram & Sinistram. In Continuata ad Dextram Dei tentatio est collocanda, quia semper & omnimodo à puncto ad punctum, ab extremo in extremum, h. e. à principio ad finem, bona ejus est & incriminabilis experimentatio; quia & à principio bono proficiscitur Divinæ dignationis, & ad finem bonum ducit humani profectûs. E contrà, tentatio Satanæ in Continuata ad Sinistram constituitur, quia semper & ubique est mala & horrenda, utpote quæ & principium pessimum habeat invidiæ, & finem etiam pessimum deceptionis.

Amb. lib. 1. De Abr. c. 8.

Quod ad homines spectat, tentationes hominum sunt in Intercisa linea ponendæ, quia medio quodam modo se habent; sunt enim & bonæ & malæ: bonæ, si à principio bono ad finem bonum; malæ, si à malo ad malum procedant.

Ex istis tribus sunt Quinque aliæ lineæ, quæ pro tentantium numero resiliunt, rémque totam absolvunt; De Dei in hominem, De Dæmonis in hominem, De Hominis in hominem, De Hominis in Deum, De Hominis in seipsum probatione; hoc modo. Quando Deus hominem probat, semper in bono ponitur, nunquam in malo: Si Dæmon hominem, nunquam in bono, semper in malo: Si Homo hominem, in bono si ad bonum, in malo si ad malum referatur: Si Homo Deum, in bono si à fide, in malo si ab infidelitate dimanet: Si Homo seipsum, in malo est, si fluat à Spiritu concupiscentiæ trahentis ad peccatum; in bono, si à Spiritu gratiæ ad experimentum & examen sui ducentis. Hactenus de notione vocis generali & prima, quatenus nihil aliud præ se fert hoc verbum Tentare quàm experimentum sumere de aliquo, ut cognoscat illud.

Accedamus nunc oportet ad notionem secundam, in quantum Tentare idem est atque Decipere: hic actus secundus est, & finis, non absolutè ultimus, sed juxta ultimum; remotior paulò quàm prior, sed multò deterior; actus in se culpabilis & defectuosus, non tam pertinens ad essentiam tentationis quàm ad malitiam. Etenim ut experimentatio & cognitio sunt de esse ipsius, ità solicitatio ad malum & deceptio sunt de malè esse. Sit igitur de hac notione Hæc Propositio,

Tentatio in notione secunda fallendi & seducendi artem denotat: & tametsi in bonam partem quandoque sumatur, respectu habito ad notionem primam; attamen ex respectu ad hanc secundam, inclusivè loquendo, in malam semper partem accipitur: & hæc est ipsius usitata ex loquendi consuetudine nata significatio, ut Tentare nil aliud sit quàm ad peccatum impellere. In Propositionis minutiis explicandis hærere non est opus, quia ex se claræ sunt, & ex illis spatia apparent quibus à priore membro hoc posterius distinguitur. Juxta illud Tentare idem est atque probare, explorare, experiri; juxta hoc, est fallere, imponere, ludificare, irretire, fallacias & præstigias texere: illud ad examen prospicit, hoc ad dolum & ludibrium; illud ad Logicum & Philosophum propriè pertinet, ut Ægidius loquitur, hoc ad Theologum: illud pro habitu & dispositione tentantis, aut bonum aut malum potest esse, quia probat Deus piè & justè, diabolus malè & flagitiosè, homines utroq; modo, aliquando licitè, aliquando perperàm; hoc nunquam non est malum & causa malorũ, & mali corvi pessimum ovum. Illud à Sanctis Patribus *Tentatio probationis* dicitur, & est *solicitatio hominis ad aliquid perpetrandũ adversus legem Dei, & salu-*

L. 2. d. 21 dub. 2. Laterali.

salutem animæ suæ. Sic & à Scholasticis & Patribus ferè definitur. Cassiodorus in Psalmos, *Tentatio est assimilatio boni ad fallendum.* Quòd *assimilationem* boni dicit, non de bono Morali solo est intelligendum, sed de bono Metaphysico, quia extendit se ad assimilationem veri non minùs quàm boni; & non tantùm est seductio quantum ad mores, à non bono sub specie boni, sed etiam quantum ad fidem, à non vero sub specie veri. Sicut enim se habent in operabilibus bonum & malum, ità in speculabilibus verum & falsum; & sicut Voluntatis licitum & illicitum sunt bonum & malum, ità licitum & illicitum Intellectûs sunt verum & falsum. Eapropter aliorum Doctorum Definitiones sunt magìs generales, Hugonis illa, *Tentare est callidè experiri in re quacunque, & quasi blandis conatibus probare*; & illa Chrysologi Ser. 71. *Tentatio est species fallens, quæ prospera in adversis, adversa occultat in prosperis, humanámque ignorantiam dolosos inducit in lapsus*; & ista etiam Durandi in 2 Sent. D. 21. q. 2. *Tentatio est motus vel actus natus inclinare hominem ad aliquod illicitum*; denique & Altisiodorensis, l. 2. Tract. 3. *Est intentio præcipitandi hominem in peccatum per insidias, vel aliam aliquam causam aut occultationem.*

Ex quibus omnibus junctis Duæ sunt Proprietates quæ naturam pravæ tentationis constituunt, Intentio experiundi, & Intentio decipiendi, sive ad peccatum trahendi.

Ex ipsa natura vocis prior fluit, posterior ex usu & arbitrio loquendi: ambæ si jungantur, sequitur ut duo tantùm sint Agentium genera quæ propriè possunt in tentantium numerum devenire, Diabolus & Homo, quia in illis solis Proprietates ambæ conveniunt: quippe quòd homines tentant ad cognoscendum semper, & sæpe etiam ad decipiendum; diabolus ad cognoscendum sæpe, ad decipiendum semper. In duabus igitur istis ipsa Tentationis quidditas & essentia consistit, & tam necessariò, ut nec ad Carnem, nec ad Mundum, nec ad ipsum Deum, Tentantis nomen propriè possit accommodari: non ad Carnem & Mundum, propter primæ Proprietatis defectum; non ad Deum, propter incongruitatem utriusque.

Proprietas prima hæc est, Ut ipse qui tentat hoc ipsum in intentione habeat, experimentum de tentato sumere. Per hanc, inquam, Proprietatem excluduntur Caro & Mundus, ut propriè Tentantium rationem non habeant, quia nulla est eorum intentio experimenti sumendi de bonitate vel malitia voluntatis, sed tantùm agunt aliquid, quo facto tentamur, tentatíque cognoscimur; impugnántque homines, sicut in bello milites, non ut cognoscant, sed ut vincant. Hinc est quòd in Sacris Literis, etsi de tentationibus Diaboli sæpenumero nos moneat Divina Lectio, at Carnis & Mundi aut nulla est aut rarissima mentio: *curas mundi* lego, & *divitiarum seductionem*, quæ suffocant verbum Dei, Mar. 4. 19. *spiritum mundi*, & *cupiditates mundi*, & *pollutiones mundi*, quibus implicati superamur, 1 Cor. 2. 12. Tit. 2. 12. 2 Pet. 2. 20. at *Tentationem mundi* disertè & in terminis non lego, sed tacitè tantùm & per insinuationem subindicatam, & non nisi semel, 1 Joan. 2. 16. *Quicquid est in mundo, cupiditas carnis, libido oculorum, & fastus vitæ, non est ex Patre, sed ex mundo.* Similiter & quantum ad Carnem, ex Scripturis *opera carnis* audio, Gal. 5. 19. & *cupiditates carnis*, 2 Pet. 2. 18. & *carnem sequi*, 2 Pet. 2. 10. & *carni seminare*, Gal. 6. 8. & *carni occasionem dare*, Gal. 5. 13. & de pugna Carnis adversus Spiritum, vers. 17. at *Tentationem carnis* explicitè sic dictam nisi semel non memini me legisse, nimirum apud S. Jacobum, cap. 1. ver. [illegible]. *Unusquisque tentatur dum à propria cupiditate abstrahitur*

bitur & inescatur. Hæc, ut opinor, est ratio, quia non per se & propriè tentant Caro & Mundus, sed impropriè & secundùm quid: *Caro subjectivè*, ut Albertus loquitur, *quia in Carne, ut in subjecto, est motus natus inclinare voluntatem ad delicias suas*; *Mundus objectivè*, *quia in mundo, ut in objecto, est motus natus attrahere voluntatem ad suas:* Adhuc, Caro elicitivè, quia fomes est peccati; Mundus occasionaliter, quasi publicum vanitatis theatrum; vel, ut Ægidius loquitur, *ostensivè*, *quia ostendit nobis objecta varia per qua trahamur ad peccandum*, *nunc objecta delectabilia, ut alliciamur ad aliquod malum, nunc terribilia, ut retrahamur ab aliquo bono.* Postremò, utrumque materialiter, quia causas tentationum subministrant; utrumque instrumentaliter, quia carne & rebus mundi diabolus tanquam organis & instrumentis utitur, quibus nos à tramite virtutis deducat. Quod pulchre est à S. Bernardo explicatum, in Meditationum cap. 15. *Proprio*, inquit, *nos cadit diabolus baculo, & manus nostras proprio cingulo ligat, ut caro & mundus, quæ data sunt nobis in adjutorium, fiant in ruinam.* Dicuntur igitur *tentare*, juxta generalem & largam vocis intelligentiam, primò, quia omnis qualiscunque ad malum inclinatio est in sensu laxo tentatio; non solùm si sit activa, sed etiam si sit passiva impugnatio pietatis, tentatio est, sive sit ab intrinseco principio, scil. à carne, sive ab extrinseco, id est à mundo: deinde, quia ex ipsis virtus & infirmitas mentis cognoscitur, dum ad titillationem aut pulsationem carnis & mundi experimentatio sequitur. Veruntamen præcisè & strictè loquendo, quia nulla est mundi & carnis ad experimentum sumendum intentio, propterea concludunt Scholastici, ea, nisi impropriè, in tentantium numerum recensenda non esse, quia prima propriè dictæ tentationis proprietas deest. Ex adverso, proprietas utraque obstat nè Deus dicatur *tentare*, propriè loquendo; in utraque aio esse impedimentum.

in 2.d.21.dub.1. Laterali.

In prima, quia nihil est Deo incognitum, nihil dubium, de quo per tentationem experientiam hauriat. Hinc fit ut inter Scholasticos aliqui ad definitionem tentationis à Thoma & aliis traditam novam clausulam annectant; cùm enim dicitur, *Tentare est experimentum de aliquo sumere, ut aliquid sciatur*, addit Gabriel, *ut sciatur aliquid priùs incognitum*, quia Deus omnia novit antequam fiant, nec de novo scire aliquid potest: & quando hominem probat, non ad cognoscendum agit, sed ad cognoscere faciendum, causando scilicet notitiam & experientiam non in se, sed in aliis. Cùm igitur Tentare sit experimentum de aliquo sibi ignoto verbis aut factis sumere, cúmque nihil sit Deo inexpertum, qui omnia novit antequam fiant; sequitur ut non nisi impropriè *tentare* dicatur, propter incongruitatem proprietatis primæ.

Porrò & quantum ad secundam: nam sicut prima postulat ut sit intentio cognoscendi, ità secunda ut sit animus fallendi & nocendi; quod horrendum esset de Deo cogitare, cujus actus singuli sunt summè boni, & nullus defectuosus. Exinde est quòd S. Jacobus à Divina natura tentationis opus abstrahit, cap. 1. ver. 13. *Nemo cùm tentatur dicat, A Deo tentor; nam Deus tentari malis non potest, nec quemquam hominem tentat*; hoc est, interpretante S. Augustino, *Neminem ad aliquod malum aut illicitum impellit, neminem probat ut fallat.* Et hinc est etiam quòd S. Ambrosius non dubitat discrimen manifestum statuere inter *tentandi* & *probandi* vocabula, in 1 Libro de Abraham Patriarcha cap. 8. Et in 2 Cor. 13. in illa verba, VOSMETIPSOS TENTATE SI ESTIS IN FIDE, IPSI VOS PROBATE; *Per tentationem hic*, inquit Ambrosius, *probationem voluit Apostolus intelligi, quia omnis probatio tentatio est, non tamen omnis tentatio probatio:*

si

si enim Deus tentare dicitur, probatio est; si autem diabolus, qui evertere nititur, tentare dicatur, veri nominis tentatio est; quia veris quis probatur, tentatur autem compositis & fictis. Quòd si hoc ad discriminationem non sufficiat, accipitote paucis, ut pro tempore libare potui, ex aliis Patribus discrimina singula ad sex Classes redigenda.

Inprimis Modo distinguuntur. Nam Deus quando probat, etsi velut inimicus videatur, est tamen in eo actu amicissimus; *Incipit à vinculis ferreis,* ut Augustinus loquitur, *sed finit ad torquem auream,* ut in Josepho videre est: At diabolus in tentationis actu, cùm sit inimicissimus, amicum se prætexit; apparet agnus ut fortes comprimat, & ut spirituales defraudet transfigurat se in angelum lucis. Solil. c. 17.

Secundò, Distinguuntur Mediis. Deus instrumentis bonis utitur, dicente Augustino, *Per homines bonos, tanquam ministros suos, agit omne quod bonum est; diabolus per homines malos, tanquam satellites suos, exercet omne quod malum est.* Ser. 85. De tempore.

Tertiò, Quantum ad Mensuram. Deus servos suos probat secundum vires suas, media viribus attemperans, tantum mittens quantum potest quisque ferre, 1 Cor. 10. 13. *Fidelis est Deus, qui non sinet vos tentari supra id quod potestis,* nec quantum ad numerum & molem, nec quantum ad pondus: At diabolus, si ei permissum fuerit, multiplicare solet spicula, frequentare vulnera; ut de S. Job. Ambrosius loquitur, *Tela congeminavit, fecitq; ut nuntius post nuntium ingrueret.* l. 4. in Luc. 6.

Quartò, Quantum ad effectum & exitum. Deus probat efficaciter, & operatur id ipsum quod faciendum ex tentatione instituit: At diabolus sæpe ausis excidit, quia suadere potest, non cogere; nec extorquere consensum, sed petere: hinc sæpe illuditur, & *vulnere suo contra se armat quem debilitandum putavit,* ut scitè Ambrosius. l. 1. De Pœnit. c. 12.

Quintò, Quantum ad Subjectum. Deus servos suos potissimùm probat: Diabolus eos præcipuè quos pro hostibus ducit. Gul. Parisiensis est observatio, *Diabolus probat & reprobat, Deus probat & approbat;* nec non & S. Ambrosii, *Probatos sibi Deus tentat,* inquit; unde S. David dicit, *Proba me, Deus, & tenta me,* Psal. 26. sic ipsum S. Abrahamum probavit antè, & tùm tentavit, nè si antè tentaret quàm probasset, gravaret. De Abr. Patriarcha l. 1. c. 8.

Ad ultimum, quantum ad Finem & Cujus, & Cui. Quantum ad Finem Cui, tentat Deus ut faciat nos nobis ipsis cognitos, non ut ipse de nobis aliquid cognoscat: Diabolus & ut ipse sciat quid in nobis sit, & ut nos nobis occultet & incognitos faciat; quia *sæpe accidit,* inquit Augustinus, *ut sibi homo sit ignotus, quid ferat quidve non ferat nescius; aliquando præsumens se ferre quod non potest, aliquando desperans se ferre quod potest: accedit tentatio quasi interrogatio, & invenitur homo à seipso, qui latebat & seipsum, sed artificem non latebat.* Quantum ad Finem Cujus gratiâ, diabolus tentat ut subruat, Deus ut coronet; Deus ut probet, corrigat, ut emendet & erudiat, diabolus ut seducat & decipiat; ille ad nocumentum, Deus ad documentum, ut specimen virtutis edatur, ut fidem exerceat. *Est Tentatio probationis,* inquit Augustinus, *& secundum hanc tentat nos Deus; & est Tentatio deceptionis, & secundum hanc tentat nos diabolus. Est Tentatio probans fidem, quâ Deus tentare dignatur; & est Tentatio adducens peccatum, quâ Deus neminem tentat; quia repugnat naturæ Dei, qui nec falli potest, quia est summè sapiens, nec fallere, quia est summè bonus.* Quòd si Generaliter accipiatur, Tentatio est omne id quod nos probat & sollicitat; si Speciatim, ut nunc usus invaluit, est tantùm sollicitatio ad malum ex intentione decipiendi. Ergò sequitur ut *inter Deum & diabolum tentantem* in Psal. 55. & in Psal. 61. Ep. ad Consentium, & de blasph. in Sp. Sanctum.

Alensf. par. 2. q.101.mem.1.. *convenientia sola sit ex parte Actûs & Subjecti*, ut Alensis loquitur; *sed discrepantia magna est ex parte Finis, quia Dei probatio ad bonum fertur, diaboli ad malum, ut fallere possit, ac in errorem & peccatum inducere.* Hæc proprietas est secunda, & finis sub fine; cùm finis immediatus & proximus sit Exploratio, finis ultimus est Seductio.

Hactenus de Tentationis Definitione & Proprietatibus. Superest ut ad Tentationum Genera, & per ea ad hanc Salvatoris accederem: verùm ista sunt majoris ambitûs quàm quæ uno die possunt absolvi. Quocirca pace vestrâ in Terminum ea sequentem rejiciam; & mihimetipsi diei proximæ usuram, quæ vestra esse debuit, arripiam; & unà cum ipsius verbi, Termini quoque definitionem hîc constituam, donec exactis Salvatoris Natalitiis occasio nova exoriatur ea redintegrandi.

LECTIO XIII.

QUadragesima jam agitur Septimana ex qua primum hoc tentationis Domini argumentum enucleandum suscepi, & dies etiam quadragesimus ex quo postremùm præclusum est mihi iter in inceptis progrediendi: atque sperabam fore ut in hebdomadam quadragenariam Jejunii Quadragesimalis sermo auspicio prospero dilaberetur, diei verbum in diem suum remittendo; sed retardavit me Tentationis amplitudo, atque etiamnum detinet, nè ad Jejunium Salvatoris priùs transeam quàm Tentationis, quæ in hac historiæ parte primas tenet, singula expedivero. Quòd si plus sperato excreverit, vestræ erit benignitatis, materiâ efflagitante, non longitudinem eam interpretari, sed copiam. *Iniquum est*, inquit Plinius, *in rebus magnis plus nimio studere brevitati, nè ex dicendis aliquid fortasse transeat; quod non est brevitas, sed prævaricatio.* In argumento angusto si quid accersitum fuerit, si quid à causa alienum, longissima erit etiam oratio circumcisa: E contrà, in amplissimo, si tractator materiæ immoretur, si in opere justo hoc quod instituit faciat, si nihil inductum fuerit, nihil deviũ, non disputatio magna est, sed argumentũ. Hâc lege servatâ, in re præsenti, tam nobili planéque summa, non est quòd verear nè fortè eam excederem; imò magis timendum est nè non adimpleam, & imbecillitate potiùs peccarem quàm viribus. Sed istis missis, revertar unde cœpi, nè secundum legem meam jure reprehendar, si longior fuero in anteloquiis. Quod de hebdomadum & dierum numero dixi, utrumque ad quadragenarium decurrisse, illum ab exordio instituti, hunc ab intercapedine silentii, hoc illud ipsum est quod novam jam mihi largitur ansam progrediendi. Etenim de ipso Salvatore legimus, quòd quadraginta septimanis à conceptu (ut Sancti Patres perhibent) in utero B. Virginis portatus sit antequàm in lucem ederetur; nec non quòd diebus quadraginta à nativitate in domo Bethlemitica detentus erat antequam offerretur in templo; atque ecce nunc iisdem spatiis tentationis tractandæ tempora circumscripta quibus ôlim Natalitia: ut gratulari nobis possimus hunc felicissimum in consessu vestro & hebdomadum & dierum recursum; in quo, post longum intervallum, redire possumus ad id unde divertimus.

Plin. lib. 1. Ep. 20. & l. 5. Ep. 6.

vertimus. Hoc ut vobis in mentem veniat, non opus est ut rem totam à fonte commemorando renovemus. Brevì sic habetote.

De versûs parte ultima nunc agitur, quæ Finem itineris in desertum, & certaminis Qualitatem in se complectitur, in illis verbis, *Ut tentaretur à diabolo*. Hanc ego partem in duas Speculationes distributam dedi, Historicam & Theologicam. Historica in Diversitate vocum consistit: in Quæstionibus eventilandis Theologica.

Quæstiones quas proposui quatuor erant: duæ Principales, Cur Christus tentari voluit, & Quare hoc genere tentationis; duæ Introductoriæ, Quid sonet hoc vocabulum Tentatio, & Quæ sint ejus Species ac Differentiæ. De Natura & Proprietatibus suprà audivistis. Nunc superest ut Species & Differentias percurram; & per Species ad Differentias, per Differentias ad Signa & Indicia dignoscendi perveniam. Sunt igitur tria hujus partis membra, Distinctio, Discriminatio, & Dijudicatio tentationum.

Primum membrum in Distinctione ponitur, in quo de Tentationũ Modis sive speciebus agendum est: neque enim multùm interest sive Modos, sive Genera, sive Species appellemus, quoniam ad accuratam distributionem vix redigi queat tam numerosa propago; cùm possit habere diversa nomina una eadémque tentatio pro diversitate & Finis ad quem tendit, & Subjecti cui imprimitur, & Gradûs quò pertingit, & Efficientis à quo contorquetur.

Inprimis respectu Finis distinctio illa est omnium prima & latissima à S. Ambrosio & S. Augustino tradita, quòd alia est *Tentatio Probationis*, quâ fides alicujus & obedientia exploratur, ut aliis possit esse conspicua; ad hanc præsens disputatio non extenditur: alia est *Deceptionis* sive *seductionis*, quæ semper in malum finem intenditur; nec quid aliud est quàm impulsio aut præcipitatio hominis in peccatum, sive, ut Durandus loquitur, *motus natus inclinare hominem ad aliquod illicitum*, h. e. sollicitatio alicujus ad scelus & impietatem aliquam exsequendam, sive ad perpetrandum aliquid adversus Legem Dei & salutem animæ. Sit hæc Distinctio prima.

Secunda est respectu Subjecti. Notissima omnium est illa Divisio quæ apud P. Lombardum occurrit, in 2 Sent. Dist. 21. quòd alia sit *Exterior*, alia *Interior*. [Imperfecta est Divisio, quia datur tertia, scil. *Mixta*, diaboli, quæ nec perfectè est interior, quia non immediatè porrigit ad mentem, sed ad phantasiam.] Interior est suggestio sive motio intrinseca, quando à motore aliquo interiori invisibiliter nobis malum suggeritur sine sensibili objecto exteriori, ut cùm imprimitur vel oritur ex imaginatione, intellectu, vel motiva virtute. Exterior est, quando nobis extrinsecùs malum visibiliter suggeritur verbo vel signo aliquo; atque nil aliud est quàm ostensio alicujus objecti sensibilis à virtute exteriori, ut apprehendens ad peccatum alliciatur. A Gregorio verisimile est hanc distinctionem Lombardum traxisse, vel potiùs à Macario, qui in Ser. 42. tentationes omnes ad hæc duo capita redigit, ad eas quæ sunt ἔνδοθεν, & eas quæ sunt ἔξωθεν nisi quòd in hoc à Magistro discrepet, quòd internas à nobis solis oriri dicit, externas à salutis adversario. Eique similis est illa S. Maximi, Centuriâ tertiâ, quòd *alia tentatio est* κατὰ *γνώμην*, i. e. *juxta mentem*, *alia* παρὰ *γνώμην*, i. e. *contra mentem*. Denique & illa Theodoreti, quòd *alia est Voluntaria*, *alia Involuntaria*; pro interioribus voluntarias, pro exterioribus involuntarias statuendo. Hæc Distinctio secunda, respectu Subjecti.

Tertia est respectu Gradûs, & est à S. Gregorio posita, in l. 12. Mor. c. 11. quòd *alia tentatio sit Violenta*, quæ in mentem per repentinum eventum agitur, eámque tam subitâ invasione prosternit, ut casum suum nisi postquam ceciderit homo non videat: *alia est Tarda & subreptitia*, quæ leniter & paulatim

latim se cordi infundit, & resistentem animum leni aurâ suggestionis inficit, & vires ejus, sicut gutta lapidem, non nimietate, sed assiduitate suâ consumit. Has duas ad quatuor species Hugo à Victoria dilatat, in Ser. 89. de Institutione Monastica, Quòd *alia est levis & occulta*, quando quis de malo incerto tentatur, sed leviter; *alia levis & manifesta*, quando de malo certo tentatur, sed adhuc leviter; *alia gravis & occulta*, cùm graviter de malo incerto; *alia gravis & manifesta*, cùm graviter de malo manifesto. Et huc etiam referre possumus tres illos gradus quibus tentationem omnem perfici S. Augustinus affirmat, l. 2. De Gen. con. Manichæos c. 14. & Ser. 44. De verbis Domini, Suggestionem, Delectationem, & Consensum. Quod idem est à B. Hieronymo observatum, tametsi verbis aliis. *Primum*, inquit, *peccâtum est cogitasse quæ mala sunt*; *secundum*, *cogitationibus acquievisse*; *tertium*, *opere complesse*. Porrò, & ante utrumque à S. Jacobo Apostolo, c. 1. vers. 14. *Unusquisque*, inquit, *tentatur dum à propria cupiditate abstrahitur & inescatur: deinde cupiditas postquam concepit, parit peccatum; peccatum verò gignit mortem*. Isti igitur sunt gradus quibus ematurescit tentatio: quia primò titillamur & movemur cogitationibus allicientibus ad peccatum, & movemur, non permovemur tamen; deinde non tantùm agitatur cogitatio, sed etiam voluntas flectitur & in consensum trahitur, ut jam formentur desideria mala, quibus deest sola occasio implendi; tum demum hæc ipsa desideria exeunt in actum, ut ipso compleantur opere. Propter hoc Graduum Distinctionem appellavi; quantumvìs si enodatè loquamur, neque ejusdem sunt ordinis gradus, neque Graduum solùm est distinctio, sed Modorum. Etenim Delectatio & Consensus tentationis sunt gradus respectu recipientis, sive tentati; Suggestio, Gravitas & Levitas, respectu immittentis, sive tentantis: & vice versâ, quando *gravis* aut *levis* dicitur, est diversificatio Gradûs; quando *occulta* aut *manifesta*, est diversificatio Modi. Illud ad impetum tentationis spectat, qui si minor fuerit, *levis* dicitur, *gravis*, si vehementior; hoc ad artes & dolum malum tentatoris, quæ si appareant, *manifesta* vocatur tentatio, *occulta*, si delitescant. Hæc distinctio tertia respectu Gradûs.

Hier. in Am. 1.

Ad extremum, respectu Efficientis est illa vulgata divisio, sed è Sacra Pagina desumpta, in eam quæ est *à Mundo*, & *à Carne*, & *à Diabolo*. Sub hac divisiones reliquæ eatenus comprehenduntur, ut ad eam facillimè revocari possunt. In hoc quidem omnes conveniunt, quòd in eundem finem singula ferantur, ut fallant & decipiant, non minùs Caro quàm Diabolus, nec minùs Mundus quàm Caro. Tentat Caro, ut rationis judicium impediat & pervertat; Mundus, ut affectus hominis implicatos teneat; Diabolus, ut ad peccandū pertrahat, & trahendo præcipitet, & præcipitando perdat: Sed distinguuntur tamen & quoad Modum prædicandi, & quoad Modum agendi.

Quod ad Modum prædicandi spectat, Mundus cùm Tentare dicitur, metonymicè sumitur, vel pro hominibus mundanis, vel pro deliciis & commodis & vanitatibus mundi: & Caro etiam metonymicè, pro vitiositate quæ in hominibus regnat, sive pro impura hominis natura, quæ *pars non regenerata* appellatur. At Diaboli nomen propriè usurpatur, nec mediante tropo, unde κατ' ἐξοχὴν *Tentator* dicitur, 1 Thess. 5. 3. hoc est, sollicitator ad malùm.

Quod ad Modum agendi sive operandi attinet, haud obscura sunt signa distinctionis; à quibus quia præsentis disputationis cursus præcipuè pendet, non erit otiosa opera in iis paulisper consistere, & ordine suo singula enarrare.

Ordo primus est tentationum Diaboli, atque modus quem in tentando tenet

net non alius est quàm suadentis, blandientis, ac ratiocinantis. Et dupliciter consideratur, Negativè, Positivé. Negativè, est quod non potest facere. Primò, Non potest in voluntatem agere, quia non est affixa organo, neque objectum ejus ab organo pendet, sed à Ratione. Secundò, Non potest directè imprimere in ipso intellectu notionem aliquam confirmando lumen intellectûs agentis: atque si posset, non tamen esset facturus, quoniam contra se ageret, cùm hâc ratione quis est qui tentat meliùs dignosceretur. Positivè, tres sunt gradus ad quos tentationes suas exporrigit. Primò, ad Titillationem sensuum: directè potest agere in facultates organo conjunctas, applicando activa passivis; atque ità vim habet non solùm sensus exteriores trahendi, sed movendi etiam sanguinem circa cor, illúdque aut incendendi ad iram, aut excitandi ad libidinem. Deinde, ad Illustrationem phantasmatum: substituere potest phantasiæ species, sive amplas & magnificas, sive horrendas & formidolosas, & falsas ei figurationes imprimere, & in vanas cerebrum imagines evocare, ex quibus formentur species ipsi menti deservientes. Tertiò, ad Deceptionem ipsius intellectûs; etiam in intellectum potest agere, etsi non immediatè & ut causa proxima, at mediante phantasiâ & ut causa remota: Ratio est, quia ipse intellectus licèt ab organo non pendeat quantum ad actum, at quantum ad objectum, quod quidem est phantasma intelligibile, ab organo pendet; propterea collustrando phantasmata, objicere potest intellectui rationes quamplurimas priùs ipsi non repræsentatas. Verùm quia ad cognitionem præter objectum & facultatem intelligendi requiritur etiam intentio, idcirco, sicut dixi, ulteriùs progredi non potest; sed liberum est homini non solùm non assentire, sed nè mente quidem advertere ad illas imaginationes; quemadmodum in nostra potestate est loquentem non audire, si volumus. Hic Distinctionis ordo primus, de tentationibus Satanæ.

Proximus est tentationum Carnis: éstque triplex ambitus in quo ipsius tentationes clauduntur. Nam primò, tentare dicitur *Materialiter & subjectivè*, ut Albertus loquitur; quia est officina nequitiæ, & diversorium flagitiorum, in quo finguntur & ex quo prodeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, quæ coinquinant hominem, Matth. 15. 19. Rursus, tentare dicitur *Instrumentaliter*; quia hoc organo diabolus utitur tanquam jumento suo, cui insidens, nunc facit ut anima avaritiâ æstuet, nunc ut iracundiæ flammis accendatur, nunc ut ineptâ lætitiâ se efferat, ut superbiæ flatu levetur, ut timore inordinato se deprimat, ut luxuriæ labe polluatur: adeóque per hoc Caro non solùm est officina tentationum, sed machina. Denique, tentare dicitur *Elicitivè* & *Suasoriè*, per modum moventis & titillantis; non solùm est machina, sed machinator & fomes peccati, unde inordinati motus proveniunt, qui voluntatem inclinant ad actus illicitos. Hos motus excitare solet interdum ex apprehensione objecti; quandoque ex qualitate organi, ut cùm ex inflammatione cordis iram, ex calefactione membrorum libidinem elicit; aliquàndo ex suo vitiosissimo penario eos emittit, sicut ad vivum eam describit Augustinus in libro De salutaribus documentis, c. 64. & 65. *Caro est quæ animam perdit, caro quæ diabolum recipit: ipsa præceps ad libidinem, improba ad petulantiam, frequens ad luxuriam, inverecunda ad fornicationem; ipsa quotidie crimen crimini superponit, & peccata peccatis, malis mala, & pessimis deteriora conjungens: voluntate est crudelis, vana, insipiens, semper ad malum prona, ad bonum excusabilis & pigerrima, velox ad mortem, ad vitam difficilis, cui exosa sunt opera lucis, & tenebrarum amantissima; quia cadere diligit, surgere negligit. Amara est illi salus, & dulcis perditio; inquieta est & impatiens, flammis Gehennæ animam circundans, injiciens se inter germina*

latim se cordi infundit, & resistentem animum leni aurâ suggestionis inficit, & vires ejus, sicut gutta lapidem, non nimietate, sed assiduitate suâ consumit. Has duas ad quatuor species Hugo à Victoria dilatat, in Ser. 89. de Institutione Monastica, Quòd *alia est levis & occulta*, quando quis de malo incerto tentatur, sed leviter; *alia levis & manifesta*, quando de malo certo tentatur, sed adhuc leviter; *alia gravis & occulta*, cùm graviter de malo incerto; *alia gravis & manifesta*, cùm graviter de malo manifesto. Et huc etiam referre possumus tres illos gradus quibus tentationem omnem perfici S. Augustinus affirmat, l. 2. De Gen. con. Manichæos c. 14. & Ser. 44. De verbis Domini, Suggestionem, Delectationem, & Consensum. Quod idem est à B. Hieronymo observatum, tametsi verbis aliis. *Primum*, inquit, *peccàtum est cogitasse quæ mala sunt*; *secundum*, *cogitationibus acquievisse*; *tertium*, *opere complesse*. Porrò, & ante utrumque à S. Jacobo Apostolo, c. 1. vers. 14. *Unusquisque*, inquit, *tentatur dum à propria cupiditate abstrahitur & inescatur: deinde cupiditas postquam concepit, parit peccatum; peccatum verò gignit mortem*. Isti igitur sunt gradus quibus ematurescit tentatio: quia primò titillamur & movemur cogitationibus allicientibus ad peccatum, & movemur, non permovemur tamen; deinde non tantùm agitatur cogitatio, sed etiam voluntas flectitur & in consensum trahitur, ut jam formentur desideria mala, quibus deest sola occasio implendi; tum demum hæc ipsa desideria exeunt in actum, ut ipso compleantur opere. Propter hoc Graduum Distinctionem appellavi; quantumvìs si enodatè loquamur, neque ejusdem sunt ordinis gradus, neque Graduum solùm est distinctio, sed Modorum. Etenim Delectatio & Consensus tentationis sunt gradus respectu recipientis, sive tentati; Suggestio, Gravitas & Levitas, respectu immittentis, sive tentantis: & vice versâ, quando *gravis* aut *levis* dicitur, est diversificatio Gradûs; quando *occulta* aut *manifesta*, est diversificatio Modi. Illud ad impetum tentationis spectat, qui si minor fuerit, *levis* dicitur, *gravis*, si vehementior; hoc ad artes & dolum malum tentatoris, quæ si appareant, *manifesta* vocatur tentatio, *occulta*, si delitescant. Hæc distinctio tertia respectu Gradûs.

Hier. in Am. 1.

Ad extremum, respectu Efficientis est illa vulgata divisio, sed è Sacra Pagina desumpta, in eam quæ est *à Mundo*, & *à Carne*, & *à Diabolo*. Sub hac divisiones reliquæ eatenus comprehenduntur, ut ad eam facillimè revocari possunt. In hoc quidem omnes conveniunt, quòd in eundem finem singula ferantur, ut fallant & decipiant, non minùs Caro quàm Diabolus, nec minùs Mundus quàm Caro. Tentat Caro, ut rationis judicium impediat & pervertat; Mundus, ut affectus hominis implicatos teneat; Diabolus, ut ad peccandū pertrahat, & trahendo præcipitet, & præcipitando perdat: Sed distinguuntur tamen & quoad Modum prædicandi, & quoad Modum agendi.

Quod ad Modum prædicandi spectat, Mundus cùm Tentare dicitur, metonymicè sumitur, vel pro hominibus mundanis, vel pro deliciis & commodis & vanitatibus mundi: & Caro etiam metonymicè, pro vitiositate quæ in hominibus regnat, sive pro impura hominis natura, quæ *pars non regenerata* appellatur. At Diaboli nomen propriè usurpatur, nec mediante tropo, unde κατ' ἐξοχὴν *Tentator* dicitur, 1 Thess. 5. 3. hoc est, sollicitator ad malùm.

Quod ad Modum agendi sive operandi attinet, haud obscura sunt signa distinctionis; à quibus quia præsentis disputationis cursus præcipuè pendet, non erit otiosa opera in iis paulisper consistere, & ordine suo singula enarrare.

Ordo primus est tentationum Diaboli, atque modus quem in tentando tenet

net non alius est quàm suadentis, blandientis, ac ratiocinantis. Et dupliciter consideratur, Negativè, Positivè. Negativè, est quod non potest facere. Primò, Non potest in voluntatem agere, quia non est affixa organo, neque objectum ejus ab organo pendet, sed à Ratione. Secundò, Non potest directè imprimere in ipso intellectu notionem aliquam confirmando lumen intellectûs agentis: atque si posset, non tamen esset facturus, quoniam contra se ageret, cùm hâc ratione quis est qui tentat meliùs dignosceretur. Positivè, tres sunt gradus ad quos tentationes suas exporrigit. Primò, ad Titillationem sensuum: directè potest agere in facultates organo conjunctas, applicando activa passivis; atque ità vim habet non solùm sensus exteriores trahendi, sed movendi etiam sanguinem circa cor, illúdque aut incendendi ad iram, aut excitandi ad libidinem. Deinde, ad Illustrationem phantasmatum: substituere potest phantasiæ species, sive amplas & magnificas, sive horrendas & formidolosas, & falsas ei figurationes imprimere, & in vanas cerebrum imagines evocare, ex quibus formentur species ipsi menti deservientes. Tertiò, ad Deceptionem ipsius intellectûs; etiam in intellectum potest agere, etsi non immediatè & ut causa proxima, at mediante phantasiâ & ut causa remota: Ratio est, quia ipse intellectus licèt ab organo non pendeat quantum ad actum, at quantum ad objectum, quod quidem est phantasma intelligibile, ab organo pendet; propterea collustrando phantasmata, objicere potest intellectui rationes quamplurimas priùs ipsi non repræsentatas. Verùm quia ad cognitionem præter objectum & facultatem intelligendi requiritur etiam intentio, idcirco, sicut dixi, ulteriùs progredi non potest; sed liberum est homini non solùm non assentire, sed nè mente quidem advertere ad illas imaginationes; quemadmodum in nostra potestate est loquentem non audire, si volumus. Hic Distinctionis ordo primus, de tentationibus Satanæ.

Proximus est tentationum Carnis: éstque triplex ambitus in quo ipsius tentationes clauduntur. Nam primò, tentare dicitur *Materialiter & subjectivè*, ut Albertus loquitur; quia est officina nequitiæ, & diversorium flagitiorum, in quo finguntur & ex quo prodeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, quæ coinquinant hominem, Matth. 15. 19. Rursus, tentare dicitur *Instrumentaliter*; quia hoc organo diabolus utitur tanquam jumento suo, cui insidens, nunc facit ut anima avaritiâ æstuet, nunc ut iracundiæ flammis accendatur, nunc ut ineptâ lætitiâ se efferat, ut superbiæ flatu levetur, ut timore inordinato se deprimat, ut luxuriæ labe polluatur: adeóque per hoc Caro non solùm est officina tentationum, sed machina. Denique, tentare dicitur *Elicitivè & Suasoriè*, per modum moventis & titillantis; non solùm est machina, sed machinator & fomes peccati, unde inordinati motus proveniunt, qui voluntatem inclinant ad actus illicitos. Hos motus excitare solet interdum ex apprehensione objecti; quandoque ex qualitate organi, ut cùm ex inflammatione cordis iram, ex calefactione membrorum libidinem elicit; aliquando ex suo vitiosissimo penario eos emittit, sicut ad vivum eam describit Augustinus in libro De salutaribus documentis, c. 64. & 65. *Caro est quæ animam perdit, caro quæ diabolum recipit: ipsa præceps ad libidinem, improba ad petulantiam, frequens ad luxuriam, inverecunda ad fornicationem; ipsa quotidie crimen crimini superponit, & peccata peccatis, malis mala, & pessimis deteriora conjungens: voluntate est crudelis, vana, insipiens, semper ad malum prona, ad bonum excusabilis & pigerrima, velox ad mortem, ad vitam difficilis, cui exosa sunt opera lucis, & tenebrarum amantissima; quia cadere diligit, surgere negligit. Amara est illi salus, & dulcis perditio; inquieta est & impatiens, flammis Gehennæ animam circundans, injiciens se inter germina*

cupiditatis & avaritiæ, vanitatis & arrogantiæ, cæterarúmque nequitiarum. Et quid plura? sicut tinea lanam devorat, & ignis fœnum ac stipulam consumit: ità caro rebellis & delicata animam consumit ac concremat. Hæc Augustinus. Hic ordo est secundus, de tentationibus Carnis.

Tertius est tentationum Mundi: éstque duplex modulus quo tentationes ejus metiri possumus, Ex parte Mundi viva, & Ex parte vitiosa.

Pars viva & animata sunt mundani homines, sive mundi amatores. Hoc S. Augustinus observavit, Mundum non solùm sumi pro cœli & terræ fabrica, sed pro ejus habitatoribus, ut domus non solùm dicuntur parietes, sed inhabitantes: & quando in laude ponitur, cœlum & terra est mundus, quæ sunt opera Dei; quando in malo ponitur, dilectores mundi intelliguntur, ut Joan. 15. *Mundus quod suum est diligit; mundus vos odit, sicut me priùs odio habuit:* ubi nomine *Mundi* illi intelliguntur qui vivunt secundum concupiscentiam mundi. In hoc sensu Mundus *tentare* dicitur, sive suadendo, sive blandiendo, sive incitando, sive minando & cogendo. Pars mundi vitiosa sunt Res mundi, vel à dextris, vel à sinistris: à dextris sunt objecta delectabilia, quibus allicimur ad aliquod malum; à sinistris objecta terribilia, quibus retrahimur ab aliquo bono. A dextris sunt divitiæ, potentia, honores, laus, fama, & deliciæ mundi, quæ fulgore plerumque suo, & boni specie quam præ se ferunt, hominum aciem perstringunt, & blanditiis suis inescant, ut talibus præstigiis capti Deum suum obliviscantur: A sinistris sunt paupertas, probra, contemptus, fames, afflictiones, mors, & alia istis affinia; singula discrimine plenissima, sed minore tamen quàm illa quæ sunt à dextris, quia *periculosior est mundus blandus quàm molestus*, ut ait ad Anastasium Augustinus. Et hæc quidem omnia per se & propriè ad peccatum solicitare non dicuntur, sive ea sint quæ timentur, sive ea quæ concupiscuntur; sed possunt & hæc castè concupisci, & illa altera prudenter & rationabiliter timeri: sed tentamenta fiunt & laquei ex nequitia nostra, qui occasione arreptâ à rebus per se bonis, concipimus desideria prava: idcirco earum respectu ipse Mundus *tentare* dicitur *occasionaliter*, quia materiam & occasionem tentationum subministrat; &, ut Ægidius loquitur, *ostensivè, per modum objecti*, quia ostendit nobis objecta illa per quæ ad peccandum trahamur. Hic est ordo tertius, de tentationibus Mundi.

Aug. in 1. can. Joan. tract. 5. 9.

Tract. 107. in Joan.

Calv. Instit. l. 3. c. 20. s. 46.

Quibus sic positis, satisfactum existimo primo membro, & fortasse pluribus quàm necesse fuit. Mitto igitur hanc de Distinctione disputationem, & ad alterum membrum redeo, quod Discriminationem dixi. In illo conabor, si potero, ostendere quæ sit istarum specierum pessima & gravissima tentatio: est enim hoc summum Discriminationis fastigium, neque uno verbo finiendum, quia non est unicus respectus qui tentationis gravitatem constituit, sed multiplex; & non solùm ex parte Intorquentis, sed ex Occultatione, & Distantia, & Concomitantiis, & Apparatu est mensurandus. Juxta hos quatuor respectus quatuor constituo discriminationis Modos, quos breviter ad quatuor Regulas revocabo.

Regula prima fluit ab Occultatione & reticentia. Est illa tentatio pessima, quæ occultissima: ratio, quia non est adeò observatu facilis pernicies clandestina; *Hostis occultus faciliùs lædit*, ut loquitur Cyprianus. Quòd si appareat adversarius, remedium superest, quia possumus aut fugere aut congredi; at verò si lateat, neque de fuga neque de congressu cogitatur: adeò *plus periculi est*, inquit Leo, *in insidiatore occulto, quàm in hoste manifesto.* Juxta hunc sensum pejor est tentatio Carnis quàm Mundi, & Diaboli quàm Carnis; eò quòd Diaboli tentatio occultior & tectior sit quàm Carnis, & Carnis quàm Mundi: quia Mundus in externos sensus & sub aspectum ipsum

Cypr. De Sing. Clericorum.

Leo Ser. 9. De Quadrag.

ipsum cadit; Caro tametsi non cernatur, at haud difficiliter discernitur tamen; Diaboli subtilitas tanta, ut semper oculorum, sæpe animi fugiat obtutum: adeò ipse est anguis in herba, Caro anguis in sinu, Mundus anguis in manu. Secundum hanc, inquam, rationem, gravissima omnium est tentatio Satanæ; gravissima, quia occultissima: nam Mundus plerumque aperto Marte nos aggreditur, & Caro, etsi secretiùs lateat, at manifestiùs urget; sed Diabolus adeò agit clanculum, ut sæpe se transfiguret in angelum lucis, ut quasi bonus & propitius familiariùs admittatur. *Suadebit bonum propter majus malum, suadebit malum sub specie boni; dissuadebit bonum tanquam malum, dissuadebit malum quò pejus inducat*, ut Sarisburiensis loquitur. Hæc est de Regula prima Discriminatio prima, Quòd Diaboli tentationes sunt reliquis pejores, quia tectiores. Sarisb. l. 2. Policrat. c. 27.

Regula secunda à Distantia trahitur. Est illa tentatio pessima quæ nobis propior est & conjunctior; neque enim sunt ullæ pejores insidiæ quàm quæ latent in simulatione officii & aliquo necessitudinis nomine; & *maxima est solertia*, inquit S. Ambrosius, *domestici hostis insidias evitare.* Ex hac æstimatione, Carnis tentationes sunt periculi plenissimæ, quia ab intrinseco sunt, & per modum inclinationis naturalis: est illa nobis in intimis & de familiaribus nostris, adeò vicina animæ ac ipsa sibi. Foris est Mundus, foris Satanas, & propiùs licèt accedat, ad sensuum & phantasiæ januam, at aditum animæ facere, aut se menti copulare non potest, nisi nos ei aperiamus: at verò Caro intus est inhabitans, adhæret lateri nostro, éstque finitima menti, imò verò permixta; παρ' ἡμῶν λαμβάνει τὰς ἀφορμάς, ut Theod. loquitur, *à nobis sumit tentandi occasiones*, & nostris nos jaculis impugnat, & è nobis ipsis vires sumit quibus nos lædat, quia est contigua, & quia contigua, importuna est, & diuturnioribus molestiis nos lacerat. Cùm ipsum mare temporum vicibus solet fluctuare, en Caro nostra semper exæstuat, sibique ipsi tempestas est, nec unquam à motibus procellarum miserandique naufragii feriatur. Sic semper inter retia sumus, imò verò *gestamus laqueum nostrum*, ut Greg. loquitur, & inimicum circumferimus: si moveamur, nobiscum inambulat; si comedamus, unà discumbit; nobiscum nascitur, nobiscum pernoctat, efficítque ut sibi ipsi adversetur anima, seipsam prodat, sibi ipsi subornet lenocinia, & desiderii sui veneno ebria tumore proprio rumpatur. Hæc est de Regula secunda Discriminatio secunda, Quòd Carnis tentationes sunt omnibus pejores, quia propiores. Ambrof. in Rom. 8. Theod. Ser. 9. De Græc. affec. Basil. hom. 23.

Tertia ex Apparatu petenda est. Apparatus est Telorum & Stratagematum. In Telis tria sunt quæ tentationis gravitatem adaugent, Aculeus, Jactus, Cumulus; si asperiora sint, si vehementiùs intorqueantur, si copiâ affluant. Ex istis Regula, Tentationes istæ sunt pessimæ quæ maximè viribus, & numero, & amaritudine intumescunt. Quâ trutinâ si examinentur, Diaboli tentationes pro gravissimis habendæ sunt: sunt ejus tela exacutiora quàm Carnis aut Mundi, & magìs in mucronem fastigiata: sunt magìs violenta & subitanea, contractísque ex odio alis eâ pernicitate contorta, ut ratio deliberare non possit; unde à Psalmista *sagittæ volantes* dicuntur, in Psal. 91. 6. & *tela ignita* ab Apostolo, Eph. 6. 16. quia acuminata sunt, & penetrabilia sicut ignis, & flammeo vapore torrentia. Quid quòd & versu undecimo ejusdem capitis μεθοδείας vocat, hoc est, ut ego conjicio, insidias assultorias, quæ viâ compendiariâ perstringunt & capiunt? Porrò de Copia & cumulo, non desunt Mundo tentationum catervæ; *Est molendinum*, inquit August. *quod quasi rotâ tentationum circumvolvitur, tot impuris voluptatibus illecebrosâ, tot nefandis crudelitatibus furiosâ, tot erroribus & terroribus inimicâ, ut numerari vix possunt.* Habet & Caro turmas suas, quæ illas Mundi Aug. in ser. 5. De adventu ad judicium, & Civ. 1. 27.

alteras numero exsuperant, quia utitur & Mundi illecebris & suis, & Mundi tanquam suis. Si Mundi lucellis capiamur, est ex avaritia Carnis; si voluptatibus, est ex libidine Carnis; si honoribus, est ambitio Carnis; si rabie & iracundiâ, est ex impetu carnis; sic & in cæteris. Quæcunque sunt dulcedines Mundi, sunt etiam Carnis; non contrà, quæcunque Carnis, Mundi: quia ad plura objecta se Caro extendit, invidiam, iram, hypocrisin, superbiam, avaritiam, libidinem, odium, cæterámq; crabronum densam & populosam turbam. Adeò multiformis est bestia, ut possit se in omnem speciem vertere: nunc inflammatur vindictâ, nunc ardet libidine, spe alitur, desperatione uritur, illecebris accenditur, timore turbatur, metu frangitur, luxuriâ mollitur, lasciviâ dissolvitur, solicitudine fatigatur, passione conteritur: ut *mirari quis possit*, dicente Ambrosio, *si inter tam multas adversarias passionum vices se justus tenere queat, cùm impares simus singularum certamini.* At longè major est Diaboli Apparatus, quia sicut Caro Mundo utitur tanquam ancillâ suâ; sic Diabolus & Carne & Mundo tanquam ministris suis, & istorum adminiculo in omnes sensus influit. *Offert oculis formas illices, ut visu destruat castitatem; aures tentat oblectamentis vocum, ut sonus dulcior auditum solvat, & molliat Christiani rigorem; linguam ad convitium provocat; manus (injuriis lacessentibus) ad petulantiam cædis instigat; ut fraudatorem faciat, lucra apponit injusta; ut animam pecuniâ capiat, ingerit perniciosa compendia; honores terrenos promittit, ut cœlestes adimat; ostendit falsa, ut vera surripiat:* hæc omnia Carne obstetricante, & Mundo administrante materiam. Summa est, quòd diabolus nunquam militat solus: sed ut de Goliah scriptum legimus, 1 Sam. 17. quòd Armiger ejus antecedebat eum; ità habet & multos armigeros quos præmittit Satan; armiger ejus Mundus est, armigera Caro, armigeri pravi homines, quorum utitur operâ. His armigeris adjutus venit ad seminandum zizania: *semenátque in comestione gulam, in exercitatione ignaviam, in conversatione invidiam, in gubernatione avaritiam, in correctione iram, in dominatione superbiam; in corde seminat cogitationes malas, in ore loquutiones falsas, in membris operationes iniquas, omnia ope & auxilio Carnis.* Quocirca cùm ità se res habeat, ut cogitationes pravas, quas concupiscentia suggerit, Diabolus excitet & duplicet, sequitur, quòd quemadmodum ea tentatio gravior quæ fit ab hoste qui de nostro contra nos roboratur; ità ea gravissima est quæ fit ab utroque. Et ex hoc, pejor tentatio Diaboli quàm Mundi aut Carnis, quia & suis telis utitur & ipsorum. Hæc est de Regula tertia Discriminatio tertia, Quòd tentationes Satanæ sunt graviores, quia & pondere & numero excedunt.

Ambr. Ser. 11. in Psal. 118.

Cypr. ser. 2. De Zelo & livore.

Aug. Commu: Sermones, s. 4.

Regula quarta & postrema ducitur à Concomitante peccato. Est illa tentatio gravissima quæ cum peccato conjunctissima. Ratio Regulæ, quia longè omnium pessimum vulnus est peccati, vulnus mortiferum, quo nihil est tetrius, ut Prudentius loquitur; nil tam leprosum est aut putridum, cruda est cicatrix animæ, quæ olet ut antrum Tartari. In hac lance si ponantur, gravissima omnium sunt Carnis tentamenta. Graviora quàm Mundi, quia ex Carne Mundus trahit omne virus suum. Graviora quàm Satanæ, nam Satanæ tentationes posse esse sine peccato nostro est extra controversiam: & quia non est ullatenus in potestate nostra ea prævenire; invertere possumus, antevertere non possumus; *Non vinci in nostra potestate est, non tentari, non in nostra, sed in potestate tentantis,* ut Hieronymus loquitur: tum etiam quia non sunt actus nostri, sed ipsius; proinde neque peccata nostra, nisi delectemur in illis, aut illis consentiamus; si accedat assensus aut delectatio, tum actus nostri sunt, & in peccatum cedunt. Non igitur in se nobis sunt peccata, sed ex consequenti: at verò tentatio Carnis, ex concupiscentia

Prud. hymn. 3. peristeph.

Hier. in Gal. 6.

ſcentia nata, ſemper eſt peccatum. Ratio ab Alenſi redditur, quia *cùm diaboli tentationes, ſi non delectemur illis, non procedunt ultra cognitivam partem, & ob id non ſunt neceſſariò cum peccato: tentationes carnis ſunt à parte motiva, & propterea ſemper cum peccato; utcunque voluntatis conſenſus abſit, tamen ſi ſit vel primus gradus delectationis, vel minima de malo actu cogitatio, ſunt in peccato.* Neque obſtat quod de Involuntario dicitur, Non eſſe peccatum quod nulla eſt ex parte voluntarium: quia *ſatìs eſt*, dicente Auguſtino, *ad definitionem peccati, etſi non ſit voluntarium opere, ut peccata actualia, quæ ſunt opera cujuſque voluntatis; ſed ſi ſit voluntarium origine, ut peccatum originis, quod licèt non ſit à voluntate ejus in quo eſt, ſed eſt à voluntate ejus qui primus peccavit, tam ſibi quàm poſteris.* Imò neque hoc totum eſt, nam Carnis concupiſcentia non ſolùm eſt voluntaria origine, ſed formaliter, quia eſt in ipſa voluntate; & quia nihil poſſit eſſe in voluntate quod non ſit à voluntate, propter *τὸ ἑκούσιον*, ſive, ut alii loquuntur, *αὐτεξούσιον*, ideo etiam eſt à voluntate. Hoc S. Paulus agnovit, cùm hunc fomitem *legem peccati* vocavit, & *inimicitiam adverſus Deum*. Hoc S. Auguſt. con. Julianum, l. 5. c. 3. quando & *peccatum* pronuntiavit, *quia ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis; & pœnam peccati, quia reddita eſt meritis inobedientiæ; & cauſam peccati, defectione conſentientis, vel contagione naſcentis.* Retract. 1. c. 15. Hoc melioris notæ Scholaſtici, ut Magiſtrum taceam; in hoc, inquam, ſaniores Scholaſtici acquieſcunt, quòd primi motus tentationum Carnis ſunt peccata, etſi more ſuo *venialia* vocitent: *non ſine peccato, etſi ſine culpa*, ut Durandus; *vitia, ſed non demerita*, ut Media-villa; ſive, ut multò meliùs Joannes Gerſon, *maculæ, non crimina.* Sic ipſe Aquinas in 2 Sent. Diſt. 21. & in prima 2æ, q. 74. art. 3. ad. 2. apertè profitetur hujuſmodi motus & peccata eſſe, licèt leviora; & voluntarios eſſe, quia ſubſunt rationabili voluntati. Sic Durandus & Bonaventura quamplurimis in locis; & Altiſſiodorenſis, lib. 3. Tract. 7. c. De Oratione, q. 4. primos motus ſenſualitatis eſſe peccata, ſed venialia. Ratio redditur à Durando, l. 2. D. 21. q. 1. *quia tentationes Carnis*, inquit, *nunquam ſunt ſine conſenſu & cooperatione noſtra, neque eas mens prohibet, ſicut prohibere poteſt.* Hinc eſt quòd idem Durandùs, in D. 24. art. 3. q. 1. diſtinguat inter Culpam & Vitium; & *tentationem Carnis non eſſe ſine peccato* dicit, *quatenus conſideratur ut habet rationem vitii, non autem ut habet rationem culpæ.* Similiter & Richardus à Media villa, & ex eo Carthuſianus, quòd *in vitio & peccato ſit omnis tentatio Carnis, quia à regula recta rationis diſcordat, èſtque motus ad illicitum; ſed non eſt ſemper culpa, ſive demeritum.* Agnoſco hæc eſſe ſpinoſiora; at ſufficiunt tamen ad quæſtionem quæ eſt præ manibus demonſtrandam, Has tentationes eſſe motus vitioſos, defectuoſos & inordinatos, & propterea peccata. Eòdem recidit & illa Altiſſiodorenſis diſtinctio inter *motus primo-primos*, & *primos*, quòd primi motus carnis ſunt morales, & in peccato; primo-primi ſunt naturales, & abſque peccato: quâ revera nihil eſt magìs *ἀπροσδιόνυσον*, ſi probè penſitemus. Etenim rogo, quid prius eſt primo? aut quæ poteſt eſſe anterioritas ubi non ſunt gradus? Sed deglutiamus illud: Eſto, ſint aliqui motus qui priores primis ſint cenſendi; an putas primos minùs eſſe naturales quàm primo-primi, aut minùs defectuoſos primo-primos quàm primi? Equidem ſi minùs ſunt in reatu quantum ad Gradum, at magìs quantum ad Originem; ut magìs reus qui ducit quàm qui ſequitur. At verò meminiſſe oportuit, non jam agi de motibus animæ ſimpliciter, ſed de motibus Carnis; nec de Concupiſcibilis facultatis motibus Phyſicis, ſed inordinatis, & tentatoris partes agentibus. In Phyſicis, ſecundi non magìs ſunt in culpa quàm primi, nec primi quàm primo-primi: in inordinatis & tentativis

tentativis etiam primo-primos obnoxios æquè esse necesse est ac primos. Quocirca enucleatior multò est illa S. Hieronymi distinctio, in Matth. 5. inter πάθος & προπάθειαν, sive *passionem* & *propassionem*, hoc est, motus primos & pro-primos: ait autem quòd prima titillatio sive cogitatio de peccato est propassio, hoc est quod Altissiodorensi *motus primo-primus*; quòd secunda cogitatio est passio, hoc est quod ipsi *motus primus*: & *propassio* quidem sive *prima titillatio est culpa*, inquit Hieronymus, *non crimen, quamvìs nullus sit consensus. Quòd si quis consenserit, & de cogitatione affectum fecerit, de propassione transit ad passionem, & reputatur in vitium.* Hæc Hieronymus. Viden'? & vitium majus aliquid putat esse quàm culpa, contrà quàm Richardus & Durandus; & ipsam propassionem, hoc est motum primo-primum, cùm de inordinatis motibus agitur, statuit esse in culpa, contrà quàm Altissiodorensis. Atque hoc ipsum idem Hieronymus disertiùs ostendit, in Allegoriam traducens illa verba Legis Exo. 20. *Visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem.* Contendit Hieronymus, pœnales esse vitiosos omnes quotquot sunt motus, non solùm qui secundæ & tertiæ & quartæ sunt generationis, sed qui primæ: nimirum & Patrem, qui est primus motus, sive incentivum vitiorum; & Filium, qui est cogitatio peccatum concipiens; & Nepotes, qui illud opere perpetrant; & Abnepotes, qui in consuetudinem vertunt. Possunt ista sufficere de Doctorum testimoniis & sententiis dixisse.

Sed Coronidis loco unum præterea attexam insignis nominis Theologum, Gul. Parisiensem, qui egregiè & piè hanc versat Quæstionem, c. 7. De Sacram. Matrimonii. *Totus*, inquit, *exercitus Carnis, qui militat adversus spiritum, iniquus est; ergò & omnes acies exercitûs ipsius; quare & prima acies, quæ est primorum motuum, & secunda, quæ est delectationum citra consensum:* & c. 15. De Sacram. Pœnitentiæ, *Latrunculos primorum, secundorum & tertiorum motuum, hoc est, cogitationum, desideriorum, delectationum, quæ sunt citra consensum, gladio persequi debemus.* Eccere, quid est gladio persequi latrunculos, nisi quod S. Paulus dixit, *mortificare membra terrestria*, primos pruritus tentationum carnis exscindere? quia sunt peccata etiam citra consensum; & propter hoc pejores tentationibus Diaboli, quæ citra delectationē & consensum in peccato non sunt. Ut quod S. Ambrosius de Ario & diabolo dixit, l. 3. de Fide, c. 3. & l. 5. c. 2. *Tolerabiliora sunt tentamenta diaboli quàm argumenta Arii; Zabulus enim verum Dei Filium fatebatur,* in Luc. 4. *Arius negat*; & rursus, de Diabolo & Judæis, *Pejor magistro discipulorum hæreditas, dæmones confitentur Christum, populus negat; ille verbo Deum tentat, isti facto; ille dicit, Mitte te deorsum, illi adoriuntur ut mittant:* Idem & nos de tentationibus Diaboli & Carnis, Pejor magistro est tentationum hæreditas; ille tentat, sed non potest cogere ad peccandum; tentatio est ab ipso, peccatum à nobis: at Caro dum tentat, peccat, & nos in illa, quia *ipse* De Corrept. proximi in 2. d. 21. *motus primus tentationis, etsi non habeat crimen, at habet maculam*, ut Gersonius loquitur; & propterea tentatio gravior, quia peccato conjunctior. Hæc est de Regula quarta Discriminatio quarta & ultima, Quòd Carnis tentationes sunt pessimæ, quia cum peccato conjunctæ.

Ordinis nunc ratio postulat ut à Discriminatione ad Dijudicationem accedam, hoc est, à Differentiis ad Modum dignoscendi; quod membrum instituti tertium in exordiis proposui: sed temporis elapsi imperium non patitur. Quapropter si verbo unico hæc Discriminationum ampliora spatia in compendium reduxero, non ero vestræ ultrà molestior patientiæ. Summa hæc est; Audivistis quatuor esse Discriminationum lineas, ab Occultatione, à Distantia, ab Apparatu, à Concomitantiis. Ex quatuor istis

Discrimi-

Discriminationum filis, sive lineis, duæ sunt quæ suboriuntur Complicationes.

Complicatio prima est ex duabus posterioribus lineis, hoc modo: Si peccati Adhærentiam consideremus, pejor est tentatio Carnis; si Telorum cumulum & acerbitatem, pejor est Satanæ: vel, si vultis in verbis Scholastici, Mediavillam intelligo, *Carnis tentatio fortior est per comparationem ad tentatum, quia in tentatione Carnis virtus tentati debilior efficitur, & contra seipsum homo dividitur; at tentatio Satanæ fortior est comparatione habitâ ad tentantem, quia & fulmine & grandine nos obruit, & mole & multiplicitate.* Hæc Complicatio prima.

Secunda est ex duabus lineis prioribus, & sic se habet: Si major tentatio sumatur quoad Approximationem, major est Carnis, quia propiùs nobis accedere potest quàm Diabolus; si quoad Fraudem & occultandi artes & complacentiam, major est Diaboli, quia & Carne utitur adjutrice, & omnes circumstantias callet quibus magìs moveat ad delectationem: & per hoc, ut Bonaventura distinguit, *Difficilius est resistere Carnis tentationibus, propter magìs intrinsecam & continuam adhærentiam; sed tentationibus Satanæ, propter majorem simulationem & apparentiam boni, & propter conjunctionem suiipsius cum Carne.* Quanquam, ut quod res est fatear, non facile est dictu è duobus pessimis quod pejus sit judicandum, venenum Satanæ, an Carnis toxicum; viperinus morsus Concupiscentiæ, an aculeus Diaboli serpentinus. Hæc summa est Discriminationum. De modo dijudicandi in posterum videbimus.

LECTIO XIV.

A Tentationum Proprietatibus ad Differentias, & à Differentiis ad Modos rationésque dijudicandi, via est non minùs legitima quàm prompta; quia ut à Proprietatibus Differentiæ oriuntur, ità à Differentiis Dijudicatio est haurienda. Nec reapse diversa sunt hæc tria, sed idem; nisi fortasse nominibus discrepent. Nam quod in rebus definiendis est Proprietas, hoc in distinguendis Differentia, in eligendis Dijudicatio appellatur. Quocirca quoniam de Proprietatibus atque Differentiis tentationum novissimè disseruimus, proximum est ut, juxta ordinem à me positum, de iisdem dijudicandis nunc aliquid dicamus, quò per has tandem fenestras lucis aliquid intermeare possit ad primum & principale, De Causis tentationis Christi, quæsitum investigandum. Atque revera futurus est hic saltus eò difficilior, quia nemo est, sive Veterum sive Recentiorum, qui eum præmonstraverit. Neque de cæteris adeò mirum, cùm nec apud ipsos Scholasticos (quorum hæc maximè disciplina est atque professio, quíque in lusoriis plus nimio solent esse curiosi vehementérque pugnaces) nec vola ejus, nec vestigium reperiatur. De Generibus tentationum multa disputant, de Gradibus aliqua, & nonnulla etiam de Discrepantiis: at de Notis & indiciis dignoscendi, quod potissimùm erat dictu necessarium, vox nulla missa est, planè non attingitur. Nostrum est igitur ad hanc nos inquisitionem eò magìs convertere, quia est ab ipsis prætermissa: & quia duo sunt scrupuli qui animum in hac parte dubium facere possunt, idcirco ad duplicem normam hanc de Dijudicandis tentationibus disceptationem summatim revocabo.

cabo. Norma prima erit De quæſtione εἰ ἔϛι, hoc eſt, de judicando An hæc vel illa Suggeſtio ſit tentatio. Secunda De quæſtione ὁποῖόν τί ἔϛι, hoc eſt, de judicando Qualis & cujuſmodi fuerit, & ad quam ſpeciem referenda.

Exordior à prima, quæ eſt De modo diſtinguendi inter Suggeſtiones ſalutares & ſeductorias, ut cognoſci poſſit num hi vel iſti motus qui animam pulſant pro tentationibus ſint habendi. Et jucunda eſt quidem atque neceſſaria ſpeculatio, ſed operoſa & difficilis. Jucunda, propter commoditatum plurium copiam quas ſecum pertrahit, ſi, ſicut probi nummularii, addiſcemus quemadmodum numiſma verum Divini inſtinctûs à falſato denario diabolicæ illuſionis ſecerni queat. Neceſſariam fore non ſolùm illa S. Apoſtoli monitio oſtendit, *Nolite credere omni ſpiritui, ſed probate ſpiritus, num ex Deo ſint*; ſed etiam Scripturarum loca alia, quæ ſparſim de utriuſque generis Suggeſtionibus occurrunt. De Divinis inſpirationibus cùm loquitur Sacra Pagina, interdicit omnibus nè aliquando reſiſtant, *Nolite extinguere*; *Nolite contriſtari:* de Tentationibus autem Satanæ verba faciens, multoties imperat ut reſiſtamus, *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis*; *Aſſumite ſcutum fidei, ut poſſitis omnia ejus tela extinguere.* Quòd ſi igitur hoc Diſcretionis Spirituum donum non adfuerit, utrinque erit, & in approbatione & in reprobatione, & in reſiſtendo & in non reſiſtendo, periculum; illinc, nè malos motus pro bonis deglutiamus, hinc, nè bonos tanquam malos & illuſorios ſuffocemus. Ad extremum, eſt ſpeculatio Difficilis, nodíſque non paucis implicata, quia intercedit nonnunquam inter motus carnis & motus gratiæ ſimilitudo maxima, & inter inſtinctus ſanctos & deceptiones Satanæ ſæpenumero. Eſt hoſtis δυσθήρατος, ut Sanctus Baſilius loquitur, cognitu *venatúque difficilis*. Moris ipſius eſt, in Angelum ſe lucis transfigurare, & graviſſima peccata ſub magni alicujus boni ſpecie ſuggerere, ut tinnitu & ſplendore æris decepti, legitimam monetam arbitremur quæ tamen eſt reproba. Eſt igitur opus examine curioſo, ut bonorum malorúmque motuum veſtigia valeamus diſcernere. Quod neſcio an fieri poteſt per modum artis & doctrinæ generalis cuicunque caſui applicabilis, ut poſſit regula univerſalis & certa ſtatui, ad ſemper & infallibiliter explorandum qui motus mentis ſunt verè directorii, qui tentativi. Utcunque tamen quia, ut Apoſtolus loquitur, *Spiritualis dijudicat omnia*; & quia hîc veriſſimum eſt quod in alia re Ariſtoteles, *de iſtis certiùs experientia judicat quàm ars, & expertus quàm artifex*; idcirco & nobis liceat, in re demonſtratu difficillima & penè inexplicabili, quod ratione & experientiâ poſſumus in medium proferre, unicuique interea ſuum judicium, ut meliora proferat, relinquentes. 1 Cor. 2. 15.

De Notis & indiciis quæritur, quibus motus animi dignoſcantur, ſacri à ſceleratis, recti à diſtortis & vitioſis: An ſcilicet hæc vel illa Suggeſtio, quæ aut à mente oritur, aut ingeritur ab extraneo motore, tentatio ſit dicenda; ut ſi ſit tentatoris ſeducentis irritamentum, ſive carnis, ſive Satanæ, illico regeramus; ſi dirigentis Sancti Spiritûs inſpiratio, amplectamur avidi, magíſque promoveamus. Indicia iſta ſive notæ à duplici fonte trahuntur, ab Actu, & Objecto.

Ab Actu prima indicia deducenda ſunt. Actus genericus utriſque motibus communis eſt Sollicitatio ſive Suggeſtio; quia *non eſt dubitandum*, dicente Auguſtino, Tract. 55. in Joan. *à bono Spiritu bonas ſuggeſtiones fieri, ſicut à malo malas:* cùm Sollicitare aut Suggerere, juxta notionem ſimplicem, & gratiæ opus ſit & concupiſcentiæ, nec minùs Sancti Spiritûs quàm immundi. Ergò quantum ad hoc conveniunt: ſed ab hac tamen convenientia modus dijudicandi primus exoritur; quia tria ſunt in omni Suggeſtione conſideranda, Vicinitas, Efficacia, & Titillatio ſive Complacentia. Ex iſtis triplex emergit Diſtinctionis teſſera.

A

A Vicinitate prima est; quia major est ad mentem Spiritûs Sancti appropinquatio in inspirando, quàm aut carnis aut diaboli in seducendo. Ratio est, eò quòd, ut Gersonius & Gabriel observant, *Solius Dei est proprium illabi in spiritum nostrum*; *quia illabi*, inquit, *est substantialiter & intimè ei coexsistere per præsentialitatem & naturæ & operationis, dominanter eam possidendo, & causaliter quoad omnes actus regendo: Et per hoc, Illabi duo dicit, Intimam præsentiam, & Plenam præsidentiam sive dominium illabentis super illapsum; quorum si deest alterum, illapsus non est. Deo utrumque convenit, angelis neutrum: non possunt se intimè immiscere menti per omnimodam indistantiam; non possunt dominanter possidere animam per plenum & absolutum dominium, & in ea quicquid volunt operari*; *neque possunt*, ut Alensis loquitur, *unire se sensibus per essentiam, aut eas essentialiter implere, sed solùm per effectum operationis, ut agens & instrumentum dicuntur esse unum in operatione.* Sit sanè illud de Diabolo verissimum, Posse eum suis artibus clanculum se menti insinuare; at immediatè & directè non potest, nisi prodente dominam suam janitrice perfidâ, phantasiâ: tam longè abest ut in voluntatem irrepere queat, nisi ipsum nosmetipsi excipiamus. Concedatur etiam de Carne illud alterum, Non menti solùm, sed voluntati cohærere eam, atque esse eam tam vicinam menti atque ipsa est sibi: at multò tamen propior est & intimior in operando Spiritus Sanctus, neque solùm tàm vicina, sed magìs vicina & conscia tum menti tum voluntati quàm utraque sibi, & potest utriusque penitissima non modò introspicere, sed flectere. Propterea si ad hanc regulam revocemus, non erit nullum dignoscendi argumentum, de qualitate motûs judicare ex Propinquitate motoris. Hæc Tessera prima est.

Gab. l. 1. d. 8.

Gers. p 3. tract. de pass. an. Consid. 15. et in Centilogio de impulsibus, & p. 4. Ser. de Ang.

p. 2. q. 101. num. 7. art. 2.

Secunda est ab Efficacia suggestionis; quia major est Spiritûs Sancti in mentem potestas atque dominium quàm vel Carnis vel Satanæ: cùm nullum habeant illa in voluntatem, renovatam præcipuè & sanctificatam, nisi extortum & precarium dominium. Incendere mentem Caro potest, everberare Satanas; determinare & quoquoversum regere solus Spiritus Sanctus, tanquam motor primus, & causa suprema, juxta perfectissimum causandi modum; agátque, quando sibi visum fuerit, in voluntatem non tantùm per modum suadentis, ut Caro & malignus Spiritus, sed per modum definientis, eam efficaciter &, Gabrielis verbo, *inimpedibiliter* attingendo, applicando & determinando ad volendum & eligendum. Suadendo Caro pulsat, alliciendo & blandiendo Diabolus: at Spiritus Sanctus non tàntùm voluntatem suadet, sed perficit in voluntate id quod suadet; *nec tantùm tribuit posse, sed ipsum agere*, ut S. Augustinus loquitur; nec consensum voluntatis impetrat, sed largitur & præstat; nec aditum sibi exorat, sed facit, mutando voluntatem, convertendo cor, &, ut Arausicani Concilii Canon quintus monet, *Corrigendo ipsam ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem.* Quocirca si hâc trutinâ libremus, ex istis signum clarius mens regenerata potest ducere; quia sollicitare potest & suggerere dum tentat malus Spiritus, non consensum imperare: at verò Gratia inspirans non nudam significat suggestionem boni quoad intellectum, absque omni mutatione, consensu & desiderio voluntatis; sed eum motum significat qui voluntatem efficaciter afficit, operando in ea inclinationem ad consensum instinctui præstandum. Hæc Tessera secunda est, ab Efficacia operationis.

Tertia est à Complacentia; quia majori jucunditate perfunditur animus à Spiritu Sancto tactus, quàm si Carnis illecebris aut præstigiis Satanæ deceptus fuerit. Ratio est, quia cùm duo sunt quæ ad Complacentiam perficiendam requirantur, vera Illuminatio & vera Dulcedo; in Spiritûs Sancti afflatibus utrumque reperitur: *est enim hoc ipsi familiare*, inquit D. Bernardus, Ser. 8. in Cantica, *in impulsibus suis & mentem illustrare ad agnitionem, & accendere ad amorem*. At verò à Carnis & Diaboli suggestionibus utrumque abest: non est in illis vera Illuminatio, quia occæcant animum, non collustrant, & caligine circumfundunt magìs quàm lumine; non vera Dulcedo, quia, si propriè loquamur, mentem non afficiunt, sed inficiunt. Ex istis sequitur, quòd in solis instinctibus Spiritûs sit vera Complacentia, quia in iis solis verum lumen veráque dulcedo deprehenditur. Hoc nemo est qui non videt, qui nôrit quantum intersit inter amœnitates cœli & seculi, gratiæ & peccati. Fallaces sunt & ementitæ tentationum blanditiæ, suavitates Spiritûs veræ & solidæ: tumultuosæ sunt Carnis & Diaboli sollicitationes, τὸ εὐσταθὲς τῆς ψυχῆς ταράσσοντες καὶ συγχέοντες, ut Oecumenius loquitur in S. Jac. primum, *turbantes & confundentes stabilitatem mentis*; at Divini influxus sunt omni ex parte jucundissimi, καὶ μάλιστα καταστηματικοὶ τῆς ψυχῆς, λαμπρύνοντες πάντη, καὶ τὸ ἀπόῤῥητον ἐκπομπεύοντες κάλλος, *mentem stabilientes, eique pulchritudinem ineffabilem ostendentes*. Habet blandimenta sua Caro, habet Diabolus; at titillationes sunt potiùs quàm dulcedines, nec gaudia, sed lenocinia, quæ post se aculeos relinquunt; *& si dulcia videantur, cum amaritudine tamen digeruntur*, ut Augustinus loquitur. At gratiæ dulcedo tanta est, supra Hyblæ aut Hymetti favos, ut ad ipsam mel merum amarescere videatur; tanta, ut per eam & animus pascatur, & *amara cuncta*, Augustini verbo, *dulcorentur*; tanta denique, ut cùm se menti adjunxerit, in excessum trahit, efficítque ut sui oblita nil cogitet, aut sapiat, aut desideret præter ipsum Deum. Quapropter si in hac lance ponamus afflatus Divinos & illusiones Diaboli, exsurgit specimen dijudicationis alterum, ex Sapore & suavitate; cùm impossibile sit ut tam efficaciter animum afficiat dulcedo ficta & commentitia quàm deliciæ sinceræ & cœlestes. Hoc illud est quod de matre sua S. Augustinus testatur, eam dicere solitam, *discernere se posse vel ipso sapore, quem verbis explicare nequiret, quid interesset inter Deum revelantem & animam suam somniantem*: & de sanctis aliis idem asserit B. Gregorius, lib. 4. Dial. ca. 48. *Solere sanctos viros inter illusiones & revelationes quodam intimo sapore discernere, & exinde scire quid à bono Spiritu percipiant, & quid ab illusore patiantur.* Hanc igitur posui Tesseram tertiam, &, prout ego auguror, maximè præ aliis manifestam: quarum tamen nullam adeò per omnia certam dicere ausim, ut in omnem eventum semper & ubique indubitatam viam præstet dignoscendi; quoniam proclive est in istis decipi, atque falsam dulcedinem veram existimare, præsentiámque non intimam, intimam, & influentiam quamlibet vehementem, efficacem & summam, nisi defæcatos sensus habeamus & probè exercitatos. Attamen quantumvis non sint usquequaque signa indubitata, at in optimo conjecturalium genere sunt collocanda, quæ si non expleant & perficiant explorandi studium, at multùm adjuvant; neque enim aliorum signorum capax est hæc disciplina. Quod in re simili Joannes Gersonius pulchrè observavit, in Decade tertia Centilogii, *Cognitionem certitudinalem super varietate impulsuum moralium & Divinalium in bonitate & malitia purè humanitus non posse haberi, neque secundùm originem, neque secundùm media,*

[Marginal notes: in Ps. 51. — Confess. l. 6. c. 13.]

media, neque secundùm finem; at cognitionem probabilem posse. Idcirco hæc sufficiant de primi generis Indiciis dixisse, nimirum de iis quæ ab Actu trahuntur.

Ordo secundus est eorum quæ ab Objecto trahi possunt. Objectum cujusvis suggestionis est vel bonum vel malum; quæ quia sub multiplici distributione cadunt, idcirco ex eorum diversitate signorum fundamentum est desumendum.

Quod ad Distributiones attinet, nota sunt omnibus & pervulgata Bonorum genera, quòd aliud est revera bonum, aliud φαινόμενον & *apparens* tantùm; illud Philosophus vocat ἀγαθὸν εἰς τὸ ἀληθὲς, hoc ὡς τὸ ψεῦδος, Metaph. 5. 2. Rursus, bonum verum est duplex, bonum certum, & bonum ambiguum, de quo dubitatur an sit, etsi sit bonum; illud Philosophus vocat ἀγαθὸν ὁμολογούμενον, *bonum confessum*, hoc ἀμφισβητήσιμον, id est, *bonum controversum.* Porrò, & bonum certum duplicem formam induit, ἀγαθὸν καθ' αὑτὸ, καὶ δι' ἄλλο, Eth. 1. 4. *bonum propter se, & propter aliud*; vel, ut verbis aliis, lib. 1. Mag. Mor. cap. 1. τὸ ἁπλῶς ἀγαθὸν, καὶ τὸ ἡμῖν, *bonum simpliciter, & bonum nobis*: ut bonum Simpliciter & per se sit illud quod intra se habet bonitatis causam & substantiam; & bonum per accidens, sive bonum Alicui, quod in se non habet causam, sed in alio quodam ad quod ordinatur, secundùm aliquod quod ex ipso sequitur. Postremò, habet & suam quoque partitionem Bonum Simpliciter; est enim vel bonum ex Genere, vel bonum ex Circumstantiis, quod cap. 4. de Divinis Nominibus Dionysius vocat τὸ ἀγαθὸν ἐκ τῆς ὅλης αἰτίας, *bonum ex causa integra*, sive *bonum circumstantionatum*, quia constare debet ex omnibus Circumstantiis; alioqui si desit ex istis aliqua, si vel sit à malo principio, vel tendat in malum finem, vel transeatur ad illud per mala media, ex bono fit non bonum, hoc est, malum. *Alb. in Top.*

Ex hac Bonorum distributione in promptu est conjicere quæ sit Malorum divisio; quia contrariorum ea est lex, ut quot modis unum dicatur, tot etiam & alterum, Top. 1. 15. Est enim Malum verum & malum apparens; & malum certum, & malum controversum; & malum simpliciter, & malum alicui; & malum ex genere, & malum ex circumstantia. Ad extremum, quia ex natura boni & mali, liciti & illiciti ratio petenda est, sequitur ut in easdem partes sive modos licitum & illicitum sit dispartiendum. Hoc illud est quod dixi Signorum fundamentum; quo sic posito, ex modis istis Regulæ discernendi fluunt, & ex regulis τεκμήρια sive γνωρίσματα.

Regula prima est à Bono vero & apparenti, & sic se habet; Instinctus omnis & sollicitatio Spiritûs Sancti semper & ubique est de Bono, & de bono vero: Sollicitatio Carnis & Diaboli semper de Malo; aut si de bono, non de bono vero, sed ementito & apparenti. Hæc Regula, & ex hac τεκμήριον primum, quo discernatur an hæc vel illa suggestio sit tentatio. Nam si quæ suggeruntur apertè sunt mala aut scelerata, Legi Divinæ contraria, qualia sunt illa omnia, Fac quæ animo tuo allubescunt, absconditus eris à Deo, in illa populi multitudine non te discernet; Nè respicias pauperem; Non ignoscas delinquenti; Ulciscere teipsum; Ista patienter tolerare peccatum est; Genio indulge; Ede, bibe, lude, & his similia: vel à malo ea Angelo esse, vel à mali fomite, Concupiscentia, nemo est qui dubitare queat; neque instinctus eos fore, sed tentationes. E contrà, si quod suggeritur sit verè & substantialiter bonum, est proculdubio à gratia Spiritûs Sancti; nec quantum ad hoc est dicenda Tentatio, sed In-

Instinctus, quia nunquam est author aut inspirator mali. Hoc pulchrè à S. Jacobo est delineatum, c. 1. 13. *Nemo cùm tentatur dicat se à Deo tentari; nam Deus malis tentari non potest, nec quenquam tentat.* Ex quibus verbis utroqueversum intentabilem Deum fore colligitur, & in passivo sensu & in activo; utpote qui nec inducere potest ad peccandum, nec induci: cùm non minùs repugnat ipsius puritati malum suggerere quàm facere. Ab Anselmo ratio redditur, in libro De Concordia Prædestinationis & Præscientiæ, *Quia ad idem genus pertinent ad malum seducere, & perpetrare; perpetrare malum, & esse; esse malum, & non esse bonum; non esse bonum, & non esse omnino. Ex quo sequitur, quòd quamvìs omnis actio sit à Deo, at non esse bonum non est à Deo, quia non est quid, hoc est, est boni defectus & privatio, quæ causam habere non potest nisi deficientem, cùm tamen Deus sit tantùm efficiens, non deficiens causa.* Cui & illa altera an-

cap. 4. de Div. Numin. necti potest ex S. Dionysio, quòd *cùm Deus sit fons omnis bonitatis, adeóq; ipsa summa & perfecta bonitas, impossibile est ut malum sit* ἢ ἐν Θεῷ, ἢ ἐκ Θεοῦ, *aut in Deo, aut ex Deo,* οὔτε ἁπλῶς, οὔτε κατά χρόνον, *neque omnino, neque certo tempore; sed utrinque verum est,* ὅτι τὸ κακὸν οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ εἰ ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ ἐστιν, οὐκ ἔστι κακόν, *Si malum est, non est ex bono, & si est ex bono, non est malum.*

De Bono apparenti planè idem est dicendum, Nullam à Spiritu Sancto in animam impressionem fieri nisi veri & substantialis boni; quia utì est suprema bonitas abhorrens à malo, ità suprema veritas ab omni falsó & fucato aversissimus. Quid quòd est aliquid deterius in malo personato quàm simplici, & in malo sub specie boni quàm in habitu proprio? quia bonitas si simulatur, duplicatur. Est igitur hæc pars altera Criterii, Si bonum tantummodo apparens fuerit, ab illis solis est qui sub hac larva militant, à Carne, aut à Satana. De Carne liquet, ad malum eam seducere simulatione boni: nam *malum quà malum contra se intendere non*

l. 2. D. 34. *potest, quia sub ratione illa non est appetibile,* ut Gabriel loquitur. Nec non de Diabolo, quia cujuslibet boni & simulator & dissimulator est peritissimus: præmittere solet præcursorias boni & imaginarias species; nunc efficiens ut malum exsistens non appareat, nunc verò ut bonum non exsistens appareat; ut quasi bonus & propitius familiariùs admittatur, be-

in Centil. Dec. 9 nigniùs audiatur: *cúmque habeat,* inquit Gersonius, *malignitatem apertam, at multò periculosior est sua in Angelum lucis malignitas transformata quàm malignitas aperta & tyrannica.* Summa igitur est, ut si quis possit in his impressionibus verum bonum à falso distinguere, facillimè etiam potest, & eädem operâ, Instinctum à Tentatione discriminare; quia sincerè nobiscum Spiritus Sanctus agit καὶ [illegible], Caro & Diabolus non nisi præstigiis interpositis. Hoc primum τεκμήριον, à regula prima, Quòd Instinctus est solummodo ad bonum, & ad verum bonum; Tentatio aut ad malum in se, aut ad malum sub specie boni. Hæc de Regula prima.

Secunda, quæ ab aliis Boni divisionibus emergit, hæc est, Instinctus omnis & motus Spiritûs Sancti est semper non modò de bono ex genere, sed de bono integro & circumstantiato; nec solùm de bono simpliciter, sed de bono nobis; opinor etiam & de bono certo; aut nunquam, aut quàm rarissimè, de bono dubio & controverso:. Ex adverso, Carnis & Diaboli suggestiones in istis singulis peccant. Si sint interdum de Bono simpliciter & ex genere, at primò sunt de malo nobis, quia ad peccatum tendunt, & per hoc ad mortem. Deinde non sunt de bono integro, sed pravis circumstantiis & adhærentiis vitiato: Si enim ad bonum aliquod alliciunt, est vel ad

ad bonum per mala media, ut ad Ordines Sacros per viam pecuniariam, ad Beneficia & promotiones Ecclesiasticas per parasitationem sordidam & proditionem veritatis; vel etiam ad bonum aliquod in malum finem: ut pro regula generali habeatur, A diabolo nullum uspiam provenire bonum cui non aut insit aut subsit aliquid mali. Sollicitabit ad bonum corporis, ut animam perdat; sicut Ahaziam regem ad curam valetudinis, quò per hæc vestigia adduceret ad idololatriam: sollicitabit ad prudentiæ opera, ut diffidentiâ nos illaqueatos teneat; sicut olim Davidem: sollicitabit ad charitatem & eleemosynam, ut in hypocrisin & mendacium trudat; sicut Ananiam & Sapphiram: sollicitabit ad jejunia & devotionis exercitia, ut fastu & ostentatione capiat; sicut in Pharisæo videre est, quem à diabolo pulsum non minùs ad bona opera quàm ad mala veri est simile, & per bona simulatæ sanctitatis ad pessimum tumoris & arrogantiæ malum. Denique, quod ad bonum Dubium & controversum spectat, quia satis novit id quod ex fide non est peccatum esse, distrahere solet animum in contrarias sententias, ut hæreat pendulus inter bonum & malum, licitum & illicitum; aut si in alteram partem inclinet, in deteriorem semper: quod contrà fit in Spiritûs Sancti afflatibus; nam aut determinat mentem, efficítque ut dubitationem exuat; aut, si perplexa mens maneat, ab utroque restringit, nè utrumvis agatur; aut, si alterutrum agendum sit, ad tutiorem & meliorem partem impellit, cùm sit in hoc casu consultissima B. Nazianzeni regula, *εἰ ἀμφίβολον, νικάτω τὸ φιλάνθρωπον, Si res sit dubia, vincat humanitas & clementia:* cui affine est Nicetæ illud, *χρὴ ἐν τοῖς ἀδήλοις ῥέπειν πρὸς τὸ φιλάνθρωπον, In dubiis vergamus oportet ad illud quod est humanius*, addo, & ad illud quod est Divinius, quia è duobus ambiguis semper tutissimum est optimum; sicut in istis quæstionibus fatendum est quæ passim de Sabbato, & Usuris, & Consanguinitatis connubiis agitantur. Or. 40. L. 1. Man. Com.

Quocirca ut finem aliquando statuam huic secundæ regulæ, videtis quò spectat, & quorsum hæc omnia dicuntur: equidem in hoc unum, ut ex istis Τεκμήριον alterum habeatur. Nam si ad bonum Integrum & ad bonum Nobis inspiratio quælibet Sancti Spiritûs referatur; Diaboli & Carnis suggestiones contrà, aut ad bonum mutilum, aut ad bonum non nobis bonum, aut ad bonum dubium, aut ad bonum per mala media atque in malum finem: sequitur necessariò, ut qui inter hæc possit apposité secernere, non longè aberit à sollicitationibus istis discriminandis, ut definire possit quæ sit Tentatio, quæ Inspiratio appellanda. Hæc de Regula secunda, adeóque de prima Speculationis parte, quæ est de Modo distinguendi inter Suggestiones salutares & deceptorias.

Ad secundam nunc propero, juxta illam Philosophi legem, Poster. 2. cap. 1. *γνόντες ὅτι ἔστι, τί ἔστι ζητοῦμεν, cùm novimus rem esse, quærimus quid sit.* Edocti igitur de quæstione prima, An hæc vel illa Suggestio sit Tentatio, videamus de secunda, *ὁποῖόν τί ἔστι*, de judicando Qualis & cujusmodi fuerit Tentatio omnis; & ad quod caput, sive Carnis, sive Mundi, sive Diaboli, sit referenda. Et est quidem hæc non tam necessaria atque superior, at fortasse magis ardua. Non tam Necessariam aio, sed necessariam tamen, propter multiplicem & assiduum hujus institutionis usum; ut cognoscamus quid ex se solis salutis hostes agant, quid conjurati & sociatis viribus; quídque sit ipsorum in singulis tentationibus dicendum, & quid nostrum. Deinde verò magis Arduam dixi, non quidem in singulis, sed in ultima ipsius parte, quæ mox sequetur: etenim inter Diaboli & Spiritûs Sancti motus facilior est distinctionis ratio, quia ad bo-

Instinctus, quia nunquam est author aut inspirator mali. Hoc pulchrè à S. Jacobo est delineatum, c. 1. 13. *Nemo cùm tentatur dicat se à Deo tentari; nam Deus malis tentari non potest, nec quenquam tentat.* Ex quibus verbis utroqueversum intentabilem Deum fore colligitur, & in passivo sensu & in activo; utpote qui nec inducere potest ad peccandum, nec induci: cùm non minùs repugnat ipsius puritati malum suggerere quàm facere. Ab Anselmo ratio redditur, in libro De Concordia Prædestinationis & Præscientiæ, *Quia ad idem genus pertinent ad malum seducere, & perpetrare; perpetrare malum, & esse; esse malum, & non esse bonum; non esse bonum, & non esse omnino. Ex quo sequitur, quòd quamvìs omnis actio sit à Deo, at non esse bonum non est à Deo, quia non est quid, hoc est, est boni defectus & privatio, quæ causam habere non potest nisi deficientem, cùm tamen Deus sit tantùm efficiens, non deficiens causa.* Cui & illa altera an-
cap. 4. de Div. Nomin. necti potest ex S. Dionysio, quòd *cùm Deus sit fons omnis bonitatis, adeóq; ipsa summa & perfecta bonitas, impoßibile est ut malum sit* ἢ ἐν Θεῷ, ἢ ἐκ Θεοῦ, *aut in Deo, aut ex Deo,* οὔτε ἁπλῶς, οὔτε κατὰ χρόνον, *neque omnino, neque certò tempore; sed utrinque verum est,* ὅτι τὸ κακὸν οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ εἰ ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ ἐστιν, οὐκ ἔστι κακόν, *Si malum est, non est ex bono, & si est ex bono, non est malum.*

De Bono apparenti planè idem est dicendum, Nullam à Spiritu Sancto in animam impressionem fieri nisi veri & substantialis boni; quia utì est suprema bonitas abhorrens à malo, ità suprema veritas ab omni falsó & fucato aversissimus. Quid quòd est aliquid deterius in malo personato quàm simplici, & in malo sub specie boni quàm in habitu proprio? quia bonitas si simulatur, duplicatur. Est igitur hæc pars altera Criterii, Si bonum tantummodo apparens fuerit, ab illis solis est qui sub hac larva militant, à Carne, aut à Satana. De Carne liquet, ad malum eam seducere simulatione boni: nam *malum quà malum contra se intendere non*
l. 2. D. 34. *potest, quia sub ratione illa non est appetibile,* ut Gabriel loquitur. Nec non de Diabolo, quia cujuslibet boni & simulator & dissimulator est peritissimus: præmittere solet præcursorias boni & imaginarias species; nunc efficiens ut malum exsistens non appareat, nunc verò ut bonum non exsistens appareat; ut quasi bonus & propitius familiariùs admittatur, be-
in Centil. Dec. 9 nigniùs audiatur: *cúmque habeat,* inquit Gersonius, *malignitatem apertam, at multò periculosior est sua in Angelum lucis malignitas transformata quàm malignitas aperta & tyrannica.* Summa igitur est, ut si quis possit in his impressionibus verum bonum à falso distinguere, facillimè etiam potest, & eâdem operâ, Instinctum à Tentatione discriminare; quia sincerè nobiscum Spiritus Sanctus agit καὶ ἀπλάστως, Caro & Diabolus non nisi præstigiis interpositis. Hoc primum τεκμήριον, à regula prima, Quòd Instinctus est solummodo ad bonum, & ad verum bonum; Tentatio aut ad malum in se, aut ad malum sub specie boni. Hæc de Regula prima.

Secunda, quæ ab aliis Boni divisionibus emergit, hæc est, Instinctus omnis & motus Spiritûs Sancti est semper non modò de bono ex genere, sed de bono integro & circumstantiato; nec solùm de bono simpliciter, sed de bono nobis; opinor etiam & de bono certo; aut nunquam, aut quàm rarissimè, de bono dubio & controverso: Ex adverso, Carnis & Diaboli suggestiones in istis singulis peccant. Si sint interdum de Bono simpliciter & ex genere, at primò sunt de malo nobis, quia ad peccatum tendunt, & per hoc ad mortem. Deinde non sunt de bono integro, sed pravis circumstantiis & adhærentiis vitiato: Si enim ad bonum aliquod alliciunt, est vel

ad

ad bonum per mala media, ut ad Ordines Sacros per viam pecuniariam, ad Beneficia & promotiones Ecclesiasticas per parasitationem sordidam & proditionem veritatis; vel etiam ad bonum aliquod in malum finem: ut pro regula generali habeatur, A diabolo nullum uspiam provenire bonum cui non aut insit aut subsit aliquid mali. Sollicitabit ad bonum corporis, ut animam perdat; sicut Ahaziam regem ad curam valetudinis, quò per hæc vestigia adduceret ad idololatriam: sollicitabit ad prudentiæ opera, ut diffidentiâ nos illaqueatos teneat; sicut olim Davidem: sollicitabit ad charitatem & eleemosynam, ut in hypocrisin & mendacium trudat; sicut Ananiam & Sapphiram: sollicitabit ad jejunia & devotionis exercitia, ut fastu & ostentatione capiat; sicut in Pharisæo videre est, quem à diabolo pulsum non minùs ad bona opera quàm ad mala veri est simile, & per bona simulatæ sanctitatis ad pessimum tumoris & arrogantiæ malum. Denique, quod ad bonum Dubium & controversum spectat, quia satis novit id quod ex fide non est peccatum esse, distrahere solet animum in contrarias sententias, ut hæreat pendulus inter bonum & malum, licitum & illicitum; aut si in alteram partem inclinet, in deteriorem semper: quod contrà fit in Spiritûs Sancti afflatibus; nam aut determinat mentem, efficítque ut dubitationem exuat; aut, si perplexa mens maneat, ab utroque restringit, nè utrumvis agatur; aut, si alterutrum agendum sit, ad tutiorem & meliorem partem impellit, cùm sit in hoc casu consultissima B. Nazianzeni regula, *εἰ ἀμφίβολον, νικάτω τὸ φιλάνθρωπον, Si res sit dubia, vincat humanitas & clementia*: cui affine est Nicetæ illud, *χρὴ ἐν τοῖς ἀδήλοις ῥέπειν πρὸς τὸ φιλάνθρωπον, In dubiis vergamus oportet ad illud quod est humanius*, addo, & ad illud quod est Divinius, quia è duobus ambiguis semper tutissimum est optimum; sicut in istis quæstionibus fatendum est quæ passim de Sabbato, & Usuris, & Consanguinitatis connubiis agitantur. Or. 40. L. 1. Man. Com.

Quocirca ut finem aliquando statuam huic secundæ regulæ, videtis quò spectat, & quorsum hæc omnia dicuntur: equidem in hoc unum, ut ex istis Τεκμήριον alterum habeatur. Nam si ad bonum Integrum & ad bonum Nobis inspiratio quælibet Sancti Spiritûs referatur; Diaboli & Carnis suggestiones contrà, aut ad bonum mutilum, aut ad bonum non nobis bonum, aut ad bonum dubium, aut ad bonum per mala media atque in malum finem: sequitur necessariò, ut qui inter hæc possit appositè secernere, non longè aberit à sollicitationibus istis discriminandis, ut definire possit quæ sit Tentatio, quæ Inspiratio appellanda. Hæc de Regula secunda, adeóque de prima Speculationis parte, quæ est de Modo distinguendi inter Suggestiones salutares & deceptorias.

Ad secundam nunc propero, juxta illam Philosophi legem, Poster. 2. cap. 1. *γνόντες ὅτι ἔστι, τί ἔστι ζητοῦμεν, cùm novimus rem esse, quærimus quid sit*. Edocti igitur de quæstione prima, An hæc vel illa Suggestio sit Tentatio, videamus de secunda, *ὁποῖόν τι ἔστι*, de judicando Qualis & cujusmodi fuerit Tentatio omnis; & ad quod caput, sive Carnis, sive Mundi, sive Diaboli, sit referenda. Et est quidem hæc non tam necessaria atque superior, at fortasse magis ardua. Non tam Necessariam aio, sed necessariam tamen, propter multiplicem & assiduum hujus institutionis usum; ut cognoscamus quid ex se solis salutis hostes agant, quid conjurati & sociatis viribus; quídque sit ipsorum in singulis tentationibus dicendum, & quid nostrum. Deinde verò magis Arduam dixi, non quidem in singulis, sed in ultima ipsius parte, quæ mox sequetur: etenim inter Diaboli & Spiritûs Sancti motus facilior est distinctionis ratio, quia ad bonum

num alter semper invitat, alter ad malum, quæ inter se contrariantur; inter Diaboli & Carnis difficilior, quia utriusque tentationes in malo terminantur, & discriminabilius multò est à malo bonum quàm à malo malum. Hoc in sequentibus constabit, si conferamus tentationes ipsas, & singulas considerate atque apte, junctis & alternis rationibus, committamus. Comparationis Termini tres sunt; Ordines sive gradus sex, ex alternatione seipsam parte qualibet conduplicante.

Sex istos Ordines ego brevitatis studio ad tres Regulas revocabo: in quarum prima de Tentatoribus Complicatis agam, in reliquis de Abstractis & segregatis; atque in prima De tribus conjunctis, in secunda De uno solo, in tertia De duobus contradistinctis tractabitur.

De tribus junctim Regulam primam sic instituo, Sunt quædam tentationes & Mundi & Carnis; ut cùm Caro tentat mediantibus mundi vanitatibus atque deliciis, aut homines mundani, occasione arreptâ ex infirmitate Carnis: Sunt quædam & Mundi & Diaboli; ut cùm mundi sive hominibus sive deliciis Diabolus utitur tanquam instrumentis, eósque ut prodromos præmittit ad majorem gratiam aucupandam: Sunt quædam & Diaboli & Carnis; quæ quamvis ex Concupiscentiæ motu aliquatenus pullulant, at non antè quàm ex impulsu Diaboli concitantur & evocantur. Ad istas distinguendas indicia non sunt exigenda, quia operâ sociatâ fiunt & consortio partium: nisi placet ut hoc unum adjiciatur, Quòd in iis quæ sunt Mundi & Carnis, interdum Caro est pars prior & principalior, interdum Mundus; Mundus, si homines tentent; Caro, si seipsam ad res mundi convertat: at contrà, in iis quæ sunt Diaboli & Mundi, aut Diaboli & Carnis, Diabolus semper prior est & in excitando & in ducendo; Caro & Mundus sunt sicut pedissequæ, subservientes ipsius commentis & inventiunculis. Hoc cognito, de istis alia non desideratur inquisitio; quia ubi duo aut tres consortes fuerint, non quærendum est quis solus, sed quis prior & principalior fuerit. Hæc igitur est Regula prima, De tribus conjunctis.

Secunda sequitur, De uno solo, hoc est, de Mundi tentationibus solis, quæ sic se habet, Sunt quædam tentationes solius Mundi; ut cùm homines perditi & corruptores morum id moliuntur, ut imperitos possint consiliis suis & invitamentis à via sive veritatis sive pietatis abducere. Salomon in Proverbiis ità accuratè expressit, ut nihil posset suprà; neque enim vultus solùm, sed animum & verba protulit, cap. 1. ver. 10. *Fili mi, si te lactaverint peccatores, nè acquiescas eis: si dixerint, Veni nobiscum, insidiemur sanguini, insidiemur innocenti absque causa, deglutiamus eum sicut infernus viventem; Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domus nostras spoliis; sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrûm,* & quæ sequuntur. Hoc S. Paulus compluribus in locis depingit, in 16. ad Romanos, ver. 17. in 5° * primæ, & in 3° secundæ Epistolæ, *Rogo vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones faciunt & offendicula, præter doctrinam quam ipsi didicistis, & declinate ab illis; quia Christo Domino non serviunt, sed ventri suo, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium; vaniloqui & seductores, qui universas domus subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ.*

Ad has tentationes dignoscendas non opus est ut signa accumulemus; Τεκμήριον generale est & unum adinstar omnium, Quòd maxima est & propriissima etiam & apertissima Mundi tentatio quæ à pravis & mundanis hominibus contorquetur: nam quæ à rebus Mundi oritur, sicut est occultior,

occultior, ità non est nisi indirectè & ex abusu nostro dicenda Tentatio. Sunt hæc omnia in confesso, & ex se lucida; & tamen ut possint esse lucidiora, necessarium est ut duplex accedat Supplementum. Primum est, Quòd inter tentationes hominum illa est indignoscibilior quæ à veritatis nos tramite avocat quàm quæ à pietatis. Ratio est, quia vitiorum vultus notior est quàm errorum; & morum corruptelæ magìs ex quotidiano usu cognitæ quàm fidei. Porrò & numerus magìs definitus & certus, cùm errorum & hæresium in dies singulos nova seges succrescat; novum scelus, quod non priùs perpetratum fuerit, vix possibile est excogitare. Hoc igitur est Supplementum primum, de Erroribus & vitiis.

Secundum est de Hominibus ipsis, Quòd inter tentatores homines indignoscibiliores sunt qui authoritate & eruditione, aut sanctitate & donis aliis antecellere videntur, quàm illi qui apertè mali sunt & prostituti. Ratio est, quòd hosce quidem ut conclamatos & famigeratos ex se omnes defugiunt; illos alteros, ut probæ fidei viros, nemo est qui suspectos habet. Hoc de Constantio imperatore B. Hilarius egregiè & observavit & scripsit, in libro quem adversus eum composuit: produco locum, quia est insignioris notæ. Audite verba, & à me dicite ea esse conficta. Ibi sic Deum Patrem per Apostrophen alloquitur: *Si*, inquit, *pugnaremus in palàm contra negantes, contra torquentes, contra jugulantes, cum fiducia id faceremus, & nos populi tui, tanquam duces suos, ad Confessionis religionem intelligentiâ persecutionis publicæ comitarentur: at nunc pugnamus contra persecutorem fallentem, contra hostem blandientem, contra Constantium Antichristum, qui non dorsa cædit, sed ventrem palpat*, (animadvertite obsecro, *qui non dorsa cædit, sed ventrem palpat*;) *non proscribit ad vitam, sed ditat in mortem; non trudit carcere ad libertatem, sed intra palatium honorat ad servitutem; non latera vexat, sed cor occupat; non caput gladio desecat, sed animam auro occîdit; non ignes publicè minatur, sed gehennam privatim accendit; non contendit nè vincatur, sed adulatur, ut dominetur; Christum confitetur, ut neget; unitatem procurat, nè pax sit; hæreses comprimit, nè Christiani sint; Sacerdotes honorat, nè Episcopi sint; Ecclesiæ tecta struit, ut fidem destruat. Te in verbis, Domine, te in ore circumfert, & omnia omninò agit, nè tu ut Deus, ità Pater esse credaris*. Hæc ille, & mente & voce aureâ: Qui tamen nè solus in hac sententia putetur, audiamus Lyrinensem Vincentium, qui in suo hoc sæpius Commonitorio inculcat, non solùm de impio Photino & Nestorio, sed de vitæ sanctioris viris, Origene & Tertulliano, id non veretur prædicare, Maximas eos fuisse in Ecclesia Christi tentationes; & ob id potissimùm, quia ex ingenio, & eruditione, & sanctitate summa, erroribus suis authoritatem aliquam conciliarunt. *Et profectò*, inquit cap. 15. *magna est tentatio, cùm ille quem tu prophetam, quem prophetarum discipulum, quem doctorem & assertorem veritatis putes, quem summâ veneratione & amore complexus sis; si is subitò latenter noxios inducat errores, quos nec citò deprehendere valeas, dum antiqui magisterii duceris præjudicio, nec facilè damnare fas ducis, dum magistri veteris præpediris affectu*: & cap. 23. *Verè in Ecclesia non solùm tentatio, sed magna est tentatio populi error Magistri; & tantò major tentatio, quantò ipse est doctior qui errat; qui admiratione ingenii, scientiæ, eloquentiæ, conversationis & gratiæ, nihil de se suspicantem, nihil verentem populum à veteri religione in novam profanitatem sensim paulatímque traducat*. Hæc ille, appositissimè ad institutum nostrum, ad secundi scil. Supplementi evidentiam. Quo posito, τεκ-

μήθειον non erit obscurum; Quòd maxima est & compertissima seculi tentatio quæ ab hominibus Seculi obtruditur: quæ tametsi ad illos à Diabolo proveniat, at ad nos non descendit nisi per illos, & solius Mundi tentatio est dicenda. Hæc est Regula secunda, De tentationibus Mundi seorsim consideratis.

Postrema est De tentationibus Carnis & Diaboli ut contradistinctis; atque hæc est quæ sequitur: Sunt quædam tentationes solius Carnis, quædam solius Diaboli, sed illæ tam subdolè & artificiosè intertextæ, ut vel oculatissimo & sagacissimo homini vix in promptu sit aut odorari aut conjicere è quo fonte scaturiunt. Sunt tres Regulæ partes; duæ in propatulo, tertia à nobis, si fieri potest, in lucem proferenda.

Primò, Quòd sunt quædam solius Carnis, præter experientiam Conscientia cujusvis attestatur, in sinu suo quemvis suum circumferre tentatorem, neque invitum confiteri, ut S. Augustinus loquitur, [*De Eccl. Dogm.*] *non omnes cogitationes malas à diaboli instinctu excitari, sed quasdam, imò multas, ex solo arbitrii nostri motu emergere.* Hinc *ancillam nocturnam*, δούλην νυκτερινὴν, Gregorius Nazian. eam appellat, quòd in occultissimis recessibus occurrat nobis & obversetur, etiamsi nemo hominum, etiamsi nemo dæmonum nobis adfuerit. Est enim, ut Parisiensis loquitur, [*De Tentat. & resist.*] *fornax semper ardens concupiscentiarum flammis, semper fumans tenebrosissimis desideriorum vaporibus.*

Secundò, Quòd sunt quædam solius Diaboli, etiam ubi nullus Carnis impetus antecessit, utriusque Adami exemplo erudimur, & primi & secundi; hujus in Deserto, ejus in Paradiso. In utrosque Diabolus involavit, Carnis motibus nec illi priùs cognitis, nec huic ullatenus aut unquam cognoscendis: quod piè est à S. Augustino observatum, de Civit. lib. 14. cap. 3. *Non omnia vitæ iniquæ vitia tribuenda esse Carni, nè ab his omnibus purgemus Diabolum, qui complurium est incendiarius. Ipse proximorum individuos, excitatis irarum stimulis, scindit affectus, ipse* [*Ambr. in Psal. 118 Ser. 16. v. 1.*] *flammam accendit libidinis, ipse adolet avaritiæ cupiditates, ipse fomenta ministrat luxuriæ, ipse odia exasperat, & immodicæ studium ambitionis inflammat: ut jam planissimum sit, infundi ab illo solo multarum tentationum venena.*

Postremò, Quòd sit in istis tentationibus investigatu arduum, utrùm à Carne fuerint an à Diabolo, si quis sit qui dubitet, libentissimè vellem ut rudem me discipulum exciperet, ut ea quæ inquiro doceret. Ab Aristotele, in De Repub. lib. 5. cap. 8. scitè dictum est, τὸ ἐν ἀρχῇ γινόμενον κακὸν γνῶναι οὐ τοῦ τυχόντος ἐστὶ, ἀλλὰ ἀνδρὸς πολιτικοῦ, *Malum à principio oriens non est cujuslibet hominis cognoscere, sed prudentis & ad civitatem regendam idonei viri.* Si de malis publicis verum est, cujus origines plerumque non latent, quantò magìs de tentationibus, ab istis principiis tam furtivè obrepentibus, ut cautissimus vix sentiat ventus iste unde veniat aut quò vadat? Etenim finite paulisper ut quæstionibus rem conficiam. Quis est qui exactè secernere potest inter omnes illusiones atq; inspirationes sanctas? quarum tamen istæ semper sunt vitiosæ, hæ plenissimæ pietatis; at habent eam aliquando ex subtilitate Diaboli similitudinem, ut non cuivis datum sit de iis dijudicare, & nescio an omnino alicui. Si hæc non sufficiant, quæro rursus, Quotusquisque est qui scire potest secernere inter cogitationes & affectiones suæ rationalis animæ quà rationalis est, & illas quæ sunt animales, videlicet in Sensu communi vel Phantasia? Si inter nostras & nostras cogitationes non semper possimus distinguere, putas quòd inter ejus & nostras? imò verò, ut in sua Scala Joannes Climachus,

chus, δυσδιάκριτός ἐστι καὶ δυσκατάληπτος ἡ τῶν πνευμάτων πονηρία, καὶ ὀλίγοις ὁρατή, *Dijudicatu & captu difficilis est nequitia Spirituum improborum, paucisque perspecta*, imò nullis, ut opinor, tota. Non igitur vereor dicere quòd odoratu arduum sit, nedum cognitu.

Veruntamen tametsi hæc intercedat difficultas, at sunt indicia ex quibus probabilem ad minimum dijudicationem anima disciplinata queat facere. Indicia illa duplicis sunt ordinis, A materia tentationis, & A modo influendi.

Materia legem dignoscendi exhibet certiorem. Si ejusmodi tentatio fuerit quæ repugnat vel lumini naturali, ut, Non esse Deum, Non esse vitam tanti ut curemus eam ampliùs, qui αὐτοχειρίας sive *Suicidii* color est usitatus; vel secundò, si Rationis dictamini repugnet & experientiæ, ut, Non esse nos mortales, vel ulla peccati labe sordidatos; vel tertiò, si Fidei receptæ impressionibus contradicat, ut, Non esse nos Deo curæ, neque ullatenus ad illum pertinere, Gehennam non esse aut Judicium ultimum, Commenta hominum Scripturas Sacras fore, fideíque principia ficta & humanitus excogitata; vel postremò, si inclinationi naturali adversetur, genióque & temperamento, firmóque proposito & instituto, sicut ferè sunt tentationes omnes vel hominis sobrii ad luxuriam & gulam, vel casti ad libidinem, vel veracis ad perjurium, vel pietatis tenacis ad desperationem & blasphemiam, vel justi & munifici ad rapinam & furtum: Has ego omnes è Diaboli officina prodire nullus dubito. Estque hoc, ni fallor, κριτήριον certum, à tentationis Extraneitate petitum; Si insolitum, aut inauditum, aut horrendum quod suggeritur, non alium patrem novit quàm diabolum ipsum. Alioqui, si sit de honore & nobilitate & immodicis opibus, aut aliis rebus Carnis desiderio magìs consonis, quamvìs solent etiam & isti motus à Diabolo concitari, at probabilius est eos à Concupiscentia propria oriundos; quia ipsa est pellex, quæ Rationem stimulat ad ea quæ carnis sunt & sensuum oblectamenta. Sit igitur hoc dignoscendi Modus primus, Ex materia tentationis.

Modus influendi secundum præstat, & ejus tres sunt Species; Importunitas, Subitaneitas, & Redintegratio tentationis. Si sit tentatio impetuosa & præceps, & cum vehementia quadam, ad modum fulguris vibrati, in animum videatur intrudi aut injici; deinde, si sit extemporanea & inopinata, aut ejusmodi quæ præsentibus cogitatis non respondeat, nec ullatenus cum animi cogitationibus cohæreat, aut à nuperrimè anteactis dependentiam nullam aut nexum habeat; postremò, si sit petulans & morosa tentatio, atque perfrictæ frontis, quæ persistit diutius, & sæpe repulsa usque & usque cum novis assultibus redit: ex his & similibus circumstantiis diabolum nobis præsentem conjicere possumus, etsi non videatur, sicut ex fumo ignem etiam latentem. E contrà, si aliquid sit præmeditatum, aut ab interveniente aliquo objecto aut ansa aut occasiuncula arreptum, aut quod moribus nostris & desideriis & vitæ consuetudini magìs congruat, non est quòd ipsius in Diabolum culpam rejiciamus, nè criminari videamur satìs superque ex suis noxium.

Hæc illa est quæ raptim mihi occurrit via discriminandi, quam eò libentiùs enucleandam suscepi, quia passim esse multos sentio qui tentationes omnes ad Diabolum referunt: si furentur, in promptu est excusatio, Diabolus mihi fecit; si pejerent, si tumultuentur, vel scelerati quidvis ipsi faciant, Diabolus mihi fecit: ut hoc scilicet prætextu seipsos purgare possint. Non quidem me latet, à Sanctis Patribus effluxisse aliqua quæ huc propendere videantur. Hujusmodi est illud B. Gregorii, *Diabolus in omni peccato*

inter-

interponit partes suas; & illud S. Hieronymi, in Jer. 16. *Quicquid*, inquit, *peccamus, facimus ad imperium dæmonum*; & S. Augustini tertium, in Ser. Commun. Ser. 4. *Omnia mala mundi ejus sunt pravitate commissa*; & in Ps. 118. Ser. 16. *Omnium delictorum author est princeps mundi*; & S. Ambrosii illud alterum, in Luc. 4. *Anima à corpore non vinceretur, nisi priùs à diabolo tentaretur*; denique & illud etiam Dionysii, in 4 De Div. nomin. *Multitudo dæmonum est causa omnium malorum & sibi & aliis.* At verò est in comperto ex aliis istorum Patrum locis ea non esse de omnibus, sed de plurimis intelligenda; neque in universum, sed plerumque: etenim tota Scripturarum series refragatur: *Cogitationes humani cordis in malum pronas esse ab adolescentia*, Gen. 8. *Bella & lites provenire ex concupiscentia*, Jac. 4. *Unumquemque tentari à concupiscentia propria*, Jac. 4. De locis istis cùm Scholastici agunt, atque cum prædictorum Patrum sententiis conferunt, hoc modo se putant ea conciliasse, Tentationes omnes à Diabolo esse tanquam motore primo, & causâ remotâ & indirectâ, quia primos parentes incitavit ad legis transgressionem & suæ posteritatis infectionem; at à Concupiscentia multas esse tanquam à causa proxima & directa & immediata: sic Aquinas, Alensis, Biel, Bonaventura & Albertus definiunt. Sed non video tamen quomodo hæc satisfaciant: eò quòd non sufficit ad solutionem, in Diabolum eas tantùm obliquè retundere, & ut causam occasionalem; cùm in multis nos directè seducit, ut causa proxima & immediata. *Serpit per omnes sensus, dat se figuris, accommodat coloribus, odoribus se subjicit, infundit saporibus*, ùt Augustinus loquitur, lib. 83. qu. Igitur si mihi liceat sensum meum interponere, existimarem magìs prædictos Patres, cùm peccata omnia in Diabolum rejiciunt, sic esse intelligendos; vel de generali & amplo illo imperio quod habet supra omnes peccatores; vel de generibus etiam delictorum, quia nullum est peccati genus quod per dæmonum suggestiones in genere humano non disseminetur. Hâc glossâ additâ, utrumque firmum manebit, & quòd à Diabolo sint tentationes plurimæ, & quòd ab hominibus ipsis non pauciores oriantur. Hinc illud Origenis περὶ ἀρχῶν, lib. 3. cap. 2. fluxit, *Habere quamlibet passionem suum dæmonem, & peccaturos esse homines etiamsi dæmones non essent*; & illud Joan. Climaci, *Non egere hominem dæmone tentante, quia factus est sibi dæmon*; & Alensis illud, par. 2. qu. 101. memb. 2. *Ab utroque junctim plurimas tentationes oriri, à Diabolo tanquam patre, à Concupiscentia tanquam matre.* Atque per hoc non nostra tantum refert hoc scire, à quo fonte veniant; sed illud magìs, quibus mediis aut intercipiantur, aut irritæ reddantur. *Nonnunquam* enim *adeò secretè se copulat menti Diabolus, ut non possit homo agnoscere quid suum sit in cogitatione, quid illius*, ut S. Ambrosius in Rom. 7. loquitur. Sit igitur hîc prolixæ finis disputationis: Ex qua si quid ad quæstionem lucis accesserit, sit illud beneficium vestrum; si quid ex hoc tædio fastidii, sit ista culpa mea, qui operosior fortasse æquo fuerim ad aperiendum vobis in re perplexa *aut judicium meum, aut errorem.* Plin. l. 5. Ep. 6.

LECTIO

LECTIO XV.

HÆret adhuc calamus in hujus versiculi ultimis, atque tarditate suâ vereor nè sui laboris gratiam perdidisse videatur, quantumvìs non perdat fidem. In hanc me cogitationem Plato ipse deducit, qui sæpiuscule quidem in quocunque opere celeritatem laudandam dicit, moram verò in vitio esse & tergiversationi proximam. *Sive quis scribat aliquid, sive quis legat, promptè & citò id agere laudabilius est*, inquit, *quàm cunctanter & tardè*. Similiter & in disciplinis tradendis, celeriter perdiscere aliquid est quædam docilitas animi; serò & lentè, hebetudo: atque docere alios quàm ocyssimè, solertia est & acumen; segniter, obtusi ingenii. In rebus omnibus tenet, tum iis quæ ad corpus spectant, tum iis quæ ad animum. Τὰ τῦ τάχυς καὶ τῦ ὀξύτητος κάλλιω φαίνεται, ἢ τὰ τῦ βραδύτητος καὶ ἡσυχιότητος, *Velocia & prompta tardis & quietis sunt pulchriora: is autem est promptus qui brevi in tempore multa peragit; tardus & hebes, qui magno conatu & longo intervallo nihil.* Hæc ille fusiùs in Charmide disputat, multísque exemplis & argumentis contendit, Læsionis genus esse profutura tardare. Sed tamen non video cur ista me multùm moveant, quia novi quos habeam Auditores, cordatos & candidos, Sacræque philosophiæ amantiores quàm qui possint ab his subselliis tarditatis præjudicio abigi; præsertim in hoc maximo de Salvatoris tentatione negotio, cujus cognitio absit ut sit minùs grata, quia est aliquâ dilatione suspensa. Hanc habens de virtute vestra fiduciam, ad ea quæ supersunt actutum me confero; & quia jam superiùs nimis magnam huic parti advocationem dedi, nunc tantò magìs viam ipsam corripiam, abscisso omni vel legitimæ præfationis ambitu, nè novam videar adjicere tarditatem tarditati.

De Certaminis Loco jamdudum accepistis quæ dicenda putavi; nec non de Tempore institutionis, & de Motore Spiritu, cujus præsidio res tota & exorsa est & consummata: postea verò de diversis tentationum Speciebus, déque variis Modis eas à se invicem discriminandi.

Nunc superest ut ad ultimam instituti partem accedam, in qua De Rationibus & Causis est agendum quibus adductus Salvator tentari se à Diabolo passus est. De his necesse est ut paucis agam, nè totum opus videatur irritum & ex supervacuo susceptum. Disputationis titulus est, De Causis & Finibus in quos ipsius Tentatio est ordinata. Non dico, De fine, sed De Finibus, quia non habet unam causam, nec unum finem, sed complusculos. Neque hoc novum, ut ejusdem effectûs plures sint causæ finales, sed ejusmodi, quæ & sibi mutuò subordinantur, & in una ultima, tanquam in centro, conveniunt. Sic se res habet in præsenti argumento, ubi de Causis quæritur Cur Christus voluerit tentari, &, Quare hoc genere tentationis. Est finis ultimus, Gloria Dei; ultimo proximus, Salus hominum; sub hoc, Conculcatio Satanæ, Corroboratio fidelium, Deperditæ jam olim à protoplastis victoriæ recuperatio: quæ omnia sic inter se distinguuntur, ut tamen in ultimo uniantur. Hæc dicendorum Summa est & Breviarium. Ut igitur hæc Summa in debitam amplitudinem explicatiùs dilatari possit, ad tres Inquisitiones rem totam deducam: An fuerit necessarium ex parte rei; An fuerit consentaneum ex parte Christi; An fuerit utile & fructuosum

sum ex parte nostrî, quòd se hisce tentationibus subjecerit. Hæc sunt tria illa in quibus omnis justa causa vertitur, nè inanis censeatur; τὸ ἀναγκαῖον, τὸ πρέπον, τὸ συμφέρον, *Necessitas*, *Utilitas*, *Condecentia*: ubi hæc tria concurrunt, rationum momenta sunt efficacia & maxima; ubi desiderantur, est frustrà susceptus labor, & in cassum cadit.

Pars prima de Necessitate quærit, An fuerit necessarium Christum à diabolo tentari; vel, quod eódem recidit, An possibile fuerit ut non tentaretur; non quidem simpliciter, sed positis prærequisitis circumstantiis. Quæstionis ratio à nobis ipsis est petenda, quia in nobis, ex parte nostrî, tentationes Satanæ sunt inevitabiles, adeò ut eas præoccupare non valeamus nè fiant; utcunque sit in potestate nostra ejus non assentire tentationibus, & cavere nè intrent, at penès nos non est præpedire nè pulset. De Christo non est ità sentiendum; quod nos non possumus ipse potuit. Potuit ipse Satanam in suum tenebrarum locum vel verbo unico amandare; potuit & ipso nutu constringere, non solùm nè hisceret, sed etiam nè appareret. Hoc nihil est certius, qui imperio suo fecit nè habitaculum retineret in corporibus hominum, potuisse eundem cohibere nè tentationibus involaret in seipsum. Ergò non videtur ex Necessitatis aliqua fuisse lege quòd tentabatur, quia ex suæ erat arbitrio Voluntatis. Hæc radix est, ut dixi, & origo Quæstionis. Veruntamen in promptu erit solutio, si varia vocis significata paulisper placet advertere. Neque enim ejusdem semper est potestatis nomen, sed multiplicis & diversæ. Interdum id dicitur *Necessarium* quod est ineluctabile & destinatum, quod Scholastici *necessitatem Inevitabilitatis* appellant: juxta hunc sensum necesse non fuit ut tentaretur Christus, cùm in illius potestate esset Tentatori obviàm ire, colligare, arcere, omnésque tentationum vias intercludere. Interdum verò nil aliud est *necessarium* quàm id quod fieri opus est in re qualibet, quódque rei cujusque rationes flagitant, velut ipsius justum & requisitum: à Scholasticis dicitur *necessitas Exigentiæ*. Sub hac notione, quia redemptionis nostræ ratio id maximè postulabat, ut Adversarii tyrannis virésque subigerentur, necessarium fuit ut hoc subigendi negotium in se Christus susciperet, absque quo Redemptoris munus omnibus suis partibus explere non potuisset. Distinctio hæc si non sufficiat, occurrit apud Theologos alia, quæ cumulatè satisfaciet, de Necessitate simplici & absoluta, quam *necessitatem Consequentis*, & Necessitate hypothetica, quam *necessitatem Consequentiæ* nominant. In his hæc intercurrit discrepantia: Necessarium simpliciter illud statuunt quod impossibile est aliter esse, hoc est, sine qua Subjectum constare nequit, sed & ità fit ut non potest non fieri, & ità est ut non potest non ità esse: ut ignis, quia necessariò est calidus, necessariò urit, si adsit materia, & necessariò sursum fertur remoto impedimento, aut superiori causâ non interveniente. Necessarium ex Suppositione aut ex conditione vocant, quod non in se simpliciter, sed supposito aliquo de necessitate sequitur. Exempli gratiâ, Si homo currit, movetur; si loquitur, vivit; si diu vivere velit, curanda est ei valetudo. Dicitur *Necessitas ex hypothesi*, quia ad ejus necessitatem oportet aliquid præsupponi, neque est necessarium nisi ex illa suppositione; dicitur *Necessitas Consequentiæ*, quia non est in reipsa, sed in cohærentia rerum, resultátq; ex habitudine quadam rerum vel propositionum inter se. Ex his legibus pendet præsentis determinatio quæstionis. Nam si de priori necessitate loquamur, fatendum est non fuisse simpliciter necessarium ut à Diabolo Christus tentaretur, quia non defuit Christo alius modus possibilis superbiam & potentiam maligni Spiritûs reprimendi. At si de secunda sermo fiat, mani-

manifestum est, juxta eam rerum cohærentiam à Deo institutam necessarium fuisse ut hoc potiùs modo Diabolum subjugaret quàm ullo alio. De morte Christi idipsum S. Augustinus observat, de Trin. l. 13. c. 10. Quòd loquendo de possibilitate Dei absoluta, modus alius reconciliationis mundi fuit possibilis: nam si Deo ità visum fuisset, potuisset homini omnia sua delicta condonare planè nullo λύτρῳ accepto; potuisset minimâ Christi passione contentus esse, quamvìs sese morti non subjecisset. At si de possibilitate conditionata loquamur, supposito Divino Decreto de liberando humano genere per mortem Filii, tum ex hac hypothesi sequitur necessariam fuisse mortem Christi ad redemptionem humanam. Sic se res habet in hoc de tentatione argumento. Aderant vincendi hostem viæ aliæ quamplurimæ, nè dicam infinitæ; ex quo fit ut huic medio Christus non fuerit necessariò alligatus; quia poterat tentatio ejus non fieri, sine præjudicio redemptionis. At è converso tamen, posito hoc redemptionis ordine, & suppositis aliis supponendis, hic modus necessarius fuit in duplici ordine Suppositionis: Suppositionis Divini Decreti, & Suppositionis Divinæ Revelationis. Deus Præordinavit, Promisit, Præfiguravit: occurrunt singula in Sacris Literis.

Quòd præfiguravit, Zachariæ 3. 1. *Ostendit mihi Dominus Jesum Sacerdotem magnum in vestibus sordidis stantem coram Angelo Domini, & Satan stabat à dextris ejus ut adversaretur ei.* Hunc locum veteres Patres ferè omnes de Christo interpretantur; & inter alios, tanto rigore, l. con. Judæos Tertullianus, prope finem, & Lactantius, Instititutionum l. 4. c. 14. ut de Jesu filio Josedec negent omnino intelligendum, sed de Dei Patris summo Sacerdote Christo: & Patres quidem reliqui, tametsi eâ non sunt usi severitate quâ Tertull. & Lactant. sensum historicum tollendo; attamen unanimiter omnes de Christi certamine cum diabolo prophetiam typicam sive mysticam esse contendunt, ut visionis partes aliquæ de solo Jehoshua, aliæ de Christo sint interpretandæ. Eusebius, in Demonstr. l. 4. c. ult. *Jehoshua fuit* εἰκὼν, σύμβολον, δεῖγμα, *imago, & typus, & signum Salvatoris nostri:* & Ambrosius, Ser. 5. in Psal. 118. & Hieronymus, in Psal. 109. verbis uterque non concordibus solùm, sed iisdem, *Quæ ibi de Jehoshua dicuntur, Domini nostri sunt victoria; ab ejus dextris Satan stabat, quando eum in Deserto adoriebatur; habebat autem vestimenta sordida, quia peccata nostra portabat, nostris vitiis involutus.* Hæc est quam dixi Præfiguratio. Deinde

Quòd Deus Præordinavit & Promisit, videre est in Gen. 3. 15. *Ponam inimicitiam inter semen tuum & semen ejus: Ipse conteret caput tuum.* In his describitur & pugna & victoria. Pugna ut à Deo ipso constituta, *Ego ponam inimicitiam*; neque solùm ut esset inter serpentem & semen salvandum, sed inter serpentem & semen Salvatorem: *Non dicit de seminibus, quasi de multis, sed de semine, quasi de uno,* qui est Christus. Victoria describitur ut à Deo promissa, *Ipse conteret caput.* Hoc in persona Christi ut erat pollicitum, ità in persona Christi adimpletum; atque hoc ipso tempore, quando non solùm caput potestatis contudit, h. e. dæmonum tyrannidem, sed caput potestatum vicit, h. e. dæmoniorum principem: sic enim Diaboli nomen exponunt Interpretes, ut per Antonomasiam Diabolus hoc loco ponatur pro Lucifero & Principe dæmoniorum. Ex istis S. Paulus necessitatem tentationis subinfert, dicitque fieri oportuisse, Heb. 2. 17. ὤφειλε κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς ὁμοιωθῆναι, *oportuit ipsum per omnia fratribus consimilari,* & quæ sequuntur: tum sequitur, vers. 18. *In eo enim quòd ipse passus est cùm tentaretur, potens est & eis qui tentantur auxiliari.* In istis verbis, quando Apostolus dicit Christum tentatum, alludit ad hanc historiam Tentationis in Deserto. Et vide, obsecro, quid antecedit; ὤφειλε κατὰ πάντα, *oportuit ipsum,*

aut *debuit ipse, per omnia*, & nominatim per tentationes, *fratribus aßimilari.* Audin'? adeò necessaria erat tentatio ejus, ut Apostolus non vereatur eam inter ὀφειλήματα numerare, hoc est, inter illa sacra Mediatoris *debita* quibus seipsum sanctissimè obstrinxit cùm in se has partes recepit; *Debuit*, inquit, *per tentationes nobis aßimilari.*

Ex his junctim apparet, Deum & præordinasse, & promisisse, & præfigurasse hoc genus certaminis Christum in se suscepturum. Hoc illud est quod dixi supponendum. Jam verò ex hoc supposito, quòd tentationibus Christus esset juxta Divinam ordinationem ventilandus, necessaria fluit consequentia, Impossibile fore ut à Diabolo non tentaretur; non quia fuit simpliciter & absolutè impossibile, sed hoc ipso nomine, quia Deus & ab æterno disposuit, & in tempore suo prænuntiavit, quòd maximum nobis beneficium nasceretur ex tentatione Christi. Atque hoc verbum Domini & cœlitus sancitam dispositionem nutare aut vacillare fuit impossibile. Porrò, & istis illud adjici potest, quòd hoc semel supposito, Christum in diebus carnis suæ fuisse tentandum, ex eo, nativo & necessario rationis ductu, sequitur, non aliâ eum tentatione probandum fore nisi hâc solâ de qua nunc loquimur. Non aliquâ aliâ dico, quia aliquâ aliâ non potuit tentari. Quòd si ullâ aliâ, aut Carnis ea debet esse, aut Mundi; nam tria tantùm sunt genera, Carnis, Diaboli, Mundi. A Mundo non poterat ipse moveri nisi ad bonum: à Carne non poterat tentari, quia nulla in eo erat carnis corruptio, nulla, nè minima quidem, ad malum pronitas; defectuosi alicujus motûs tanta puritas non fuit susceptiva. Utcunq; ad ea quæ sunt Carnis & Mundi exteriùs per Diabolum fuit sollicitatus, quando ad gulæ vitium & cupiditates seculi eum instimulavit, *Hæc omnia tibi dabo, Dic ut lapides isti panes fiant:* at verò à Carne aut Mundo intrinsecùs tentari non potuit. Ergò superest ut à Diabolo solo tentari posset, & ab ipso necessariò, hoc solo supposito, quòd aliquo modo esset tentandus. Hæc de prima Inquisitione, quæ versatur circa τὸ ἀναγκαῖον, & de Necessitate quærit, An fuerit necessarium ex parte rei. Quorum omnium hæc summa est, Fuisse tentationem Christi unum de operibus ejus necessariis, ídque & in Genere & in Specie, & in Thesi & in Hypothesi.

In Genere & in Thesi hoc erat necessarium, ut de tyrannide Diaboli victoriam reportaret. In Specie & in Hypothesi hoc alterum, ut isto modo fieret, per Monomachiam tentationis.

Accedo nunc ad Inquisitionem Secundam, quæ versatur circa τὸ πρέπον, & de Condecentia quærit, An fuerit decorum ex parte Christi ut tentaretur à Satana. Quæstionis cardo in hoc vertitur, quòd indignum videatur non minùs puritate Christi quàm majestate, ut tentationum tela in se reciperet, qui nos omnes liberat à tentationibus; eóque indignius, quòd hæc à tam immundo Spiritu támque vili mancipio ipse pateretur, qui *Sol justitiæ* audit, & *Rex gloriæ*, & *Creator mundi*, & *cœlorum Dominus*, & *Filius Dei*. Hæc contemplatio adeò commovebat beatum martyrem Ignatium, ut magna cum indignatione contra Diabolum vociferaverit, *Tu, serve fugitive & mastigia, qui Dominicis conculcaris pedibus*, πῶς πειράζεις τὸν ἀπείραστον; *quomodo tentas eum qui tentari non potest?* Imò *quis est omnium*, inquit Emissenus Eusebius, *qui audire non horreat quòd virtus tanta à Diabolo tentaretur?* Et majori cum animi motu Gregorius, *Mens*, inquit, *refugit credere, humanæ hoc audire aures expavescunt.* Propter hoc ipsum, si nihil aliud esset, est digna inspectione quæstio, nè quid à Salvatore indignè aut perpetratum aut perpessum vel per somnium cogitemus; eóque magis, quia vel ipsi seculi homines, si prudentiores paulò cæteris fuerint, præcipuas suas curas in hoc uno

Ign. Ep. 5. ad Philip.

Ser. in Dom. 1. Quadrages.

uno defigunt, ut caveant nè quid indecorè agant aut quod dedeceat. Hinc est quòd in Pædagogio suo Clem. Alex. lib. 2. c. 3. Decoris præ omnibus maximè curam gerendam esse pronuntiat, περισπούδαστον μάλιστα τῆς εὐσχημοσύνης, quia nihil est aut fructuosius aut difficilius quàm quid in vita deceat prospicere. Hinc quòd in Oratore suo Cicero hoc maximè requirat, ut non solùm in Sententiis, sed etiam in verbis & omni parte orationis semper consideret in rebus singulis & personis quid deceat. Hinc etiam quòd in Platone Marsilius Ficinus, inter alia, hoc inprimis laudandum putavit, quòd in omnibus scriptis personarum decorum ubique servet, & quæ quisque tractaverat cuique tribuat: Socrati moralia purgatoria & conversoria, Amoris sacri mysteria Sacerdoti, Physica & Mathematica Timæo, Parmenidis Sectatori. Quapropter, quod Isid. Pelusiota, lib. 3. Ep. 84. de Mose dixit, Salvatori multò magìs quadrabit, εἰ τοίνυν οἱ ἔξωθεν τοῦ πρέποντος ἐπεμελήθησαν, πῶς οὐκ ἔμελλεν ὁ ἱερὸς ἐκεῖνος καὶ θεοφιλὴς ἀνήρ; *Si in hominibus exteris illis & è plebe hæc pars prudentiæ tantopere elucebat; quòd Christus eam in omnibus & ubique servaverit nequaquam est dubitandum.* Ut clariùs elucescat, videamus primò, quid illud sit quod *Decorum* & *Consentaneum* vocamus, ut tum demum per justas Definitionis leges possimus hoc Salvatoris Sanctum facinus ab omni labe & suspicione inconvenientiæ vendicare. Ad Definitionem quod spectat, habemus aliquam à Platone, in li. de Pulchro, summatim traditam; τὸ πρέπον ἐστὶ, inquit, ὃ παραγιγνόμενον ποιεῖ ἕκαστα καὶ εἶναι καὶ φαίνεσθαι καλά, *Decorum id dicitur quod adveniens rebus singula efficit quibus adest & esse & videri pulchra.* Verùm hæc non potest legitima existimari Definitio, sed magìs concelebratio, quia non naturam rei tangit, sed laudes. Exquisitior paulò est Ciceronis illa, in li. de Officiis primo, *Decorum id est quod quaque personâ dignum est, & cuilibet rei consentaneum: Verbi causâ, quod agat quis, agere prudenter & consideratè, id dignum est viro sapiente; quod agat, agere viriliter animóque magno, id dignum viro forti; denique in omni actione atque negotio justum ordinem & tenorem servare usque ad ultimum, illud est decorum & congruum judicandum.* Hæc ille; atque ex illo suam S. Ambrosius videtur mihi haurire Definitionem, in illis libris quos imitatione Ciceronis conscripsit, de Officiis, l. 1. c. 46, 47. *Decorum in specie est quod in omni actu præeminet, velut flos cujusque virtutis; in tota vita, quod æquabilem formam atque universitatem honestatis in omni actu habet concinentem, sic ut ei tota vita consentiat, nec in ulla re discrepet: Propterea,* inquit, *si quis æquabilitatem universæ vitæ & singularum actionum modos servet, ordinem quoque & constantiam dictorum & operum moderationémque custodiat, in ejus vita decorum hoc excellit, & quasi in quodam speculo elucet.* Hæc S. Ambrosii est Descriptio, tantum ante reliquas loco quantum post eas tempore: Quam unà cum cæteris si ad compendium redigamus, duæ sunt Proprietates ex ea eliciendæ, quæ naturam illius quod Decorum est & Consentaneum absolvant; Præeminentia, & Congruitas. Congruitas requiritur, ut per omnia actio respondeat & Personæ quam quisque sustinet, & Muneri quo fungitur, alioqui si sit aut supra vires, aut infra honorem, aut supra vel infra statum, quantum ab æquabilitate discedit, in tantum vergit ad indecentiam. Præeminentia requiritur, ut illa correspondentia & æquabilitas tam clarè emicet, ut possit saltem à sano & inconniventi oculo discerni atque observari. De priore secunda manat nativo quodam fluxu, eò quòd cuilibet actioni, sit licèt vulgaris in se & sortis infimæ, at congruitatis tenor si accesserit, eam pulchritudinem & venustatem appingit ei, adeóque exornat, ut omnium animos delectatione sui ad se rapiat, & singularem excitet & complacentiam & admirationem.

Ficin. in Plat. Parmenidem.

Quocirca in hac ſtatera appendamus jam tandem Tentationem Salvatoris; videamus annon fuerit hiſce noſtri tenuiſſimi captûs regulis per omnia conformis, ſi illud eſt conforme dicendum quod longiſſimè excedit.

Inprimis, ſi ad illam Decori partem nos convertamus quam Congruitatem dixi & Convenientiam, extra controverſiam res eſt, fuiſſe huncmodum ſuperandi Satanam aliorum omnium & glorioſiſſimûm, & honeſtiſſimum, & convenientiſſimum, quo nullus aptior aut accommodatior poſſit excogitari, ſive ad Perſonam ejus reſpectus habeatur, ſive magìs ad Officium. Si ad Perſonam, quid congruentius quàm ut Lux mundi radiis propriis Principem extingueret tenebrarum? Potuit per bonos Angelos id facere, qui malis præſtant non minùs virtute quàm innocentiâ; potuit per Sanctos homines, quos per Spiritûs ſui aſſiſtentiam ſæpiuſcule efficit de Diabolo victores: ſed hi ſunt minora lumina: voluit igitur per ſeipſum, quia hoc ſplendidius putavit & convenientius, ut ſummæ tenebræ non niſi per ſummum lumen vincerentur. Deinde, ſi ad Officium reſpicis, quid congruentius quàm ut humani generis perditorem liberator ejuſdem & conſervator, ſemen maledictum ſemen benedictum pede ſuo conculcaret? Si Deo id indignum judicas, attendere oportet, non tentatum eum fuiſſe ut Filium Dei, ſed ut Filium hominis; neque in natura Deitatis, hoc enim abſonum & impoſſibile, ſed in perſona Mediatoris: atque hoc multis nominibus ſplendidum erat & conſentaneum.

Inprimis, Conſentaneum erat Chriſto Viatori ut militiam hominis in ſe ſuſciperet, qui incolatum & vitam hominis carne aſſumptâ acturus eſſet. Deinde, Conſentaneum Chriſto Paſtori ut pro grege ſuo ſeipſum lupo opponeret in ſingulari certamine, qui pro ovibus vitam ipſam depoſuit in Cruce. Tertio in loco, Conſentaneum erat Chriſto Redemptori, ut quia ad deſtruenda Diaboli opera venerat, ab eo ordiretur quo diabolus nos captivaſſet, i. e. à tentatione: Conſentaneum ut ſubactum & catenatum hoſtem cum ſuis terroribus triumpharet, non in ſolio majeſtatis ſuæ, ſed in infirmitate naturæ noſtræ; alioqui, *ſi homo non viciſſet inimicum hominis, non juſtè victus*
l. 3. c. 20. *eſſet inimicus*, ut ſcitè Irenæus.

Accedit iſtis Congruitas quarta; etenim Conſentaneum erat Chriſto Capiti, ut eodem modo ſecundus Adamus liberaret nos quo perdiderat primus. Erat primus ille Caput totius generis humani, qui non ſibi ſoli cecidit, ſed eodem nos reatu conſtrinxit: ſimiliter & ſecundus Caput totius Eccleſiæ, qui non ſibi ſoli paſſus eſt aut tentatus, ſed in ſymbolo totius, & pro beneficio totius corporis. Vide igitur myſterium; ſicut primus infeliciter in loco voluptatis tentatione Diaboli victus cecidit, ità æquum erat & conſonum ut ſecundus in loco horroris, deſerto, victor evaderet. Rurſus, ut in
Ægid. 2. d. 21. q. 1. ar. 2. Adamo tentato & victo nos omnes tentati meritò & victi ſumus, dum vulneratio unius erat exſpoliatio & injuſtificatio omnium, adeò ut in uno ad peccatum impellendo Diabolus rectè dicatur nos omnes impuliſſe: ità vice verſâ, in Chriſto tentato & victore majori merito fideles omnes facti ſunt
Orthod. fid. l. 3. c. 20. victores, ut victoria unius ſit triumphus omnium. *Nec quicquam æquius poteſt conjici, quàm ut victa natura noſtra per eoſdem impetus per quos olim victa erat victoriam ei qui vicerat extorqueret*, ut piè Damaſcenus.

Ad extremum, Conſentaneum erat Chriſto Doctori noſtro & Duci ut documentum cujuſque virtutis ſtatueret in ſeipſo; & cæteris, quos ad ſui imitationem vocat, viſibile ſpecimen eſſet & fortitudinis, & conſtantiæ, & charitatis, & humilitatis; nec ſolùm monitis ſuis milites erudiret, ſed exemplo. In ludis ſaltatoriis non cenſetur indignum, ſi illius exercitii præfectus nunc pedem circumflectat, nunc totum corpus moveat, ut coram diſcipulis

pulis saltando ad saltandum illos meliùs instruat; non in athletis inidoneum censemus, imò verò præclarum & pulchrum, si dum discipulos suos vincere doceant, datâ operâ in palæstris cum aliis certamen exercent, ut eos in luctantium corporibus artem faciant spectare vincendi. In Cæsare suo hoc Suetonius extollit, & in Trajano suo Plinius, & in Pompeio Cicero, Quòd medios se gesserunt inter Imperatores & Milites, atque sic Ducis partes & commilitonis miscuerunt, ut in apparatu pugnæ Imperatorum, in ipsa pugna Militum officia præstarent; nec unquam laboris exactores essent cujus se non participes & socios fecere, quò fortem & docilem militiam fingerent, non solùm jubendo, sed agendo. Post tot instantias quid redditione opus est? Si in secularibus magistris ac ducibus eximium habeatur, an putas in Domino exercituum esse inglorium? Imò verò credendum est & agnoscendum, quòd si indignum esset Filio Dei, non erat hominis Filio indignum; si Christo Rege, non Christo Mediatore: imò verò Divina ac summa fuit in hoc dispensationis modo condecentia, ut qui victurus erat hostem hostis tela in se reciperet; & qui militiam conscripturus esset, seipsum ut in prima acie collocaret, quò caput membra doceret vincere, à se incipiendo. Hæc prima Decori proprietas, in Congruitate & Convenientia.

Suet. l. 1. c. 67. Plin. Pan Traj. Cic. pro Murana.

Secunda illa est quam è Cicerone S. Ambrosius *Praeminentiam* vocat; atque hæc in Tentatione Christi adeò erat apertissima, ut claris signis luceat in cujuscunque virtutis ordine. Fulgebant in ea radii Fortitudinis, quòd Adversarium verbo jugulavit; radii Prudentiæ, quòd technas & stratagemata elusit; Humilitatis radii, quòd se huic ministerio subjicere voluit; radii Pietatis, quòd nostrâ vice & in gratiam nostram hoc fecerit. Ubi tot sunt & tam fulgentia verbera micantium radiorum, an defuisse existimas quod præeminebat? Si rationem quæras, à Christo ipso petenda est: is summo judicio prudens sciénsque ità ordinavit, ut inceptum hoc inter alia præcelleret, quia primum esset, futurúmque mensura eorum omnium in quibus adventûs sui finis reciperet aliquando complementum. Hic ordo, hæc summa est. Ad vincendum venit, ergò à victoriis incipit. En facti Prudentiam; eodem modo salutis opus inchoat quo erat absolvendum. Dein ad patiendum venit, ergò incipit à passionibus: etenim ad passionem tentatio non minùs pertinet quàm mors ipsa. Ut passionis partem fuisse cognoscas, S. Paulus te docet, ad Hebr. 2. 18. *Ex eo quod perpessus est cùm tentaretur:* nec injuriâ quidem, nam tota vita fuit continuata passio. En rursus Prudentiam; eodem modo orditur quo progrediatur. Postremò, in infirmitate venit, & in forma servi, statúque humiliationis, ergò ab Humiliatione incipit, & illa aut omnium maxima, aut saltem maximæ proxima; tam proxima, ut dictu difficile sit majórne fuerit humilitas in demissione ad mortem quàm in subjectione ad tentationem, cùm non minùs distet à Satana Christus quàm à morte vita. En tertiò facti Prudentiam; eodem modo inchoat Ministerium quo inchoavit & vitam, hoc est, ab Humilitate. His ità positis, responde mihi, quicunque es qui Christo dicis hoc factum non convenisse, Annon dignationis erat, & dignationis magnæ, quòd placuerit ipsi in hanc arenam descendere? Dignationis erat quòd suscepit carnem nostram, majoris dignationis quòd injurias nostras. Hæccine gratia est quam tantæ refers pietati, ut quod in ipso erat Dignatio tu Inconvenientiam appelles? At responde, inquam, Num conveniebat ei ut in carnis tuæ pannis atque exuviis se mundo monstraret, qui lumine amictus est & gloriâ? num ut in præsepiis inter pecudes vagiret, cujus in excelsis habitatio supra omnes cœlos? num ut ab Herode, ludibrio regum, hominum monstro, fugeret, qui fugientibus asylum aperit tutissimámque clientelam? num ut legalis cultri aciem sentiret, qui

Legis Dominus? aut ut Originalis peccati flabello se permitteret, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partûs novitate non noverat? Respondeas velim, num hæc ei conveniebant? Perge dehinc ab Infantiæ fasciis ad Passionis injurias, & brevi transcursu explices quid sentias de veste alba & purpurea tunica, de flagellis & plagis, de sputo & contumeliis, de corona spinea & arundineo sceptro, num hæc ei conveniebant? ut militum probra & Pharisæorum blasphemias ferret? ut inter latrones penderet, & velut peccator cum peccatoribus deputaretur? Si hæc conveniebant, sicut révera nihil non convenit quod ipse voluit convenire, cur tentationem somnias non convenisse? An quia peccato proxima est tentatio? In nobis agnosco, quorum vix est quisquam qui non cedit plùs minùs unicuique susurro: sed Christo contrà contigit, qui quamvìs semper à peccato disjunctissimus fuit, at propinquior erat peccanti cùm peccata nostra portans factus est peccatum, quàm cùm à diabolo sollicitatus est ad peccatum; eò quòd in illo similitudinem aliquam habuit peccatoris, in hoc nullam. Igitur ut hic scopulus transeat, an ideo non convenisse arbitraris, quia indignum erat ut se Satanæ manibus jactandum atque exagitandum submitteret? At nostrum non est indecorum & inconveniens opinari, ubi ipse aliquid agit, si tamen aliquid agit, quod majestate suâ videatur indignum. Sed esto, hoc supponatur; at vide quid exinde sequitur: nam si inconveniens fuerit quòd se à Diabolo permitteret tentari, illud multò magìs absurdum, quòd se à membris Diaboli permitteret crucifigi. Ecquis est qui nesciat Pilatum, & Judæos qui eum occîderunt, non solùm membra Diaboli, sed ejus quoque servos fuisse? atqui major nobis injuria videtur esse ea quam à servis alicujus hominis patimur, quàm
Euseb. Emiss. Hom. in Dom. 1. Quad. si ab ipso eorum domino eam pateremur. Ergò sequitur, non magìs indignum esse hoc, quod à diabolo tentatur, quàm illud, quòd à Judæis occiditur. Imò verò erat utrumque bonitate ejus dignissimum; & ut morti se traderet, qui venerat mori, & ut tentationibus se exhiberet, qui venerat vin-
Greg. Hom. 16. in Evang. cere. Quòd si tentationibus, equidem non aliis quàm Satanæ; & quia sunt gravissimæ, & quia solæ possunt esse ex recipientis parte indefectuosæ. Erat in utroque istorum Condecentia summa, ut tentationibus se subjiceret gravissimis, quia ejus respondent robori; ut indefectuosis, quia consentiunt
De Jejun. & Tent. Christi. puritati. Quia verissimum est illud B. Cypriani, *Honestiùs quenquam cum Spiritu quàm cum Carne luctari: quia Carnis complexus fœdus etiam longè positos inficit; tentatio diabolica, si non movet, non nocet; & licèt sæpe sit impetuosior, est tamen semper honestior quàm Carnis.* Ut vel exinde pateat, non indecoram aut ignominiosam fuisse hanc Christi expeditionem, sed honoris & dignationis plenam; justam quoque & consentaneam, ut sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret, sicut mortem nostram suâ morte superavit. Hactenus de secunda Inquisitione, quæ versatur circa τὸ πρέπον, & de Condecentia quærit, An fuerat decorum & consentaneum ex parte Christi.

Tertia sola superest, quæ versatur circa τὸ χρήσιμον, sive τὸ συμφέρον, & de Utilitate quærit, An fructuosum & conducibile opus esset ex parte nostrî. Ad disputationis calcem hanc partem distuli, quia habet in se virtutem
Salv. l. 1. quandam allectivam supra cæteras. *Ad appetitum utilitatis suæ,* inquit Salvianus, *natura ipsius magisterio omnes ducuntur, & qui militant, & qui negotiantur, & qui agricolantur:* similiter & qui disputant, & qui aliorum dictis auscultant, propterea faciunt, quia id sibi fructuosum & utile existi-
Leo Hebr. Dial. 1. mant. Neque profectò modus est aliquis, quo se in hoc bonorum genere affectus temperet, quia utilium bonorum desideria in infinitum proficiscuntur. Non igitur vereor vos mihi in hac parte detracturos attentionem vestram, in

in qua hoc Utile tentationis Christi est demonstrandum. Quod ut succinctiùs fiat, divisionem illam Stephani Brutiferi pro fundamento, si placet, statuamus: habetur in lib. 4. Sent. d. 6. q. 2. *Utile*, inquit, *dicitur quod appetitur propter aliud consequendum, idque juxta quatuor hac Graduum discrimina.* Primus Utilitatis gradus is est quo aliquid est appetibile propter aliud tantùm, & non propter se, sed ità ut sine eo illud quod appetitur potest haberi: sic potio amara est utilis ad sanitatem, sed non necessaria, quia alii sunt modi adipiscendi. Secundus gradus est quo aliquid est appetibile propter aliud tantùm, & non propter se, sed ità ut sine eo illud quod appetitur non potest haberi: ut amputatio tibiæ cùm caro est emortua ex ulcere aut inflammatione, sicut in gangræna. Tertius, quo aliquid est appetibile & propter se & propter aliud, sed ità ut sine eo illud quod appetitur habeatur: ut ingressio Religionis, & Sacrorum Ordinum susceptio, ab hoc vel illo est appetibilis & propter se, quia est bonum, & propter aliud, scil. beatitudinem lucrúmque animarum. Postremus, quo aliquid est appetibile & propter se & propter aliud, sed ità ut sine eo illud quod appetitur non habeatur: ut meritum Christi, & cognitio Evangelii, & gratia Fidei atque Pœnitentiæ, quæ sicut in se sunt bona desideratissima, ità necessarium ordinem habent ad supremum hominis bonum, nempe vitam æternam. Hoc fundamento posito, non longus erit labor discernere ad quem istorum Graduum Tentatio Christi sit referenda. Non quidem ad tertium aut quartum, quia non est in eorum numero quæ propter se sunt desiderabilia; multò minùs ad primum, quia non est inter media aut indifferentia collocanda, quibus uti vel non uti liceat. Victoria super Satanam ad quartum genus utilium refertur, quia erat & propter se expetenda, & propter alias victorias à Sanctis consequendas. Sed Tentatio ejus in secundo genere locum habet, est enim ejusmodi bonum quod propter se non erat ambiendum, sed propter victoriam & triumphum Christi, qui nisi vicisset, nos nunquam vinceremus. Idcirco ut summatim colligam, Duæ sunt quæ rem totam complectuntur Propositiones.

Propositio prima hæc est; Christus in eo quòd tentationibus se subjecit, non simpliciter ad bonum suum prospiciebat, quia semper victor erat, sed ad impletionem muneris, & bonum nostrum, & utilitatem Ecclesiæ. *Tentatus est*, inquit Apostolus, Heb. 2. 18. Heb. 4. 15. *quia ejusmodi Pontifex est qui afficitur sensu infirmitatum nostrarum; & in eo quòd ipse tentatus est, potest & iis succurrere qui tentantur.* Hæc prima est.

Propositio secunda sic se habet; Non unum aut simplex est utilitatis nostræ bonum ad quod Salvator in negotio tentationis prospexit, sed cumulatum & multiplex, & se diffundens in infinitas commoditates: sed singulas ad tria Capita reducibiles, velut tres conditionatos fines, aut tria bona tentationis ejus.

Caput primum est de bono Adjutorii, Ut tentatio ejus esset nobis in fiduciam. Tentari voluit, ut nobis iter aperiendo, animum ad ferendas tentationes erigeret; ut fidem faceret de potestate sua & misericordia, quòd compatiatur nobis quotiescunque tentamur, quòd paratus sit nobis succurrere si tentemur, eóque paratior & propior quò gravior tentatio, denique, quòd ipsius auxilio victoriam certissimam reportaturi simus; aut, si hoc minus est, quòd in ipso jam vicimus. Quòd si promisisset solùm se adfuturum nobis, non desperatos nos reliquerat, quia apud ipsum facilitas eadem est præstare atque polliceri: verùm isto non erat contentus, promisisse tibi; en propinat tibi, propinat tibi de omni malo, qui omne bonum promisit. Hæc fiduciæ est duplicatio, Nihil esse uspiam malorum nostrorum quod

ipse non est expertus, famem, sitim, laborem, defatigationem, tentationem, mortem. Hæc omnia nostra erant, & ipse ea suscepit, imbecillitatem nostram, paupertatem nostram, nostros fletus, nostram nuditatem, nostra pericula: Et quorsum, obsecro? Ut certos nos faceret, se nobiscum esse velut adjutorem in omnibus, qui factus est omnia omnibus; ídque pleniori multò & efficaciori modo quàm de se S. Paulus prædicavit. Testatur ille, 1 Cor. 9. 20. *Se omnia omnibus fieri, ut omnes lucrifaceret:* at Christus est omnia omnibus factus, ut nos omnes confirmaret & ad victoriam duceret; pauperibus pauper, infirmus infirmis, tentatus tentatis; ut in his singulis præsentem Christum videamus, quia præeuntem vidimus. Hoc S. Paulus vidit, vidénsque agnovit, à capite ad membra omnipotentiam quandam fluere in tentationibus & afflictionibus perferendis; *Omnia possum in eo qui me confortat*, ad Phil. 4. 13. Vidit S. Ambrosius, & in hæc verba erupit, *Plus, Domine Jesu, injuriis tuis debeo, quòd redemptus sum, quàm operibus, quòd creatus sum: quia tua infirmitas est mea virtus, & tua paupertas meum patrimonium, & tua pugna mea victoria; tu pro nobis pugnasti, ut in te nos omnes vinceremus.* Vidit denique S. Augustinus, & videns fideles singulos sic affatur, *Magna est consolatio membris ex capite, quia dum ille tentabatur, in illo tu tentabaris. Quemadmodum igitur in passionibus cæteris de te sibi habebat carnem, & de se tibi salutem; de te sibi mortem, & de se tibi vitam; de te sibi contumelias, & de se tibi honores: ità in præsenti negotio de te sibi tentationem habuit, & de se tibi victoriam; ut si te agnoscas in illo tentatum, agnoscas te etiam in illo vincentem.* Hæc, inquam, fiduciæ duplicatio est contra omnes Satanæ insultus, sive tela sua jactet, sive robur. Sunt tela ejus ignita & acuminata; fateor: ast in Christum petram nostram collisa hebetantur; in Christum fidei nostræ clypeum vibrata extinguuntur, ut jam mortifera non sint. Est robur ejus magnum, robur Draconis, robur Gigantis; non imus inficias: at Christus muscas efficit fugare Dracones, & locustas superare Gigantes, & de his quæ in terris sunt cœlestes vincit nequitias. Hoc caput Utilitatis primum, de bono Adjutorii.

in Luc. 2.

in Psal. 60.

Caput secundum est de bono Disciplinæ, Ut esset nobis documento: tentari voluit, ut scirent omnes inimicitias fore inter Christum & serpentem; ut cognoscerent esse aliquem qui diabolum & vincere posset, & victurus esset, & vicit; ut pro certissimo habeant, se ad eandem militiam vocari; nè dura nobis videatur conditio, si cruces & tentationes professionem nostram comitentur; nè quis, quantumvìs sanctus, securum se & immunem æstimet à tentatione. De possibili agnosco, potuisse Christum virtutem & meritum tentationis suæ ad eas usque metas protendere, ut pro nobis promereret non solùm in tentationibus victoriam, sed à tentationibus immunitatem: ast de jure & facto non tenet; neque enim æquum erat ut simplicem & absolutam pro nobis à tentatione diabolica immunitatem obtineret, sed duntaxat certam victoriam. Hoc ratio Salutis postulabat, illud autem nec Rerum conditio patitur, nec Personarum. Non Rerum, quia sine tentatione proclivis est anima, vel magìs proxima torpori & securitati, nisi his cotibus acuatur. *Quemadmodum carnes*, inquit Origenes, *si sale non aspergantur, ità anima, nisi hoc condimento quodammodo saliatur, corrumpitur facilè ac relaxatur.* Quanquam quid dico de Anima, cùm de Virtute ipsa idem sit dicendum? In hoc mortalitatis statu si tentationes non essent, & Virtus ipsa flaccesceret, & virtutis præmium efficaciam suam atque gloriam non retineret: quia, ut Gregorius loquitur, *In pace vires suas nemo cognovit; si bella desunt, virtutum experimenta non prodeunt.*

Hom. 27. in Num.

Mor. 30.

Nulla

Nulla ſunt ſine tentationum argumentis opera virtutis, nulla ſine perturbationibus fides, nullum ſine hoſte certamen, nulla ſine congreſſione victoria, nulla ſine victoria corona. Ad hæc, Perſonarum conditio non patitur, neque à dextra neque à ſiniſtra. Non à ſiniſtra Perſona tentantis; nam quis eſt, obſecro, Sanctorum militantium, qui membra ſunt Capitis, quem aggredi non audebit Tentator, ſi in ipſum Caput Chriſtum auſus eſt involare? Non à dextra Perſona tentati; quia ſervi ſumus iſtius Domini, & membra tam heroici capitis: Equidem non congruit ut Domino ſuo ſervus antiſtet, aut diſcipulus ut ſit ſuper magiſtrum. *Ecce Arca Dei, & Iſrael & Juda habitant in papilionibus; & dominus meus Joab ſuper faciem terræ, & ego ingrediar domum meam, ut comedam & bibam?* ait ad Davidem Urias, 2 Sam. 11. Pariter & unuſquiſque ad animam ſuam, En Chriſtus ad pugnam egreditur, & ego ut domi affluam? maneam ego, ut torpeſcam otio delitiiſque? *Erras, frater, erras*, inquit ad Heliodorum Hieronymus, *ſi ullum putas Chriſtianum tentationem non pati; tunc maximè oppugnaris ſi te oppugnari neſcis; tranquillitas hac tempeſtas eſt.* Prophetas aſpice & Apoſtolos; habuerunt ſinguli ſua certamina: Iſraelitas aſpice, priorem populum; ad terram Promiſſionis hos ducere noluit prudentiſſimus Dominus abſque armis & præliis. Vis verbo unico? Nè fortaſſe ſors gravis videatur, aſpice in authorem conſummatorémque fidei, Jeſum: quòd ſi unicus ille dilectiſſimúſque filius ad bellum mittitur, & tot exponitur laboribus, quis jam indignè ferat ſe ab hoſtibus impiis exerceri? quis iniquum aut durum dixerit ſi à Satanâ tentetur? Papæ! non poteſt eſſe durum nobis, quia non erat Chriſto; taceat infirmitas noſtra, quia ſanctitas ejus pulſata eſt. Hoc caput Utilitatis ſecundum eſt, de Bono Diſciplinæ. Leo Ser. 5.

Caput tertium eſt de Bono Imitationis, Ut eſſet nobis exemplo; tentari voluit, ut nobis vincendi viam quaſi digito monſtraret. Ad hoc Chriſtus ſemper reſpexit non minùs in paſſionibus ſuis quàm in operationibus pietatis. Et quidem de actionibus virtutis non eſt tam mirandum, ſi quis quod bonum eſt agat in exemplum: at ut quod malum eſt patiatur in exemplum, hic honor, hæc gloria eſt. *Paſtoris boni eſſe*, dicit Ambroſius, *exemplo oves præcedere, & quod oves facere vult, priùs facere.* Neque hoc quidem malè; ſed ex hoc ſic poſſumus argumentari, Quòd ſi Paſtoris boni ſit priùs facere quod ſuos vult facere, eſt longè optimi, quæ oves pati debent ea priùs pati. Huc uſque Chriſtus progreditur, ærumnas prævidens & crucem & tentationes quæ à nobis eſſent ſuo tempore tolerandæ. Serm. 41.

———Primus arenas
Ingreditur, primúſque gradus in pulvere ponit. Luc. l. 9. de Porc. Cat.

Enimvero dura & gravis res eſt tentatio, cibus coctu difficilis, *ὥσπερ χείμαῤῥος*, inquit Cyrillus, *δύσκολος πρὸς διάβασιν, velut torrens qui facilè tranſiri non poteſt.* At Chriſtus nos inſtruit quomodo trajiciamus: Is facto ſuo docet nos eſſe natatores, ut in illo nos omnes & natare & vincere diſceremus. Hoc illud eſt quod S. Auguſtinus, lib. 4. de Trin. cap. 13. animadvertit, *Idcirco diabolo ſe tentandum præbuiſſe, ut ad ſuperandas tentationes mediator eſſet, non ſolùm per adjutorium, ſed etiam per exemplum.* Enimvero non memini legiſſe me alicubi aliàs hanc formulam loquendi apud ullum idoneum authorem, præterquam apud Auguſtinum, ut *Mediator* dicatur *per exemplum:* ſed ſanus eſt ſenſus tamen ſolatiique pleniſſimus, quem à Leone Magno deducere poſſumus, cujus hæc ſunt verba in Ser. 1. Quadrageſ. *Quòd ideo ſe tentari permiſit, ut cujus munimur auxilio,* Cat. Myſt. 5.

ejuſdem

ejusdem erudiremur exemplo. Secundùm hunc intellectum habemus sui interpretem S. Augustinum, in Psal. 90. *Nemo est*, inquit, *qui unquam disceret cum tentatione pugnare, si Christus non vicerat tentatorem*: per hoc, *Exemplo mediator* nil aliud est quàm *Exemplo doctor*, quia in eo quòd tentabatur ostendit nobis qualiter & quibus armis nos hostem vincere possumus, jejunio, oratione, verbo Dei. His alis sublati non est quòd dubitemus. Esto tentationum mare seculum, at datum est nobis in Christi exemplo lignum quo è mediis fluctibus enavigemus; quia tentatur Christus nè vincatur Christianus. Ergò, ut verbo concludam omnia, hîc pedem figamus, sit basis fiduciæ nostræ hæc contemplatio, in quibuscunque angustiis positi sumus, recurramus non minùs ad exemplum Christi quàm ad auxilium. Ab hujus intuitu speculi infinita solatia oriuntur; nulla enim est tentatio quæ non suum ac salutare remedium habeat in exemplo Christi. Si Ambitio titillet, est remedium in Humiliatione Christi, si cogitas quò tuâ sese causâ dejecerit. Si incessit Invidiæ malum, est remedium in Mansuetudine Christi, si memineris quàm benignè, quàm candidè ille se totum nostris usibus impenderit; quàm bonus fuerit etiam pessimis. Si ad Luxuriam provocaris, est remedium in Jejunio Christi: adeóque de cæteris. Impossibile est ut spes tua aut fides pereat, si in mentem venerit quàm sanctum, sapientem, bonum, felicem, fortem, invictum, augustum, quàm verè inclytum, & Angelis quoque ipsis reverendum, belli ducem habeas. Is est rerum omnium factor, hostium omnium victor, certaminum omnium susceptor, Dominus noster Jesus Christus, qui ut nos contra tentationes erigeret, pro nobis probavit tentationum acerbitatem, proprium movendo flammæ digitum, &, ut de Honorio Claudianus,

Claud. 4. cons. Honor.

> *Ipse manu sua pila gerens tolerare labores*
> *Monstravit.*

Hoc caput utilitatis tertium, de Bono Exempli.

Quod ultimum cum superioribus conjunctum non incongruè jam tandem dicamus Vindicias tentationis Christi, nè quis audeat ut inutile aut indignum, nedum superfluum, mussitare; quia erat & in aliquo genere Necessitatis, & in summo genere Convenientiæ, & in omni genere Utilitatis.

LECTIO

LECTIO XVI.

Et cùm jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit.

INter Tentationem Christi atque Jejunium non magnus est spatiorum interjectus, si historiæ seriem; & multò minor, si res ipsas spectemus: etenim quid est aliud Tentatio nisi, ex parte nostra, pugna gratiæ? & quid Jejunium, nisi pugna & certamen naturæ? quis finis Tentationis, nisi ut vincamus hostem? idem etiam & Jejunii, ut addiscat quisque vincere & subjugare seipsum. Neque hoc totum est, sunt enim & aliæ in illis cognationis lineæ conspicuæ; non quantum ad hoc solum in quo conspirant, sed quantum ad illud etiam in quo contrariantur: quia ambo eódem respiciunt, licèt diverso intuitu; Tentatio est instigatio ad illicitum, Jejunium à licito abstinentia; Tentatio ad peccatum sollicitat ut fiat, Jejunium cavet nè fiat; per illud movemur ad peccandum, per hoc cohibemur ut non peccemus. Hæc cùm ità sint, non est quòd altiùs vobis argumenti tractandi initia repetam: res ipsa admonet, ut expletâ pro modulo de Tentatione Christi generali disputatiunculâ, ad Jejunium ejus jam ordinatim accedamus; prout hîc depingitur à Sancto Evangelista paucis, sed sonantibus, verbis, ***Cùm jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit.***

Sententia brevis est, sed ejus tamen amplitudinis, ut non unius temporis calculo sit æstimanda, sed omnium; cùm non in Christo solo terminetur ipsius speculatio, sed ad omnes Christianos pertingat & virtutis efficaciâ & exempli. Idcirco utroque modo oportet ut inspiciamus, tum quatenus est Factum singulare, quod pietatem ostendit Salvatoris; tum quatenus est Factum exemplare & regulativum, à nobis in imitationem trahendum.

Exordior à Consideratione prima, quæ factum hoc Christi respicit ut est quid Personale ac Singulare. Ad illud per Præparativa quædam ducendi estis. Tres autem sunt Quæstiones introductoriæ, quæ priùs velut Præcognita necessaria sunt definiendæ. Prima est De dierum numero & repetitione operis, Utrùm præcisè tot diebus jejunaverit Christus, & non pluribus; idque semel tantùm, non denuo, aut sæpius per totam vitam. De hoc tres testes habemus, tres Evangelistas, qui disertis verbis asserunt, Jejunii tempus quadraginta dierum ambitu fuisse circumscriptum: neque est eorum quispiam qui vel nutu significet ad hujus generis jejunium Salvatorem secundò rediisse. Nec quidem potest rationabiliter credi aut Christum fecisse, cùm Evangelistæ taceant; aut secundò facere potuisse, dum discipuli comitabantur. Verùm dubitandi hæc est causa, Quia de Elia accipimus quòd semel, de Mose quòd bis hunc dierum numerum in jejunio suo absolverit; idoneum videtur ut Christus, qui Mose & Elia major erat, vel sæpius, vel toties id faceret, nè potestate aut honore vel Eliæ compar, vel inferior Mose putaretur. Speciosum est argumentum, fateor, ast nullarum virium, quia in utraque sui parte falsissimo nititur fundamento. Inprimis illud falsum, Quòd majus aliquid sit in dierum centum aut mille abstinentia quàm in quadraginta, in jejunio miraculoso duplicato quàm in simplici.

Ratio

Ratio eſt, Quia miraculoſa non ſunt graduum ſuſceptiva ; ſi ſemel ad naturæ terminos perveneris, quæcunque ſuprà ſunt, ſive in ſecunda diſtantia, ſive in decima, ſunt æquè magna cenſenda. Hinc fit ut non majoris virtutis ſit bis idem jejunium jejunare, quàm ſemel ; neque centum diebus, quàm quadraginta : eſt enim hæc miraculorum conditio, ut ejuſdem ſit poteſtatis ea ſemel facere, aut ſæpius ; per eandem virtutem quâ quis poteſt manere ſine cibo quadraginta dierum ſpatio, ex eâdem habere poteſt ut ſine cibo ſalvus ſanúſque maneat mille annis. Neque majus eſt hoc miraculum quàm illud, tametſi effectus in ſe major ſit ; eò quòd miraculum quodque niſi ex potentia ſimpliciter infinita fluere non queat, ideo non habet terminos intra quos claudatur, nec gradus quibus diſcriminetur : verùm uti non augetur vigor ad repetitionem operis, ità non minuitur ad ſingularitatem.

Porrò & illud alterum eſt falſum, quod à primo deducitur, Minorem Moſe videri poſſe Chriſtum, ſi ſemel tantùm fecerit quod bis à Moſe factum celebratur. Imò verò contrà, hoc ſimplex Chriſti jejunium & majus fuit & honorificentius quàm illud Moſis duplicatum, hoc eſt, & Poteſtate præcelluit & Dignitate. Dignitate, quia Chriſtus ſponte aſſumpſit jejunium ſuum : non ſic Moſes & Elias, aſſumpti ſunt ad illud, non illud in ſe aſſumpſerunt ; non aſſumebant, ſed aſſumebantur. Poteſtate, quia Chriſtus id fecit virtute propriâ, illi virtute Chriſti. Hoc Moſes & Elias habuerunt ab efficiente ſupra ſe, nimirum à Deo ; Chriſtus hoc habuit ab efficiente intra ſe, à ſeipſo habuit, quia verus Deus erat. Quæ major poteſt eſſe præcellentia ? quod in Moſe & Elia fuit excellentiſſimum, & à ſuperno principio, hoc Chriſtus glorioſiùs multò præſtitit & virtute ſuâ ; adeóque pro arbitrio ſuo & ſæpius & ſemper redintegrare poterat, ut pulchre eſt à B. martyre Ignatio obſervatum, in illa, ſi illius ſit, ad Philippenſes Epiſtola ; *Qui per tot dies*, inquit, *ſervavit corpus ſuum abſque alimento*, ἐδύνατο τοῦτο ποιῆσαι εἰς τὸ διηνεκὲς, *potuit perpetuò*, quamdiu in terris commorabatur, *id ſervare :* potuit, inquam, ſed noluit, quia ſemel faciendo ſupra omnes quot ubique ſunt homines ſe efferebat. Hæc quæſtio Introductoria prima eſt, De dierum numero, & repetitione operis.

Secunda eſt, de Remiſſione jejunii, An per totum illud ſpatium aliquid comederet Chriſtus, an magìs uſque ad decurſum diem quadrageſimum à cibo abſtinuerit. Ad hoc non deeſt ſuffragium Evangeliſtæ, nam c.4. apertè S. Lucas teſtatur, eum penitus nihil manducâſſe in diebus illis ; ubi *Nihil* dicitur, alimenti genus omne excluditur. Quòd ſi ad ipſius vitæ partem alteram ſpectemus, verum eſt, eum ſæpius cum Judæis manducaſſe & bibiſſe, quia noluit Baptiſtæ auſteritatem imitari ; ſunt ipſiſſima ejus verba, *Venit filius hominis manducans & bibens*, Joan. 4. 32, 34. Rurſus, ſi in Allegoriam res trahatur, eſt quoque veriſſimum, etiam in deſerto eum tunc temporis prorſus abſque pane & cibo non fuiſſe ; nam cibum habuit quem nos neſcimus, cibus ejus erat ſalus hominum. *Eſt ipſum jejunium*, ſi S. Ambroſium audimus, *mentis cibus, paſtus animæ* ; hoc cœleſti pane Chriſtus etiam jejunans veſcebatur, verùm edulia corporalia non habuit : neque eſt credibile velle eum tunc temporis jejunium ſolvere, quando ad hoc ſeceſſit ut ſervaret. In hoc ſolo eſt dubitatio, quòd S. Marcus, c. 1. v. 13. affirmet, dum fuerat in deſerto, ei ſanctos Angelos miniſtraſſe. Enimvero hic ſcrupulus pungeret, niſi ab altero Evangeliſta evulſum haberemus ; etenim S. Matthæus dilucidum ſe præbet ejus explanatorem, atque ſignanter dicit, non miniſtraſſe ei Angelos donec diabolus eum reliquerat, tentatione jam conſummatâ. Eapropter, poſito quòd in cibi ſupplemento Angeli miniſterium ſuum collocabant,

c. 1. de Elia & Jejun.
Aug. Serm. 6. Jejun. Quad.

bant, etsi hoc non sit necessarium, quia aliæ sunt viæ ministrandi non paucæ; est ministerium Comitatûs, & ministerium Cultûs, & ministerium pro tot victoriis Congratulationis: sed posito, inquam, hoc, quòd in esculentis & poculentis ministrabant ei, at non sequitur eum intra positos jejunii cancellos comedisse quicquam; quia non priùs ministratio hæc facta est quàm tentatio finita est. Durante illo dierum intervallo nihil libabat, nihil tangebat: tam sincerè agebat omnia & sine fuco, ut qui coram populo manducare voluit & in publico, jejunare magis voluit in angulo absque spectatore; & qui manducationis locum elegit civitatem, jejunii locum constituit desertum, nè quis aut tunc jejunâsse sciret, aut nunc in jejunio manducâsse aliquid suspicaretur. Hæc quæstio est Introductoria secunda, de Intermissione jejunii.

Tertia est de Actionibus & Exercitiis, quid Christus egerit per longum hunc temporis tractum; etenim nudo & solitario vocabulo Evangelista illud exprimit, nullâque factâ aut orationis aut alterius cujusvis operis mentione, *jejunâsse* pronuntiat. Quid igitur? num solùm jejunâsse putabimus, aut in otio & cessatione quadragenaria obtorpuisse? Absit ut hæc subeat in mentem cogitatio. Non novit ferias sancta illa anima laboris studiosissima, quæ tam impensè ad exoptatam cursûs sui metam anhelabat. Hoc probè novit, *jejunii absque oratione nullum fore compendium: Sicut sine potu*, inquit S. Augustinus, *non est refectio plena*; addo, sicut sine condimentis non jucunda est aut grata refectio aspera; ità ex se non potest famelicam animam nutrire jejunium, imò insuave erit & insipidum, nisi oratione, velut condimento, ipsum, quod est condimentum aliarum virtutum, condiatur. Hæc igitur summa est, Non eos dies insumpsisse Christum in otio aut vacatione; imò verò, si ità loqui liceat, in vacatione & otio: in otio, inquam, sed sacro & Cœlesti otio; in vacatione, sed operosa & Angelis digna. Vacavit orationi, quâ sui felicem successum ministerii benedictioni Patris commendaret; vacavit Dei laudibus & gratiarum actionibus incubuit, quòd columbâ cœlitus missâ & voce cœlitus auditâ Redemptorem mundi mundo demonstrasset; vacavit contemplationi Divinæ mutuísque cum Deo colloquiis, secum & cum Patre statuens quo ordine quibúsque rationibus ac modis jam munus posset exsequi mediatorium. Hæc Exercitia ejus fuere, hæc studia: In his occupatus dierum transigebat vicissitudines, & longarum noctium ægritudinem his oblectamentis leniebat; quibus solis & dies magìs dies evadit, & ipsæ noctis tenebræ in diem vertuntur. Ut verbo dicam, ex istis evincitur, quòd utcunque solius Jejunii sit facta in textu mentio, quia præparatio erat ad reliquos actus pietatis: at Jejunium tamen non fuit nudum & solitarium, verùm omnium virtutum gregibus stipatum. Hæc quæstio est Introductoria tertia, de Actionibus & Exercitiis.

Serm. 230. De tempore.

Istis hoc modo prælibatis, instructi satis sumus ut ad ipsa textûs verba pergamus: in quibus eventilandis illam Senecæ regulam sequendam mecum constitui, *Postquam multa percurreris*, inquit ad Lucilium Seneca, *est unum aut alterum excipiendum quod concoquas.* Hæc mea erit norma progrediendi, ut his præcognitis transactis, ex ipso textu unum aut alterum excerpam, quæ vestris commodis inserviant, ut concoquantur. Sunt autem tria quæ sese meditationi vestræ offerunt consideranda; est aliquid Morale, & aliquid Miraculosum, & aliquid Naturale; tria opera in uno incepto. Opus Pietatis, *jejunavit*, hoc ad Moralia pertinet; opus Potestatis, *quadraginta dies & quadraginta noctes*, hoc ad Mirabilia refertur; opus Infirmitatis, in illis verbis, *Postea esuriit*, hoc inter Naturalia hominis est recensendum.

Exordior à primo, quod *opus* appellavi *Pietatis*, nempe illud quod Morale est in hac parte historiæ. In illo duo sunt quæ in observationem veniunt; Jejunii Ordo, qui ab Evangelista designatur, & Jejunii Causæ, quæ Salvatoris motiva erant in hoc se stadio exercitandi.

De Ordine primùm est disserendum; non enim est directa ejus commemoratio, sed obliqua & transversa, *Cùm jejunasset.* Attendite, non ità est ab Evangelista expressum quasi itineris primum, neque ut itineris primarium & principale: Non ait in desertum se Christum recepisse ut jejunaret, sed *ut tentaretur*; tum demum post tentationis mentionem jejunium cursim perstringit, & quasi per transennam, *νηστεύσας, cùm jejunasset.* Vultis manifestiùs? Secessus finis præcipuus erat ut tentaretur; ad tentationem vincendam medium efficacissimum Oratio; ad Orationem piè præstandam instrumentum aptissimum Jejunium. Hic ordo est & nexus operis. Quid, obsecro, exinde observandum? Opinor illud,

Biel. Dist. 16. qu. 3. ar. 1. l. 4.

Jejunii naturam nobis S. Matthæus vel ex ipso ordine indicare voluit, quale bonum sit, & qualis virtus. In se & ex natura sua, propriè loquendo, virtus non est, sed ut ordinem habet ad aliquam aliam virtutem; nec simpliciter & absolutè est bonum, nisi quatenus ad aliud bonum ordinatur. *Sunt quædam*, inquit S. Augustinus, *per se bona & propter se expetenda, ut sapientia, salus, & ejusmodi; sunt alia quæ bona sunt & laudabilia, non per se & propter se, sed ad aliud relata & ordinata.* Inter hæc Jejunium est statuendum, velut in se res non moraliter bona, nisi orationi & pœnitentiæ adjungatur, hoc est, nisi ad hunc finem referatur, ut caro coerceatur, atque idonea fiat ad menti in rebus spiritualibus subserviendum. Hinc nata est illa Scholasticorum distinctio inter *Jejunium naturæ*, quod est abstinentia quæque à cibo & potu solito diuturnior; & *Jejunium virtutis*, quod est abstinentia à cibo & potu non quæcunque, sed talis quæ ordinem habet ad aliud sive bonum peragendum, sive vitium frænandum. Istorum primum non inappositè dicere possumus *Jejunium hominum*, sive *Jejunium medicorum*, quia ad corporis valetudinem sive tuendam sive recuperandam dirigitur; secundum, *Jejunium Christianorum* sive *Theologorum*, *Jejunium religiosum*, quia finis ejus est religionis pro-

S. 34. De Resur. Christi.

fectus & salus animæ: illud S. Chrys. *νηστείαν σωματικὴν* vocat; hoc *νηστείαν πνευματικήν*. S. Ambrosius illud, *Famem jejunii*; hoc, *Disciplinam jejunii*: Scholastici denique illud, *Jejunium jejunii*, id est, puram putam abstinentiam; hoc, *jejunium jejunantis*, id est, ejusmodi abstinentiam quam quis ad alium finem vertit seipsa potiorem, nimirum in ipsum Deum;

Simon Cas. l. 4. c. 4.

unde & à Cassiano piè describitur, *Abstinentia à bono creato propter bonum increatum.* Priori modo si sumatur est mera privatio, & per consequens nec virtus, nec actus virtutis, neque habet in se quicquam moralitatis. In posteriori sensu & in numero virtutum ponendum est, & inter adjumenta. In numero, quia est in se virtus ad usum hominis & institutionem vitæ conducens; éstque medium ad irrationales facultates erudiendas & moderandas: habet igitur inter virtutes locum, sed infimum, quasi inter ignes minores & stellas sextæ magnitudinis: *Sortitur*, inquit Chrysost.

hom. 47. in Mat.

ἔσχατον τοῦ χοροῦ τῆς ἀρετῆς μέρος, in choro virtutum locum infimum. Deinde, inter adjumenta virtutum ponitur, quia gradus est ad quamplurimas, habétque instrumentalem ordinem ad eas & eliciendas & maturandas. Quod ipsum est ab Hieronymo animadversum in Epistola 16.

Jer. in Reg. Monach.

ad Celantiam, *Non esse perfectionem sanctitatis jejunium, sed adjumentum; neque perfectam virtutem, sed virtutum cæterarum fundamentum.* Ut hoc liquidiùs constet, agamus exemplis; & quia virtutes singulas percurrere

currere longum esset, sufficiat de duabus palmariis id demonstrare, de Oratione & Pœnitentia.

Quòd Orationis adjumentum sit, Sacra Pagina testatur, hæc duo inter se utplurimum conjungendo; *Hoc genus non ejicitur nisi per orationem & jejunium*, Mat. 17. 21. *Serviebat Deo jejuniis & orationibus*, Luc. 2. 37. *Vacate jejuniis & orationibus*, 1 Cor. 7. 5. Quæ putas est ratio? S. Chrys. nos docet, Διὰ τοῦτο ἀεὶ τῇ νηστείᾳ τὴν προσευχὴν συνέζευξεν ἡ γραφὴ, *Propter hoc ipsum jejunio orationes Sacra Scriptura semper attexit, ut orationi necessarium esse probet consortium jejunii*; dicente Augustino, *quia sicut jejunii perfectrix est oratio, ità orationis adjutrix est jejunium; cujus ope efficitur ut ardenti affectu et mente erectâ perseveremus in oratione.* Rursus Qu. Vet. & N. Test. qu. 120.

Quòd Pœnitentiæ sit adjumento, exinde liquet, quòd inter se passim jungantur in Sacris Literis, nunc *jejunia et fletus*, nunc *jejunia et cineres*, nunc *jejunium et cilicium*, nunc *jejunium & animæ humiliatio*: quæ omnia fructus sunt & insignia pœnitentiæ. Insuper & ipsa institutio monstrat, Lev. 16. 29. & 23. 27. ubi *afflictio animarum* Jejunium appellatur. Unde etiam ortum est ut in Lingua Sancta *animam affligere* & *jejunare* pro reciprocis ponantur, Levit. 16. 29. Is. 58. 3. Atque Drusius paulò in Levit. c. 56 longiùs hoc producit, quòd cum dicitur Psal. 35. 13. *Afflixi jejunio animam meam*, eodem modo dicitur ut *lavare aquâ*, & *adustio ignis*, in quibus non solùm est sermonis proprietas, sed redundantia. Porrò & Judæorum doctores adhuc altiùs progrediuntur, Quòd ubicunque in Sacris Literis P. Mart. in Jud. c. 20. *afflictio animæ* invenitur, ibi intelligitur Jejunium. Ex quibus omnibus patet, & Jejunii comitem esse Pœnitentiam, & Pœnitentiæ administram necessariam Jejunium; & utrumque utrique tam indivisâ copulatione agglutinatum, ut nec Pœnitentia ad profectum veniat sine Jejuniis, nec Jejunia prosint sine Pœnitentia. Una utriusque est ratio, quia bonum est ordinale & correlativum Jejunium: ad hoc autem præcipuè ordinatur, ut vitiorum sentina siccetur, nè erumpant; ut carnis calcitratio subigatur, nè lasciviat; ut ardentis Ætnæ incendium extinguatur, nè flammivomi fornax Vulcani intrinsecùs montes conterminos adurat, dicente Cypriano. Alioqui inane erit & inutile Jejunium, si solâ escarum abstinentiâ metiaris. Omnino nil prodest subtrahere corpori cibum, & non detrahere vitia; castigare corpus inediâ, & mentem exercere nequitiâ; ore carnem non attingere, & maledicentiâ proximum lacerare; quæ tua sunt non comedere, & surripere ea quæ sunt aliorum; aquam non bibere, & deglutire sanguinem. Teipsum arbitrum statuo, dic paucis, carnes non edis, & fratrem tuum comedis? si à vino abstines, & ab injuriis tibi non temperas, ecquid erit pretii? Quòd si in causa propria arbitrium facere non placet, attende S. Hieronymo; ejus hæc sunt ad Celantiam verba: *Quid prodest tenuari abstinentiâ corpus, si animus intumescat superbiâ? quam laudem merebimur de pallore Jejunii, si invidiâ lividi sumus? quid virtutis habet vinum non bibere, & irâ atque iracundiâ inebriari?* Ad res alias oculos tuos paulisper converte: *Non expedit currum validum ac strenuis quadrigis instructum esse, si auriga insaniat; Nulla est in bene fabricata navi securitas, si ebrius sit ipse gubernator*: similiter nec homini prodesse potest, si corporis sarcinam, si carnis molem imminuerit, & mentem patiatur esse vitiis prægravatam. Quid quòd diabolus ipse, cùm spiritus sit corporis expers, nihil unquam edit omnino; nec quisquam est dæmonum qui quòd se obsoniis ingurgitet aut immodicè bibat accusari potest? at non sunt idcirco

de Jej. & Tent. Christi. — Bas. hom. de Jej. Ambr. in Serm. Quadrages. Nyss. De pauperibus amandis. — Nyss. ibid.

sanctitati propiores. Eodem modo se res habet si de nobis ipsis loquamur; νηστεία ἀληθὴς ἡ τῶν κακῶν ἀλλοτρίωσις, ut scitè Basilius; *Jejunium verum est sejunctio & ejectio vitiorum*; & tunc præclara est abstinentia corporis, cùm animus est jejunus à peccatis. Ex quo sequitur, quòd si quis à cibis jejunat, & non à peccatis, jejunat mundo, non Domino, & escarum lucrum facere videtur, non salutis. Nè fortè acerbum dictu videatur, acerbius multò est illud S. Ambrosii, *Qui jejunant à cibo, et non se abstinent à malo, similes sunt diabolo, qui non manducat, et malum tamen facere non cessat.* Quapropter, ut finem hujus partis faciamus, quotiescunque de Jejunio cogitamus, non in abstinentiam solam vertendus est animus, ut hoc Abstinuisse esse putemus jejunasse; sed longiùs est prospiciendum, ultra ipsam abstinentiam ad morale illud in quod Jejunium dirigitur, absque quo jejunum est omne jejunium, imò planè nullum: τοῦτ' ἐστι νηστεύοντα μὴ νηστεύειν, ut eleganter Chrysost. fames aut esuries dici meliùs potest quàm Jejunium; & umbra atque cadaver jejunii, non opus ipsum. In rebus omnibus tenet quæ sunt Ad aliquid, tyronibus notum ex Dialecticis, Quòd relati virtus nulla est absque suo correlato, sive correlatum unum fuerit, ut in aliquibus, sive plura, ut in præsenti negotio. Jejunii correlatum unum est Oratio, alterum Pœnitentia; ad hæc, Subjugatio carnis, victoria Spiritûs, &, ut strictim loquar cum S. Chrysostomo, ἡ νηστεία σωματικὴ διὰ τὴν νηστείαν πνευματικὴν ἐγένετο, *Jejunium corporale propter spirituale est institutum*; & Jejunium proprium ad Metaphoricum est referendum, sicut ex ipso ordine nos S. Evangelista docet, qui tacitè & per insinuationem in tentationis Christi historia hanc de Jejunio eius mentionem intertexit, ut vel ipso verborum ordine nos erudiret, Quale bonum sit hoc quod vocamus Jejunium; ejusmodi bonum, quod respectum habet & ordinem & habitudinem ad aliud & majus bonum. Hæc sufficiant de Ordine dixisse.

hom. de Jejun.

Dom. 4. Quadr.

Hom. 34. de Resf. Domini.

Ab Ordine descendendum est ad Causas; quæ Salvatoris motiva erant in hac se disciplina exercendi. Causarum cognitio aliqua ex jam dictis haberi potest, sed non perfecta annumeratio. Quòd si de nobis ipsis agendum esset, aut de Jejuniis nostris, facillima foret disceptatio: in comperto sunt multæ & justæ causæ quæ nos pusillos & peccatorum onere pressos excitent; quia in magnum nobis cedit Jejunium emolumentum, frangit impetum mentis, & faces vincit avaritiæ, & cupiditatum fomitem comprimit, & ad negotia spiritualia, cùm inertes simus ex nobis ipsis & indispositi, magnopere conducit. De Christo verò non sic dicendum est: Non illi opus erat ad corpus domandum hoc adjutorium qui carnis incentiva non habuit, non indigebat remedio qui non subjacebat morbo; nunquam ipse sibi vitiorum aut gulæ aut ventris conscius erat; in appetitu nunquam peccavit, nec ullum defectuosum motum novit, qui esset Jejunio corrigendus: Propter hoc difficilior est causarum designatio cùm de Christo loquimur, sed investigabilis tamen, & ad duplicem respectum reducibilis, ad respectum Sui, & ad respectum Nostri.

Respectus Sui multiplex erat, Vindicatio sui, Confirmatio sui, Præparatio sui.

Inprimis, Vindicatio Sui præmittenda erat, propter calumnias quas se passurum prævidebat, quia criminationes Judæorum plenissimè præcognovit antequam fierent, & inter illas hanc maximam judicavit, quod *voracem hominem* dicerent καὶ οἰνοπότην· quia non Pharisæos solos hâc vellicandi prurigine percitos præcognovit, sed Baptistæ discipulos; etenim & illi accusabant eum velut jejuniorum hostem, Matth. 9. 14. *Discipuli*

scipuli tui non jejunant. Ergò hisce criminationibus etiam in limine Ministerii occurrendum putavit, à jejuniis incipiendo: atque hoc modo non solùm criminationis labem detersit, sed & ora blasphemantium obstruebat; quia insulsum erat & absurdum epulonem eum aut jejunii hostem æstimare, qui tam duras sibi abstinentiæ leges imposuerat.

Secundò, Conformatio Sui necessaria erat ad Legis præscriptionem exsequendam, quia ad implendam Legem venerat: tam sui memor erat, ut ex omni parte vellet implere, & quantum ad magnalia Legis & quantum ad minutias; tam sui prodigus, ut implere, & adimplere, & plusquam implere dignatus sit; ubi Lex exigebat ut semel quolibet anno diem unum jejuniis dicarent, Levit. 16. 29. placebat ipsi pro unius dieculæ curriculo quadraginta substituere, & hâc vice unicâ (ut nihil dicam de jejuniis minoribus) plus multò præstare quàm ex præscripto Legis totæ sufficeret vitæ.

Tertiò, Præparatio Sui expediebat & ad Pugnam, & ad Ministerium. Ad Pugnam, ut se muniret contra insultus Satanæ, quem armis suis, hoc est, Dominio & Majestate, indignabatur vincere; sed nostris voluit, hoc est, Jejunio & Precibus. Ad Ministerium, quia communis est & sanctis omnibus adeò probatus hic præparationis modus, ut nihil unquam magni molitos eos legimus nisi priùs abstinentia præcessisset. Sic Hester regina & Nehemias, cùm ad liberationem populi sui se accingerent, à Jejunio ordiebantur. Sic Antiocheni, Act. 13. 3. quò Pauli & Barnabæ ministerium, quod tanti momenti erat, meliùs Deo commendarent, ad jejunandum priùs conveniunt. Consimile est illud quod de Romana Ecclesia refert S. Augustinus, in illa ad Cassulanum Epistola, quòd quando Petrus Romæ congressurus erat cum Simone Mago die Dominico, tunc die Sabbati jejunium indixit: nec illud Hieronymi abludit de S. Joanne Apostolo, in Prol. super Matthæum, idémque Eusebius testatur in Eccles. historia, quòd cùm Joannes rogatus esset ab Ecclesiis ut contra Ebionem & Cerinthum Evangelium scriberet, se id facturum respondit, si Ecclesia tota publicè antea jejunasset. Nè memorem reliquos, de Sanctis singulis B. Cyprianus prædicat, quòd quoties à Deo aliquid obtinere conati sunt, toties jejuniis incubuere & lacrymis. Eodem modo & Dominus noster Evangelii opus publicum aggressurus, quod alios facere voluit exemplo suo docet; non quòd ille simpliciter Jejunio indigeret, sed ut nobis exemplum daret, quo apparatu instructos esse oportet ad res magnas agendas. Hoc fundamentum Causarum primum, in respectu Sui positum.

Cyp. de Jejun. et Tent. Chr.
Hest. 4. 5.
Neh. 1. 4.

Pet. Mar. in Judic. c. 20.

de Jej. & Tent. Christi.

Secundum in Nostrî respectu versatur, & ad duos fines dirigitur, in Liberationem nostram, & Institutionem.

Liberationis ratio à S. Ambrosio Serm. 35, & 37. ponitur, quòd ideo jejunavit, ut ad nos virtus & meritum Jejunii ejus se extenderet; útque sic pro luxuria nostra suis Jejuniis satisfaceret, sicut tentationes nostras suis victoriis sanctificasset. Dicite, ecquid usibus nostris magìs accommodum potest excogitari quàm ut Christus se interponeret inter primum reatum & primam vindictam; útque in secundo Adamo remedium indè inciperet unde in primo vulnus sua exordia duxisset? O facinus egregium, quo factum est ut eodem modo quo mors intravit in orbem terrarum, intraret & vita! Per cibum mors intravit, quando ad arboris vetitæ esum eos Serpens seduxit quos Deus ad abstinentiam sacramento immortalitatis obstrinxisset. Vide igitur mysterium, Satisfactionem suam Christus orditur à primis: à Præcepto primo; quia Deus abstinentiam imperâsset, in ea primùm Christus testatur suam obedientiam: à Seductione prima; quia

dolos suos serpens consuisset ex cibo & gula, Christus incipit à Jejunio: denique à Lapsu primo; quia protoplasten gula decepisset, ideo per temperantiam Salvator se medicum exhibet, ut quorum generatio per intemperantiam peccaverat, eos per abstinentiam sanaret. O, inquam, egregium medicum! *Sanavit nos omni genere medicina*, sicut optimè est à Ludolfo par. 1. cap. 22. annotatum: *per Electuaria, quando corporis & sanguinis sui mysteria tremenda Ecclesia reliquit; per Sudorem, quando guttæ sanguinis decurrebant in horto; per Emplastrum, quando facies ejus sputo illita fuit; per Potionem, quando acetum felle mixtum gustavit; per Minutionem, quando clavis & lanceâ vulneratus est*; per Diætam, quando ad hoc tam accommodum támque meritorium remedium se recipiebat. Meritorium dico, quia quod prior homo manducando perdidit, hoc Christus jejunando recepit: Accommodum, quia *labem primi hominis in eo quo primum peccaverat sanavit*, Chrysost. Hom. 2. De lapsu primi hominis; dum legem abstinentiæ in Paradiso datam in Deserto custodivit. Hæc Ratio prima quæ in nos respicit, propter Liberationem & Justificationem nostram.

Ratio secunda facti est Institutio nostra: Idcirco jejunavit, ut in iis quæ ad severiorem pietatis partem spectant & Apostolos inprimis, & Apostolorum prolem posthumam, Christianos omnes, erudiret non minùs exemplo quàm verbo. Ut connexionis vis appareat, recognoscere oportet, quòd non sunt ejusdem generis religionis officia singula. Sunt quædam ex se jucunda & delectabilia, ut Oratio, Dilectio, Contemplatio: & ad hæc præstanda præcepta nuda sufficere poterant, tametsi non essent nobis exemplo aliquo commendata. Sunt alia quæ duriora videntur & asperiora, ut Renuntiatio seculi, Maceratio carnis, Susceptio crucis, Vigiliæ, Fletus, Jejunia: & ad hæc promovenda valde dubito utrùm nuda Documenta sufficerent, nisi Exempla accedant, quæ occultâ quadam virtute ejusmodi Officiorum & rigorem mitigant, & possibilitatem probant. Vide igitur prudentiam Salvatoris: quia Jejunium cognovit inter Duriora pietatis nos æstimaturos, idcirco non satis putavit id in mandatis reliquisse, verùm exemplo suo & facto sanctificavit. *Cœpit*, inquit S. Lucas, *facere & docere*, & quidem priùs facere quàm docere; quanquam reveta non sit facile dictu utrùm priùs fecerit an docuerit, quia hoc ipso quòd fecit docuit, & uno hoc eodémque facto non unum documentum reliquit, sed infinita. Accipito paucis. Docere nos hoc facto suo voluit quàm sit Sobrietas & Mortificatio Christiano homini necessaria, cui Christus ipse, quà homo, se subjecit, qui nihil habuit in sanctissima sua carne mortificandum. Quòd si ipse insontem suam carnem jejuniis afflixit, nos nostram sontem & peccatricem multò magis. Deinde quàm sit Sobrietas & Temperantia Christianæ vitæ ornamento, quando his gemmis Christus & Ministerii introitum, & totius vitæ cursum condecoravit. Docere voluit quibus usibus Jejunium inserviat, ad castigationem corporis, ad purgationem mentis, ad sublevationem sensuum, ad præparationem animi contra tentationes. Ut pergam porrò, docere nos voluit quis primus Scalæ gradus ascendendi ad patriam, per Orationem & Abstinentiam. Quod de Elia S. Ambrosius pronuntiat, *Ad cælos Elias jejunio antequam curru ascendebat*; de nobis verum est, Oportere nos in viam virtutis per abstinentiam redire, quia per gulam deflexímus. Deinceps & id docere voluit, quo potissimùm tempore sit nobis jejunandum; tunc cùm tribulationes imminent, cùm finitimi sumus periculis & tentationibus. Est S. Basilii è verbis textûs Observatio, Quòd ideo Christus ante pugnam jejunavit,

de Elia & Jej.

junavit, ut ostenderet tunc maximè abstinentiam esse necessariam cùm nobis in hanc arenam est descendendum. Porrò & illud docere voluit, quibus armis adversus inimicum pugnare debemus; Orationibus, Vigiliis, Jejuniis. A Theophylacto hæc ratio redditur, Quòd ideò Christus jejunavit, ut doceret, ὅτι μέγα ὅπλον ἐν τοῖς πειρασμοῖς ἡ νηστεία, *quòd munimentum optimum, quòd armatura singularis contra tentationes sit Jejunium*; tam singularis, ut nunquam non proficiat. *Quòd si ad hoc interdum non proficiat, ut non tentemur, at ad hoc proculdubio proficiet,* inquit S. Chrysostomus, Opere imperfect. in Mat. *ut non vincamur.* Postremò, docere voluit hoc facto Jejunia etiam ad Evangelium pertinere; alioqui quis crederet voluisse Christum hoc præparatorio uti ad publicam Evangelii promulgationem, si cum Jejunio non consisteret Evangelium? Extremum hoc ideo advertendum putavi propter insulsos quosdam homunculos, qui Jejuniorum observationem ad Legalia relegant, atque inter eos ritus numerant qui sunt adventu Christi abrogati, & libertati Christianæ parùm consoni. Mirarer ædepol posse hujus farinæ quenquam inter nos reperiri, nisi quòd ejusmodi homines lego in ipsa Platonis Republica exstitisse. In libro octavo Plato conqueritur, perversos nescio quos juvenes eò audaciæ prorupisse, ut contra has virtutes linguas acuerent, & ejiciendas tanquam periculosas contenderent. Verba ejus hæc sunt, τὴν μὲν αἰδῶ ἠλιθιότητα ὀνομάζουσι, καὶ τὴν μετριότητα ἀγροικίαν, καὶ τὴν σωφροσύνην ἀνανδρίαν, *pudorem fatuitatem vocabant, moderationem rusticitatem, temperantiam ignaviam:* quasi tutò possint in vitiis & cupiditatibus volutare, si priùs virtutes hasce maledicentiâ suâ dehonestassent. Similiter & nostra ventris animalia, libertatis suæ, vel magìs luxuriæ, studiosa, nè virtutibus detrahere videantur, vitiorum nomina iis affingunt, & Jejunium *superstitionem*, Abstinentiam *servilitatem* vocant: & digni quidem sunt qui non impunè delirent. Verùm nolo mihimet ipsi ansam præripere eos in posterum fusiùs prosequendi; ad postremam disputationis partem ea dissertatio est referenda, cùm de Christi Jejunio agendum est ut facto regulativo & exemplari. Interea hoc sufficiat quod Antipater de septem sapientibus dixit, πάντας σωφροσύνης φύλακας, *fuisse eos omnes temperantiæ custodes:* itidem & nos de Sanctis omnibus, Fuerunt singuli abstinentiæ alumni, deditissimíque jejuniis; fuerunt Patriarchæ, fuerunt Prophetæ, Apostoli, Martyres; fuit ipse Christus & custos sedulus Jejunii, & institutor gloriosus, nec minùs gloriosus in hoc, quòd Dominus Abstinentiæ, quàm in illo, quod est & semper erat Dominus Plenitudinis. Quocirca non est quòd quenquam Christianum pudeat hujus Exercitii sub præcursore Christo, *cùm ipsum habeat*, ut S. August. loquitur, *authorem abstinentiæ suæ qui erit retributor laboris sui.* Absit ut illius nos unquam pigeat virtutis quam Salvator suo exemplo consecravit: dum prudentiâ eâdem ministerium suum & consummavit Sacramentali cœnâ, & inchoavit miraculoso Jejunio; ut ipsius usum ostenderet ad Evangelium pertinere. Hoc documentum ultimum, adeóque primi Capitis conclusio, quam partem historiæ Moralem appellavi, quia de opere Pietatis agit, *Cùm jejunasset.*

Plutar.

Ser. 6. de Jejun. Quadragesf.

De parte Miraculosa & Naturali proximo est agendum.

LECTIO XVII.

Quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit.

AD istius versiculi plenam perfectámque enucleationem labor unus non sufficit, quia non est una verborum facies aut habitus unicus, sed tribus, iísque diversis, formarum speciebus distinctus. Est enim in iis & aliquid Morale, & aliquid Miraculosum,& aliquid Naturale considerandum. Ad Moralia vox prima pertinet, *Cùm jejunasset*; est hoc opus Pietatis. Ad Miraculosa vox secunda, *quadraginta diebus & quadraginta noctibus*; est opus hoc Potentiæ. Ad Naturalia vox tertia & ultima, *Postea esuriit*; est hoc opus vel magis passio Infirmitatis. De parte Morali dictum est antè.

Proximum est ut ad illam quam diximus Miraculosam accedamus, in qua Jejunii continuatio describitur: idque & verbo diuturnitatis, *quadraginta diebus*; & verbo etiam redundantiæ, *quadraginta noctibus*. In illo est Designatio temporis, in hoc Supplementum. Ut utriusque clarior sit intelligentia, ad tres quæstiunculas rem totam revocabo, de Numero, de Supplemento,de Ipso miraculo. Quæ possit esse ratio quare ad quadragesimum diem jejunium suum Salvator produxerit; hæc prima. Quæ causa sit cur post *dierum* enumerationem factam, *noctium* quoque mentionem Evangelista subjunxerit; hæc secunda. Postrema, An hæc ad tam longinquum tempus Jejunii provectio sit propriè & simpliciter inter actus Christi miraculosos recensenda. Hæc disputationis Capita sunto.

Quæ ut distinctiùs percurram, à prima quæstione exordior, cujus duo sunt membra: An rationi sit consentaneum ut ad quadraginta dies, nec plures nec pauciores, Jejunium suum Christus extenderet; &, Quæ putanda est ratio. De priori membro dubitatio prorsus nulla est, fuisse omnia Christi & facta & instituta rationis sanctæ plenissima, non solùm quantum ad res ipsas, sed etiam quantum ad singulas circumstantias & locorum & personarum & temporum. Tametsi in dierum & annorum numero, quà numero, virtutis nihil aut momenti positum existimem quod ad ædificationem conducat: at hoc tamen oportet esse persuasissimum, nè ad numeros quidem ipsos absque summa & certa ratione Christum unquam respexisse; sive cùm duodenarium annum elegit, ad sapientiam suam inter Doctores demonstrandam; sive cùm trigesimum, pro signis faciendis fungendóque ministerio; sive cùm diem post resurrectionem quinquagesimum, ad Spiritûs Sancti publicam missionem; sive cùm quadragesimum hunc, ad totius consummationem Jejunii. Hoc Christus prudenter fecit & consultò, ut omnia; neque pietatis est de priori membro ambigere, Quòd ratione optimâ & intelligentiâ ductus est ut in hoc numero terminaret.

At verò de posteriori quæstionis membro non tam facilè constat, Quæ sit illa ratio quâ *περιηγημένως* ducebatur ut in hoc numero consisteret. De hoc

hoc non convenit inter Interpretes; dum alii ad Observationem Legis, alii ad Condecentiam personæ, alii ad Mysterium putant esse referendum.

Ad Legis Observationem Joan. Ferus & Did. Stella revocant: quia Lex cavebat Deut. 25.3. ut in plagis aut verberibus inferendis quadragenarium numerum non excederent; ergò Christus, ut pro peccatis nostris disertiùs satisfaceret, juxta præscriptionem Legis hoc præstare voluit debito & proportionabili dierum, quasi plagarum, numero. Neque ulteriùs decebat extendere Jejunium, dicente Fero, *nè nimiùm severè seipsum affligeret, & supra definitionem Legis*. Verùm hoc frivolum est, ingeniúmque magis redolens quàm judicium. Ut de fundamento cui innititur nihil dicam, quod sanè infirmum est ac debile: etenim posito quòd in esurie aut inedia pars afflictiva Jejunii consistat, ut ipsi non malè supponunt, at certissimum est hanc afflictionem Jejunii Christum non fuisse passum durante quadraginta dierum spatio, sed tantùm decurso; quia non intra illos esuriebat, sed post illos, ut S. Matthæus testatur. Hæc igitur ratio transeat, utpote quæ in se nil soliditatis habeat.

Videamus an illa altera sit melior quæ in Personæ Condecentia fundatur. Huc respexisse Christum Abulensis affirmat: *Quia Moses & Elias in suis jejuniis hunc numerum impleverant, idcirco & ipsum decebat eundem ad amussim servare, neque minuendo neque augendo. Non par erat ut diminueret, nè minor Mose & Elia videretur: Non par fuit ut augeret, nè ex hoc diabolus, dum Dei filium dignosceret, à tentandi proposito cessaret.* Hoc illud est in quo S. Chrysostomus & Theophylactus aliíque interpretes non pauci insistunt, *Noluisse eum hunc numerum transcendere, nè homo fictitius, & non verus, videretur, si illud fecerit quod nemo hominum fecerat: Nunc verò dum ad quadragenarium solùm progreditur, nihil est quod vero homini repugnat, quia Moses & Elias ad eam Jejunii longitudinem perveniebant.* Hæc illi, & fruantur per me suâ conjecturâ, præsertim cùm sit apud omnes in confesso, Eliam & Mosen in Jejuniis suis typicos Christi præcursores fuisse, tótque dies quasi per præludium jejunasse, ut humanitas Christi idoneum haberet testimonium. Ast verò quæ exinde colligunt, non video quam habeant consequentiam, Quòd minor videretur Mose & Elia Christus, si non complêsset hunc numerum quadragenarium; Quòd non verus homo putaretur, si eum excessisset. Harum deductionum sequela nulla est, quia non suscipiunt magis & minùs quæ sunt vera miracula; neque enim in operibus Omnipotentiæ gradus ulli reperiuntur: sicut non ob hoc minor Mose Christus esset putandus, si tantùm ad diem trigesimum; ità non ob hoc verus homo non esset putandus, si usque ad quinquagesimum diem jejunium perennasset; sed & in minori numero verus Deus, & in majori verus homo permansisset. Quapropter mittamus etiam & ista, & De ordine Rationum tertio videamus, An aliquod sit Mysterium in hujus numeri observatione: quia in hoc genere Patres & sæpe & multùm luxuriantur, & duplicem in hoc numero Perfectionem latitare contendunt.

Perfectio prima quam obtendunt est Scripturarum, quæ ex Lege & Evangelio constant, ex Novo & Veteri Testamento, & per consequens ex quadragenario, hoc est, ex quaternario in denarium ducto, sive ex decem præceptis Legis per quatuor Evangelistas confirmatis, unde numerus assurgit quadragesimus.

Secunda est Perfectio præsentis Vitæ; ejus autem figura, ut dicunt, est quadragenarius, sicut quinquagenarius futuræ. Hinc est quod illud adducunt de populo Israelitico, qui 40 annis in Eremo exercebatur antequam

quam ad terram Promissionis ascendere possent; *In hujus vitæ figuram*, inquit Ambrosius, *quæ priùs est transigenda quàm ad cœlum veniatur*. Hinc etiam & illud, quòd Christus quadraginta dierum spatio commoratus est in terris post Resurrectionem, *ut esset pignus*, dicente Augustino, in Ps. 94. *illius promissionis quam toti Ecclesiæ reliquerat, Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*; *quadragenarius enim numerus*, ut ille loquitur, *integritatem indicat seculorum, quæ nisi per hunc numerum non sunt perficienda*. Quod ad meipsum attinet, non valde me his subtilitatibus delectari perlibenter profiteor, quæ humanæ rationis argutiam magìs referunt quàm mentem Spiritûs Sancti. Atque Cajetani illud in Exod. 24. mihi multùm arridet, *Non esse curiosiùs quærendas rationes numeri in Divini miraculi operibus*. At nihilominus duæ sunt causæ quæ me mordicus tenent nè penitus in præsentiarum præterirem. Una est Communis & Universalis consensus Interpretum, tam veterum quàm recentiorum, sive Pontificios consulamus, sive nostros. Vix quisquam est inter tot diversissimi genii atque eruditionis viros qui latere in hoc numero aliquod mysterium diffitetur. Imò & S. Augustinus fidenter asserit, ex numerorum imperitia ortum esse ut in Scripturis Sacris multa hujus generis non intelligantur; *Neque est*, inquit, *ingenii ingenui qui non ad hoc movetur, ut sciat quid sibi velit quòd & Moses, & Elias, & ipse Dominus quadraginta diebus jejunaverunt*; *cujus actionis adeò figuratus est modus, ut sine hujus numeri consideratione solvi nequeat*. Causa altera est, quia non solùm in Vetere Testamento, sed etiam in Novo, solennis est hujus numeri usus & observatio; neque solùm in Jejunio Christi, sed & in aliis vitæ ejus partibus, sive ad Menses, sive ad Septimanas, sive ad Horas, sive ad Dies ipsos te verteris. Si ad Menses, quadraginta menses erant, ut Doctores antiqui perhibent, quibus se exercebat in prædicatione Evangelii: si ad Hebdomadas, quadraginta septimanæ erant quibus in utero Virginis portabatur: si ad Horarum minutias, quadraginta horæ erant quibus mortuus delituit, ab hora mortis ad horam resurrectionis computando: denique, si ad Dies, quadraginta dies exstiterunt quibus à nativitate in domo Bethleemitica detentus est antequam offerretur in templo; & quadraginta dies post resurrectionem antequam in cœlum ascenderet. Quæ omnia apertè demonstrant, honorabilem esse dierum numerum quem ipse Dominus tot solennitatibus honoravit. Quapropter ut hoc expediam paucis, utcunque hac in re difficile sit certi aliquid afferre, hoc tamen potest probabiliter confici, triplicem esse respectum quem Dominus noster habere poterat in hoc dierum numero seligendo, ad Præterita, ad Præsentia, & ad Futura.

l. 2. De Doctrina Christiana, c. 16

Ludolf. p. 1. c. 22.

Ad Præterita est respectus primus, quia quadragenarius est numerus Conformitatis, Divinus ille & mysticus numerus, quem ex Divina ordinatione Moses & Elias in suis Jejuniis absolverunt. Hoc igitur posito, quòd Legislator Moses & magnus ille Propheta Elias quasi numeratis ad calculum quadraginta diebus jejunarunt, magnopere expediebat ut totidem Christus absolveret: non solùm ad hoc, nè Mose & Elia inferior videretur, aut ad inferiora destinatus; sed ut demonstraret etiam se illum esse quem Lex & Prophetæ præfigurabant; illum etiam qui finem & complementum daret Legi & Prophetis; postremò, illum *qui non dissentiret*, ut S. Augustini verbis utar, *à Lege & Prophetis*, *neque ad hoc venisset ut ea solveret, sed ut adimpleret*. Hic respectus primus est, Ad Præterita.

Ep. 119. ad Januarium, c. 15.

Secundus respectus est ad Præsentia, quia, ut annotat Bucerus, & longè

ante

ante eum Hieronymus in Ezech. 29. *quadragenarius est numerus Afflictionis, pœna & pœnitentia & peccatorum expurgationi ex Scripturarum usu dicatus.* Neque exempla desunt quibus demonstretur; Diluvii vindicta monstrat, in quo quadraginta dies ac noctes pluebat super terram, cùm aquarum inundatione mundum purgare Deus voluit, Gen. 7. 12. Post hoc Deserti patientia, nam quadraginta annos filios Israel in deserto Deus detinuit, Exod. 16, 35. *nec antequam numeri mystici tempus explerent, terram promissionis intrare meruerunt*, ut Ambros. in Luc. 4. loquitur. Ad hæc, Ezechieli data injunctio, ut quadraginta dies in dextrum latus cubaret, quò portaret iniquitates domûs Judæ, Ezec. 4. 6. Porrò, ut hoc manifestius fiat, Afflictionis numerum quadragenarium fuisse, à Beda Venerabili in 1 Reg. 6. aliisque est annotatum, quòd *pars illa Templi qua Sancta appellabatur quadraginta cubitorum longitudinem habebat, ab Oriente ad Occidentem*, id est, ab ingressu ad Sanctuarium; *ut eo significaretur, per multas afflictiones patere nobis introitum in regnum Dei.* Ex his omnibus subapparet quadragenarium Pœnitentiæ & Afflictioni consecratum: vide igitur mysterium, atque hoc non uno ambitu comprehensum. Est mysterium in numero Physicè sumpto, quòd ad hos terminos Jejunium suum protelavit: qui Judæorum adeò misertus est quando per triduum solum absque cibo perseverassent, ut jejunos eos dimittere nollet, nè deficerent in via, Matth. 15. 32. ad diem usque quadragesimum abstinentiam suam provexit, longè ultra ipsius naturæ cancellos. Deinde, est mysterium in numero Metaphoricè sumpto, quà numero Pœnitentiæ. Tametsi in seipso non habuit Christus, nec in tota vita aut fecit aut dixit aut cogitavit quicquam, de quo pro se pœnitentiam ageret: at pro nobis voluit hunc pœnitentialem numerum adimplere, pro nobis hæc pœnitentiæ rudimenta & insignia expandere.

Respectus tertius est ad Futura, quia Quadragenarius sicut Afflictionis, ità Præparationis etiã numerus habebatur, ut abunde videre est in S. Literis. In Ninivitis id patet, quibus hunc dierum numerum indulsit Dominus, ut præpararent se contra impendentem ruinam, *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* In Elia patet, quem ad quadraginta dierum jejunium iter priùs Dominus vocavit quàm ad Divina colloquia & visionem sui admittere vellet. Patet etiam in servo Dei Mose, qui tot dierum jejunium sustinuit velut præludium ad Legem accipiendam. Quòd si hoc Mosi conveniebat, Christo multò magis, ut inceptum celebrius eâdem saltèm præparatione ornaret. Quòd esset inceptum celebrius nemo est qui nesciat, atque pulchre est à B. Maximo depictum, cujus ipsa verba non gravabor transcribere, ut huic primæ parti coronidis loco esse possunt. Habentur in Conc. 3. de Jejunio Quadragesimæ. *Jejunavit Moses*, inquit, *& jejunavit Christus, quadraginta dies Moses, quadraginta & Christus: Moses, ut præceptis legalibus unius populi erudiret disciplinam; Christus, ut universas totius mundi redimeret gentes: Moses, ut præsentis vita mandata susciperet; Christus, ut aterna salutis sacramenta constitueret: Moses, ut Deum videret; Christus, ut unum se esse cum Deo, dum diabolum triumphat, ostenderet. Ergò illud perspicite, si Veteris editor Legis ad hoc esset opus quadragenariâ preparatione consecrandus, Novi conditorem Testamenti multò magis decebat: quia Moses post Jejunium scriptas Dei digito tabulas populo prævaricante confregit; Christus suo Jejunio mansurum per secula Evangelium consecravit.* Hic respectus est tertius, ad Futura, nimirum ad opus Ministerii, & Evangelii promulgationem.

Quæ quidem singula delitescere posse in hoc numero faciliùs adducor ut credam

credam, quia tam frequens est hujus numeri usus in Sacris Scripturis quoties de mysteriis agitur; & vix potest fortuitò fieri quod tam sæpe fit; neque vulgare putandum est quod tam multis instantiis fidei nostræ concreditur. Quòd si quis sit qui his habeat quæ afferat certiora, non modò non respuo, sed amplector. Interea & hæc expendisse fortasse suo fructu non carebit, si in duobus illis, usquedum meliora calleat, conquiescat animus; Quòd & ex Necessitate credendum est fuisse quadragenarii seligendi causas legitimas, & ex Probabilitate causas istas, aut earum aliquas, quas modò enumeravi. De prima quæstione hactenus sit satis dictum.

Ad Secundam nunc vertendus est calamus, quam de sententiæ Supplemento proposui, Quæ causa sit cur post *dierum* enumerationem factam *noctium* quoque mentionem noster Evangelista intulerit; quod tamen est à S. Luca prætermissum, qui *dierum* tantùm meminit, absque ulla *noctium* commemoratione. Non quòd diversa loquantur, qui eundem afflatum habuerunt; eodem afflatu Divino *noctium* mentionem S. Lucas omisit quo eam S. Matthæus interposuit, quia idem est dicere *quadraginta dies & noctes* ac *quadraginta integros dies:* ut nihil est minus in illis verbis S. Lucæ, ità nihil majus in his S. Matthæi. Quapropter ut quæstioni huic satisfaciam, utriusque Evangelistæ locutio est examinanda; ut utrinque discernere valeamus, & illinc cur S. Lucas prætermiserit, & hinc cur S. Matthæus apposuerit hanc *Noctium* mentionem.

Prætermissionis ratio est primùm introspicienda, ut videamus Cur *noctes* S. Lucas non commemoravit. Ejus duplex potest esse causa, Mystica & Grammaticalis.

Mystica ratio hæc est, De noctibus eum nihil dixisse, quia præsumendum est noctis nihil intervenisse in toto illo temporis spatio. Obsecro, quæ potest esse noctis caligo, ubi Sol justitiæ devotionis radios diffundit? aut quis tenebrarum interjectus impedire eum poterat qui faciem Dei videbat, qui in Dei contemplatione versabatur? Enimvero si concedatur successisse diebus noctes, at hoc est indubitatum, non sensisse aliquas tenebras Christum quæ pietatis exercitiis impedimento essent; quia ipsi tenebræ non sunt tenebræ, sed nox sicut dies illuminatur, ut Psalmista loquitur. Hæc ratio Mystica, Propter hoc non meminisse *noctium* S. Lucam, ut noctis exterminium significaret: hæc, inquam, ratio Mystica.

Grammaticalis sequitur, quæ magìs est nativa, atque illa à linguæ proprietate depromitur; est enim hæc loquendi formula Hebrææ linguæ propria, ut sine noctis commemoratione dierum numerus significetur, quia nox est pars diei, ut omnes norunt. Neque ab hoc loquendi usu linguæ cæteræ abhorrent; ut *vixisse aliquem* dicant *dies triginta*, aut *imperia gessisse dies centum;* noctes in diebus complectendo. Loquendi ratio à computationis modo originem traxit, qui licèt diversus sit apud diversos populos, at omnibus tamen in more positum erat viginti quatuor horarum spatio dierum terminos constituere. Accipitote brevì; Est dies alius quem *Artificialem* vocant, alius quem *Naturalem*, alius quem *Civilem*. Artificialis dies significat tempus duodecim horarum quo in nostro Sol splendet Hemisphærio, unde & dies hemisphærialis à nonnullis dicitur. De illo Christus loquitur, Joan. 11. 9. *Nonne duodecim sunt horæ diei?* Naturalis dies spacium denotat viginti quatuor horarum, quo Sol Primi Mobilis impetu raptus suum peragit cursum, fertúrque circa terram; totus circuitus Solis ab Oriente ad Occidentem efficit diem naturalem. Dies Civilis viginti quatuor horarum ambitum similiter continet, sed diversimodè

modè initium finémque sortitur, secundum varios Gentium mores & consuetudines. Ægyptii à media nocte ad aliam mediam noctem diem suum computabant, ut Plinius & Macrobius advertunt; Umbri contrà, à meridie in meridiem: Babylonii inter duos Solis exortus diem suum observarunt, hoc est, ab uno ortu usque ad alium ortum; Athenienses contrà, suum inter duos occasus statuebant, i. e. à Sole occidente ad Solem denuo occidentem; quæ consuetudo etiam apud Judæos invaluit, qui spatium inter vesperam & vesperam diem integrum appellitabant. Ad hanc normam si verba S. Lucæ exigantur, constabit illico, & discrepantiam quæ prætenditur nullam esse, & locutionis hujus causam esse justissimam, & cum coevangelista Matthæo convenientiam ipsius tantam esse ut planè idem loquatur. Quòd si ad dies artificiales sermo ejus detorqueatur, discrimen magnum inter eos intercederet; imò ex eo possibilitas aliqua sequeretur intercisi & dimidiati jejunii, si exceptis noctibus dies quadraginta capiantur: quod perquam absurdum est vel semel de hoc Salvatoris solenni Jejunio cogitare, cùm nil sit magni in longissima hujus generis abstinentia. Propter hoc ad dies Naturales & Civiles est recurrendum; de his diligentissimus historiæ scriptor Lucas loquitur, in diebus noctes comprehendens: Sic nulla est in sententiis diversitas, apponendo, vel auferendo noctium mentionem; quia & ex usu loquendi Hebræis familiari, & ex significatione vocis, vel naturali vel civili, non majus quid est si dicas *quadraginta diebus & quadraginta noctibus*, quàm si solùm *quadraginta diebus*. In comperto est ratio, quia locutiones sunt synonymæ & æquipollentes: utcunque una sit magìs plena, quæ noctes assumit, altera magis propria, quæ dies solos exponit; attamen ambæ eodèm recidunt, quia simplex Diei nomen utrumque complectitur. Est ea Diei super Noctem præstantia, ut per prærogativam quandam diei & noctis tempora *Diei* appellatione Scriptura Sacra concludat, efficítque ut pars principalior totius retineat & definitionem & æquivalentiam. Hæc æquivalentia eò studiosiùs est observanda, quia plurimum lucis affert aliorum locorum interpretationibus, qui eruditissimos etiam viros torquere solent quia huic locutionum æquivalentiæ non attendunt. Ejusmodi est illud Estheræ 4. 16. sunt verba reginæ ad Mardochæum, *Jejunate pro me, & non comedatis neque bibatis tribus diebus & tribus noctibus, & ego cum ancillis meis similiter jejunabo:* nisi ad has loquendi æquivalentias respectus sit, nemo est qui posset intelligere, quomodo verum sit quòd tribus diebus & tribus noctibus jejunaverint; est enim manifestum, c. 5. vers. 1. quòd tamdiu non jejunârunt, quia dicitur, *Et die tertio profecta est Esther ad regem.* Si ad regem adiit die tertio, non ergò tres dies & tres noctes duravit jejunium: duravit tantùm unum diem plenum, & duos non plenos, qui & per synecdochen *tres dies* vocantur, & per loquendi æquivalentiam hâc formulâ exprimuntur, *Tribus diebus & tribus noctibus*; cùm planè idem sit *tribus diebus & tribus noctibus* quod solùm *tribus diebus*. Huic consimilis est locus alter, qui habetur Matth. 12. 40. *Sicut Jonas fuit tres dies & tres noctes in ventre ceti, ità erit Filius hominis tres dies & tres noctes in corde terræ:* nisi æquivalentiæ ratio habeatur, veritas nunquam constabit, tres dies ac tres noctes jacuisse in sepulchro Christum, quia certissimum est sepultum fuisse feriâ sextâ, quæ nobis est Dies Veneris, resurrexisse autem feriâ primâ, quæ nobis est Dies Dominica. Est quidem aliquid quod vetusti authores dicunt, Augustinus, Hieronymus, Theophylactus, Beda, *locutionem esse synecdochicam, quâ pro toto pars ponitur:* verùm hoc non sufficit, quia certissimum est, neque tres integras noctes, neque partem trium noctium Christum in sepulchro mansisse, sed duas integras noctes & partem trium dierum. Quòd hoc non

Plin. l. 2. c. 77. Macrob. l. 1. c. 3. Gell. l. 3. c. 2.

Ambr. Hexam. l. 1. c. 9.

Aug. Ep. 49. q. 6. Hier. in Matth. 12. & in Jonæ 2.

non intellexerunt Veteres, causa erat, quia à diebus noctes disjungebant, quæ cum illis necessariò sunt conjungendæ. Quòd enim distinctè *dies* & *noctes* nominentur, non ideo factum ut tres integri dies & tres integræ noctes, sed ut tres naturales dies significentur: tunc positis tribus diebus naturalibus, Synecdoche intervenit, quâ tribus diebus factum dicitur quod partem aliquam habuit trium dierum, partem scil. sextæ feriæ, totum Sabbatum, & partem primæ feriæ.

De hoc præ manibus loco est idem dicendum, quantumlibèt nulla sit in verbis Synecdoche, quia de quadraginta & integris diebus & integris noctibus sermo habetur. At verò ad æquivalentiam necessariò est recurrendum, & sic quidem nulla est inter Matthæum & Lucam discrepantia, quia alter dies & noctes Artificiales numerat, alter dies Naturales; neque plus est in illius verbo duplicato quàm in hujus simplici. Hæc de ratione Prætermissionis apud S. Lucam.

Est etiam aliquid dicendum de ratione Appositionis apud S. Matthæum, Qua tandem de causa mentionem *noctium* interposuit. Opinor, duabus de causis hoc ipsum fecisse, Ut esset nota Distinctionis, & Ut esset nota Eminentiæ.

Ad Eminentiam facti ratio prima refertur. *Noctibus* dicitur, ut ex hoc ipso vocabulo Excellentia facti magìs enitesceret; ut vigilâsse eum sentiamus non minùs quàm jejunâsse; nec solùm impransos dies, sed insomnes noctes, repetitis jugiter lacrymis precibúsque, traxisse. Ecquid est quod magìs exornet aut efferat hoc Divinum facinus, quàm ut tot, non diebus solis, sed noctibus in Orationibus & Divinis colloquiis, absque cibo, absque somno, persisteret? Aut hoc est, aut nullum est perfectæ virtutis specimen. De Socrate refert Gellius, l. 2. c. 1. quòd *solebat* aliquando *stare pertinaci statu perdius atque pernox*, ἐξ ἡλίου εἰς ἥλιον, *à summo lucis ortu ad Solem alterum orientem, inconnivens, immobilis, iisdem in vestigiis, & ore atque oculis eundem in locum directis, cogitabundus, tanquam secessu quodam animi facto à corpore.* Et de S. Dorotheo Cassianus jun. testatur, *eum usque adeò in vigilando profecisse, ut diabolo ad somnum tentanti responderit, Si persuadebis somnum Angelis, persuadebis & mihi.* Immensa sunt hæc, & memoratu dignissima: at quàm pusilla cum Christi constantia & vigilantia si conferantur, qui simul & absque cessatione & absque tædio tam longas temporum moras perenni oratione adimpleverit, ut dictu difficile sit, propiórne vitæ angelicæ fuerit in Excubiis an in Jejuniis, in Somni an in Cibi abstinentia. Hæc ratio prima, *Noctibus* dicitur, ut ad facti Excellentiam contemplandam ducamur.

Sim. Cass. l. 4. c. 4.

Ad Distinctionem ratio secunda pertinet. *Noctibus* dicitur, ut hoc vocabulo secerni possit Jejunium Christi à Jejuniis Judæorum, qui in vespera ac nocte cibum sumere solebant, postquam toto die abstinuissent. Communis est omnium Interpretum responsio, & Scripturarum etiam suffragium non deest, fuisse hanc Judæorum consuetudinem: *Jejunaverunt usque ad vesperam, Nil comederunt usque ad vesperam*, sunt usitatæ formulæ quibus Jejuniorum diuturnitas exprimitur, Jud. 20. 26. 1 Sam. 14. 24. 2 Sam. 1. 12. Neq; potest aliàs Historiæ Sacræ veritas consistere, cùm septem dierum jejunium Galeaditarum, 1 Chron. 10. 12. & trium hebdomadum Danielis meminit, c. 10. vers. 2. nisi ad jejunii continuationem intermissio vespertina supponatur. Fuit igitur hæc consuetudo Judæorum. Non autem sic Christus, impastus omnino in deserto manebat, totúmque quadragenarium trahebat continuatâ & perpeti abstinentiâ; refectio nulla cibi interveniebat, jejunii nulla abruptio. Ideóque nè quis Hebræorum more noctibus eum comedisse

medisse existimaret, mentionem *noctium* S. Matthæus subjungit, velut appendiculam. Alioqui, si diem jejuniis, noctem cibo somnóq; segregasset, non tam pietatis opus dicendum esset quàm artis & simulationis; sicut si partem aliquam vel rei vel temporis Deo consecrati furtim nobis ipsis arripiamus. De Æsopo legimus, (& sannione dignum erat) quòd cùm Mercurio dimidium ex nucibus promisisset, nucleos ipse comedebat, & Mercurio reliquit putamina. Pariter & de Agnone duce apud Polyænum l. 6. quòd cùm trium dierum inducias cum barbaris fecisset, eâ conditione ut intra dies illos munimenta nulla exstruerentur; Agnon ad Lunæ lucem suos milites laborare imperabat, intermissâ diurnâ operâ, atque tribus noctibus munitionem magnam perfecit: cúmque post triduum Barbari reversi, conspecto muro, Agnonem violati fœderis accusarunt, respondit Agnon, Se injuriam nullam fecisse, convenisse enim inter ipsos de tribus diebus, se verò tribus noctibus murum erexisse. Hoc modo hostes suos verbi ambiguitate ludebat, ad dies Artificiales trahendo quod illi de Naturalibus acceperunt. Sic solent homines impii & sacrilegi in suis & Votis & Jejuniis nuncupandis; pro nucibus, si putamina, pro pecude, si ossa solvant, abunde satis est, atque pulchre se egisse putant, si quicquam Deo suppilaverint. Sit ex composito dies unus aut alter Jejunio dicatus, mirum nisi in luxuria & comessationibus absumant noctes; quò saltem ex sua abstinentia hanc utilitatem hauriant, ut sit novarum deliciarum origo, & intermissi peccati conduplicatio. O quàm absimilis Capiti membrorum temperies! Non hæc à Christi exemplo documenta accepimus, is noctium pietatem diebus eâdem numeri paritate consociavit: neque hoc propter seipsum solum, sed in nostram gratiam, ut nos doceret, non ad somnum solum noctem factam esse, sed ad contemplationem; ut nobis ostenderet, nihil prodesse Jejunia, nisi portarum cordis janitor custósque sit Vigilantia, quæ in ipsis tenebris ad Divinas Theophanias nos ducit, quas sopita anima sentire non potest: postremò, ut nobis significaret, semper & ubique Deo serviendum esse, etiam in seculi tenebris, cùm suum stellæ retrahunt splendorem; etiam in noctis tenebris, quando hominum nemo videt; etiam in nocte tribulationis, quando deficiunt solatia serviendi. Hæc sunt quæ & Christus suo exemplo, & Evangelista suo calamo docere voluit, cùm Noctium commemorationem diebus attexit, nè interdiu quidem jejunasse, noctu verò solvisse Jejunium, homines delicati objicerent. En quàm opportunè eos S. Matthæus hoc auctario præoccupat, dum adjungit, *quadraginta diebus & quadraginta noctibus*. Hæc de secunda quæstione dixisse sufficiat, Cur post Dierum mentionem etiam Noctium mentio succedat.

Sola nunc superest tertia, de totius rei Magnitudine, An hæc ad tam longa spatia Jejunii extensio sit propriè & simpliciter inter actus Christi miraculosos recensenda; hoc est, An possibile sit ut naturaliter & absque miraculo ad hos usque terminos Jejunium perpetuetur. In hac quæstione pertractanda, quia veritatis via æqua esse non potest si sit Objectionum scrupulis implicata, idcirco hunc ordinem constituo progrediendi, per ipsas Objectiones aditum facere ad brevem & succinctam definitionem quæstionis. Objectiones duæ sunt quæ occurrunt; una ex verbis Evangelii emergit, altera ex natura miraculi.

Ex Evangelio prima est, videlicet ex Evangelio S. Joannis, ubi conversio aquæ in vinum velut primum Christi miraculum recognoscitur, Joan. 2. 11. *Hoc initium signorum fecit Jesus in Cana Galilaea, & manifestavit gloriam suam*. Ex istis verbis hæc deducitur Consequentia, Si aquæ in vinum conversio esset primum miraculum, hoc alterum quod antecessit in miraculorum numerum recensendum non est. Non recèns nata est Objectio, sed ab hære-

ticis olim excitata, nimirum ab Alogis, sic dictis, quia Christum λόγον, hoc est, *Verbum*, denegabant. Objectabant contra Joannem Alogi, falsò illum dixisse, Conversionem aquæ in vinum primum miraculum, quia ante illud recensentur alia; stupenda in Templo responsa cùm duodennis esset; quadragenarium hoc in Deserto Jejunium, cùm ætas jam adoleverat, & alia non pauca. Ut hæc inter se concilientur, non eâdem viâ proficiscuntur Interpretes: nam Epiphanius, Chrysostomus & Theophylactus, conversionem aquæ simpliciter primum fuisse contendunt; alii non simpliciter primum tempore, sed primum loco, primum in Cana; vel, quod propiùs abest à vero, primum in præsentia Discipulorum; vel, quod idem sonat, primum post publicum ministerium, póstque inceptam Evangelii promulgationem. Quæ omnia si pensitemus, ex utroque evincunt, & illam aquæ conversionem fuisse suo modo primum, & reliqua etiam fuisse vera miracula. At ego tamen à textu ipso sumendum potiùs responsum existimarem, quia non *primum miraculum* conversio aquæ dicitur, sed *primum signum*, ταύτην τὴν ἀρχὴν τῶν σημείων, *hoc initium signorum fecit Christus*. Inter hæc manifesta est differentia; quia etsi omne Signum in hoc sensu sit Miraculum, at omne Miraculum non est Signum: nam Miraculum est opus, vel operatio insolita, simpliciter supra potestatem naturæ, sive ab aliis cognoscatur, sive nequaquam; at Signum ejusmodi miraculum est quod ad alios respectum & ordinem habuit, ut eo manuducerentur in cognitionem Salvatoris. Ergò fine & respectu differunt: nam Miraculum est ipsum opus, Signum est quatenus refertur ad obtestationem veritatis; vel, ut Aquinas optimè, 2. 2ae, q. 178. art. 1. ad 3. *Miracula dicuntur, quia sunt supra naturam, Signa verò, quia manifestant aliquid supernaturale*. Hoc fundamento posito, facilis est conciliatio, duabus istis Propositionibus comprehensa.

Epiphan. in Hær. 51.

Propositio prima est, Quòd loquendo strictim & specialiter, Conversio aquæ in vinum simpliciter fuit primum Signum à Salvatore factum in conspectu populi ad manifestationem potestatis ordinatum; & secundùm hoc intelligendi sunt Patres, cùm simpliciter primum fuisse miraculum contendunt. Sic illud Epiphanii, Hær. 51. οὐδὲν τῶν θεοσημείων πρὸ τοῦ πειρασμοῦ εἰργάσατο, *Divinum nullum signum ante tentationem operatus est*; & illud Chrysostomi, Hom. 2. in Joan. οὐδὲν τῶν σημείων πρὸ τοῦ βαπτίσματος ἐθαυματούργησε, *Ante baptisma signum nullum miraculosum fecit*. Hoc sensu *primum signum* Hieronymus vocat, Ep. 83. ad Oceanum; & *prima rudimenta potestatis suæ*, cap. 9. De Baptismo Tertullianus; & in Paraphrasi sua Nonnus, πρωτοφανὲς θαῦμα, *primum apparens miraculum*, quia primum omnium erat quo inter homines potentiam suam significavit. Hæc Propositio prima.

Secunda est, Quòd loquendo generaliter & fusè, Conversio aquæ in vinum non fuit simpliciter primum miraculum, quia alia erant æquè magna & miraculosa quæ præcesserunt. Disputatio ejus in templo miraculosa fuit, & spectatores in stuporem vertebat; sed adhuc non erat signum quo Filius Dei ostenderetur: *miraculum intelligibile fuit magìs quàm sensibile*, ut Scholastici loquuntur. Descensus columbæ in Baptismo res miraculosa fuit, & signum etiam Deitatis ejus; sed non manifestum erat quod per illum factum esset, verùm pro illo, & super illum declaratum. Rursus & quadragenarium Jejunium miraculum fuit, sed signum non fuit, aut saltem nondum signum, quia nondum cognitum; non signum visibile, quia neminem habuit spectatorem; non fuit exhibitum populo; quia in deserto sine arbitris illud sustinuit: signum non erat, quia ignorante populo gestum est; miraculum erat, quia præter solitum & supra naturæ vires sublatum. Hæc quæstionis origo generalis, & primæ objectionis satisfactio.

Objectio

Objectio secunda à miraculorum natura & proprietatibus desumitur, quæ parùm videntur huic operi convenire. Est enim Miraculum, ex usu Scholæ Christianæ, omne opus quod totius naturæ facultatem excedit, quódque fit præter solitum & communem cursum rerum: adeóque tria sunt quæ ad naturam miraculi requiruntur; Ut sit supra facultatem naturæ, quod ad rem ipsam & substantiam facti; Ut sit inscrutabile, quod ad modum & ordinem faciendi; & Ut sit præter solitum, quod ad rerum consuetudinem; quod enim usitatum est, licèt sit supra naturam, miraculum non vocatur, ut creatio animarum, insusio gratiæ, & ejusmodi.

Aqu. 1. q. 105. ar. 7. & 1ª. 2ª, q. 113. ar. 10.

Aug. Trin. 3. 6.

His tribus proprietatibus sic positis, duæ sunt ex istis ad quas hæc quadragesimalis abstinentia non videtur pertinere: non videtur, inquam, dicendum aut quid supra naturam esse, aut quid præter solitum; quia & idem sæpe factum legimus, & simile quotidie fieri videmus, idque virtute naturali, sive de hominibus loquamur, sive de aliis animalibus. Simile est illud quod de Serpente Hieronymus refert, quòd cum præ senectute aspectum perdit, quadraginta diebus jejunat, atque hoc modo deperditum reparat, & visum rursus consequitur. Etiam & istud quid simile videtur, quod l. 8. Hist. Animal. c. 17. de Ursa scribit Aristoteles, quòd ad minimum circiter dies quadraginta brumali tempore lateat sine cibo: ut nihil dicam de gliribus, qui per totam hyemem sine pabulo in speluncis delitescunt. Rursus, si de hominibus loquamur, vix quisquam est historicorum qui non exempla suppeditet eorum qui absque omni alimento diutissimè vixerunt. In lib. 8. Diogenes Laertius de Pythagora narrat, eum in delubrum Musarum quod Metaponti est confugisse, ibíque cùm quadraginta dies absque cibo perstitisset, defecisse. Pariter & de se S. Augustinus testatur, vidisse se quendam per dies quadraginta ab omni ciborum genere abstinentem. Simile est illud quod de Catharina Senensi Ludovicus Granatensis, eam à die cinerum usque in Pentecosten jejunium produxisse, pane nullo assumpto, nisi Eucharistico. Etiam & illud quod in l. 7. De Animalibus, Tract. 3. cap. 3. Albertus Magnus fidenter asserit, vidisse se Coloniæ mulierem quæ dies viginti, & sæpe triginta, sine cibo remansit. Huc accedit quod Athenæus, l. 2. Timonis amitam dicit bimestre tempus absque cibo traducere solitam; quódque Poggius Florentinus, ipse testis oculatus, de Gallo quodam narrat, qui post susceptam Hierosolymitanam peregrinationem Romam reversus, per integrum biennium sine cibo & potu vitam traduxit. De Nicolao Eremita quid dicam? quem supra viginti annos in solitudine sine cibo & potu vixisse Stumfio Wolfius scribit, Memorabilium lib. 1. cent. 15. Quid de Joanne Scoto? quem aliquando triginta, aliquando quinquaginta dies integros victu abstinuisse, in rerum Scoticarum historia Buchananus tradit. Mitto authores cæteros, Giraldum, Fulgosum, Quercetanum aliósque, qui de abstinentiis ad biennium, ad triennium, ad novennium, ad decennium productis exempla proferunt. Quæ si sint vera, deficere videtur omnis miraculi ratio in hoc Salvatoris jejunio, quia quotidianum esse liquet, & in naturæ viribus positum.

August. Ep. ad Casulanum.

Nancelius de analogia microcosm. & macrocosm. l. 5. c. 4.

Veruntamen non est quòd de istis multùm simus solliciti, neque enim sunt impedimento quò minùs hoc Salvatoris Jejunium sit inter ipsius miracula reputandum. Nam primò, sunt valde ambiguæ fidei pleræque recitatæ historiæ, & ad admirationem magis confictæ quàm conscriptæ ad rei veritatem. Secundò, si hoc concedatur, ea omnia exploratæ veritatis fore, at non sunt ejusdem generis singula. Sunt enim nonnulla quæ ex mediis naturalibus ortum ducunt, ut sunt illorum exempla quæ aliquo cibo usi sunt, sed perpusillo; & ursarum atque glirium, qui pituitâ suâ velut ali-

mento nutriuntur; cui & illud simile est quòd de Astomis, Indiæ populo, Plinius, l.7. c.3. refert, eos halitu solo & odoribus nutriri. De his omnino concludi non potest, absolutè absque omni nutrimento vitam prorogari; quia etsi non recipiunt nutrimentum ordinarium & manifestum, quod per os transmittitur, at nutritionem habent occultam & quodammodo extraordinariam, vel ex vaporum densiorum succo qui istis corporibus congruunt, vel ex humoribus pituitosis internis, qui vicem alimenti implere possunt, etsi foras non assumatur. Rursus, sunt alia ex supradictis quæ à Divino adjutorio pendere videantur, & à supernaturali principio manasse: de his non libitum est contendere, & nunc temporis posse fieri, & fortasse aliquando facta esse, ad Dei gloriam & honorem abstinentiæ, ejusmodi aliqua spatia jejunitatis solito diuturniora. At si hoc ponatur in concessis, fuisse centum, fuisse mille in orbe Christiano à Christi temporibus istiusmodi jejuniorum exempla, Jejunio Christi non detrahunt, quò minùs inter miracula censeatur; quia & istud mille angustum est ad universam hominum multitudinem, neque efficit ut ob hoc existimetur Jejunium ejus non esse præter consuetudinem, si in omni seculo unus aut alter eò pervenerunt. Non est inter Rarum & Solitum tam infensa repugnantia, ut se invicem semper destruant: imò verò si semper & ubique desinat esse rarum quod est sæpius repetitum, vix ullum erit opus Christi pro magno ducendum, quia nullum est cui non dedit multoties ingeminatas repetitiones; ejectio dæmonum, suscitatio mortuorum, cæcorum illuminatio, reliqua, & raritatem suam habuerunt & copiam: à rerum novitate & insolentia raritatem, quia nunquam sic factum; à Christi bonitate copiam, quia fecit ut & per se & per Apostolos sæpius fierent.

Quocirca ut jam tandem hæc omnia quæ sunt fusiùs & eminus dicta in arctissimum contrahamus, recurramus iterum ad Proprietates illas quas suprà monui necessarias esse ad naturam & definitionem Miraculi statuendam; atque sic manifestò patebit, hoc Christi Jejunium etiam in culmine miraculorum esse collocandum.

Proprietas prima est de Re ipsa; Miraculum non est, nisi naturæ facultatem excedat quoad substantiam facti. In Christi jejunium hoc maximè quadrat, certissimum enim est, fuisse opus supra omnem naturæ humanæ potentiam; neque naturali, sed Divinâ & supernaturali virtute factum. Naturaliter corpus absque cibo servari non potest: ratio est, quia ex partium deperditarum reparatione vitæ duratio dependet, restauratio ex cibi pabulique supplemento; subtracto aut depasto hoc pabulo, statim spiritus resolvuntur, robur languescit, vires deficiunt, dum propter defectum exterioris digestibilis calor naturalis in humiditates naturales operatur, eásque consumit. Hinc est quòd Medici statuant, ultra hunc vel illum terminum vitam sine alimento durare non posse; non ultra quartum diem, ut nonnulli existimant; non ultra septimum, ut alii: verùm ultra undecimum ut perpetuari possit, nemo est, ut opinor, qui profitebitur. Gellii est sententia, lib. 10. c. 24. pro qua adducit veterem illum versum Pomponiani ex Mævia,

Dies hic sextus est quum nihil egi, die quarti moriar fame.

Veteres quarti & quinti dixerunt pro quarto & quinto.

Atque de sanis & biliosis corporibus, quæ calidum habent ventriculum, verum est, ea ultra diem quartum sine cibo non posse consistere. De die septimo Hippocrates & Macrobius contendunt: ille in Somnio, lib. 1. c. 6. Hoc *observatum est*, inquit Macrobius, *quòd sine haustu spiritûs ultra horas septem, & sine cibo ultra dies septem vita non durat:* hic non uno in loco; *Longiorem*, inquit Hippocrates, *inediam quàm septidui perferre homo nequit.*

quit. Postremò, de die undecimo Plinii est definitio, lib. 11. c. ult. *ad hanc metam pervenire paucos, imò verò nullos, nisi habeant aut corpora pituitosa & melancholica, in quibus & calor est remissior & pituita crassior ac glutinosior; aut corpora morbosa & ægra, in quibus & pituitæ est redundantia, & calor naturalis valde debilis, qui nec tantum potest absumere quantum calor integer, neque tam valde agere in humidum nativum aut partes corporis, quia circa humidum adventitium & morbi materiam est occupatus.*

Hæc summa est, Si ultra naturæ cursum & humanarum virium potentiam sit, sine omni alimento vivere ultra diem undecimum aut duodecimum; sequitur ut sit opus stupendum & admirabile, & in potestate Divina fundatum, quòd Christus sanus salvúsque mansit usque ad quadragesimum. Hæc prima proprietas, de Re ipsa; Opus fuit supra leges naturæ quod ad substantiam facti, nimirum opus Divinæ potestatis.

Proprietas secunda est de Modo; Miraculum non est, nisi inscrutabile sit & inexquiribile quod ad Modum & ordinem faciendi. Ratio est, Quia supernaturalia ut sunt supra posse nostrum, ità sunt etiam supra captum nostrum, ut ipsorum vestigia indagare non valeamus. Et hæc proprietas Jejunio Christi convenit, quia nemo est qui modum possit investigare quo suum corpus servavit dum hoc miraculum fecit. Conjicere possumus, non consequi. Potuit Deus humidum naturale corpori insitum conservare, aut multiplicare, ut esset sufficiens pabulum calori per 40 dies, sicut multiplicavit materiam quinque panum & duorum piscium, ut esset tot hominum sufficiens alimentum: annon est hoc miraculosum? Potuit ut Deus suspendere actionem caloris naturalis depascentis humorem radicalem, nè ipsum consumeret, sicut in fornace cohibuit ignis vim, nè servos suos ureret: annon hoc etiam miraculosum? Potuit (quia omnis creatura est ad Deum in potentia obedientiali) suspendere mutationem naturalem in cibo, & facere ut tot diebus illæsus permaneret. Hæc Alberti Magni est opinio, *Habuisse Christum per totum hoc tempus vires inferiores adeò abstractas, ut nec digestiva digesserit, nec attractiva attraxerit, nec divisiva diviserit, nec consumptiva consumpserit, nec expulsiva expulerit, sed in statu uno & eodem remanserit.* Potuit denique vim aliquam occultam cibo quem nuperrimè manducaverat communicare; sic enim legimus quòd in Eliæ gratiam hoc Deus fecit, 1 Reg. 19. 8. *Cùm comedisset ac bibisset, ambulavit in fortitudine illius cibi quadraginta dies & quadraginta noctes.* Quæ verba vel possunt intelligi Negativè, *ambulavit in virtute illius cibi*, hoc est, non eguit alio cibo in illis quadraginta diebus; vel Positivè, *ambulavit in virtute illius cibi*, i. e. duravit virtus illius cibi per totum quadragenarium spatium; non quòd virtus illa erat in cibo, sed in Deo, qui conservavit nè deficeret, & virtutem eam cibo indidit ut vegetare possit corpus usque ad destinatum terminum. Annon hoc miraculosum? cùm juxta ordinem quotidianus panis septem horarum spatio consumitur, tantam nutrimenti vim uni pani & uni refectioni Christus impertit, quantam natura quadraginta panibus contulisset. Potuit igitur hoc modo corpus suum Christus servare, potuit & illis alteris quos jam recensui, potuit & mille aliis modis nobis incognitis: incertum est nobis quonam istorum modorum id factum fuerit, aut quo fortasse alio. At hoc pro certo constat, ab immensa & infinita Dei virtute fluxisse, quocunque modo fecit. Hæc Proprietas est secunda, de Modo; Opus fuit nobis & incognitum & incognoscibile quod ad ordinem faciendi.

Tertia est de Temporum consuetudine; Miraculum non est, nisi sit inusitatum & præter solitum; nam quæ sunt maxima, si sunt quotidiana, Miracula

racula non appellantur. Et hæc proprietas Jejunio Christi respondet, quia tres tantùm Scriptura numerat qui hoc privilegio gaudebant, Mosen, Eliam, Christum. Quod Joannes Ferus de Daniele pronuntiat, *eum quartum fuisse in hujus prærogativæ societatem assumptum*; infirmum est & volaticum, nullóque fundamento nixum, nec quantum ad temporis mensuram, nec quantum ad modum abstinentiæ. Non quantum ad tempus, quia illud Danielis jejunium non tribus septimanis diuturnius erat, hoc est, non ultra dies viginti & unum: non quantum ad abstinentiam, quia Mosis, & Eliæ, & demum Christi, perfectum jejunium erat & integrum ab omni cibo; Danielis abruptum & intercisum, non prorsus ab omni cibo, sed à cibo delicatiori, à carne & vino; non simpliciter ab omni pane, sed à pane desiderabili; *qui edenti non tantùm robur præbet, sed voluptatem*, ut Hieronymus explicat. Manifestum est, inquam, Danielem in hanc prærogativam non ascendisse. Tres tantùm fuere, in suis singuli temporibus comparticipes, magnus ille legislator Moses, & celeberrimus Propheta Elias, & summa Legis ac Prophetarum Christus; aut, si magìs placet eos alio modulo metiri, Minister Legis exhibendæ Moses, Minister instaurandæ Legis Elias, Dominus & Legis & Evangelii Christus: tres illi qui in monte postea cœlesti gloriâ induti apparuerunt, iidem nunc in deserto jejuni simul apparent, licèt non personaliter, at repræsentativè & symbolicè, in ejusdem durationis abstinentia. In Christo uterque apparuit, quia finis utriusque Christus, testimonium habens à Lege & Prophetis. Quòd si in tribus solis complementum hoc opus habuerat, non solitum aut quotidianum potest dici, sed novum, & inauditum, & miraculosum, tum quoad Substantiam facti, tum quoad Modum faciendi. Hîc finis esto secundæ partis versiculi, quam partem dixi Miraculosam: quæ si debito prolixior fuit, at habet hoc excusationis, quòd difficile erat infirmitati nostræ quadraginta dierum miraculum horâ unicâ percurrere; atque si sit prolixitas dicenda, prolixitatem spero fore, non nauseam, quia cum Esurie desino. Hæc versûs pars est ultima, in posterum eventilanda, si Deus affulserit.

LECTIO

LECTIO XVIII.

Postea esuriit.

IN Salvatoris hoc Jejunio non esse omnia unius & ejusdem ordinis aut considerationis, superiùs & admonui & demonstravi. Erant in eo nonnulla Divinæ potentiæ radiis adeò fulgentia, ut verè sint Miraculosa appellanda: quòd dies tot integros absq; omni alimento transigebat, quòd per totum illud spatium nec cibi desiderio nec famis morsu constringebatur; mirabilia hæc sunt, atque omnipotentiam ejus numénque declarant. E contrà, fuit in eo nonnihil, illúdque extremum, tam nostri simile atque necessitatibus nostris compar, ut prorsus ad infirma Christi, & actus naturæ assumptæ dispensatorios, sit revocandum. De parte Miraculosa dictum est antea.

Nunc superest ut ad Passionem illam naturalem pergamus, quæ ipsum statim post decursos quadraginta dies verè quidem, sed modicè, tangebat, in illis Evangelistæ verbis, *ὕστερον ἐπείνασε, postea esuriit.* In hac parte pertractanda non equidem retexo distinctionem suprà à me positam, quâ Abstinentiam Christi ad actus miraculosos, Esuriem ad naturales revolvebam. Est enim hæc propria & genuina Discriminatio: quia sicut illud habuit à virtute Divinitatis, ità hoc ad humanitatem pertinebat. Veruntamen habet etiam & Esuritio ejus in se nonnihil quod Miraculosum dicatur non minus quàm Jejunium, & fortasse longè majus: quia multò est mirabilius quòd Christus, qui idem Deus, esuriret, quàm ut Christus, qui homo, tamdiu abstineret; quia sicut in hoc evectio fuit aliqua naturæ nostræ, ità in illo suiipsius exinanitio. At majoris est admirationis ut Dei filius ad infirmitates nostras descenderet esuriendo, quàm ut hominis filius supra vires nostras eveheretur abstinendo. Ut verbo dicam, non sunt iisdem terminis definienda omnia mirabilia Christi, sed alio alióque respectu habito, in nonnullis ad Divinam, in nonnullis ad Humanam naturam. Respectu Christi hominis ea omnia erant mirabilia quæ ad Omnipotentiam pertinent, virésque transcendunt humanas, ut verbo suo sanare infirmos, suscitare mortuos, maria increpare, dæmonia ejicere: quæ tamen singula si ad Divinam referamus, nec ardua sunt nec inusitata, & per hoc non miraculosa, cùm nihil sit aut impossibile aut miraculosum Omnipotentiæ. Ex adverso, respectu Christi Dei mirabilia erant quæ ad infirmitatem, & dignationem, & dispensationem pertinebant, dormire, vagire, lacrymas effundere, mortem pertimescere: quæ tamen hominis sunt passiones propriæ maximéque naturales. Similiter in hac prævia de ejus Esuritione disputatiuncula est dicendum; erat ex utraq; parte & Abstinentia Christi & Esuries miraculosa: Abstinentia miraculosa respectu Christi hominis, nempe ut qui homo erat tamdiu se contineret; Esuries miraculosa respectu Christi Dei, scil. ut ipse qui Deus erat hoc pateretur. Si igitur de Christo homine disseramus, atq; esuriem ejus abstractè accipiamus & præcisè, non consideratis circumstantiis, pro nuda cibi appetentia ex alimenti defectu oriunda, certissimum est in ea nihil esse ab homine alienum; est enim actus & maximè humanus, & per omnia naturalis; neque enim est in illa quicquam quod admirationem pariat, si cuivis homini, si ipsi Salvatori quà homini, esuries inciderit. At verò si de Christo θεανθρώπῳ verba fiant, síque Esuriem ejus expendamus secundum hîc & nunc, cum respectu ad dies anteceda-

neos abstinentiæ, reliquásque circumstantias respiciendo, quæ & est & debet esse principalior consideratio; affirmare ausim, non minùs suspiciendam esse ipsius famem quàm magnum illud & diuturnum Jejunium. Etenim juxta hunc sensum non tam necessitatis Esuries erat quàm dignationis; nec purus actus naturalis, sed magìs spontaneus. Quapropter vel hoc ipso nomine stuporem maximum excitat, quòd esurire voluit qui poterat non esurire, ídque ad condescensionis suæ & dispensationis gratiam manifestandam, quæ Charitatem ejus non minùs exornat quàm miracula cujuscunque generis Omnipotentiam. His ità se habentibus, cùm verissimum sit B. Leonis illud, *Nullum Christo tempus fuisse absque miraculo*, Ser. 2. Epiph. & cùm, dicente Hilario, *Sacramentum maximum sit omnis Christi dispensatio*, atque inter omnia ejus gesta insignioris sint notæ actus dispensatorii; non erit labor cassus ad Esuritionem ejus paulisper oculos animósque convertere; ut quemadmodum eum olim naturæ leges vincentem vidimus, nùnc iis sese subjicientem conspiciamus. Quod ut explicatiùs fiat, quoniam quæ ad hanc partem spectant non sunt ejusdem generis omnia, idcirco ad tria ζητούμενα, sive *quæsita*, rem totam deducam, de Qualitate, de Tempore, de Causis Esuritionis. De Qualitate est necessariò disputandum, propter rei splendorem & amplitudinem, eò quòd in hac corporea passione ut nonnihil erat nobiscum commune, ità etiam & aliquid sublimius, atque Salvatori proprium & peculiare. De Tempore, propter ipsam historiam, cùm non de ea loquatur Evangelista ut de re Jejunio contemporanea, sed ut de passione postgenita, ídque expletis Jejunii diebus; *postea*, inquit, *esuriit*. Denique, de Causis eum ad hanc condescensionem moventibus, propter nostram fiduciam, ut quantum nostrî intersit intelligamus, quantúmque salutis nostræ, quibus vena sacra aperta est virtutis & meriti, non solùm in passionibus majoribus ejus, sed in ipsa etiam Esurie conspicienda.

de Trin. l. 11.

Exordior ab Inquisitionis parte prima, quæ de Esuritionis Qualitate & conditione nativa quærit, An esset hæc Christi Esuritio cum nostra eadem Specie, ut dici possit eodem Modo illam & obtigisse & adhæsisse Salvatori quo nobis solet obrepere & adhærere. Sunt duo, ut videtis, quæstionis termini, in quibus causa vertitur, Species, & Qualitas Jejunii; atque ex his ipsis solutio facilis erit & expedita: quia aliud est de Qualitate quærere, aliud de Specie; manere potest identitas Speciei, quamvìs non sit identitas Qualitatis & Modi; nam Modus & Gradus & Accidentia non diversificant Speciem, sive de substantiis loquamur, sive de earum passionibus atque defectibus. Si de Carne Christi sermo instituatur, certissimum est carnem à Verbo assumptam fuisse eandem specificè cum nostra, nostræque per omnia similem, quantum ad substantiam & naturam carnis attinet, quia de matris substantia secundum carnem conceptus est & natus. *Et hoc certâ fide tenendum est*, inquit ad Petrum Fulgentius, *carnem ejus & animam ejus ejusdem substantiæ esse atque caro nostra & anima nostra.* At verò in accipiendi modo multum erat discriminis; cùm enim reliquorum omnium caro concupiscentiæ contagio vitiata sit, in Christo contrà fuit, quia carnem accepit à Virgine, & sine labe peccati, sine fomite concupiscentiæ, absque vitio conceptam, absque macula natam. Deinde, si de Passionibus Animæ disseramus, & de his quoque apertissimè constat, tristitiam, timorem, iram, quibus se aliquando submisit, fuisse affectus eosdem specie ac nostros: *Languores nostros tulit, & dolores nostros portavit*, inquit S. propheta; & mutato numero Ambrosius, *Suscepit affectum meum, voluntatem meam, tristitiam meam; & sicut mihi compatitur, ità meos circumtulit metus.* Attamen si ad suscipiendi Modum vertamus oculos, erat is longè diversissimus. In nobis sæpissime sunt

Fulg. c. 2. De Fide ad Petrū.

Ambr. c. 7. de Incarn.

Isa. 53. lib. 7 de Incarn. & lib. 1. de Fide ad Grat. c. 3.

sunt præter rationem hi affectus, sæpe etiam contra rationem insurgunt; atque non rarò rationem in suum objectum pertrahunt, & consentientem sibi in ea affectum excitant: quorum tamen nihil operati sunt in Christo, neque enim ullos habuit affectus nisi innoxios, nullos aut culpâ aut culpæ causis irretitos. Postremò, si de Passionibus & defectibus Corporis loquamur, cujusmodi sunt fames, sitis, labor, dolor, fatigatio, erant ea omnia ejusdem nominis passiones in ipso atque in nobis, ut sitis nostra, & fames nostra, & fatigatio nostra dici possint: *ὅλον γὰρ ὅλος ἀνέλαβέ με, καὶ ὅλος ὅλῳ ἡνώθη, ἵνα ὅλῳ τὴν σωτηρίαν χαρίσηται*, ut lib. 3. cap. 6. scitè Damascenus, *Totum totus assumpsit me, & totus toti unitus est, ut toti salutem largiretur.* At nihilominus si Inexsistendi modos perquiramus, aliter in Christo ejusmodi passiones fuerunt, aliter sunt in nobis; éstque differentiarum ratio multiplex, quas ut juxta ordines suos dispositas exhibeam, ad duo jam capita revocabo.

Discriminis caput primum inter Christi Esuritionem & nostram est respectu Commensurationis. In nobis, famis dolor & cruciatus abstinentiæ spatiis & diuturnitati æquâ proportione solet respondere, ità ut major multò sit cruciatus ex quatuor aut quinque dierum fame quàm si solummodo ad duos aut tres dies producatur. Nec potest quidem aliter naturæ usu contingere, eò quòd perpetuò esuritionem omnem & humidi nativi diminutio & virium enervatio comitentur: ex quo sequitur, quòd ubi major est abstinentia, ibi major etiam sit debilitatio, donec ad mortem & interitum veniatur. At in Christi esurie non sic se res habuit, quadragenalis præcessit abstinentia, at non secuta est quadraginta dierum abstinentiæ proportionata aut Esuritio aut debilitatio; sic enim lethalis fuisset & mortifera: verùm fames quæ sequebatur talis erat, iisdémque gradibus circumscripta, qualis fuit eo temporis momento quo primùm jejunium suum auspicabatur. Divinitatis suæ hoc factum est virtute, quæ humidum vitale integrum conservavit per totum id tempus, effecítque hoc modo nè fames sequeretur; Divinitatis virtus erat quæ præpediebat nè esset corporis aliqua diminutio aut alteratio per totum illum temporis tractum; Divinitatis virtus, quæ intra id temporis servavit *ἀνενδεὲς σῶμα*, ut B. Ignatius loquitur, Ep. ad Philip. *corpus sine omni inediæ noxa illibatum*; denique, Divinitatis virtus, quæ suspendebat influxum omnem sive activitatem omnium & mediorum & causarum quæ alioqui eum ad famem disposuissent. Hinc factum est ut toto illo tempore medio non poterat ullum mutationis detrimentum corpus Christi perferre ex defectu alimenti; sed in eodem permansit statu (quantum ad famis injurias pertinet) quem in jejunii primordiis retinebat. Hinc etiam factum, quòd expletis illis quadraginta diebus, quando sustinere famem primùm ceperat, existimandum non est fuisse famem rabidam, violentam aut exitiabilem quæ incessit eum, sed ejusmodi quæ in capite jejunii aderat, & quæ hominem quemlibet post centum milliarium confectum pedibus iter invasisset. His ità positis, non cuiquam est, opinor, obscurum, quàm magna sit inter Esuritionem Salvatoris & aliorum hominum distantia; quia cæteros quatridui abstinentia frangit, septidui enecat: in Christo ex quadragenali nulla debilitas, nulla immutatio corporis est secuta. In cæteris, molestia famis juxta temporis diuturnitatem accrescit & augetur: in Christo multò secus, neque enim integro abstinentiæ curriculo, sed tantùm exordio ejus molestia famis respondebat; nec proportionata erat diebus omnibus, sed primæ: Divinitate id operante, ut non per quadraginta dies, sed post quadragesimum, dolorem sentiret; útque totum illud intermedium tempus respectu Esuritionis sic esset quasi nunquam fuisset. Hoc capút primum est Discriminis, respectu Commensurationis.

Secundum est respectu Originis & Dominii. In Christo Esuries magìs erat voluntatis quàm naturæ, in nobis totaliter est naturæ, nullatenus voluntatis; quia Christus imperare ei potuit, nos non possumus. Ut dicam fusiùs, In nobis Esuries à puris naturæ principiis fluit, & idcirco voluntati non subjacet, sed semper & ubique, rebus sic stantibus, ex subtractione cibi necessariò sequitur, & vel invitos opprimit, ità ut nec recta ratio, nec prudentiæ solertia, nec ipse habitus temperantiæ aut impedire possit nè ingruat, aut concitatos ipsius impetus depellere. Non nostræ est potestatis ventriculo leges imponere, aut efficere ut nutritiva facultas audiat imperium nostrum; ὅτι ἀδίδακτά εἰσι τὰ φυσικά, ut pulchre Damascen. l. 3. fid. c. 14. *Naturalia non sunt disciplinabilia.* Quemadmodum ex parte una, si quod ad pastum sufficiat adfuerit corpori, fames depellitur vel dormientibus nobis: ità si non adfuerit, vel vigilantibus nobis depelli non potest, quò minùs dilaniet stomachum, inficiat spiritus, sanguinem exhauriat, viscera contrahat; quà enim à natura ortum esuries ducit, non jam ad voluntatem sed ad necessitatem pertinet naturalem, éstque adeò indomita atque inevitabilis passio, ut non simus reprimendo. E contrà, de Salvatore si loquamur, sciendum est quòd nihil ei potuit accidere invito, cùm esset omnipotens; neque ex improviso, cùm ab æterno fuerit omnium præscius. Oportet igitur in eo sic agnoscere Esuriem veram, ut non simpliciter necessariam, & sic Esuriem pœnalem, ut non per omnia naturalem existimemus: quantumvis respectu rei naturalis erat & necessaria, at respectu Christi non erat tunc temporis simpliciter & absolutè aut necessaria aut naturalis; quia ad ipsum Christum & voluntatem Christi causa ejus prima est referenda. Fuit igitur & utraque, & neutra: utraque, quia humana passio, quæ ex antecedentibus causis naturaliter & necessariò erat secutura; neutra, quia passio Divinitus ordinata & regulata, & propter hoc non purè aut Naturalis aut Necessaria: non Naturalis, quia à dispensatione proveniebat, quæ nisi intercesserat esurire Christum fuisset impossibile, propter humanitatis unionem cum Verbo; non Necessaria, quia & à potestate ejus, & à voluntate pendebat, quæ naturæ & necessitatis legibus non subjicitur. Vultis succinctiùs? non erat Naturalis, quia nisi Divinitas id humanitati permisisset, esurire non poterat; non erat Necessaria, quia voluit esurire, quia poterat non esurire, quia non esurierat nisi voluisset. Videtis, Auditores, quò rem jam tandem deduxi, ad abstrusas, eásq; varias, de Impossibili, Naturali, Necessario, Voluntario speculationes. Istorum omnium in hac quæstione tractanda usus suus est, eóque major, quia periculi aliquid videtur esse in istorum cujuslibet negatione. Si Possibilem fuisse negemus, est contemptus Evangelii, in quo legimus eum esuriisse: si Naturalem negemus, est injuria humanitati ejus, quia homini tam est naturale esurire quàm esse: si Voluntariam negemus, est læsio majestatis, quia in illius potestate erat non minùs non esurire quàm esuriisse: adhuc, si Necessariam negemus, est evacuatio mediationis, quia ad hoc ipsum naturam suscepit nostram, ut & infirmitates nostras susciperet, & suscipiendo sanctificaret. Est igitur singulorum necessaria contemplatio, ut ex ipsorum recognitione hos nexus solvere, & quæstionem ipsam omnibus suis vestigiis indagatam exhibere valeamus.

Hoc ut dilucidiùs fiat, hos singulos terminos seorsim percurramus, ut apertè videatur quomodo Impossibilis dicenda sit Esuritio, quomodo Naturalis & Necessaria, ad extremum, quo sensu Voluntaria & Potestativa. Tres autem sunt Propositiones, pro conditione terminorum, quarum circumscriptione rem totam expediam.

De

De Impossibilitate inprimis quærendum est, & de illa sit hæc Propositio, Quando de Christo θεανθρώπῳ loquimur, potest in sano sensu Esuritio ejus in ordine impossibilium collocari, ut rectè dici queat, Impossibile fuisse ut esuriret, non quidem simpliciter, sed ex hac tamen suppositione, nisi Divinitas, cui caro unita erat, & à qua per dies quadraginta incolumis ab esurie conservabatur, se occultâsset, & aliqualiter retraxisset: aio, inquam, ex hac suppositione, nisi claritatem gloriæ Divinitas continuisset, nè in corpus ejus redundaret, nisi permisisset humanitati fungi quod suum erat. Alioqui si lumen gloriæ, quæ in mente Christi tam ex unione hypostatica quàm ex visione beatifica semper radiabat, eo temporis redundâsset in corpus, non solùm non esuriisset, sed impossibile fuisset ut esuriret.

Propositionis ratio hæc est, Quia claritas gloriæ ex visione beatifica, ut omnes norunt, quando in corpus ab anima diffunditur, ipsâ sui diffusione corpus efficit gloriosum. In corpus autem gloriosum passiones & defectus naturales non possunt incidere; quia Impassibilitas est una ex dotibus corporis glorificati, dicente Apostolo, 1 Cor. 15. *Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione.* Jam verò Impassibilitatis ea est natura, ut excludat à corpore quicquid molestum, triste, pœnale, aut afflictivum. Patet ex Sanctorum statu post resurrectionem, quorum omnia corpora gloriosa erunt ex redundantia claritatis beatificæ ab animis in corpora; & quia gloriosa, idcirco impassibilia & indefectuosa. Erunt in perpetuo motu eorum corpora, nec ulla sequetur lassitudo; semper excubabunt, nec tamen somnus desiderabitur; nequaquam comedent, & nunquam tamen esurient. Quæ ratio? quia cum comprehensionis statu & claritate gloriæ defectus isti non consistunt: etenim ubi illa claritatis redundantia accesserit, ex ea sequitur perfectio; ubi perfectio advenerit, nihil erit quod deficit; & ubi nihil est quod deficit, nihil est quod reparari possit. Applicemus jam hæc strictim præsenti instituto, ut intelligatur an quadrare possint in Salvatorem. Inprimis hoc ex Scripturis innotescit, Humanitatem Verbo fuisse personaliter unitam, idque indivulsim; tam indivulsim, ut in ipsa morte, cùm anima separata est à carne, nec anima nec caro separata fuit à Verbo. Deinde & hoc certissimum est, Quòd tota mortalitatis suæ tempore Comprehensor fuit, & à primo Conceptionis momento in statu Comprehensionis, quantum ad mentem, quæ semper habuit claritatem gloriæ, quia semper visione beatificâ fruebatur. Ergò ex istis necessaria hæc elicitur Consequentia, Si Comprehensorum status sit impassibilis nullisque obnoxius defectibus; si etiam Christus dum in terris ageret non modò Comprehensionis statu fruebatur, sed, quod est multò majus, Deitatem ipsam habuit in seipso personaliter inhabitantem, ut Apostolus loquitur; necessariò, inquam, sequitur, non potuisse ipsum aut dormire, aut fatigari, aut sitire, aut esurire, nisi claritatis gloriam, ex unione cum Verbo in mente relucentem, singulari dispensatione cohibuisset nè redundaret in corpus. Ratio est, quia nisi cohibitio talis intercesserat, perfecta fuisset ac plenaria irradiatio & redundantia claritatis à mente ejus in corpus; si plenaria redundantia, sequitur quòd perfectus Comprehensor esset respectu corporis non minus quàm animæ; si perfectus Comprehensor, passionibus istis & infirmitatibus quomodo subjiceretur? Pergam paulò longiùs; Si secundùm statum aut Comprehensionis aut Unionis Christum consideremus, sequitur primò, Magis esse mirandum quòd comederet unquam quàm quòd jejunaret: nam abstinere est Comprehensoribus proprium, comedere alienum. Sequitur secundò, Quòd magis est naturale dicendum Chri-

sto θεανθρώπῳ non posse pati, quàm pati, & non posse esurire, quàm esurire: quia omnino nec esurire nec pati poterat, nisi claritatis radios cohibuisset; ad hoc autem cohibuit, ut incarnationis mysterium & redemptionis negotium expleri possit, quod in corpore opaco, & passibili, & nostris corporibus simili expleri debebat. Hæc de prima Propositione sufficiant dixisse, quæ tractat de Impossibili.

Secunda erit de Naturali & Necessario, & sic se habet; Tametsi Christus semper fuit comprehensor, semperque dum in terris esset in statu beatifico, ex virtute Unionis habito, at nihilominus tamen hæc non impediebant quò minùs esset ei & Naturale & Necessarium ut esuriret. Naturale ei fuit, quia verus homo erat; at verus homo non esset, si quod assumpsit verum corpus non fuit; & verum corpus quis credidisset, nisi haberet veras proprietates corporis viventis, juxta statum mortalitatis: nimirum ejusmodi corpus quod possit & ex defectu spirituum defatigari, & ex supplemento refici; ex cibi inopia affligi, ex accessione reparari. Porrò & Necessarium fuit, quia status Comprehensionis ex claritate Divinitatis ad corpus non pertingebat, sed simul & semel & Comprehensor fuit & Viator, quamvìs ratione diversâ. Quod ità declaratur; Viator quispiam dicitur quatenus ad beatitudinem tendit, Comprehensor quatenus beatitudinem jam consecutus est: utrumque S. Paulus significavit his sententiis; *Sic currite, ut comprehendatis*, 1 Cor. 9. *Sequor autem, si quo modo comprehendam*, Phil. 3. In vocibus *Sequor* & *Currite*, est status Peregrinantis; in *Comprehendam* & *Comprehendatis*, status Regnantis: In *Curro*, est tendentia ad beatitudinem; in *Comprehendo*, fruitio & adeptio beatitudinis. Juxta has rationes, aio Dominum nostrum dum in mundo agebat in utroque statu fuisse; & in fruitione beatitudinis, quantum ad mentem, & in tendentia ad eam, quantum ad corpus. Cùm igitur beatitudo perfecta & animæ sit & corporis, secundùm utrumque in utroque statu fuit Christus: secundùm illud quod animæ proprium & præcipuum est, hoc est, secundùm mentem, ab initio conceptionis perfectâ Dei visione beatus fuit, & propterea Comprehensor; secundùm corpus verò, atque partem etiam animæ inferiorem, non erat Comprehensor, sed Viator. Erat quidem corpus ejus in proximo gradu ad bonum gloriosi corporis & Comprehensionis; in tam proximo, ut nisi claritatis redundantiam compescuisset, actualiter fuisset gloriosum: sed actualiter non erat, quia compescuit; & quia non erat, propter hoc erat passionibus multis & infirmitatis nostræ defectibus naturaliter & necessariò implexum. Ergò licèt hoc verum sit, Quòd delectatione contemplationis Divinæ mens ejus fruebatur; licèt etiam & illud sit æquè verum, Unionem hypostaticam indivisam semper mansisse: at nil obstat tamen quò minùs in Christo esset & dolor sensûs, & sensus doloris, quia speciali quadam dispensatione sic retenta fuit in mente Divina contemplatio, ut neque in corpus neque in inferiores animæ partes redundaret; adeóque non erat ullum impedimentum nè somno, & tædio, & esuritioni, aliísque passionibus naturaliter & necessariò subjiceretur. Etsi enim illud sit verissimum, Non potuisse Christum pati, si gloria Deitatis semper & plenariè in corpus redundâsset: ità & illud est ex altera parte veritati æquè consentaneum, quòd quia non redundavit, passibilitatem non amovebat. Accipitote adhuc clariùs; Potuit Christus hanc claritatis redundantiam & semper & perfectè in corpus suum derivare; sed noluit, quia erat in mortalitatis statu: potuit eam in totum corpus aut diffundere, sicut nunc in cœlis; aut non diffundere, sicut olim in terris: potuit eam etiam ad quamcunque partem corporis diffundere, ad hanc,

&

& non ad illam, pro hac vel illa dote corporis gloriosi accipienda: potuit pro dote Claritatis, ut in Transfiguratione contigit; aut pro dote Subtilitatis, ut cùm super aquas gradiebatur; aut pro dote Impassibilitatis, quod nunquam eum legimus fecisse: potuit ad oculos eam diffundere, nè dormirent; aut ad ventrem & stomachum, nè ciborum indigentiis cederent; est enim regula generalis, Quòd gloria corporis ex hac redundantia pendet, majórque est & minor pro modo & gradu redundantiæ. Hinc est quod magnus ille Theologus, Joannes Damascenus, in Fidei Orthod. lib. 3. cap. 20. ad utrumque rerum ordinem non dubitat has passiones reducere, & ad ordinem naturalium, & ad ordinem supernaturalium. Verba ejus hæc sunt, τὰ φυσικὰ ἡμῶν πάθη, καὶ κατὰ φύσιν καὶ ὑπὲρ φύσιν ἦσαν ἐν ἑαυτῷ, *Passiones*, inquit, *quæ in nobis sunt solùm secundum naturam, in Christo erant & secundum & supra naturam: secundum naturam quidem, quia in ipso movebantur, quando sinebat carni ut pateretur propria; supra naturam verò, quia non præcedebant ejus voluntatem, nam volens mortuus est, & volens timuit, & volens sitivit, & volens esurivit.* Hæc ille. Quod idem est ac si dixisset verbis aliis id quod nos jam contendimus, Habuisse Christum in se & secundùm quod esuriret, & secundùm quod sine fame maneret. *Abulens.* In eo quòd Deus erat, potuit potestate suâ & suæ irradiatione claritatis efficere nè corpus esuriret: in eo autem quòd homo erat, competebat ei sæpe esurire, sicut & nos, claritate nullâ interveniente. Ergò quòd quadraginta diebus non esurierit, factum est & ex redundantia Divinitatis, & ex Potestatis imperio. Cùm esset Dominus naturæ suæ, servare eam absque cibo incolumem potuit, nè esuriret, non modò per quadraginta dies, sed in æternum, si voluisset: quòd autem esuriebat, fuit inprimis ex dispensatione Divina, ut causâ primâ; tum verò ex conditione humanitatis, ut causâ proximâ, quæ relicta à Divinitate naturæ suæ adeò necessario esuriebat, ut impossibile esset naturaliter ut non esuriret. Hæc de Propositione secunda, quæ tractat de Naturali & Necessario.

Tertia est de Voluntario, atque hoc modo instituitur; Tametsi Salvatoris esuries & Naturalis erat & Necessaria respectu humanitatis sibi quantum ad hanc passionem derelictæ; at fuit tamen Voluntaria & arbitraria quantum ad potestatem sibi servatam. In promptu est ratio, ex Damasceno petenda, οὐδὲν ἠναγκασμένον ἐπ' αὐτοῦ θεωρεῖται, lib. 3. cap. 20. *Nihil in Christo coactum conspicitur, sed omnia spontanea; non mors, non timor, non somnus, non esuries, non quicquid aliud, sed in universum tam voluntaria in eo erat omnis passio, quàm voluntaria fuerat ipsa naturæ humanæ susceptio.* *Aug. Civ. 14. c. 9.* Nè multis vos morer, à morte sola petamus exemplum, nam de illa apertiùs Sacra Pagina testatur, potestatem Christo liberam fuisse moriendi; *Pono animam meam, ut iterum sumam eam; Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam; Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso.* Ecquid est istis clarius? *Nemo tollit*, & *Ego pono*; & rursus, *Ego pono*, atque *Ego sumo. Ostendunt hæc*, inquit August. in Psal. 96. *& ideo mortuum quia voluit, & tunc mortuum quando voluit, & sic mortuum prout voluit: quia nos quidem conditione morimur, ille misericordiâ.* De Esuritione ejus haud aliter est dicendum, non eam Christum invitum sustinuisse, sed & voluntate suscepisse, & voluntate retinuisse, & voluntate deposuisse. *Ipsa ratio suadet*, inquit Chrysostomus (Aut. imperfect.) *dum dies quadraginta transigebat absque esurie, & post quadragesimum esuriebat: ex hoc ipso demonstrans, quòd esuritio ejus voluntaria fuit, non necessaria*; & id quidem rectissimè, ut omnia, Chrysostomus.

ſoſtomus. Etenim qui quando voluit eſuriit, & quando noluit non eſuriit, utrumque neceſſe eſt ut haberet in voluntatis ſuæ poteſtate. Quid opus eſt pluribus in re tam clara? Si hæc non ſufficiant, ſinite ut apponam Sanctorum Patrum dicta: etenim illi ſæpius hac ipſa de ſe diſputant, idque non obiter, ſed conſultò & de induſtria; & vix eorum quiſquam eſt qui non ad voluntatem & arbitrium Salvatoris & eſuritionem & paſſiones quaſcunque alias disertè pronuntiant referendas, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, Hilarius, Leo. Cur plures memorem, cùm in re tam conſpicua, in qua omnes uno ore conſpirant, plus ſatìs ſit unum aut alterum indicaſſe? Audite S. Auguſtinum, ejus hæc ſunt verba in Pſ. 87. *Humanæ infirmitatis affectus non conditionis neceſſitate Chriſtus ſuſcepit, ſed miſerationis voluntate.* Pariter & in Pſal. 96. *Voluntate ſuſcepit paſſiones veras, quomodo voluntate ſuſcepit carnem veram.* Denique & in lib. 14. de Civ. cap. 9. *Hos motus certæ diſpenſationis gratiâ ità cùm voluit ſuſcepit animo humano, ſicut cùm voluit factus eſt homo.* Poſt Auguſtinum B. Hilarium audiamus, quia eo nemo eſt in hoc argumento copioſior; *Voluntate*, inquit, *ſuſcepit quod nos neceſſitate patimur*, de Trin. l. 10. & in Pſal. 53. *Quòd ſitivit, eſurivit, laſſatus fuit, his omnibus non naturâ, ſed ex aſſumptione ſubjectus erat:* & in Pſ. 68. *Non fuit in unigenito naturalis infirmitas, ſed aſſumpta:* & adhuc eodem in loco, *Extra neceſſitatem timoris & doloris poſitus erat, ſed iis ſe tamen accommodavit.* Mitto Ambroſium, mitto reliquos. Ad quid ego iſtis S. Chryſoſtomum adjungam? & ille etiam, hom. 23. Op. imperf. in Mat. eodèm ſe vertit, *Dormivit Dominus*, inquit, *& eſurivit, non neceſſitate humanæ infirmitatis, ſed ſpontaneâ voluntate.* De Leone Papa quid dicam? Inſignis locus exſtat, in Ser. 8. Quadrageſimali. *Infirmitates*, inquit, *conſilio pietatis ſuſcepit, nec legem neceſſitatis incurrit, quia poteſtate factus eſt humilis, poteſtate paſſibilis: Sic & caro capax erat infirmitatis, & nihil ſuæ perdidit Divinitas virtutis.* Hæc Patrum Sanctorum conſentiens eſt determinatio, cùm de ſuſceptis defectibus & paſſionibus loquuntur. Quæ tamen loca non ſic ſunt intelligenda, quaſi omnimodam neceſſitatem excluderent, quaſi nullo modo neceſſarium erat aut naturale Chriſto, quà homini, ſitire aut eſurire: ſed hoc illud eſt, ut ego exiſtimo, quod contendunt, Non ſic in Chriſto fuiſſe has paſſiones neceſſarias ſicut in nobis, quia in nobis nihil eſt quod hanc naturæ neceſſitatem vincat aut corrigat; in Chriſto contrà, neceſſitas poteſtati, natura voluntati cedebat; potuit Divinitatis virtute ea omnia vitare, potuit depellere: ubi autem eſt poteſtas amovendi non eſt neceſſitas patiendi. Hoc illud eſt quod de exinanitione ejus Leo Papa obſervat, *Diſpenſationem miſerationis fuiſſe, non privationem poteſtatis.* (Ser. 2. De Reſur.) Hoc illud etiam quod S. Ambroſius in Luc. 4. affirmat de ejus apprehenſione, quia in Evangelio legimus aliquando quòd tradidit ſe in manus Judæorum, aliquando autem quòd per medium eorum tranſibat; *Videſis*, inquit Ambroſius, *quando vult capitur, quando vult non capitur; & unum Divinitatis erat, quòd non capitur, alterum voluntatis, quòd captus eſt.* De eſuritione haud aliter eſt ſentiendum, quia legimus eum & eſuriiſſe & non eſuriiſſe: Habuit à natura humana ut poſſet eſurire, à Divina ut non poſſet; imò à Divina utrumque, & ut poſſet & ut non poſſet. Nam ſicut ab humana habuit potentiam potentialem, ſive paſſivam, ad unam contrarietatis partem, ut poſſet eſurire: ità à Divina potentiam poteſtativam, ſive imperativam, ad utramque partem contrarietatis, ut pro libitu & eſuriret & non eſuriret, cùm ipſi placuerit. Hæc cauſa eſt cur utrumque dixi Chriſtum ſuo modo à Divinitate habuiſſe, ſive eſuriebat

ſive

ſive non eſuriebat. Si non eſuriebat, ex eo erat quia Divinitas poteſtatem ſuam interpoſuit; ſi eſuriebat, ex illo quòd Divinitas virtutem ſuam occultavit: in illo prohibuit nè calor naturalis & ſpiritus in corpus agerent; in hoc præcepit ut agerent: illud ex Poteſtate Divina; hoc ex Divina Diſpenſatione.

Habitote paucis; utriuſque ſuprema moderatio à Divinitate fluebat. Si per dies quadraginta non eſuriebat, indè erat, quia Divinitas humanitati non permiſit quod ſuum erat pati, ſed carnem ſervavit in eo ſtatu, ut nec cibum appeteret, nec ex defectu cibi affligeretur: dein, ſi poſt diem quadrageſimum eſuriebat, indè erat, quia Divinitas permiſit humanitati & quod ſuum erat agere, & quod ſuum erat pati; *παρεχώρει τῇ σαρκὶ πάσχειν τὰ ἴδια*, inquit Damaſc. lib.3. cap. 20. *Conceſſit infirmitatis parti ea facere quæ ſua ſunt*; *συνεχώρησε τῇ φύσει*, inquit Theophylactus in Mat.4. hoc eſt, *permiſit carni agere & pati propria*; *Natura divina naturæ ſuæ hominem dereliquit*, inquit Hilarius. Quæ omnia ſi jam conjunctim ſumantur, Can.3.in Matth. facillima erit quatuor prædictorum terminorum inter ſe conciliatio, ut & primus cum poſtremo, & uterque cum mediis, ſano ſenſu conſpirent. Primus cum poſtremo hoc modo: quia erat ex Poteſtate & Diſpenſatione, & Occultatione claritatis, quòd eſuriebat; ergò iſtis non intervenientibus impoſſibile erat ut eſuriret. Medii cum poſtremo hoc ſenſu: quia erat eſuries ejus & neceſſaria in ordine ad cauſas naturales, & non neceſſaria in ordine ad dominium voluntatis; erat eſuries ejus ſicut noſtra à natura, non autem ſub natura ſicut noſtra; quia in arbitrii poteſtate erat & poſſe eſurire & non poſſe. De Eſuritione ejus ſi hoc modo ſentiamus, ſalva manent omnia & intemerata, & Proprietas naturæ, & Imperium voluntatis. Utì nulla eſt injuria humanitatis, quia erat paſſio verè naturalis, & proinde neceſſaria: ſic nulla eſt majeſtatis læſio, quia non erat merè naturalis paſſio, ſed voluntaria & poteſtativa. De primo Inquiſitionis membro hactenus, quæ De eſuritionis Qualitate quærebat. De Tempore & Cauſis in poſterum eſt agendum.

LECTIO XIX.

Postea esuriit, hoc caput est Argumenti quod non minus quam vosmetipsi scrutationem à me alteram & exspectat & postulat, ut possit ex omnibus partibus investigari. Neque est quòd attentionem vestram suspectam habeam, quia de Salvatoris Esurie est disputandum; de Esurie quæ est Credentium spiritualis repletio, & mentis famelicæ cibus, & jejuniorum omnium sanctificatio; de Esurie, inquam, cujus ipsum adeò non pudet, ut amplissimum persolvat præmium iis omnibus qui illius sensu & sympathia tanguntur, *Esurivi*, inquit, *& dedistis mihi quod ederem*, Matth. 25. 35. Enimvero non sum nescius, longè aliam esuritionem fore de qua ibi Dominus loquatur, mysticam scil. & interpretativam, non corporis, sed condolentiæ; quam non in deserto solo sustinet, sed in omni totius Orbis angulo; nec post quadraginta dies, sed per universa secula; nec certè in seipso, sed in membris & servis suis. At haurire possumus etiam ab ista non leve incitamentum ad hanc alteram attendendi: si enim tot tantísque præmiis prosequatur eos qui esuritioni mysticæ manus admovent auxiliares, non illis defuturam mercedem aliquam conjicio, qui esuriei propriæ quam in se passus est aures bibulas accommodant, ut gratitudinis justa solvant infirmitatibus Christi. Hæc illa est esuritio de qua jam denuò dicturi sumus, ut vobis sit in mensam, eámque secundam. Quia enim de Qualitate ejus & Modo superius est dictum, igitur de Tempore & Causis hodierna erit tractatio.

Et primùm quidem de Tempore, quia Temporis textualis habetur mentio, Causarum non item; & Tempus ordinem facti indicat, à Causis ratio facti est petenda. Idcirco primùm de Tempore, nè elabatur fortasse si prorogetur. In Causarum dilatione non multum erit discriminis, cùm semper maneant; at Tempus esuritionis jamdudum est præteritum, & pusillum istud quod reliquum est fugit dum loquimur. Non tamen sic fugit, quin ut possit ad contemplationem revocari, eámque studio & labore nostro dignissimam: cùm omnis Christi actio tam sit eximia, & plena, & juxta omnes opportunitatis articulos adeò tempestiva, ut non modò res ipsa, sed tempus ordóque agendi interdum mysteria suppeditent; sæpissime, imò semper, documenta ad fidei ædificationem salutaria. Quæ illa Documenta sunt mox videbimus, neque in iis multus ero, non enim est nisi unicum quod hîc enucleationem exposcit;

A quo die sua traxit exordia hæc Esuries, à Jejunii primo an ab ultimo, hoc est, an esset hæc Esuritio toti jejunio intermixta, & à die primo usque ad quadragesimum continuata, an magìs Jejunio successerat & subsequeretur. Inquisitionis ratio hæc est, quia Cajetanus Cardinalis, interpres eruditus, & quod ad historiam Evangelicam spectat germanus & perspicuus, in hujus explicatione loci ex adverso contendit, *Famem Christum perpessum esse per totum illud quadragenale spatium: alioqui sequeretur*, inquit, *quòd nulla esset in ejus jejunio corporalis afflictio, & per hoc non esset Jejunium perfectum & meritorium: sequeretur etiam, ut miracula extra necessitatem multiplicarentur, nam miraculo jejunii tot dierum adjungeretur hoc alind miraculum, quòd tanto tempore servatum sit corpus ejus absque indigentia alimenti.* Hactenus Cajetanus, subtiliter quidem, sed non

non appositè. Credin' abitùrum impunè? Nihil minùs, etenim Christophorus Sanctotisius, in suis in hoc Evangelium Commentariis, tam irato calamo eum insequitur, támque acriter perstringit, ut *arrogantem hominem* appellat ipsum Cardinalem frater Augustinianus, & interpretationem ejus *audacem temerariámque sententiam, adeóque hæresin sapientem, ut si contumaci animo stabilire eam nitatur, millies*, inquit, *eum hæreticum appellabo*. Ain' veró?

——*tantæne animis* claustralibus *iræ?*

Quid nobis dicturus esset, Auditores, si nostrorum interpretum quispiam in hunc scopulum impegisset, qui Pontificio adeò succenset? nisi Salvatoris illud in se adimpleri Sanctotisius cupiebat, *Inimici hominis domestici ejus*. Enimvero non video cur tam graviter indignatione exardeat, & in re tam parva, & contra virum optimi inter suos nominis, nec minoris doctrinæ quàm authoritatis. Agnosco lapsum esse in hac parte Cajetanum; agnosco similem sententiæ utramque ejus rationem fore, hoc est, nullius ponderis. Nullius prima, quia non in esurie sola Jejunii afflictio sita est, sed in fletu & lacrymis & singultibus & in tristitia mentis; & si in esurie sola esset, at sufficit ad afflictionem Jejunii si fames postmodum sentiretur. Minoris est secunda, quia nulla est miraculorum multiplicatio, ut ipse supponit, nam uno eodémque miraculo factum est & ut sine cibo & potu quadraginta dies Christus transigeret, & ut famem ac sitim minimè sentiret. Quòd si multiplicasset miracula Dominus, num nos nimium existimabimus quod magis in honorem cedit Salvatoris? Sed non est tale aliquid, imò major videtur esse multiplicatio secundum ipsius explicationem, quia longè majus fuisset miraculum si famem tot diebus Christus pateretur, vitámque in esurie conservaret, quàm si absque esurie totos transigeret. Quocirca non apta est aut idonea hæc Cajetani expositio; verùm ex eo non sequitur ut sit audax & hæretica, cùm modestè & temperatè se explicet, & magis discutiendo quàm asserendo. Inprimis, non disertè statuit sic esse, sed esse posse, *Affirmat Evangelista*, inquit, *Christum post Jejunium esuriisse; an intra tempus jejunii esurierit vel non esurierit, nihil dicit*. Deinde, in illo ipso quod statuit, ingenium suum temperat, nè modum excedat, *Non acerbam fuisse famem quam sensit intra Jejunii spatia, nec tantam quantam vis tanti jejunii naturaliter nata erat producere, sed usque ad certum terminum rationi consentaneum*. Hoc modo emollit castigátque opinionem suam Cajetanus. Et sic quidem sumpta non ejus est solius, sed multorum non vulgaris notæ aliorum. Inprimis, Franciscus Lucas, in explicatione horum verborum, *Postea esuriit*, prorsus ad eundem sensum verba traducit; *Non sic intelligenda sunt*, inquit, *quasi nullam omnino esuriem inediámve sit passus Dominus toto illo temporis interjectu: sed non tantam quantam post quadragesimum diem, cùm esurientis modo se cœpit habere*. Deinde, multò ante Brugensem Isidorus Clarius, Orat. 18. in S. Lucam. Verba ejus sunt; *In illo quadraginta dierum spatio accidere Christo potuit quod unicuique nostrûm usu venire experimur. Jejunat quis, exempli gratiâ, usque ad vesperam; in illo intervallo sentire potest inediam, quam tamen fert, neque ità destituitur natura viribus ut exspectare vesperam non possit: quod si duorum aut trium dierum spatio sine omni cibo degere velit, omnino deficiet. Accidere ergò tale quid & Domino potuit, ut scilicet toto quo jejunavit tempore famem sit passus, quam tamen pertulerit; peractis verò quadraginta diebus permisit naturæ ut cibum sentiret jam sibi esse necessarium*. Ex istis patet, non Cajetanum solum huic adhæsisse sententiæ: & posito quòd in ea solus esset, equidem

 non

non arduum putarem, si nostro generi deceret Papistarum in nos suscipere patrocinium, non arduum, inquam, existimarem, justam & honestam rationem excogitare quâ possit Cajetanus & defendi & expediri. Summa igitur huc redit, Non semper in Scriptura Sacra particulam *Postea* adhiberi ut initium rei significet, sed aliquando ut temporis denotet continuationem. Interdum illud dicitur *postea fieri* quod antea erat in motu aliquo, sed nunc incipit uberiùs & pleniùs fieri: & illud etiam quod priùs quidem erat, sed non manifestum erat, neque adeò sentiebatur. Sic Heb. 12. 11. Apostolus, *Omnis castigatio ad præsens non videtur esse gaudio, sed molestia*, ὕστερον δὲ, *sed Postea fructum reddit pacificum justitiæ*: Non sic dicitur Postea reddere fructus suos afflictio, quasi nullus omnino esset fructus aut pacis aut justitiæ in ipsis ferendis, sic enim nulla esset patientia Sanctorum; sed quia non tam amplus est nec tam apertus sicut postea futurus. Sic Joan. 13. 27. μετὰ τὸ ψωμίον, τότε εἰσῆλθεν, *post offulam, tunc introivit in Judam Satanas*: Non sic est intelligendum, ac si tunc primùm ὄργανον Satanæ Judas factus sit, est enim in comperto quòd paulò antè & furto & pactione cum Pharisæis non obscurum dederat indicium Judas cui domino serviret; verùm hæc potiùs est verborum sententia, quòd post illud tempus magis egregium cœpit esse diaboli instrumentum, quódque totum se à Christo tunc separârit, totúmque se dæmoni mancipârit. Observavit id Theophylactus in Joan. 13. πρότερον μὲν γὰρ ἔξωθεν, & quæ sequuntur, *Priùs*, inquit, *eum foris per avaritiæ vitium diabolus turbabat*; *post offulam verò perfectè eum comprehendit, & ingressus est* εἰς τὰ ἐνδότατα τῆς καρδίας, *in ipsa interiora cordis*. Observavit etiam & S. Augustinus, non dici *post offulam*, quasi tunc insultum primum diabolus fecerit in cor ejus, sed quia tunc pleniùs eum occupavit. Verba ejus sic habent, *Intravit Satanas priùs, immittendo in cor ejus cogitationem quâ traderet Christum: sed nunc intelligere debemus à diabolo Judam pleniùs esse possessum, nam post panem intravit in eum, non ut alienum tentaret, sed ut proprium possideret.*

Tract. 62. in Jo. & Hom 62. & lib. 3. de Consen. Evang.

Similiter & de hoc quem nunc tractamus loco dici potest, Non tunc cœpisse Christum esurire cùm Jejunium peractum esset: sed fieri potest ut Evangelista addat hoc *Postea*, vel propter ipsius intensiorem gradum, quia postea magis esurivit; vel propter majorem passionis molestiam, quia postea magis sensit; vel denique propter clariorem manifestationem, quia postea se velut esurientem gerebat, & esurientis partes præstabat, & cibum fortè incipiebat quærere quo famem depelleret. Possunt hæc omnia dici absque præjudicio textûs, nè dicam veritatis: possunt, inquam, dici, at non arbitror ea esse dicenda, neque adduci possum ut credam adverbium *Postea* passionem continuatam significare hoc in loco, sed initialem; nec esse intensivam particulam, quasi magis tunc esuriret, sed exclusivam famis antecedentis, quòd tunc primùm, & non priùs, esuriebat. Patet ex unanimi Sanctorum Patrum consensu, quorum hæc est communis interpretatio. *Famem sustinuit consummato dierum numero*, inquit S. August. lib. 3. De mirab. Scripturæ, cap. 6. *Post quadraginta dies, non in quadraginta diebus*, Hilar. Can. 3. *Cùm completi fuissent dies Jejunii*, Orig. Hom. 29. in Luc. 4. Patet etiam ex aliis Scripturæ locis huic consimilibus. Ex Matth. 21. 29. ubi responsum habemus filii natu majoris, Respondit patri, nolle se operari in vinea, *postea autem pœnitentiâ motus abiit*: cùm dicitur *Postea*, manifestum est eum antea non fuisse profectum. Sic Luc. 1. 24. de matre Baptistæ legimus, *Post dies illos concepit Elizabeth*: innuitur eam antea non concepisse. Sexcenta sunt ejusmodi, sed quid opus est pluribus? nam postremò, patet apertè ex loquendi formula

mula non solùm à S. Matthæo, sed etiam à S. Luca usurpata. Est satis ex se clara S. Matthæi locutio, ὕστερον ἐπείνασε, *postea esuriit*. *Cùm dicit ὕστερον, postea, probat*, inquit Chrysologus ser. 12. *per quadraginta dies & quadraginta noctes esuriem in illo non fuisse*. Est satis clara S. Matthæi relatio: at multò clarior est S. Lucæ declaratio, Luc. 4. 2. *Non manducavit quicquam in diebus illis*, inquit, *& consummatis illis postea esuriit*. Ecquid clarius? Qui dicit, Consummatis his vel illis diebus aliquid esse factum, manifestè ostendit antea factum non fuisse, nam consummatio non admittit antecessum. Cùm in Act. 2. legimus, completis diebus Pentecostes Spiritum Sanctum descendisse, apparet eum non venisse priùs. Cùm Luc. 2. 21. Completis diebus octo Christum circumcisum, necessariò sequitur non antea circumcisum fuisse, neque enim Lex patiebatur. Ecquis est qui aliud de Esuritione opinabitur? cùm S. Lucas tam evidenter describat, *Consummatis tot diebus*, hoc est, exactis & completis; & nè hoc non sufficeret, annectit ejusdem potestatis vocabulum aliud, nec contentus Participium expletionis posuisse, Adverbium subtexuit redundantiæ, *consummatis, postea esuriit*: hoc quid aliud est, quàm quòd post dierum consummationem esuriebat?

Quapropter quamvis illud alterum dici probabiliter possit, Esuriisse Christum in interstitio, neque esuriem sensisse propter cœlestium delicias contemplationum: attamen tutiorem esse duco sententiam multòque certiorem, si ad dierum consummationem rejiciamus, dicendo eum postea, & non antea, esuriisse; & quia duorum Evangelistarum hoc authoritate stabilitur, & quia duobus testimoniis ejusdem Evangelistæ; nam S. Matthæus id obtigisse asserit *postea*, S. Lucas, & *consummatis diebus*, & *postea*. De Tempore hactenus dixisse abunde est.

Accedo nunc ad Causas, quæ pars est ultima hujus argumenti, ut quia jam vidimus Quòd postea, nunc demum inspiciamus Cur postea esurire voluit. Cùm autem Causas dico, non productivas intelligo, quæ sunt operatrices effecti; de istis suprà docuimus, eas partim ad naturæ humanæ infirmitatem, partim ad potestatem Divinæ dispensationis esse referendas: Sed Causas hîc impulsivas accipio, quæ sunt motiva Efficientis. Et istarum duplex erit Classis: una Causarum in genere, Quare omnino esurire voluit; altera Causarum in specie, Cur magìs post Jejunium voluit, & non antea. Pertentandum est aliquid in utraque parte; quod si feliciter absolvero, Historicâ hâc Speculatione non invitus supersedebo.

Pars inquisitionis prima est de Causis in genere & simpliciter sumptis, Quæ possit esse ratio quòd ipsi placuerit huic se infirmitati subjicere: atq; non est una aut altera, sed latè patens & multiplex ratio, sive ad Naturalem, sive ad Spiritualem, sive ad Moralem rerum ordinem oculos nostros vertamus.

Inprimis in ordine Naturalium, hæc, ut arbitror, est ratio, Quòd ideo esuriebat, ut humanitatis suæ certum specimen experimentúmque daret, & verum se hominem ostenderet; neque enim quicquam est quod magìs mortalem denotat quàm duo ista, Debilitatio naturæ, si desit alimentum, atque Concupiscentia alimenti, nè sequatur debilitatio. Quod Imperator ille Macedonius cuidam de parasitastris respondisse fertur, cùm se Deum diceret, *Hoc*, inquit, *quære à medico, nam medicus novit*: scitissimè dictum *A medico*, quia medici morborum sunt conscii, & morbi hominem probant; atque Esuries magìs quàm morbi, quia morborum testimonia rariùs audiuntur, Esuries est testis quotidianus, etiam & testis Salvatori,

vatori, Susceptio esuritionis fuit demonstratio humanitatis. Hinc est quòd inter præcipuas esuritionis rationes hanc ipsam Sancti Patres collocant, ad hoc ipsum eum esuriisse, ut veritatem assumpti corporis demonstraret; & *ut ostenderet*, inquit B. Ignatius ad Phil. *quòd revera habuit* σῶμα ὁμοιοπαθὲς, *corpus iisdem obnoxium passionibus quibus reliqui homines.* Hinc etiam est quòd hoc ipso argumento contra Manichæos Patres utuntur, ad probandam in Christo assumptæ naturæ veritatem, quòd verus erat homo, quia famem & sitim, & necessitates quas humanæ naturæ constitutio secum fert, pati non recusavit. Hoc S. Augustinus, hoc B. Fulgentius & Vigilius, hoc quos prætereo reliqui: neque enim nunc vacat ipsa loca producere, aut argumentum ipsum persequi; eóque libentiùs abstineo, quia ad propriam, quam meretur, & velut peculiarem disquisitionem servavi illud. In præsentiarum sat est tetigisse, in causarum Naturalium ordine hanc primam esse, Quòd ideo esurivit, ut verum se hominem probaret.

Quòd ad ordinem Spiritualium spectat, non longè petenda est altera, Quòd ideo esuriebat, ut famis perpessionem nobis sanctificaret. Hoc D. Irenæus de ætatibus observavit, *Per omnem eum venisse ætatem, ut omnem sanctificaret ætatem; & omnibus factum esse omnia, ut omnibus benediceret: infantibus infans, ut sanctificaret infantiam; parvulis parvulus, ut sanctificaret pueritiam; juvenibus juvenis, ut sanctificaret adolescentiam; senioribus senior, ut secundum ætatem suam, velut perfectus magister, sanctificaret etiam seniores.* (lib. 2. cap. 38.) De defectibus quos assumpsit affirmare idem possumus, sicut de iis omnibus pronuntiat Nazianzenus, Or. 31. τάχα δὲ ὕπνον δέχεται, ἵνα καὶ ὕπνον εὐλογήσῃ· τάχα καὶ κοπιᾷ, ἵνα τὸν κόπον ἁγιάσῃ· τάχα καὶ δακρύει, ἵνα τὸ δάκρυον ἐπαινετὸν ἀπεργάσηται, *Fortasse*, inquit, *hâc ratione somnum cepit, ut somnum benedicat; fortasse etiam fatigatur, ut fatigationem sanctificet; fortasse etiam lacrymas fundit, ut lacrymas laudabiles reddat.* Cùm dicit τάχα καὶ τάχα, *fortasse & fortasse*, elegantiæ est formula, non dubitationis: neque enim credendum est hæsitanti eum animo hoc enuntiasse, sed immoto & stabili, cùm nihil sit hoc ipso certius, quòd infirmitatum omnium in se susceptio earundem fuit sanctificatio in nobis; & sicut ex una parte, eas ideo suscepit ut se hominem monstraret, ità ex altera, ut nos homines erigeret in iisdem angustiis quotiescunque constituendos. Quid argumentis opus est in re quotidiana, quæ clarior est quàm ut ullis egeat? Huc nos Scripturarum testimonia, huc fidei analogia, huc ipsa ducit experientia, pro nobis eum assumpsisse quod de nobis accepit; & ideo de nobis, ut ad nos commodum redundaret; idque sive de morte, sive de paupertate, sive de siti & esurie loquamur. Ad hoc iis omnibus se subjecit, ut exercere nos possint, non superare; ad hoc, inquam, nè aliquando nos misellos aut obruant, aut perimant: imò verò nè deprimant; aut saltem si corpus deprimant, ut animum in sublime ferant, ad ea loca ubi nec est cibi desiderium, nec famis metus. Quòd si adhuc hæsitas, audi ipsum loquentem, Joan. 17. 19. *Pro illis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* Audi ex ore Magistri Apostolum, Heb. 12. 13. *Ut sanctificaret per suum sanguinem populum, propter hoc passus est.* Et quid passus? Mortem. Verum est, sed non solam mortem propter hoc, sed sitim, & famem, & timorem, & tristitiam, & fugam, & omnia; vix passio ulla excipitur. Sustinuit mortem, ut mortis adimeret aculeos; fugam, ut asylum erigeret in seipso iis qui persecutionem patiuntur; dolorem & metum, ut tristes & trementes confirmaret; fatigationem, ut fatigatos sustineret; sitim, ut potum spiritualem

tualem porrigeret sitientibus; esuriem denique & famem, ut fames ejus totius humani generis esset refectio. O facti mysterium! Plaga ejus est nostra medicina; Esuries ejus, nostra plenitudo. *Sic quod prior homo*, dicente Ambrosio, *manducando perdidit, ipse esuriendo recepit, & fecit ut cibus primi hominis, quem per prævaricationem gustaverat, esurie suâ solveretur, tinctus hujus famis merito.* Hæc ratio secunda, ab ordine Spiritualium deprompta.

Porrò est & altera, in Moralium ordine recensenda; Esuriebat, ut Sympathiam suam demonstraret quam nobiscum habet in perpessionibus nostris. De Sympathia cùm loquor, non dignationem solam bonitatis intelligo, aut cognationem naturæ, sed passionum conformitatem. Est una pars Sympathiæ quæ oritur ex dignatione miserationis, quà Deus est; éstque hæc altissima omnium, ut nobis dignetur compati, qui in se est impassibilis: *Qui vos tetigit, tangit pupillam oculi mei*, Zach. 2. 8. Est altera ex cognatione naturæ proveniens, quà homo est; éstque hæc propriissima, & primâ major, quia multò est nobis in nostris conjunctior quàm in suis, magísque sentiat necesse est dolores nostros in natura nostra positus, quàm si in majestate sua permanens quæ nostra sunt non assumpsisset. Denique est tertia ex Passionum conformitate resiliens, quà homo infirmus erat, & *vir dolorum*; éstque hæc penitissima Sympathia, majórque secundâ: ut majoris est necessitudinis defectus nostros assumere quàm naturam, eósque experiri quàm nosse. Inter omnia, quotquot sunt, Sympathiæ sacramenta hoc nullum est majus, nullum laudabilius, quàm aliorum morbos & vulnera in se transferre, & gravamina suscipere, & sarcinas oneráque portare. Hæc Christi est Sympathia, velut promus nobilis gustavit prior famem, ut nobiscum convivam se præberet non minùs esurientibus quàm edentibus. Si dubitas, ipsum habes hoc profitentem, Matth. 15. 32. *Misereor turbæ, quia jam triduum mecum permanent, nec habent quod edant: dimittere esurientes nolo, nè deficiant in via:* qui in se esuriem suscepit, non ignarus mali à nobis depellere conatur; & qui in seipso dierum quadraginta jejunium consecravit, illorum misertus est de triduo. Hoc Sanctus Propheta sensit, cùm *languores nostros portasse* eum prænuntiat, Isa. 53. 4. Hoc S. Apostolus vidit, cùm *ejusmodi Sacerdotem* dixit, ὁ δυνάμενος συμπαθῆσαι, *qui possit infirmitatum nostrarum sensu affici*, Heb. 4. 15. *& ejusmodi Pontificem*, ὁ κατὰ πάντα ἀφωμοιωμένος, *qui nobis per omnia similis factus*, Heb. 2. 17. *Per omnia similis*, similis in natura, similis etiam in defectibus; similis in introitu, ut compateretur nascentibus; similis in exitu, ut morientium miseriis afficeretur; similis in somno, fame, siti, ut possit & dormientium misereri ad custodiam, & esurientium ad impletionem. En quò deduxit Salvatorem commiseratio nostri. Ad terras? Parùm est: Ad Jordanis aquas? Parùm: Ad jejunium? Et hoc parùm: Ad esuritionem? Summum est: nec tamen cætera parva, & quanta quanta fuere singula, ea omnia produxit Commiseratio. Quòd naturam nostram assumpsit, effecit Commiseratio: quòd infirmitatibus nostris se subjecit, Commiseratio: quòd inter cæteras sitim & famem expertus est, Commiseratio. Nè despondeamus animos, habemus illinc quod hauriamus, à plenitudine ejus, imò verò ab exinanitione. Etenim ad hoc se exinanivit, ut de plenitudine sua nos adimpleret; & ad hoc esuriebat, ut esurie suâ nos pasceret, & de Sympathia certiores redderet. Hæc ratio tertia est, in ordine Moralium posita. Atque hactenus de Causis primæ classis, hoc est, de Causis Esuritionis simpliciter & in Genere sumptis.

Secunda

Secunda est de Causis Specialibus, quæ de Esuritione etiam quærunt, sed non simpliciter, verùm respectu habito ad opus tempúsque Jejunii; ut inquiri jam possit, quæ potissimùm sit ratio cur ad hunc usque terminum Esuritionem distulerit, neque eam voluit esse Jejunio contemporaneam, sed subsecutivam, ut quamvìs eam ex Jejunio traxerit, at inter jejunandum non patiebatur, sed post consummatum Jejunium. Quod ad hanc partem spectat, solutionis fundamentum ex verbis Salvatoris petendum est quibus matri suæ respondebat, Joan. 2. *Mulier, nondum venit hora mea.* Neque hoc ab illo solummodo dictum est, sed & de eo Evangelista alicubi pronunciat, cùm capere eum Judæi non possent; *Nemo*, inquit, *misit in illum manum, quia nondum venerat hora ejus.* Est autem istorum uterque locus non sic intelligendus, quasi de Hora necessitatis sermo fieret; non enim subjectus est Tempori temporum opifex authórque seculorum: sed in utroque oportet Horam opportunitatis & voluntatis intelligere: in illo, quòd nondum venerat tempus miraculorum principio à se destinatum; in altero, quòd nondum venerat tempus passionis. Hinc est quòd in alio loco, *venisse horam* asserat, sicut in istis *non venisse*, Joan. 17. 1. *Pater, hora venit, glorifica filium tuum.* Ex quibus omnibus jam simul sumptis nemo est qui non videt, aliud esse Tempus, aliud Opportunitatem: οὐκ ἔστιν ἐν παντὶ καιρῷ τὸ καίριον, ut Nicephorus Greg. loquitur, *Non omnibus negotiis tempora omnia esse opportuna, neque esse in omni tempore opportunitatem*; ἔστι γὰρ καιρὸς ἀκαιρίας γέμων, *Sunt nonnulla tempora quæ minimè sunt tempestiva:* quæ quidem distinguere semper posse, sagacitatis suprema laus est, capútque prudentiæ. De Salvatore dubitatio nulla est, commoditatis omnes articulos scivisse eum dum in terris ageret, nihílque fecisse præproperum aut extra tempus, sed opportunè & commodè quicquid fecerit: non seriùs quàm par erat, si hora venerat; nec citiùs unquam, si hora non venerat. Ut cætera taceam, observare hoc quivis potest in Esuritione ejus, quòd legimus eum & esuriisse post quadragesimum diem, & antea non esuriisse. Utriusque Causa à prædictis sententiis est mutuanda: etenim quòd antea non esuriebat, exinde erat, quia nondum venerat hora ejus; quòd autem postea esuriebat, exinde etiam fuit, quia hora venerat. Erat usquequaque tempus maximè opportunum, & respectu Salvatoris, & respectu Tentatoris, & respectu Nostri.

Inprimis, si de Tentatore loquamur, fuit hic itineris finis secundus, ut ipsum subjugaret; secundum dico, non primum: primus erat, ut Deo se Jejuniis & Orationibus dedicaret; hoc igitur opere peracto ad finem secundum se vertit: & quia in se tantum suscipere facinus non ausus fuerat Tentator si nullum infirmitatis vestigium in illo reperiisset; ut timido hosti, & quasi Deum aggredi non audenti, animum ad aggrediendum adderet, ostendit se hominem esuriendo. Dicite, annon erat prudentiæ opus? annon hæc hora opportunitatis? Quòd si illud juxta generales rationes duntaxat pensitemus, prudentiæ lineas clarissimè lucentes nemo est tam cæcus qui non videat, ut per infirmitatem robur vellet superare; & id agere, ut qui primum hominem epulantem vicerat, à secundo esuriente vinceretur. At verò à Temporis circumstantia prudentiæ laus crescit, quòd placuit ipsi post quadraginta dierum Jejunium esurientem se Tentatori exponere: sic igitur habitote. Quòd quadraginta diebus jejunavit, hoc erat fortitudinis, & diabolum traxit in admirationem, si purus homo possit hoc facere: Quòd esurivit, hoc erat imbecillitatis, & præsumptionis causam diabolo subministravit, ut pro certo hominem crederet;

deret; quia ubi fames, ibi infirmitas. Ex istis sequebatur, ut qui priùs dubitavit hominem, nunc dubitaret Salvatorem; & quamvis Jejunium pertimesceret, at Esuriem ejus sibi usui futuram sperabat; ut intrepidè tentaret quem vidit mortalis & passibilis esse naturæ. Hoc caput est quod dixi prudentiæ. Enimvero si intra quadraginta dies Jejunio & Orationibus dicatas esuriisset, interventurum Tentatorem veri est simile, quò pietatis officia perturbaret: ergò utramque temporis partem adeò prudenter Dominus disposuit, ut ante horam præstitutam Satanas se non immisceret, nisi peractis Sacris. Quî verò istud? Dicam verbo, Ut diabolum Christus vinceret necessitas salutis nostræ postulabat, quia sine prostratione captivantis captivorum plena non esset redemptio: ut vinceret, necessariò erat tentandus, quia vincendus eo modo erat quo nos vicerat, hoc est, per tentationem: ut tentaretur, recipit se in desertum, & illuc quoque properabat Satanas, ut occasionem caperet tentandi. Conspexerat diu Christum Tentator in Divinis totum occupatum, orantem, jejunantem, & per quadraginta dies esuritionis signum nullum prodentem; obstupuit, expalluit, non ausus est adoriri. Quid igitur Christus? Expleto dierum numero permisit humanæ naturæ ut quæ sua erant pateretur, & esuriret; & per hoc spem congrediendi Adversario tribuebat, qui simul ac esurientem conspexerit, tunc sensit hominem, tunc mortalem credidit, tunc eum putavit posse tentari. Hoc esurientis consilium, neque piget sæpius inculcare; nam Patres ad unum omnes non modò ad illud recurrunt, sed provocant, velut ad triumphi partem non minimam Salvatoris. Et Chrysostomus quidem pacatiùs paulò, quamvìs in cæteris ferventior; *Processit*, inquit, *in diabolum, nec in totum quasi homo, ideo miraculosè jejunavit; nec in totum quasi Deus, ideo esuriit: ut qui jejunantem videns desperaverat, esurientem conspiciens assumeret animos.* Irenæus multò acriùs; *Contra luctatorum morem in arenam descendit; nam adversarium provocat, non, ut fieri solet, virtutis jactatione, sed ostensione infirmitatis: & quia ad armatum accedere timebat hostis; sicut David cùm adversus Goliah exibat Saulis arma deposuit, itidem & Christus arma quodammodo Divinitatis ponit, nudúsque & inermis incedit.* Ambrosium præterirem, nisi eum pietatis impetus eò provexisset, ut magìs excusationem mereri illius verba videantur quàm laudem, quia simulâsse esuriem Christum prædicat. Habetur locus in Serm. 35. Verba hæc sunt, *Post jejunia multa, esurire se Christus simulat, ut diabolum, quem jejunando jam vicerat, iterum esuriendo sollicitet.* Duriora sunt hæc, ut Dominum, in quo nihil fuit simulatum aut fictum, simulâsse diceret esuriem. Quo putas plausu arrepturi essent hæc verba Apelles aut Marcion, qui aereum & umbratile corpus & putativas passiones nefario commento somniabant? Quid illi, si virum Sanctum, Patrúmque Latinorum post Augustinum receptissimum, audissent dicentem *simulâsse Christum esuriem?* Si enim esset simulata aut ficta esuries, non fuit realis aut vera; si non vera sed simulata fames, non vera sed simulata caro, & simulata passio, & simulata redemptio: ergò & simulata salus. *Dic, Augustine, colorem.* Hem, dicit, Qu. evang. c. 50. *Non semper*, inquit, *in malam partem hoc Simulare est interpretandum. Si fingimus aliquid quod nihil veri significat, tunc in errore ponitur: cùm autem fictio refertur ad aliquam significationem, est figura veritatis.* Quod idem est ac si dixisset, simulare quod non est, esse in vitio; at simulare quod est, carere noxâ. Siquis se simulat id facere quod facit, non jam fucus est simulantis, sed professio facientis. Hic color est Augustini; nec color quidem, sed corpus solutionis, si per omnia præsenti negotio quadraret. Quid igitur faciendum? Num deserendus est Ambrosius, aut tenuitatis nostræ indigere advocatione putas Doctorem maximum?

Non indiget quidem, sed permittite tamen ut habeat, quia latissima patet area defensionis. Inprimis illud sufficere potest, nil tale Ambrosio in mentem uspiam venisse, nè per somnium quidem; hæreticorum non fautor erat, sed malleus, & horum maximè qui fictitiam Christi carnem & imaginarias passiones ore putido contendebant. Testem appello insignis pietatis & eruditionis librum quem De incarnationis Dominicæ Sacramento exaravit; & illos alteros verè aureos De fide Trinitatis, ad Gratianum Augustum. Testor cætera ipsius volumina, in quibus sæpissime hæc hæreticorum deliria refellit, redarguit, abominatur; eâque indignatione & zelo, ut nemo suprà. Nemo est qui majori cum stomacho contra Manichæum & Valentinum insurgit, qui veritatem humanæ carnis Christi negabant, condemnans eos qui in phantasmate venisse Jesum prædicant: *Dic, quæ tantum sacrilegium Inferna vomuerunt?* sunt ipsius verba, lib. De Incarn. Sacram. c. 6. Nemo est qui veræ carnis mysterium aut sæpius aut ferventiùs vindicavit. *Non speciem incarnationis suscepit, sed veritatem*, lib. 10. in Lucam, c. 22. & l. 1. De Sacr. c. 5. *Mementote quid dixerim, Christus carnem suscepit, verè carnem; non sicut carnem, sed carnis istius veritatem.* Hæc & multa alia Ambrosius urget pro passionum veritate. Quod autem hoc loco de Simulatione famis videtur loqui, elegantiæ vox erat, non erroris; & luxuriantis calami sermo, non deviantis. Habet aliquando castam hæc dictio significationem, ut non sit idem quod *Colludere*, sed quod *Ostendere* & *Demonstrare*. Sic eâ nonnunquam authores Classici abutuntur; ut *Simulare* nil aliud sit quàm *Id quod abest simul esse ostendere.* Sic Ovidius, Ep. 20.

Nil loquor, & tecto simulatur lumine somnus:

Somnus simulatur, hoc est, Somnus accedit, aut Somnus capitur. Similiter & *Fingendi* vocabulum alterum aliquando in eo sensu accipiunt, ut *Fingere* idem sit quod *Formare* aut *Componere*. *Apes favos fingunt*, apud Cic. Offi. l. 1. & apud Ovidium, Ep. 20. Cydippe ad Acontium sic loquitur, *Elige quid fingas*, i. e. *elige utrum facias:* & apud Virgil. Æn. 8. de Romulo & Remo loquitur à lupa enutritis, *fingere linguâ*, i. e. *lambendo tergere & formare*. Idem est quod apud Plutarchum, l. De Amore prolis, τῇ γλώττῃ διατυποῦσα, *linguâ catulos suos ursa format*; ut non solùm videatur parere, sed fabricare. Mittamus exteros, & veniamus ad Sacram Paginam. Habetur similis vocis significatio in Luc. 24. 28. De Christo Domino Evangelista pronuntiat, discessum suum à duobus discipulis simulâsse eum, προσεποιεῖτο πορρώτερω πορεύεσθαι, *simulavit*, aut *finxit*, *se longiùs iturum:* num hallucinatum esse putas? aut prætendisse quod non cogitavit? Absit: erat in ejus animo, statuebat secum id facere; & fecerat, nisi discipuli contrà persuasissent. Quando igitur dicitur, *Simulavit se iturum longiùs*, non aliud est quàm si dixisset S. Lucas, Composuit motum suum quasi volentis longiùs ire; aut, edixit iis & significavit se longiùs iturum; aut, ut Erasmus vertit, *præ se ferebat*, hoc est, profitebatur se *longiùs iturum*. Sic locutum Platonem in Epistolis Grammatici observant, προσποιεῖται μὴ τὰ δημοκρατικὰ ξυμφέροντα εἰδέναι· & Æmilius Portus in Suidam, in verbo προσεποιήθη, *Simulavit*, inquit, hoc est, *demonstravit*, *declaravit*.

De Ambrosii loco haud aliter est existimandum, cùm post Jejunia simulâsse Esuriem Christum affirmet, non fictionis præsumptio est, sed rhetoricalis & figurativa expressio veritatis; *simulavit*, i. e. *ostendit*, *prodidit*, *manifestavit se esurire*.

Occurrunt multa id genus in Sanctorum Patrum scriptis, quæ primo aspectu videntur esse duriora, quæ tamen meliùs expensa inveniantur esse venustissima. Est illud simile S. Hieronymi, cùm de maledicis ad Pilatum Pharisæorum

særorum verbis agit, quibus Christum *Seductorem* vocabant, Matth. 27. 63. *Domine, meminimus Seductorem illum dixisse, Post tres dies resurgam: Vide*, inquit Hieronymus, *ignorantes verum dicunt, Seductor enim erat Christus, à falsitate in veritatem, à vitiis ad virtutem, à morte ad vitam ducens.* Est & illud simile apud ipsum Ambrosium, in Hexaem. l. 4. c. 8. vulgi opinionem tractantem, qui incantationibus credebant Lunam posse deduci: *Ecce*, inquit, *Ecclesia Luna est, habet Incantatorem suum Dominum Jesum, per quem Magorum incantantium carmina evacuavit, quia nihil incantatores valent ubi Christi canticum decantatur.* Quòd si hæc *Incantatoris* & *Seductoris* vocabula in pejus rapiantur, nihil est detestabilius; at verò in sancto illo Hieronymi & Ambrosii sensu ingeniosa sunt, & pietatis indoli consentanea, quæ si sit aliquando subtilis & docta, at nunquam est in Salvatorem suum contumeliosa. Eòdem etiam est referenda phrasis hæc de qua nunc loquimur, éstque eò animadversione dignior, quia sæpius occurrit in Ambrosii monumentis, éstque ei adeò familiaris, ut sua videatur formula, & penè propria. In l. 5. De Fide, ad Gratianum, c. 2. de Christi nescientia verba faciens, juxta illud Mar. 13. *De die illo nemo scit, nè Angeli quidem qui sunt in cælo, nec ipse Filius*; *Vide*, inquit Ambrosius, *nescire se simulat, ut scire faciat nescientes.* Rursus, in Ser. 3. locum illum tractans in Joan. 4. ubi aquam à Samaritana Christus petebat, *Aquam*, inquit, *à muliere postulat, & sitire se simulat, ut sitientibus æternam gratiam largiatur.* Attende paulisper, quotidiana sunt Ambrosio, *simulat se sitire, simulat se nescire, simulat se esurire*: quæ quamvìs durioris sunt soni, at piæ sunt significationis, quia *simulare* nil aliud est quàm *profiteri.* Huc accedit, quòd *simulari* dicuntur quæ videntur fieri, tametsi eadem sint quæ videantur. Et secundùm hoc, *Simulabat se esurire*, non aliud est quàm Videbatur diabolo esurire, cùm certò cognoscere nequiret. Videbatur autem, quia famis argumenta edidit, fecit quod esurientes solent: morsus erat fortasse aliquis & murmur stomachi, aut cordis palpitatio, aut languida respiratio pulmonum, aut id genus signa similia; fortassè etiam & cibum quærebat quo naturæ satisfaceret. Ex his signis potuit diabolus aut cognoscere, aut saltem conjicere eum esurire: ut jam non sit opprobrium aliquod in hac loquendi formula, si candidè interpretemur; sed eleganter *simulare* dicitur *Esuriem*, quia dissimulavit & celavit potestatem, quò tentandi ansam arriperet Adversarius, quod etiam & fecit. Sic *hâc quasi piâ fraude* (sunt Ambrosii verba) *captus est Tentator; dum enim involavit, velut in escam, in infirmitatem humani corporis, impingebat in uncum Divinæ virtutis.*

Quapropter ut redeat tandem quò deflexit oratio; Non aliud est quod ibi S. Ambrosius urget quàm quod ubique reliqui Patres contendunt, Idcirco Christum post Jejunium esuriisse, ut quia à longinquo Satanas steterat jejunanti, quia suspicabatur ex potestate Deum, appropinquare posset esurienti, cùm ex fame hominem præsumeret. Hæc prima est servati Ordinis ratio, Cur non in Jejunio esurire voluit, sed post Jejunium; scilicet ut cùm Patri se consecrâsset jejunando, Tentatori se etiam permitteret esuriendo; & postquam Naturæ necessitatem vicerat, vinceret & artes Adversarii. Hæc, inquam, est prima ratio, Opportunum erat respectu Tentatoris. Superest ut ad rationes reliquas accederem, sed de præfixo spatio me abstulit S. Ambrosii defensitatio, fecítque ut plus justo à rerum ordine declinarem; nè fortasse quis sciolus, si in hæc loca inciderit, aut seipsum seduceret, aut tanto obtrectaret Doctori, ea perperàm interpretando. Ad vos quod attinet, si officioso huic erga Sanctum Patrem obsequio daturi estis veniam, dabo operam die sequenti ut ad inceptum recurrat disputatio.

LECTIO XX.

DE Causis Dominicæ Esuritionis generaliter & in commune sumptis superiùs disserui, ostendíque eam ad tres potissimùm Fines fuisse ordinatam. Ad probationem humanitatis; quia ubi fames, ibi imbecillitas, & nihil est quod hominem magis denotat, quàm cibo indigere & esurire. Ad demonstrationem Sympathiæ; quia nulla major est invitatio ad compatiendum aliis, quàm ejusdem infirmitatis sensus experimentúmque in seipso. Postremò, ad Sanctificationem famis nostræ; quia sensus inediæ ad ipsum, virtus ad nos redundavit, & assumptio ejus erat beneficium nostrum, dum ejus exinanitio nostrorum omnium facta est spiritualis repletio. Hæc tria sunt seminaria quorum impulsu ductum Salvatorem puto ut Esuritioni corpus suum subjiceret.

His igitur ità expeditis, superest ut ad Causas speciales pergamus, quæ Temporis rationem respiciunt: hic labor secundus, alteróque longè difficilior, eò quòd rationes Temporis ejusmodi sunt quæ sub demonstratione certa non cadunt, non sub scrutinio, ad summum non nisi sub verisimilitudine & conjectura. Non, inquam, sub demonstratione cadunt, quià impervestigabiles sunt viæ Domini, & absconditæ ab oculis omnium viventium; quis potest scrutari? *Non vobis datum est nôsse tempora,* inquit ad Discipulos; *quis est qui cognovit mentem Domini? aut quis fuit ei à consiliis?* respondeat qui potest. Esto, at possumus tamen eas modestâ & probabili conjecturâ fortasse assequi, à fidei Analogia & Scripturarum investigatione. Si his cancellis inquisitionem nostram circumscribamus, non est in Arcam Domini scrupulosus intuitus, sed pia consultatio. Ad hoc nos S. Moses invitat, Deut. 29. 29. *Quæ occulta sunt penès Dominum Deum nostrum; quæ revelata, nobis sunt & filiis nostris:* idque non solùm ut cognoscamus, sed ut scrutemur, ideóque scrutemur, ut cognoscamus. Ad hoc nos S. Paulus, 1 Cor. 2. 16. ubi postquam hoc ipsum velut fundamentum statuisset, Neminem esse qui cognoscat mentem Domini; mox & illud subnectit, *Nos autem habemus mentem Christi:* ex istis nos erudiens, quòd tametsi ex se ad cogitationes & consilia Dei nemo possit perfectè penetrare; at ex Scripturarum studio & Spiritûs Sancti revelatione, qui spirituales sunt de ipsis fidei mysteriis judicare possunt, atque illis ea tradere qui eorum discendorum fuerint capaces. Quocirca his ità se habentibus, progrediamur alacres ad Temporis rationes exquirendas, Cur post Jejunium esurire voluit Dominus magìs quàm in Jejunio, famémque ità disposuit, ut non esset intermixta diebus Jejunii, sed eorum subsecutiva. Rationem unam reddidimus priùs; Quia maximè opportunum tempus erat respectu Tentatoris; cùm enim ad hoc in desertum se recepisset ut tentaretur, per Esuriem escam objecit captatori quâ & ipse captus. *Esuriit humilis Deus-homo,* inquit Glossa, *nè adversario sublimis innotesceret homo-Deus.* Hæc consilii ratio fuit, *ut dum patebat infirmitas, lateret potestas,* sicut Hilarius loquitur. Conspiciens Tentatorem à longinquo stantem jejunanti, neque aggredi audentem, quippe qui suspicabatur ex ea potestate Deum, ecce potestatis arma deponit, permittit humanæ naturæ quæ sua sunt pati, ostendit se verum hominem esuriendo, quò diabolum provocaret ad prælium; ut qui eminùs steterat jejunanti, esurienti appropinquare posset, cùm ex fame & hominem cerneret, & dubitaret

taret Deum. De hac dictum est fusiùs die pristino. Quæ sequuntur rationes reliquæ partim ad Christum, partim ad Nos, partim ad Esuriem ipsam sunt referendæ: ut ex omnibus junctim appareat, tempus maximè opportunum fuisse tum respectu Sui, tum Nostri, tum etiam Rei Ipsius in qua versabatur. Hic ordo est singularum, hæc dependentia: juxta hunc ordinem percurram singulas, sed in compendio, ut tandem in illo quod maximum est finis disputationis constituatur.

Respectus primus à Christo ipso desumitur, & ab eo pendet prima Temporis ratio; Erat summopere opportunum, Divinóque consilio ordinatum, ut non nisi post Jejunium esuriret, quò simul utriusque naturæ specimen daret; ut eodem tempore quo se Deum Divino Jejunii miraculo probavit, etiam homo esse humanis infirmitatibus dignosceretur. Sufficere quidem poterat ad utrasque demonstrandas, si seorsim & disjunctis temporibus utriusque experimenta reddidisset, quod & sæpius fecit: verùm magis ad honorem & amplitudinem unionis hypostaticæ spectabat, ut qui unione indivisâ uterque fuit, & Deus & homo, sub uno quasi aspectu utriusque probationem poneret, & non per intervalla tantùm, sed simul & semel. Non vos hoc latet, Auditores; vix enim quisquam est vel mediocriter in Sacris Literis versatus, qui nesciat hunc manifestandi sui ordinem multoties Dominum observâsse, & utriusque naturæ argumenta in uno eodémque opere sæpissime exhibuisse.

Exordiamur à Bethlehem, hoc est, ab ipsis Natalitiis: illic eum videre est eodem tempore vagientem in præsepi, matris mammas appetentem, & vitali papillarum rore se lactantem; hæc hominem loquuntur: at unà videre possumus legatos ad Pastores mittentem sanctos Angelos, & novæ Stellæ nutu à longinquis oris Magos vocantem ad Natalium celebritatem; hæc Deum prædicabant. Ito à Bethlehem ad Jordanem, intuere illic in unda mystica, velut unum è plebe, subjicientem se Præcursoris ministerio; in hoc erat forma servi, similitudo peccatoris: at simul intuere etiam cœlos tunc aperientem, & Patris vocem volatúmque ad se accersentem spiritualis Columbæ; ex his formam Dei agnoscis Numinísque potestatem. De Navicula quid dicam? in qua & dormiebat corpore, & Deitate conturbabat maria, iterúmque placabat. Quid de Lazari exsequiis? ubi eum & orâsse legimus, & flevisse, quæ sunt hominis; sed revocâsse de supernis mortui animam ad pristinum corporis habitaculum, quod est Omnipotentis. Quid adhuc de Passione ejus? ut homo contristatur; prænuntiat adventum proditoris ut Deus: ut homo apprehenditur; ut Deus apprehendentes prosternit: ut homo flagellatur, illuditur, cruci configitur, & se queritur derelictum; cætera Divinitatis erant, quòd latroni paradisum pollicetur, quódque Solem & elementa fecit & impiorum horrere facinora, & suo testimonium ferre Conditori. Ex his, opinor, satis supérque constat, has ostensionis suæ vicissitudines servâsse Christum in toto redemptionis negotio & qualibet ejus parte, ídque consultò & deditâ operâ. Pariter & eodem consilio Esuriem suam instituit hoc in loco, ut Jejunium suum proximis vestigiis sequeretur, quò possit alternatim ex utraque parte signa ac testimonia posteris relinquere & Divinæ potentiæ & humanæ infirmitatis. Nam quòd tot dies ac noctes jejunavit, Deitatis virtus erat; quòd esurierit, humanitatis exhibitio. Ergò conjungit utrumque, καὶ διὰ μὲν τοῦ πρώτου ἔδειξεν ὅτι Θεός, (verba sunt B. Ignatii) διὰ δὲ τοῦ δευτέρου, ὅτι καὶ ἄνθρωπος. Hoc puto hujus *ad Philipp.*
concursûs fuisse mysterium, hoc Temporis seligendi consilium, quia per 40 dies non esurire Omnipotentiæ fuit; postea esurire, infirmitatis. *Curavit*, inquit Cyrillus, *ut per utrumque egregiè Deus simul & homo cognosceretur*;

nosceretur, unus & idem manens, & Diviné super nos, & sicut nos humané. Hæc prima ratio est, à Sui respectu desumpta, Oportebat postea esurire, ut specimen aliquod daret utriusque naturæ.

Respectus secundus ad Nos vergit, & ab ea secunda Temporis ratio deducitur; Opportunum erat respectu nostrî, in disciplinam nostram & eruditionem, ut & à Jejunio fames ejus flueret, & statim post Jejunium sequeretur. Verùm non habeo in hac parte, ut priùs monui, quod pro certo statuam. Satìs erit si aptè conjiciam quæ probabiliter dici possunt. Fortasse ad hoc post Jejunium esuriebat, ut doceret, Afflictionem animæ comitari debere Jejunia nostra, quia nihil est quod magìs horreat Dominus quàm si Jejunia luxurie & carnis illecebris claudamus. Quòd *si quis jejunans ad luxuriosam cœnam servat ventrem suum, non est Jejunium continentiæ*, inquit Augustinus, *sed peccati; neque hoc simplicis, sed duplicati, quia & Jejunium fingitur, & luxuria indulgetur.* Ad hoc respexisse Christum nil repugnat in hac Jejunio suo subsecundaria esuritione; quia enim hoc secum statuerat, inter jejunandum non esurire, idcirco peracto demum jejunio infirmitati huic se statim submisit, nè quis de molli aut delicato jejunio vel somniaret. Fortasse & ad hoc respexit, ut ostenderet pietatis exercitia non prorsus nos à molestiis aut infirmitatibus corporis liberare, sed magìs præparare & fulcire ad eas perferendas. Consectarium hoc esse salutare nemo est qui negabit; puto etiam & absque ulla coactione genuinum; nè sibi quis blandiatur de falso & non indulto immunitatis à passionibus naturalibus privilegio, cùm diutiùs solito sacris incumbit officiis. Potest quidem fieri ut in hæc exercitia mens intentior eousque obliviscatur sui, ut famis aut alicujus doloris acerbitatem pro tempore non sentiat: sed largiendum est tamen naturæ quod suum est, ac pro certo exspectandum, quòd simulac ardor animi cessaverit, ad solitum natura redibit, quod suum est operando. Etenim & ipse Salvator, tametsi in Jejunio totus in Deum quasi absorptus esset, adeóque in ejus altissima contemplatione immersus, ut præ ardore & impetu devotionis nullam famis acerbitatem aut contraheret, aut saltem persentisceret; at consummato jejunio famis morsu pungitur, esuriémque profitetur.

In Psal. 43.

Postremò, fortasse hâc intentione fecit, ut ostenderet neminem esse, quantumlibèt sanctum & in altissima contemplationis sede positum, qui corporis aut carnis suæ curam debeat rejicere; quia est ancilla spiritûs, & mentis necessarium organum in quibuscunque religionis operibus exsequendis, & quod suum est exsequi non potest nisi sustentetur. Cura igitur & ejus habenda est aliqua, quamvìs casta & sobria, aliqua tamen; neque nulla esse debet, neque nimia: non Nimia, nè hostem nutriamus; non Nulla, nè civem enecemus: verùm medio quodam modo ad corpus nos gerere oportet, ut illi qui nec propter corpus vivere debent, nec sine corpore vivere possunt. *Velut in momentis librarum*, inquit S. Basilius, *si lancem alteram nimiò aut refarcias aut imminuas, inhabilem reddis.* Hinc est quòd S. Paulus non dubitet *membra Christi & Spiritûs Sancti templa* Corpora nostra appellare: ut si quis sit tam durus aut tetricus, qui nollet suiipsius causâ corpus suum cognoscere, aut in ullo parcere, at *in se saltem Spiritum Sanctum cognoscere debet*, inquit Augustinus, *& in se Christo parcere, cujus membrum in corpore suo gerit, fidei sua custodiaque concreditum.* Agnosco de cœlesti ad quam aspiramus patria verum esse, quòd nullam nostram curam postulabit corpus, si semel illò pervenerit ubi plenam immortalitatem percipiens corruptibili cibo non indigebit: verùm interea temporis, quia stolam immortalitatis nondum adepti sumus, post animæ primam,

Sen. ep. 14. Bas. Hom. Πρόσεχε σεαυτῷ.

Aug. Ser. 18. in verb. Apost.

primam, secunda cura debetur corpori, cùm sit *officina spiritûs*, ut B. Cyprianus loquitur, in qua & per quam sua opera perficit atque consummat. *Cypr. in Prolo-go Serm.* Non igitur est quòd timeas nè tibi vitio vertatur quòd esurias aut sitias, quódque esuriem aut sitim restinguas, si conscientia sit pura, & spiritus integer; sunt enim hæc necessitati largienda. Cœlestis vita est quæ hos motus non sentit omnino; mortalitatis est sanctæ eos retinere & moderari. Etenim Christus ipse, qui inter jejunandum soli Deo vacabat, post Jejunium esuriens corpori suo curam impendit. Fieri potest ut ad hoc Christus prospiceret, potest ut ad reliqua: potest, inquam; nam temerarium esset quasi de facto esse definire, in re & tam abscondita ut certitudo causarum non pateat, & tamen tam accommoda ut non locum adimat conjecturis: quas quidem si rectè attigi, bene habet, appellabo Temporis rationes; sin minùs, erunt saltem eruditionis nostræ documenta. Ità utroque modo Temporis opportunitas est manifesta, non Sui solùm, sed Nostri respectu, quia facit ad Disciplinam nostram. Hæc secunda est ratio, à secundo Respectu deprompta.

Respectus tertius est Rei ipsius, hoc est, Esuritionis, & ab ea fluit tertia Temporis ratio, quæ hæc est; Conveniebat famis ejus amplitudini, ut esuriendi Modo Tempus responderet, útque quod singulare fuit atque extraordinarium quantum ad Modum, dignosceretur ejusmodi fore ex Temporis circumstantia. De Modo non opus est ut altiùs repetam quod priùs est abunde explicatum, Discriminis multum esse inter Christi Esuritionem & nostram: nostra enim ex necessitate emergit; Christi hæc ab arbitrio ejus pendebat: nostra, utì ex principiis naturalibus oritur, ità ad finem etiam naturalem tendit, ad virium deperditarum restaurationem; Salvatoris Esuries non sic; quemadmodum à sacro fonte primariò fluebat dispensationis Divinæ, ità ad finem sacrum principaliter erat ordinata, salutem hominum. En Temporis opportunitatem! en Domini disponentis prudentiam! cùm nostra Esuries soleat in Jejunio (præsertim si diuturnius est) contingere, post Jejunium consummatum suam Christus ordinavit; ut inter suam & nostram differentia innotesceret, quòd non erat esuritio ejus purè naturalis, aut simpliciter necessaria, ut nostra; sed & Principii respectu voluntaria, & respectu Finis sacra. Ex Temporis ratione utrumque dignosci potest, & verbo expediam.

Inprimis, quòd fuerit Voluntaria, hoc Temporis ratio probat, quia nihil est magis voluntarium quàm esurire & non esurire pro arbitrio suo. Alioqui si in voluntatis potestate non fuisset, dicat quisquam velim, cur potiùs post diem quadragesimum hoc ei contingeret quàm intra spatium quadragenale. De Mose & Elia legimus, usque ad eos ipsos terminos Jejunia sua utrumque produxisse: utrùm esurierint nécne, non legimus; ideo credendum est non esuriisse. Quæ, obsecro, est causa? quis sensus, quòd Dominum post Jejunium esuriisse Scriptura significavit, cùm Mosis & Eliæ esuriem prorsus taceat? Quid? Num patientia hominum Christo major est? aut prævertere esuriem illi poterant, Dominus non potuit? Nihil minùs. Hæc potiùs censenda est ratio, Discrimen denotare voluisse Spiritum Sanctum inter Christi esuriem & duorum prophetarum hâc ipsâ circumstantiâ: nimirùm, quòd non erat penès Mosen aut Eliam simpliciter & ex se vel esurire, si natura non poscebat, vel non esurire, si poscebat; sed tantùm Divino miraculo circa eos factum est, ut tanto tempore & sine cibo & sine esurie conservarentur. At verò utrumque Christo in ditione potestatis positum erat, utrumque à voluntatis prærogativa manabat. Etenim quòd non

esuriebat, erat ex unionis gratia naturam reprimente; quòd esuriebat, ex gratia οἰκονομίας id permittente: illud ex potestate omnipotenti, hoc ex potestate dispensativa; utrumque ex placito voluntatis. ἔδωκε, ὅτε ἐβέλετο, τῇ φύσει καιρὸν, inquit Nyssenus, τὰ ἑαυτῆς ἐνεργῆσαι, h. e. *natura sua, quando volebat, occasionem dedit suo officio fungendi*; & *per hoc*, ut S. Augustinus observavit, *non minùs erat miraculosa Esuries ejus quàm ipsum Jejunium:* imò mirabilius esse dicit quòd exactis quadraginta diebus esuriit, quàm quòd labentibus illis nil comedit; quia facultas ei aderat non esuriendi, nisi humanitatem suæ infirmitati Divinitas reliquisset, ut post quadragesimum diem vacillare posset, & famem sentire. Hæc summa est Discriminis; *Quòd non esuriebant Moses & Elias, cælestis possibilitatis erat exemplum*, ut Leo loquitur; *quòd esuriebat Christus, Divinæ dignationis Sacramentum.* Ergò ut illud Spiritus Sanctus innueret, de Mose & Elia tacuit, neque affirmat eos esuriisse: hoc alterum ut Evangelista indicaret, esuriisse post Jejunium Christum pronuntiat; ut tamen intelligamus, ex dignatione voluntatis & dispensationis mysterio manâsse. Hoc primum rationis membrum, ab ipso Tempore demonstrari Esuriem ejus fuisse Voluntariam. Porrò fuit etiam & Sacra; nam & hoc quoque constat, cùm ex Temporis ordine, tum ex Fine ipso in quem erat ordinata. A Tempore, quia post Jejunium, & ex Jejunio suboriebatur, à religioso scilicet & sancto exercitio. Deinde & ex Fine, quia ad finem sacrum eam Christus dirigebat, salutem nostram; idcirco post Jejunium eam disposuit, ut qui in nostram gratiam magìs quàm in suam jejunâsset, non tam sibi quàm nobis se esuriisse monstraret. Hoc illud est quod de ejus siti Sancti Patres ferè omnes prædicant, Fuisse quidem illam sitim veram, sed insuper mysticam, & ardentis desiderii significativ[a]m quo anhelabat redemptionem nostram. *Vera sitis erat*, inquit Augustinus, *cùm dixit mulieri, Da mihi bibere; sed non corporalis sola, etenim fidem ipsius sitiebat: vera sitis erat quando in Cruce positus clamabat se sitire; sed non sola corporis, quia hoc ipso ostendit se fidem incredulæ gentis concupiscere. Sitiebat multùm, sitiebat planè*, inquit Ambrosius, *non potum hominum, sed salutem; non aquam mundi, sed redemptionem generis humani.* De esurie ejus haud aliter dicendum est. Et S. Ambrosius dicit, c. 4. Commentariorum in S. Lucam, *Qui esuriebat cùm voluit, hoc ipso ostendit, non cibum se esuriisse corporis, sed salutem.* Porrò & S. Augustinus, in Psal. 34. & 127. *Quid esurivit Christus nisi fidem nostram, & bona opera nostra?* Atque rectè *fidem nostram & bona opera esurire* dicitur, quia nos illum pascimus credendo & bene vivendo. Si adhuc dubitas, audi ipsum loquentem, Joan. 4. 34. cùm post recessum Samaritanæ discipuli eum ad prandium vocabant, *Cibum habeo quem vos nescitis; cibus meus est ejus exsequi voluntatem qui misit me, & consummare ipsius opus.* En mensam Christi, en epulas. Quòd si Cibus ejus redemptio mundi fuit, & Panis ejus paternæ voluntatis exsecutio; necessariò sequitur, ut Esuries ejus non tam sit corporalis cibi, quàm salutis humanæ & mundi conversionis appetitio. Ergò ad hoc esurit post Jejunium, ut doceret, non tam se infirmitate corporis victum, quàm mentis desiderio incitatum, ut peractis jam in deserto Sacris, salutem humanam esuriret, magnúmque redemptionis negotium consummaret. O facti prudentiam! ô inauditam dignationem! ut non modò pro nobis esuriret, sed nos; ut esuriret qui escam dat omni carni, qui manum suam aperit, & implet omne animal benedictione; ut esuriret qui Manna de cœlo pluit, & verbo potentiæ panes multiplicavit in manibus frangentium. Agnosce, ô homo, dignationem; nam eadem fuit (& non alia quàm illa) quâ fatigari voluit, qui claudis virtutem

In Psal. 68. & serm. 114. de Temp.

Serm. 30.

tem tribuit ambulandi; & oculos suos in lacrymas laxare, qui cæcis aspectum restituebat; & dormire, qui populum suum æternâ vigiliâ custodit; & timere, qui fiduciam; & mori, qui vitam præstat. Ex eodem dignationis mysterio proveniebat ut esuriret, qui panis vitæ est & Manna absconditum. Ad hæc quid nos? O pane Angelorum pretiosior fames! ô cunctis gulæ deliciis palato suavior! ô panis vitæ portio! ô linguis deprædicanda illorum Angelorum quibus datum est ministrare esurienti Salvatori! Post hæc quid superest, nisi ut hæc quæ dispersa sunt unà colligamus, & ab omnibus simul sumptis videamus quid sequi possit ad ædificationem nostram? De Qualitate & Modo esuritionis disputavimus; de Tempore & Differentiis & Causis prolixiùs verba fecimus.

Ex istis una est, eáque valde necessaria, quæ deducitur Quæstio, quam in exordiis hujus argumenti præmisi me persecuturum. Est autem de Christi coassumptis, Quinam illi defectus fuere & quæ infirmitates quibus se Christus subjecit dum in terris ageret. Quæstionem appello, quia ambiguitates suas habet & dubitabiles flexus; Necessariam autem dixi, quia nostrî summopere interest cognoscere, in quorum gratiam, quotquot uspiam fuere, universa sunt suscepta. Quòd si essent ejusdem generis defectus singuli, solutio facilior foret: verùm non sunt ejusdem notæ omnes, imò nec ejusdem evidentiæ. Sunt aliqui quos ipsa Scriptura disertè testatur suscepisse eum; sunt alii, iique non pauci, quos silentio transmisit. Quos legimus, hi sunt, Passibilitas, Mortalitas, Fames, Sitis, Fatigatio, Fletus, Somnus, Mors; ad Corpus ista pertinent: Dolor, Timor, Tristitia, Tædium; hæc ad Animam. Quos non legimus suscepisse, isti sunt, Culpa, Concupiscentia, Ignorantia, respectu Animæ; Deformitas, Cæcitas, Ægritudo, Morbus, respectu Corporis. Sunt igitur tria Defectuum genera; Defectus susceptibiles & suscepti, Defectus susceptibiles sed non suscepti, & Defectus simpliciter insusceptibiles. Isti ad Possibile productum pertinent, illi ad Possibile improductum, postremi ad simpliciter Impossibile. Percurram singulos, atque, ùt breviùs fiat, rem totam tribus Propositionibus complectar.

Propositio prima erit de Impossibilibus, & sic se habet; Sunt aliqui Defectus qui nec suscepti erant nec susceptibiles, quos non modò non suscepit Christus, sed fieri non potuit ut susciperet; imò dictu nefas est eos suscepisse: ejusmodi sunt Peccatum, & peccati fomes Concupiscentia, & ad malum Pronitas, & Hebetudo mentis, & Ignorantia agendorum: istorum aliquod non erat possibile ut susciperet, quia non possunt consistere cum dignitate & officio Mediatoris; imò planè repugnant. Quòd ad Peccatum pertinet, assumere non potuit, quia contradictionem implicat ut posset. Quòd si utique potuisset, non tamen debuit assumere: tum quia peccando virtutis exemplum perfectum præbere non poterat; tum quia peccatum ad opus redemptionis & satisfactionem iræ Divinæ non solùm non potuit conferre, ut Paludanus loquitur, sed & poterat impedire: non enim est qui peccata tollere potest quisquam, nisi qui peccata non habet; neque idoneus est qui pro peccatis alienis satisfaciat, si ipse sit reus & obnoxius peccato. At hoc non est quod contendo, Non debuisse illum, sed, Non potuisse quidem; ídque duplici de causa.

Ratio prima hæc est, Quia Caro Christi ab initio Conceptionis fuit caro Filii Dei, quocirca si vel momento aliquo subjacuisset peccato aut concupiscentiæ vitio, consequens foret, fuisse Deum aliquando peccato obnoxium, & labe concupiscentiæ infectum, ídque propter idiomatum communionem: nam si sanguis ejus & caro ejus fuit Sanguis Dei & Caro Dei, peccatum

esuriebat, erat ex unionis gratia naturam reprimente; quòd esuriebat, ex gratia *οἰκονομίας* id permittente: illud ex potestate omnipotenti, hòc ex potestate dispensativa; utrumque ex placito voluntatis. *Ἰδίως, ὅτε ἐβούλετο, τῇ φύσει καιρὸν*, inquit Nyssenus, *τὰ ἑαυτῆς ἐνεργῆσαι*, h. e. *natura sua, quando volebat, occasionem dedit suo officio fungendi*; & *per hoc*, ut S. Augustinus observavit, *non minùs erat miraculosa Esuries ejus quàm ipsum Jejunium:* imò mirabilius esse dicit quòd exactis quadraginta diebus esuriit, quàm quòd labentibus illis nil comedit; quia facultas ei aderat non esuriendi, nisi humanitatem suæ infirmitati Divinitas reliquisset, ut post quadragesimum diem vacillare posset, & famem sentire. Hæc summa est Discriminis; *Quòd non esuriebant Moses & Elias, cœlestis possibilitatis erat exemplum*, ut Leo loquitur; *quòd esuriebat Christus, Divinæ dignationis Sacramentum.* Ergò ut illud Spiritus Sanctus innueret, de Mose & Elia tacuit, neque affirmat eos esuriisse: hoc alterum ut Evangelista indicaret, esuriisse post Jejunium Christum pronuntiat; ut tamen intelligamus, ex dignatione voluntatis & dispensationis mysterio manâsse. Hoc primum rationis membrum, ab ipso Tempore demonstrari Esuriem ejus fuisse Voluntariam. Porrò fuit etiam & Sacra; nam & hoc quoque constat, cùm ex Temporis ordine, tum ex Fine ipso in quem erat ordinata. A Tempore, quia post Jejunium, & ex Jejunio suboriebatur, à religioso scilicet & sancto exercitio. Deinde & ex Fine, quia ad finem sacrum eam Christus dirigebat, salutem nostram; idcirco post Jejunium eam disposuit, ut qui in nostram gratiam magìs quàm in suam jejunâsset, non tam sibi quàm nobis se esuriisse monstraret. Hoc illud est quod de ejus siti Sancti Patres ferè omnes prædicant, Fuisse quidem illam sitim veram, sed insuper mysticam, & ardentis desiderii significativ m quo anhelabat redemptionem nostram. *Vera sitis erat*, inquit Augustinus, *cùm dixit mulieri, Da mihi bibere; sed non corporalis sola, etenim fidem ipsius sitiebat: vera sitis erat quando in Cruce positus clamabat se sitire; sed non sola corporis, quia hoc ipso ostendit se fidem incredulæ gentis concupiscere. Sitiebat multùm, sitiebat planè*, inquit Ambrosius, *non potum hominum, sed salutem; non aquam mundi, sed redemptionem generis humani.* De esurie ejus haud aliter dicendum est. Et S. Ambrosius dicit, c. 4. Commentariorum in S. Lucam, *Qui esuriebat cùm voluit, hoc ipso ostendit, non cibum se esuriisse corporis, sed salutem.* Porrò & S. Augustinus, in Psal. 34. & 127. *Quid esurivit Christus nisi fidem nostram, & bona opera nostra?* Atque rectè *fidem nostram & bona opera esurire* dicitur, quia nos illum pascimus credendo & bene vivendo. Si adhuc dubitas, audi ipsum loquentem, Joan. 4. 34. cùm post recessum Samaritanæ discipuli eum ad prandium vocabant, *Cibum habeo quem vos nescitis; cibus meus est ejus exsequi voluntatem qui misit me, & consummare ipsius opus.* En mensam Christi, en epulas. Quòd si Cibus ejus redemptio mundi fuit, & Panis ejus æternæ voluntatis exsecutio; necessariò sequitur, ut Esuries ejus non tam sit corporalis cibi, quàm salutis humanæ & mundi conversionis appetitio. Ergò ad hoc esurit post Jejunium, ut doceret, non tam se infirmitate corporis victum, quàm mentis desiderio incitatum, ut peractis jam in deserto Sacris, salutem humanam esuriret, magnúmque redemptionis negotium consummaret. O facti prudentiam! ô inauditam dignationem! ut non modò pro nobis esuriret, sed nos; ut esuriret qui escam dat omni carni, qui manum suam aperit, & implet omne animal benedictione; ut esuriret qui Manna de cœlo pluit, & verbo potentiæ panes multiplicavit in manibus frangentium. Agnosce, ô homo, dignationem; nam eadem fuit (& non alia quàm illa) quâ fatigari voluit, qui claudis virtutem

in Psal. 68. & serm. 114. de Temp.

Serm. 30.

te.n

tem tribuit ambulandi; & oculos suos in lacrymas laxare, qui cæcis aspectum restituebat; & dormire, qui populum suum æternâ vigiliâ custodit; & timere, qui fiduciam; & mori, qui vitam præstat. Ex eodem dignationis mysterio proveniebat ut esuriret, qui panis vitæ est & Manna absconditum. Ad hæc quid nos? O pane Angelorum pretiosior fames! ô cunctis gulæ deliciis palato suavior! ô panis vitæ portio! ô linguis deprædicanda illorum Angelorum quibus datum est ministrare esurienti Salvatori! Post hæc quid superest, nisi ut hæc quæ dispersa sunt unà colligamus, & ab omnibus simul sumptis videamus quid sequi possit ad ædificationem nostram? De Qualitate & Modo esuritionis disputavimus; de Tempore & Differentiis & Causis prolixiùs verba fecimus.

Ex istis una est, eáque valde necessaria, quæ deducitur Quæstio, quam in exordiis hujus argumenti præmisi me persecturum. Est autem de Christi coassumptis, Quinam illi defectus fuere & quæ infirmitates quibus se Christus subjecit dum in terris ageret. Quæstionem appello, quia ambiguitates suas habet & dubitabiles flexus; Necessariam autem dixi, quia nostri summopere interest cognoscere, in quorum gratiam, quotquot uspiam fuere, universa sunt suscepta. Quòd si essent ejusdem generis defectus singuli, solutio facilior foret: verùm non sunt ejusdem notæ omnes, imò nec ejusdem evidentiæ. Sunt aliqui quos ipsa Scriptura disertè testatur suscepisse eum; sunt alii, iique non pauci, quos silentio transisit. Quos legimus, hi sunt, Passibilitas, Mortalitas, Fames, Sitis, Fatigatio, Fletus, Somnus, Mors; ad Corpus ista pertinent: Dolor, Timor, Tristitia, Tædium; hæc ad Animam. Quos non legimus suscepisse, isti sunt, Culpa, Concupiscentia, Ignorantia, respectu Animæ; Deformitas, Cæcitas, Ægritudo, Morbus, respectu Corporis. Sunt igitur tria Defectuum genera; Defectus susceptibiles & suscepti, Defectus susceptibiles sed non suscepti, & Defectus simpliciter insusceptibiles. Isti ad Possibile productum pertinent, illi ad Possibile improductum, postremi ad simpliciter Impossibile. Percurram singulos, atque, ùt breviùs fiat, rem totam tribus Propositionibus complectar.

Propositio prima erit de Impossibilibus, & sic se habet; Sunt aliqui Defectus qui nec suscepti erant nec susceptibiles, quos non modò non suscepit Christus, sed fieri non potuit ut susciperet; imò dictu nefas est eos suscepisse: ejusmodi sunt Peccatum, & peccati fomes Concupiscentia, & ad malum Pronitas, & Hebetudo mentis, & Ignorantia agendorum: istorum aliquod non erat possibile ut susciperet, quia non possunt consistere cum dignitate & officio Mediatoris; imò planè repugnant. Quòd ad Peccatum pertinet, assumere non potuit, quia contradictionem implicat ut posset. Quòd si utique potuisset, non tamen debuit assumere: tum quia peccando virtutis exemplum perfectum præbere non poterat; tum quia peccatum ad opus redemptionis & satisfactionem iræ Divinæ non solùm non potuit conferre, ut Paludanus loquitur*, sed & poterat impedire: non enim est qui peccata tollere potest quisquam, nisi qui peccata non habet; neque idoneus est qui pro peccatis alienis satisfaciat, si ipse sit reus & obnoxius peccato. At hoc non est quod contendo, Non debuisse illum, sed, Non potuisse quidem; idque duplici de causa.

Ratio prima hæc est, Quia Caro Christi ab initio Conceptionis fuit caro Filii Dei, quocirca si vel momento aliquo subjacuisset peccato aut concupiscentiæ vitio, consequens foret, fuisse Deum aliquando peccato obnoxium, & labe concupiscentiæ infectum, idque propter idiomatum communionem: nam si sanguis ejus & caro ejus fuit Sanguis Dei & Caro Dei,

peccatum

peccatum etiam (quod horret animus dicere) fuisset peccatum Dei. Hoc autem absurdum est & impossibile.

Ratio altera est, quia si Christus obnoxius peccato fuisset, sequeretur ipsum Redemptorem fuisse redimendum; & qui nobis liberandis venerat, habuisse opus alio Redemptore: hoc autem est ἀπεμφαῖνον, ut possit indigere Mediatore qui partes Mediatoris cæteris præstiturus erat. Ergò & Scriptura passim astipulatur, 2 Cor. 5.21. *Non novit peccatum*, 1 Pet. 2.22. *Non fecit peccatum*, 1 Joan. 3.5. *Peccatum in eo non est*, Heb. 4.15. *Tentatus per omnia, sed absque peccato.* De Peccato res est in confesso: similiter & de Hebetudine mentis & de Ignorantia agendorum necesse est ut loquamur, eò quòd cum gratia unionis ista stare nequeant, & plenitudini Christi adversentur. Quid quòd ad peccatum ducunt, & remorantur à bono, ideo ab eo assumi non possunt qui futurus erat minister justitiæ & virtutis perfectæ exemplar? *Mortalitatem quidem sapienter assumpsit*, inquit Anselmus, *ignorantiam verò sapienter non potuit assumere, quia nunquam est utilis, sed semper noxia.* Nè multa, summa est, Nec debuisse, nec potuisse Christum assumere ullum *detractabilem Defectum*, ut Media-Villa loquitur; hoc est, utì ego interpretor, nullum vitiosum aut culpabilem defectum, qui honorem imminueret vel Officii vel Personæ. Nihil autem est quod magìs honori ejus detraxisset quàm agendorum Ignorantia, & Stupiditas mentis, & Pronitas ad peccatum. Releganda igitur sunt ad suum quem in nobis habent locum, atque à Salvatore nostro longissimè disterminanda, ut ab eo qui nec ullatenus suscepit ea, nec suscipere potuit. Hæc prima est Propositio, de Impossibilibus.

Propositio secunda est de Possibilibus improductis, atque sic instituitur; Sunt aliqui humanæ conditionis defectus qui susceptibiles quidem erant in se, sed non fuere à Domino actu suscepti, neque susceptos fuisse credendum est, quia Evangelium conticescit. Hujus sortis sunt illi omnes qui redundare magìs & incidere videntur Individuis, quàm ipsam Speciem in totum & in commune contingere; ut Deformitas, Cæcitas, Ægritudo, Morbus, & Accessiones morborum. Susceptibiles dico, & non Susceptos: Susceptibiles, quia potuere suscipi, idque absque aliquo præjudicio aut Mediatorii muneris aut personæ; Susceptibiles, quia poterat eos ad usum salutis nostræ sanctificâsse, poterat in eos virtutem meritoriam non minùs quàm in cæteros quos sustinuit transtulisse; Susceptibiles denique, quia non sunt in se Defectus simpliciter peccabiles; utcunque enim ex peccato oriantur, non tamen ducunt ad peccatum. Fuere igitur susceptibiles.

At duplex potest esse ratio cur non susceperit; quia Indecens erat, & quia Indebitum.

Inprimis dico Non decuisse, quia Defectus sunt detrectabiles, qui de majestate ejus plus nimiò derogâssent. Derogâsset Cæcitas, & Ægritudo, & Morbus, quia ad horum omnium sanationem veniebat: & non est veri absimile, voluisse Judæos suiipsius curationem exprobrâsse, si ea assumpsisset; quod & in morte fecerunt, cùm dicerent, *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Derogâsset etiam & Deformitas, quia hujusmodi eum Scripturæ propheticæ prænuntiabant qui *formâ speciosus esset præ filiis hominum.* Non quidem me fugit, fuisse eum in sensu aliquo etiam deformem (absit contumelia verbo) cùm in Cruce pendebat; sic enim Propheta prædescripsit, Isa. 53.2. *Non erat ei forma neque decor, non erat aspectus*, sive, ut alii legunt, *non erat ei species aut dignitas:* dein vers. 4. *Nos reputavimus*

mus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, ut Vulgata habet; etenim leprosum Hebræi quemlibet afflictum appellant, & quacunque plagâ tactum. Hæc quidem non me latent, neque facilè possunt, prophetâ Evangelico dicente: verùm in nihilo præjudicant, quia posito quòd Deformitates hæc sunt appellanda, at non erant deformitates ex obliquitate naturæ, sed ex injuriis hominum; non connatæ, sed extrinsecùs immissæ; non fuit, inquam, deformitas ulla improportionata, sed solùm incompta & impolita; imò non erat deformitas in se, realiter & propriè, sed opiniosè & putativè, ídque juxta opinionem non credentium, sed crucifigentium; persequentibus fœdus apparuit, nobis etiam in Cruce pulcherrimus. Ad hæc, in seipso, sicut nunc est, ità semper fuit & ubique pulcher: *pulcher in cælo, pulcher in terra, pulcher in utero, pulcher in parentum manibus, pulcher in Sermonibus, pulcher in Miraculis, pulcher in flagellis, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulcro,* ut piissimè Augustinus in tit. Psal. 44. Propter hoc igitur fuit Indecorum ut deformitatem susciperet. Fuit etiam &

Indebitum, quia Defectus Suppositi non restringebatur assumere, sed solius Naturæ; neque personales, sed tantùm naturales. Naturales voco qui in totam naturam, i. e. in universum hominum genus, transfusi sunt, ut Sudor, Labor, Mortalitas: Personales, qui non in omnibus, sed in certis tantùm personis sparsi reperiuntur, ut Lepra, & Febris, & alia Morborum genera; Deformitas etiam & monstrositas, quæ magis sunt aberrationes & depravationes naturæ quàm naturales infirmitates. Ad istas Christus virtute officii non tenebatur; impediebat æqualitas Mediatoria, quâ se omnibus quantum ad corporalia pari vinculo obstrinxit. Quòd si Personales suscepisset, non tam humanam naturam gessisse videretur, quàm hominum; neque tam hominum, quàm hujus aut illius hominis. Quia igitur naturam humanam communiter & sine personarum distinctione suscipere oportebat, rerum ordo postulabat ut communes tantùm & naturales defectus acciperet; non autem personales, nisi eos quos passionis tolerandæ qualitas suscipi requirebat, ut livores & vulnera, quæ persequentium fuere contumeliæ, non defectus naturæ. Quòd autem Apostolus, ad Heb. 2. 17. & 4. 16. in omnibus eum nobis similem esse factum asserit, excepto peccato, omniáque tentamentorum genera percurrisse; quódque l. 3. Orthod. Fidei, c. 20. Joannes Damascenus *eum assumpsisse* dicit ὅλον τὸν ἄνθρωπον, καὶ πάντα τὰ τοῦ ἀνθρώπου· secundum suprà dicta hæc interpretari oportet de iis defectibus qui sunt toti hominum generi communes, non de iis qui singularium hominum sunt proprii; hos enim neque necessarium erat neque congruum ut susciperet, nec emolumenti aliquod nobis eorum susceptio attulisset: quia prout nobis contingunt, sanctificati nobis fuere in actuali reliquorum susceptione; in morte inprimis, in qua sola morbos & ægritudines virtualiter & scimus comprehendi, & credimus sanctificari. Hæc de Propositione secunda, quæ est de Possibilibus improductis, sive Susceptibilibus insusceptis.

Propositio tertia est de Possibilibus productis, sive Susceptibilibus susceptis, atque hæc est; Sunt aliqui Defectus nostri, quorum & ex condecentia susceptivus erat Christus, & eos etiam actualiter suscepit. Istiusmodi sunt Dolor & Tristitia, quæ ad animam; Fames, Sitis, Somnus, Fletus, quæ ad corpus pertinent. Sunt hæc firmissimis & sanctissimis Scripturarum testimoniis singula communita, in quibus æquum est ut acquiescamus. Vix quisquam est qui non aliquando legerit Dormiisse dominum in navicula, Timuisse in horto, Sitivisse in cruce, Flevisse sæpius, Esuriisse bis. Quòd si quis ratiunculas quærit, cur hos susceperit & non suprà commemoratos

cæteros;

cæteros; duæ sunt quibus concludatur, Una est de Aliquibus, de Omnibus altera.

De Omnibus una est eadémque ratio, quia Naturales illi sunt in statu naturæ corrupto, atque in communi naturales, non ad certa Individua, sed ad totam speciem pertinentes; in se etiam inculpati & inoffensi. Suscepit igitur istos, non solùm ut veritatem humanæ naturæ ostenderet, & in seipso humilitatis & patientiæ nobis præberet exemplum; nec solùm ut tanquam caput membris suis in passionibus conformatum compateretur nobis: sed ob hoc præcipuè, ut pro peccatis humani generis Patri satisfaceret, & satisfaciendo hominem ab æterna morte redimeret; Satisfactio autem non poterat fieri nisi per opera pœnalia: sed *corpus quod non subjacet defectibus*, ut Paludanus verè, *non est susceptivum pœna*; fit enim satisfactio unius pro altero, dum pœnam pro alterius peccato debitam quis in se suscipit. Cùm igitur & mors & mortalitas & defectus reliqui sint pœnæ ex peccato primi hominis ortæ, consequens erat, ut eas in se Christus pro generis humani redemptione susciperet: non quidem illos qui peccato circumplicantur, ut sunt Concupiscentia & ad malum propensio; nec illos qui ad peccatum ducunt, ut sunt Ignorantia & Hebetudo mentis; nec demum illos qui personas quasdam comitantur, & ad certa Individua pertinent, non ad totam speciem; sed illos tantùm qui & inculpabiles in se erant, & tamen naturales. Istius autem generis sunt Dolor & Tristitia, & Fames & Sitis, & Somnus. Hæc ratio prima, quæ probat de iis Omnibus.

Altera de eorum Aliquibus tantùm probat, de Somno scilicet, & Esurie, & Siti, Defectus istos Christum magis necessariò suscepisse quàm cæteros, quia connaturales erant respectu naturæ integræ primitúsque constitutæ. Quòd de Somno Alex. Halensis contendit, in p. 2. qu. 89. memb. 3. *Probabilius esse quòd homo in primo statu nec eguisset somno, nec aliquando dormivisset, eò quòd ex languore & fatigatione sensuum somnus oriatur, & causas sui habeat pœnales, quæ omnia sunt à statu illo aliena:* hæc non me multùm movent, quia non tantùm in iis Theologia sed & Philosophia desideratur. De Esurie & Siti affirmare idem poterat, quòd quia pœnale aliquid & defectuosum videantur significare, & à statu primæ innocentiæ pœnalitas omnis & miseria sint excludenda, consequens est, in eo statu nec famem nec sitim fuisse futuram. Sed non est, inquam, cur hæc moveant, quia Somnus & Esuries & Sitis nè in statu quidem corrupto sunt propriè pœnalitates dicenda, sed remedia potiùs & præoccupationes pœnalitatum. Quod autem de languore & fatigatione dicit, quî fieri possit ut ex fatigatione somnus, aut ex inedia esuritio oriretur in statu illo, in quo & sine indigentia cibus, & ad voluptatem labor susciperetur, & somnus dulcis ac placidus, non tumultuosus? Porrò, & istis non concessis, quod ad Somnum spectat, constat & de Facto & de Constituto à statu illo non esse removendum. De Constituto, quia erat in illo statu vicissitudo dierum & noctium; nox autem à natura ad Somnum & quietem cunctis animalibus data est, sicut dies operi destinata. De Facto Scriptura expressè pronunciat, Immisisse Deum soporem in Adamum, qui quidem sopor verè Somnus erat, licèt cum mentis ecstasi conjunctus; in textu enim *altus & profundus somnus* dicitur. Huc accedit, quòd vita illius statûs erat vita animalis, teste Apostolo, 1 Cor. 15. quare sicut tunc corpus egebat cibo, nè deficeret, ità & sensus egebant quiete, nè fatigarentur. Ergò sicut in sumptione cibi præventurus erat homo defectum corporis, nè eveniret; ità & voluntariâ assumptione Somni præventurus erat omnem

omnem sensuum languorem & fatigationem. In corruptionis statu cibus appetitur quia esurimus, potus quia sitimus: *in statu illo cibus aderat*, inquit Augustinus, *nè esurirent; potus, nè sitirent; lignum vitæ, nè illos senecta dissolveret. Non lassitudo fatigabat otiosos, non somnus premebat invitos.* Hæc pulchre, ut omnia, Augustinus. Quod idem est ac si dixisset, Esse Somnum quem fatigatio prævenit, & hic nobis convenit in statu corrupto; & esse Somnum qui prævenit fatigationem, & is quidem Adamo conveniebat in statu integro. Nec de Fame & Siti aliter est dicendum: Inprimis, quòd non fuisset in illo statu immoderatus aut inordinatus edendi bibendíque appetitus, nec talis cupiditas quæ rectæ rationis ordinem turbaret; nam sic accepta Fames & Sitis Gulæ potiùs sunt quàm Necessitatis: deinde, quòd non fuisset ibi appetitus cibi aut potûs ad instaurandum aliquod deperditum, aut ad reparandum aliquid quod per internam qualitatum pugnam naturæ jam detractum esset; hic enim appetitus molestiam habet conjunctam, & defectum subindicat, quorum utrumque ab illo aberat statu. Verùm si generaliter loquamur, & per Famem & Sitim naturalem edendi bibendíque appetitum significemus, fuissent haud dubiè in primo statu; nimirum ejusmodi Fames & Sitis quæ summâ tranquillitate & absque ulla molestia hominem incitaret, non quidem ad instaurandum aliquem contractum defectum, sed ad tempestivè occurrendum defectui alioqui superventuro per moderatam cibi potûsque fruitionem; hoc est, non ut ex illo cibo defectum suppleret, sed anteverteret. Has ego Famis Somníque rationes in primo statu fuisse cum Scholasticis existimo: & propterea in his specialem dixi rationem fore cur Christus eos defectus susceperit; quia *inter omnes alios, eos inprimis assumpsit*, ut Albertus loquitur, d. 15. *quos ipse in natura nostra plantavit, quia inter omnes illi sunt maximè innocui magisque connaturales.* Hujus autem generis sunt Somnus, Sitis, Fames. Quocirca ut prolixæ disputationi finem aliquando imponam, de defectibus susceptis rectissima & unanimis est Scholasticorum sententia, & congruum fuisse & necessarium ut quos suscepit susciperet, & non alios. Hoc lib. 3. Orthod. Fid. concludit Damascenus, *Assumpsit*, inquit, τὰ φυσικὰ πάθη καὶ ἀδιάβλητα, h. e. *passiones naturales & innoxias.* Hoc l. 3. d. 15. Lombardus, *Assumpsit illos defectus qui faciunt vel ad veritatis naturæ assumptæ ostensionem, vel ad operis ad quod venerat consummationem.* Hoc Dionysius Cisterciensis, lib. 3. q. 3. *Assumpsit omnes defectus humanæ naturæ non repugnantes infinitæ perfectioni personæ assumentis; cujusmodi sunt defectus concernentes aut culpam, ut peccare, aut miseriam, ut errare, aut indignitatem, ut esse deformem.* Postremò (ut prætercam qui idem saxum volvunt cæteros) Hoc Durandus & Paludanus, d. 15. lib. 3. *Assumpsit passiones indetrectabiles & non derogatorias, nimirum ejusmodi qui nec perfectioni muneris derogant, nec personæ dignitati.* Hujus autem conditionis sunt hi omnes in hac tertia propositione enumerati, quorum singulorum assumptio *non Divinitatis ulla fuit contumelia, sed Sacramentum pietatis*, ut B. Hilarius loquitur: eò quòd, dicente Leone, *Sic nostra suscepit, ut propria non amiserit; & in nostris sic mansit humilis, ut omnipotens permanserit in suis.* Hæc de Propositione tertia, quæ agit de Susceptibilibus susceptis. Atque hîc finis esto prolixioris & de Esurie & de Jejunio Christi dissertationis, quantum spectat ad Historiam.

Civ. l. 14. c. 26.

Lib. 11. de Trin. Leo Serm. 7. de Nat. Domini.

Quantum verò ad Imitationem & Exemplum nostrum pertinet, post ipsius Quadragesimam primam, de nostra Anniversaria die proximo est dicendum.

LECTIO XXI.

Et cùm jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, &c.

DE Esurie & Jejunio Salvatoris absolvimus dudum disputationem, nec quicquam, quod sciam, prætermisimus quod ad historiæ plenam cognitionem quoquomodo possit conducere. Nunc superest ut ab Historia ad Exemplum & imitationem pergamus, à capite ad corpus transeundo, hoc est, ab ipsius Christi Quadragesima, quæ unica tantùm fuit, & non nisi semel decursa, ad solennem illam Christianorum Quadragesimam quæ circumflexus suos habet, & velut stato tempore novam quotannis reciprocationem. Et in hac quidem parte complurima sunt quæ in disquisitionem veniunt; Quo tempore cœperit, Quâ ratione sit nobis indictum, Quo jure ad illud astringamur, Cui fini inserviat, & Quibus demum abusibus sit implicatum. Sed operæ pretium non est hæc tam multa sigillatim persequi; eóque minùs, quia in proclivi est hæc omnia strictiùs ad tria Capita revocare, Originem, Finem, Corruptelas. Extra hos cancellos non facilè me patiar egredi, neque erit, ut arbitror, opus, quia nihil est dignum cognitu quod non ab istis pendeat; nimirum aut à rei Origine & ortu, aut à Fine & usu, aut à Depravatione & corruptela. Ea propter tres sunt quas constituo futuræ disputationis partes. De Origine institutionis primam; hæc ad decessores nostros spectat, qui Jejunium Quadragesimale introduxerunt: de Observationis Utilitate rationéque finali secundam; hæc ad nos ipsos pertinet, qui annuatim eundem ritum etiamnunc concelebramus: de Abusibus & Corruptelis in observandi modo tertiam; hæc Pontificiis intenditur, qui institutum in se religiosum contactu superstitioso adulterârunt. De his igitur distinctè, & quàm potero breviter.

Exordior autem à capite primo, quod de Origine institutionis quærit, A quo fonte fluxerit hæc observatio Quadragesimalis; quó seculo, aut quibus authoribus sit introducta; quâ authoritate aut jure sit ordinata, Divino, an Apostolicó, an Ecclesiastico, an tandem Civili & puro puta humano; habent enim fautores & sequaces suos hæc singula. Verùm alii in extremis versantur, idque & ad dextram & ad sinistram. Ad dextram illi qui institutionem originaliter Divinam faciunt; ad sinistram, qui constitutionem merè humanam. Inter utrosque sunt alii interjecti qui mediam viam sequuntur, sed & hoc etiam cum discrimine aliquo, prout magìs in confinio utriusque partis versentur, utì in posterum patebit, postquam sententias singulas ordinatim percurrero, ab extremis ad intermedias descendendo.

A prima sententia principium disputationis est sumendum, ab extrema sententia ad sinistram, eorum scilicet qui nullatenus ad Religionis officia ejus observationem pertinere putant, non per se, imò nè per accidens quidem; atque idcirco Jejunia stata, maximéque hoc Quadragesimale, aut

aut penitus rejiciunt ut rem superstitiosam, aut si recipiant, non tamen ut Ecclesiasticæ partem disciplinæ, quæ pietatis augmento inserviat, sed ut civilis πολιτείας nudam & ab omni sacro respectu abstractam constitutionem. Duo sunt, ut videtis, hujus opinionis membra, quorum alterum Jejunium Quadragesimale ad superstitionem relegat, alterum ad Statûs Politici οἰκονομίαν.

Quod ad primum membrum spectat, apud Epiphanium & Augustinum legimus Aerianos in ea opinione fuisse; *Affirmant*, inquit S. Augustinus, lib. de Hæresibus, cap. 53. *statuta solenniter non esse celebranda Jejunia, nè videamur esse sub Lege.* Addit Damascenus, docuisse eos, *A Christianis Jejunium Quadragesimale non oportere servari.* Hæc illi: neque in animo est nunc temporis explorare, an propter hoc ipsum ab Augustino & Epiphanio hæreticorum Albo fuerint ascripti; an magìs quòd cum Arrianis de Christi Deitate perperàm sensisse dicantur. Utcunque fuerit, è nostris quoque esse aliquos negari non potest quorum calami contra omnimodam hujus Jejunii observationem, quantumvis piam & innocuam, calore nimio ferebantur. Est unus eorum (nominibus enim parco) qui in cap. 6. posterioris ad Corinthios Epistolæ, *nihil sani esse in Quadragesimali reliquisque Jejuniis statutis* asserit, *sed meram esse superstitionem.* *Hemingius.* Est alter, qui in suis Annotationibus in lib. S. Augustini de Hæresibus, hoc modo se explicat; *Est totum hoc Jejuniorum anniversariorum genus superstitiosum, & Christianis hominibus fugiendum, quale est Jejunium Quadragesimale*, & quæ sequuntur. *Danæus.* Enimvero si de Pontificiorum Quadragesima loquuti essent, non video quem culpæ reatum sustinerent; neque enim ulla sunt hujus generis inter Papistas, ut arbitror, Jejunia, quæ superstitionis labe carent: quod ipsum Lutherum & Calvinum concitabat, ut *erronea* Jejunia eorum dicerent & *superstitiosa.* At verò ut simpliciter & indiscriminatim solennia & annua jejunia, quantâcunque pietate celebranda, *superstitiosa* vocarent, temeritatis nimiæ fuit & imprudentiæ. Sed hos in præsentiarum mitto, quia de Origine nihil dicunt, de qua nunc quæritur; tum etiam quia erit mihi postea locus lituram hanc eluendi.

Accedo ad membrum alterum, quod est eorum qui nihil Ecclesiasticæ Observationis in Quadragesimali Jejunio latere existimant, sed esse meram & nudam Statûs Politici prudentiæque civilis constitutionem, illinc pecorum multiplicationi, hinc piscium mercaturæ, navigationi, rebúsque maritimis accommodatam. Ut huic errori occurratur, non quidem est diffitendum exstare hujusmodi leges in Archivis ferè omnium Regnorum & Rerumpublicarum quæ Christianæ religioni nomina ascripserunt: at verò quòd per leges istas institutionis hujus Ecclesiasticæ vigor auferatur, ut religiosi Jejunii respectum jam non ampliùs retineat, manifestè falsum est, & absonum, & nuperrimè excogitatum, & omnino pernegandum, ídque justissimis de causis.

Ratio prima à Temporis antegressu ducitur, quia multò est vetustior Jejunii Quadragesimalis observatio quàm lex ulla Imperialis aut Civilis Constitutio in qua de ipsa decernitur. Invenitur illius apertissima mentio in vetustissimis Conciliis; in Can. 29. Concilii Constantinopolitani, & 49, 50, 51, 52. Concilii Laodiceni, & in quinto Concilii primi Niceni, circa initium quarti seculi. Quid quòd sit ipsius mentio in authoribus qui hæc Concilia præcesserunt, Origenem dico & Irenæum, quorum alter in secundo seculo floruit, alter paulò post secundum? *Orig. Hom. 10. in Lev. Iren. Ep. ad Victor.* At civilem Constitutionem scriptam nullam novi ante Honorii & Theodosii tempora,

circa annum Christi quadringentesimum; vel saltem non ante Valentiniani tempora & Gratiani, circa annum 370. quando sic est statutum,

Cuccii Thesaur. p. 2.

Quadraginta diebus ante Paschale tempus omnis cognitio inhibeatur criminalium quæstionum: cùm contra fuit ab Honorio & Theodosio decretum, ut in quæstionibus latronum nullum tempus Quadragesimale exciperetur. Ergò fieri non potest, ut ex Decretis Principum aut valorem suum aut ortum hæc Observatio haberet, quia multò antè fuerat in more posita, praxíque & usu attestata multarum Ecclesiarum, quæ quidem singulæ in ea celebranda non ad reipublicæ aut maris commoda respiciebant, sed ad Religionis profectum & exemplum Salvatoris. Hæc ratio prima.

Secunda à Fine istarum Constitutionum desumitur, quia latæ sunt ejusmodi Principum leges, si in hunc finem ullatenus, at non in hunc finem solum, ut per eas prospicerent mechanicarum artium commodis, sed magìs ut pietatis augmentum promoverent, consuetudinem sacram, ætate & instituto venerabilem, edictis suis stabiliendo. Huc spectat lex illa Othonis Imperatoris, quæ in secundo legum Longobardicarum libro habetur, tit. 49. *Deo authore, & Imperiali Majestate decernimus, ut in festis præcipuis & statutis Jejuniorum diebus judiciarios motus exsequi non liceat.* Huc etiam & illud quod in secundo Conciliorum Generalium tomo de Justiniano legimus, *Justinianus Imperator suo edicto Jejunium Quadragesima unâ hebdomadâ auxit, & de Paschali tempore sanctionem promulgavit.* Insuper & Caroli Magni huc tendit, quod exstat in Capitularis l. 1. c. 48. *Ecclesiastica à sacerdotibus constituta Jejunia sine necessitate rationabili non solvantur.* Postremò, & huc etiam sunt referendæ Constitutiones illæ multiplices & variæ à Carolo Calvo promulgatæ, de Tempore & Modo observationis. De Tempore habetur Constitutio in cap. 34. edicti Pistensis; *Præcipimus ut à quarta feria usque ad Resurrectionem Domini Quadragesima observetur.* De Modo conscribitur altera, in Synodo Suessionensi, Actione 7. cap. 8. *Ex verbo nostro denuntient missi nostri, nè à quarta feria ante initium Quadragesima usque post octavas Paschæ placitum publicum tenere præsumant.* Ad hæc occurrit & tertia, in lib. 2. Constitutionum, cap. 7. *Omnes laicos monemus, ut honorem Ecclesiasticum conservent, & dignam venerationem Episcopo & Dei Sacerdotibus exhibeant, & ad eorum prædicationem cum suis devotè occurrant, & jejunia ab illis communiter indicta reverenter conservent, & suos observare doceant.* Quid plura? nam ex his omnibus satis supérque constat, non ad finem aliquem politicum respexisse Principes in suis de Quadragesima Constitutionibus, sed ad sacros & spirituales; neque tunc primitus Jejunium hoc edictis suis constituisse, sed antè institutum atque observatum confirmâsse, & quasi de integro renovâsse. Si nihil sit aliud quod hoc ostendat, ex istis Constitutionum clausulis evincitur, *Indicta à Sacerdotibus Jejunia reverenter conservent; In statutis Jejuniorum diebus judiciarios motus non exsequantur; Ecclesiastica à Sacerdotibus constituta Jejunia sine necessitate rationabili non solvant.* Hoc rei caput est, Quòd ab Ecclesia ortum suum habuit Quadragesimale Jejunium, robur autem & authoritatem accepit à legibus Principum. Quocirca nè diutiùs vos detineam in re clara, de ipsis regni nostri Statutis haud aliter existimo esse dicendum. Quanquam quid dixi, Existimare me? cùm ipsa Legis verba satis sint manifesta. Verba Legis hæc sunt, sub anno secundo felicissimæ memoriæ Principis Edvardi ejus nominis sexti; *Quodcunque carnis genus die Veneris, aut die Saturni, aut tempore Quadragesimali, nemo comedere præsumat.* Hæc, inquam,

Constit. Imper. to. 2. p. 614.

quam, sunt legis verba. Dic igitur, quæ legis ratio? Ratio annectitur, eáque duplex. Una est Civilis, *Ut arti piscatoriæ & jumentorum progenerationi consulatur.* Obsecro, num hæc sola ratio? Nequaquam; audi alteram, *Quia pia & debita abstinentia virtutis est adjumentum, & domandæ carnis medium opportunum, quò animæ & spiritui subjiciatur.*

Posthæc garrire desinant statorum Jejuniorum adversarii; urgere desinant & inculcare, non nisi ad rationes Politicas Quadragesimæ nostræ observationem esse referendam. Est totum contrà, ut constat ex monumentis publicis & Regni & Ecclesiæ, nimirum & Legum, & Leiturgiæ, & Homiliarum. Inprimis ex ipsis Legibus constat quia prima constitutionis ratio in finem sacrum resolvitur, Subjugationem corporis.

Porrò, & ipsa observationis cura Ecclesiasticæ Jurisdictioni concreditur, ut in delinquentes disciplinâ & censurâ Ecclesiasticâ Episcopi animadvertant: Sunt ipsissima utriusque Statuti verba, anno secundo & annò quinto Edvardi sexti sanciti. Quòd si hæc nupera non sufficiant, aut si quis sit qui vetustissimarum legum testimonia antiquitatis studiosior requirat; non arduum erit etiam in hac parte expromere quod curiositati satisfaciat, si paulisper placeat in jamdiu gesta & à memoria nostra remotiora introspicere. Saxonicorum Regum leges intelligo, quas justo volumine complexus est Gul. Lambertus. Non iter longum est viri doctissimi ductu usque ad Canuti & Aluredi tempora recurrere. Canuti Constitutio hæc fuit; *Qui Quadragesimæ Jejunium, vel quodcunque celebre festum, facinore aliquo violarit, pœna in duplum augetor.* Huic consimilis est & illa regis Aluredi; *Qui die Dominico aut festo Nativitatis Domini furtum admiserit, perinde ac si tempore Quadragesimæ id fecerit, duplo noxam sarcito.* Viden' etiam tunc temporis Quadragesimale jejunium non in civilibus institutis, sed sacris fuisse numeratum? Constat igitur ex regni Legibus.

Constat etiam ex Ecclesiæ tabulariis, ex Antapologia Juelli, quæ non jam sua est, sed nostra; *Jejunium Quadragesimale, superstitione duntaxat exceptâ, nos minimè damnamus, sed usurpamus etiam nunc.* Deinde, & ex sacra Leiturgia, hoc est, Precum publicarum libro, in quo non tantùm Collectæ & Lectiones peculiares Feriis & Dominicis Quadragesimæ deputantur; verumetiam & exoptatio vehemens adjungitur pro pœnitentiâ Quadragesimali restituenda. Denique, & ex secundo Homiliarum libro, Homiliâ videlicet quartâ, quæ est De bonis operibus; in illa nos docet Ecclesia, statuendum esse discrimen inter positivas Leges Principum cohibentium subditos suos à quorundam ciborum usu statis quibusdam temporibus boni publici causâ; & inter constitutiones Ecclesiasticas, quæ in Jejuniis indicendis ad fines alios nos dirigunt, nimirum ad carnem castigandam, ut menti subjiciatur; ad excitandum animum, quò ferventiùs se possit ad Deum attollere; ad humiliationis etiam nostræ veræque pœnitentiæ testimonium perhibendum. Hæc Observationis ratio, hoc caput Institutionis, hic Constitutionum etiam civilium finis principalis, non solùm ut communi utilitati & reipublicæ prospicerent, qui finis est exoticus, sed ut Ecclesiæ bono, & animarum saluti promovendæ consulerent, qui finis est germanissimus atque primarius. Quòd si quis adhuc urgeat, Non posse eandem legem ad finem & civilem & sacrum respicere; adversus hunc non video quam vicem sermonis & legis referam, qui dilectissimis verbis & rationi rectæ, & artis regulis, & quotidianæ etiam experientiæ tam inverecundè adversatur.

Quòd contra Legis Regni & Homiliarum literam militant, αὐτόγραφα docent, res est in scriptis, obsignatæ sunt tabulæ; evolvant pensiculatiùs, imò vel obiter & in transcursu, neque enim indiget scrupuloso examine quod sermone vernaculo describitur & stylo hominis; idcirco servandam esse Quadragesimam, quia pietatis est adjutorium & domandæ carnis medium debita abstinentia. Rursus,

Quòd rectæ Rationi refragantur, & rei natura & sermonis proprietas testatur, nec non communis Theologorum sententia, qui varia Jejuniorum genera non indiligenter distinguunt: & observatum ab illis video esse aliud Jejunium Sacrum, sive Ecclesiasticum, propriéque sic appellatum; aliud Morale, sive continuum, quod est actus habitúsque temperantiæ; adhuc & aliud Spirituale, sive Metaphoricum, ab iniquitatibus abstinere & illicitis voluptatibus seculi; denique & aliud Naturale, sive valetudinarium, quod in cibi parsimonia consistit, & ad corporis bonum dirigitur: De Jejunio autem Civili & Politico nè verbum quidem. Quod mirum est Scholasticis excidisse, qui nihil solent relinquere inexcussum, adeò res nova est & hactenus eruditis incognita, ut propter civiles rationes factus cibi delectus Jejunium vocitetur.

Tertiò, Quòd contra Artis regulas urgent, Dialecticorum receptissimum ἀξίωμα ostendit, qui uno ore omnes tradunt, Primò, Ejusdem rei posse esse duos fines, unum principalem, ex natura rei, qui dicitur *finis Operis*; alterum minùs principalem, ex destinatione agentis, qui dicitur *finis Operantis*. Secundò, Ejusdem rei posse esse multos fines minùs principales, eósque vel subordinatos, vel bene coordinatos. Tertiò, Ejusdem rei finem minùs principalem non destrui à principali; quam regulam Jurisconsulti rotundè & eleganter sic efferunt, *Finis principalis non tollit accessorium*. Ex quo sequitur, si minùs principalem principalis non destruat, ut principalem minùs principalis destrueret esse ἀπίθανον· & quia ex primario secundarii æstimantur, & quia in primarium ratio rei ex sua natura est resolvenda.

Postremò, Quòd contra Experientiam statuunt, exemplorum magnus est numerus, quibus probemus, rectissimè inter se posse consistere ejusdem rei finem civilem & sacrum. Ego unum aut alterum proferam, & utriusque generis, non minùs in re simili quàm dissimili. In re simili præstò est ex Vet. Testamento exemplum Saulis, quod est à Venerabili Beda observatum. Non est in obscuro historia, habetur in 1 Sam. 14. 24. quòd quando Saul exercitum contra Philistæos in expeditionem eduxit, in mandatis populo dedit, nè panem gustarent usque ad vesperam, *Maledictus vir*, inquit, *qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar me de inimicis meis*. Ex verbis ipsis constat in finem civilem hoc eum populo mandatum dedisse, quò super hostes victoria esset amplior: & tamen Venerabilis Beda religionis causâ exercitui jejunium indixisse existimat, ut prælii successum augeret populi humiliatio; neque veri est absimile, utróque eum respexisse. At, inquis, duntaxat est verisimile: at verò S. Ambrosius, Ser. 25. pro certo ponit & indubitato; verba ejus sic habent, *Legimus in libris Regum, cùm Saul rex Israel bellum contra Allophylos gereret, universo cum exercitui indixisse jejunium, ut hostes suos non tam armis quàm devotione vinceret, & plus dimicaret religione quàm telis.* Eccere, hoc Ambrosius non veretur ut certum definire. Sed esto non esse in hoc exemplo certitudinem, sed tantùm probabilitatem: Audi igitur certiora, à Christi Domini exemplo petenda. De Salvatore manifesta res est, etiam in ipsis miraculis eum sæpius utrum-

que sibi finem proposuisse, civilem & sacrum. Apparet ex Matth. 14. quando super mare ambulavit, erat istius operis & finis civilis, ut ad discipulos perveniret qui fuere in navigio; & finis etiam religiosus, ut omnipotentiam suam demonstraret, imperando mari nè vel vestigiis suis cederet, vel undarum sævientium fluctibus tumesceret. Apparet ex ejusdem Evangelii decimoquinto, cùm septem panibus quatuor virorum millia cibavit: erat enim illius miraculi & finis sanctus, ut Divinitatis suæ specimen ederet; & quotidianus quoque finis sive civilis, ut esurientem turbam satiaret: sunt enim ejus ipsissima verba, ver. 32. *Commovetor misericordiâ erga turbam, quia jam triduum permanent apud me, & non habent quod manducent; & dimittere eos jejunos nolo, nè deficiant in via.* Si igitur Christus Dominus etiam in sanctioris notæ rebus civilia sacris miscebat, & ad utrumque se finem vertebat in populo cibando; opponere hoc ampliùs desinant malè-sani homines, non posse consilio simili Reges & Imperatores ad utrumque collimare in Constitutionibus suis de populo à cibo certis temporibus cohibendo. Atque hoc posito, ut non potest non concedi, necessariò sequitur, aberrare conjecturâ suâ sententiam primam, quæ non à respectu Religionis, sed à decretis Principum ad reipublicæ bonum spectantibus, originem suam trahere Jejunium Quadragesimale contendunt; cùm revera non sit inventum politicum, sed religiosum, neque Reipublicæ filia, sed Ecclesiæ.

De quatuor Sententiarum prima hactenus, quam extremam à sinistra dixi, prolixiùs fortasse quàm par erat, nisi rei necessitas exegisset, ut stata nostra & solennia Jejunia ab observatione politica vindicarem: quò instar præludii forent ad majora illa quæ de jure Divino, & Apostolico, & Ecclesiastico sunt dicenda, & Quousque religiosum sit judicandum.

LECTIO XXII.

DE Jejunii Quadragesimalis origine quòd diversæ sunt Theologorum sententiæ, superiùs diximus; sed diximus tantùm: neque enim in nobis erat rem adeò involutam & vetustatis tenebris circumfusam eodem die & indicare & expendere. Quòd Antiquitatis reverentiam habeat, quódque à retroactis seculis sua habet exordia, nemo est uspiam qui diffitebitur: verùm à quo fonte primitus fluxerit, quibúsve parentibus natales suos acceptos referat, utrùm Legibus Principum, an Constitutionibus Ecclesiasticis, aut Apostolicæ Traditioni, aut ipsius Institutioni Salvatoris, hæc singula controversa videntur & imperspicua: sed non tamen æqualiter singula; nam de primo distributionis membro superiùs demonstravimus, Non esse observationem Quadragesimæ inventum Politicum, sed Religiosum, neque Reipublicæ filiam, sed Ecclesiæ.

Quæ supersunt tria reliqua in disceptationem hodiernam sunt vocanda; An ex jure Divino ejus Institutio pendeat; An forsan ex traditione Apostolica; An magìs ex praxi & consuetudine Ecclesiastica aliquot post Apostolorum tempora annos nata & introducta. De his igitur ordine & in compendio.

De Jure Divino inprimis, quia habet hæc sententia consectaneos suos, è recentioribus Pontificiis nonnullos, ut Azorius testatur, nominatim Clichtoveum, citante perperàm Michaele à Palacio; adhuc & Thomam Elysium, in Clypei Catholici q. 20. art. 2. & 3: qui ad minimum hoc esse de Jure Divino contendit, ut semel in tota vita unusquisque Quadragesimam servet, etsi hoc sit de Jure Positivo, ut annuatim id faciat. Porrò, ut recentiores mittam, habet etiam & Sanctorum Patrum aliquot, eósque insignioris notæ, suffragatores hæc sententia, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, aliósque, qui aliquando Exemplo suo, aliquando Institutione suâ, aliquando Præcepto suo illius observationem Christum nobis commendasse non dubitant affirmare.

Ad Exemplum Christi B. Cyprianus revocat, in lib. de Jejunio & Tentationibus: *In quadraginta dierum abstinentia*, inquit, *formam jejuniorum Christus proposuit, fixúmque exemplum.* Pariter & S. Hieronymus in cap. 3. Jonæ Prophetæ, *Ipse Dominus jejunando quadraginta dies, hæreditatem nobis jejunii dereliquit.* Etiam & Author imperfecti operis in Matthæum, *Jejunavit quadraginta diebus propter duas causas: Primùm, ut nobis adversus tentationem jejunandi præberet exemplum; deinde, ut Quadragesimi jejunii nostri poneret mensuram.* Ex his satis constat, hoc ipsum sensisse Hieronymum & Cyprianum, Virtualem quandam & quasi tacitam Quadragesimæ Institutionem sub Exemplo Christi latuisse, eóque Christum in jejunio suo consultò & deditâ operâ respexisse.

Nec tamen hoc totum est; etenim sunt eorum alii qui non de tacita, sed de expressa institutione disertè loquuntur: nam Leo Papa, in Ser. 4. De Quadragesimali Jejunio, *Divinæ institutionis celebritate provisum esse* asserit; & Ven. Beda, in Homilia Dominica post Ascensionem, *Ipsius Domini ac Salvatoris nostri authoritate sancitum.*

Nec quidem hoc summum est; quia eorum alii non solùm ad Institutionem Divinam reducunt, sed &, quod majus est, ad Divinum Præceptum. S. Augustinus in Psal. 110. *Præcipitur nobis hoc Jejunium & ex Lege ac Prophetis, & ex Evangelio, quia testimonium habet ex iis omnibus in Elia & Mose & Christo.* Similiter & Max. Taurinensis in sua de Jejunio Quadragesimæ ad populum Concione, *Non est ab hominibus constitutum, sed Divinitus consecratum; nec terrenâ cogitatione initiatum, sed cælesti majestate præceptum.* Præterea & Pet. Chrysologus, Ser. 11. *Quòd Quadragesimam jejunamus, non humana est inventio, sed authoritas Divina; nec de terreno usu, sed de cælestibus Decretis.* Denique & Sanctus Ambrosius non uno loco; nam in Sermone 25. *Indictum* appellat *à Domino Jejunium:* & Serm. 34. *Jejunium præceptum à Domino, Legémque Divinitus datam.*

His ita se habentibus, quò tendunt hæc Patrum testimonia, si cum rigore accipiantur, nemo est qui non videt: huc scilicet, ut ostendant, Habere authoritatem Quadragesimam & ex Intentione Christi, acsi in suo quadraginta dierum jejunio eò collimâsset; & ex Institutione Christi, acsi solenniter ordinâsset; & ex Præcepto Christi, tanquam si Discipulis suis in mandatis reliquisset. Quæ singula adeò sunt incomperta nullóque fundamento nixa, ut nè Pontificii quidem ipsi his audeant Patribus in hac parte adhærere. Fatetur Bellarminus, *Nullum esse aut Domini aut Apostolorum præceptum hac de re scriptum:* fatetur Salmeron, parte primâ Historiæ Evangel. Tract. 11. nec non & Joan. Medina in codice De Jejunio, q. 2. *Neq; verbo nec facto Christum Quadragesimam instituisse:* & hoc quidem non malè, cùm gratis hæc à Sanctis Patribus fuisse dicta probè intellexerint, & ejusmodi esse quæ excusationem & candorem magis postulant quàm assensum.

assensum. Excusationem dixi, eò quòd Sanctorum Patrum memoriis, si ullo alio, hoc maximè officio obstringimur, ut eorum dicta quæ ad aurem duriùs sonant benignâ explicatione sanemus; ut si non ipsa verba, at sensum saltem valeamus defendere. Quòd si uspiam aliàs, in hoc negotio maximè candore indigent & delinitione aliquâ, cùm ad Divinum præceptum Quadragesimæ observationem revocant, acsi à Jure Divino immediatè penderet. Ad hoc igitur nos convertamus, si fieri possit, ut ad bonum sensum sententia non bona commodâ interpretatione trahatur. Sunt autem quatuor Accommodationis modi quibus eam ad meliorem partem transferamus. Accommodatio prima ab Analogía sumitur, eò quòd magna est inter Præceptum & Exemplum cognatio; tam magna, ut interdum pro Præceptis Exempla æstimantur, quia in omni virtutis exemplo est aliquid quod tacitè loquatur, muti instar præcepti, quamvìs verborum sonus nullus audiatur. Fortasse igitur hoc Patres respexerunt, cùm Præcepto Divino niti Quadragesimam affirmârunt; non quasi explicitum haberent mandatum, sed quia in imitationis exemplum nobis à Salvatore relictam putârunt & commendatam. Quòd S. Augustini hæc mens fuerat dubitatio nulla est, verba ejus ostendunt; *Præcipitur*, inquit, *nobis & ex Lege, & ex Prophetis, & ex Evangelio, quia Moses & Elias & Christus in suis jejuniis hunc numerum impleverunt.* Jam nemo est, ut arbitror, qui dixerit Eliam aut Mosen mandato aliquo Quadragesimam instituisse. Ergò hoc est quod eo in loco Augustinus significare voluit, Afferri posse pro tuenda Quadragesima exemplum Mosis, Eliæ, Christi; & per hoc cùm dicit, in Lege & Evangelio præcipi, exemplo Divino comprobari. Hæc Accommodatio prima, à cognatione Præcepti & Exempli desumpta. Secunda ducitur à rerum dependentiis, h.e. ab ordine quem habent ad genus suum species singulæ: sunt enim in communione generis, & de perfectione generis participant, ut Dialectici loquuntur. Fortasse igitur propter hoc Jejunium Quadragesimale Divino Præcepto stabiliri Patres dixerunt, quia Jejunium in genere sumptum Divino præcepto fulcitur, quantumvis tempus Jejunii mandatum Divinum non habeat. Ex Evangelio constat, Mandato suo Christum authoritatem Jejuniis dedisse, licèt de stato tempore nihil dixerit. Est igitur in genere sumptum Jejunium Divini Juris, quamvìs hoc vel illud Jejunium in specie, h. e. in sua numerica notione, non propriè sit Divina Institutio, sed ad certa tempora applicatio, præscriptio & determinatio. Hoc Thomas animadvertit 2ª 2dæ, q. 147. art.3. *Quòd Jejunium in communi cadit sub præcepto Divino & Evangelico, Christo ipso dictante, Vos cùm jejunatis, nè sitis sicut hypocritæ, Matt. 6. quantumvìs temporis determinatio ab Ecclesia petatur.*

Fieri igitur potest ut ad communem notionem Patres respicerent cùm *Divinum Institutum* nominarent. De Augustino certum est: hanc ejus mentem fuisse apparet ex illa ad Casulanum Epistola, ubi hoc modo se explicat; *In Evangelicis*, inquit, *Apostolitísque literis, totóque Instrumento quod appellatur Testamentum Novum, animo id revolvens, video præceptum esse Jejunium; quibus autem diebus non oportet jejunare, aut quibus oportet, præcepto Domini aut Apostolorum non video definitum.* Hæc Augustinus: ex quibus est Sole clarius, non propter hoc *Divinitus præceptam Quadragesimam* dixisse, ac si à Divino aliquo mandato specialem haberet authoritatem, sed hac sola de causa, quia mandata generalia de Jejunio exstant ad quodcunque tempus particulare applicabilia. Hæc Accommodatio secunda, à Rerum dependentiis.

A Verborum æquipollentia petenda est tertia, quia in sensu libero

laxóque

laxóque loquendi genere non illud solum dicitur *Divinum* quod est Divinitus institutum, sed illa omnia quæ propiùs ad Divinam institutionem accedunt: nonnunquam id Divinum dicitur quod illibatum est & inviolatum, & firmiter stabilitum, sicut in Gregorio Nazianzeno Cardinalis Baronius observavit. Habetur locus in Epist. 74. ad Celensium; ibi his verbis Celensium Judicem Nazianzenus alloquitur, *Iniquè facis, O Judex, qui non jejunas: & quando leges humanas servabis, qui Divinas contemnis?* In hæc verba sic commentatur Baronius Anno 57. Sect. 195. *Appellat*, inquit, *Jejuniorum Constitutiones Leges Divinas, quia in Ecclesia sacrosancta & penitus inviolabiles habebantur:* Sanctum enim & Divinum Veteres solent nuncupare quod firmum est & intemeratum, laxato loquendi genere. Neque novum hoc est, sed quotidianum, ut in hoc sensu laxo ritus Ecclesiastici, prout Civilibus opponuntur, Sacri & Divini aliquando dicantur, & quia circa res Divinas versantur, & quia in Divinum finem ordinantur: solent enim sæpenumero sic loqui Classici scriptores, quando de rebus paulò eminentioribus verba faciunt. In hunc sensum Tobiæ librum Ambrosius *Divina Oracula* appellat; *Divinam Scripturam* librum Ecclesiastici Hieronymus; *Divinas literas* librum Sapientiæ Epiphanius; & tamen eorum librorum singulos pro Apocryphis judicarunt: nam Epiphanius in Anomœis librum Sapientiæ sejunxit à libris Veteris Testamenti; & in Præfatione in libros Solomonis Ecclesiasticum Hieronymus negat esse Canonicum. Huc accedit quòd Augustini scripta in lib. 3. Gratianus *Sacram scripturam* dicit; & Acta Concilii Niceni *Sententias Divinitus inspiratas* Cyrillus: quæ utraque humana sciebant esse opuscula, sed excellentioris tamen notæ si cum Vulgaribus scriptis actísque comparentur. Eodem modo solent de Quadragesima loqui iidem Doctores, cùm *sanctam Quadragesimam* vocant, ut Ambrosius; & *venerabilem Quadragesimam*, ut Maximus Taurinensis; & *sacratissimum Quadragesimæ tempus*, ut Cæsarius Arelatensis; & *castos ac Divinos dies Quadragesimæ*, ut Nectarius: non quòd simpliciter Divinam institutionem putabant, sed vel respectu diuturnitatis, quia institutio firma erat & inviolabilis; vel habitâ ad res civiles comparatione, quòd istarum respectu etiam Ecclesiasticam institutionem dignam judicabant quæ his honorũ epithetis condecoretur, ut à politicis scilicet legibus eã distinguerent. Hæc Accommodatio tertia, à verborũ æquipollentiis.

Quarta sola superest, quæ à calore Oratorio depromitur; In Patrum scriptis sunt nonnulla orationis quodam æstu enunciata, & quasi per excessum, quæ minùs commodè dicta reperiuntur si ad judicii limam redigantur. Hoc vos non fugit, Auditores, solere Patres in Declamatoriis majori uti amplificationum licentiâ, ad Auditorum & torporem excutiendum & affectus excitandos: ex quo aliquando accidit, ut orationis impetu rapti, nonnulla enuntient quæ duriùs sonant si pressè & propriè accipiantur. Non mea est observatio, sed Theodoreti, Dialogo tertio, οὐ κανόνα ποιοῦμαι δογμάτων τὰ πανηγυρικῶς ἐν ταῖς ἐκκλησίαις λεγόμενα, *Non pro regula dogmatum statuenda sunt quæ in Ecclesia declamatoriè & panegyricè dicuntur, & ex oratorio quodam motu.* Jam verò vix ullum est argumentum in quo se longiùs provehi patiuntur quàm in Jejunii encomiis, ut Auditores suos possint illius flagrantissimo amore incendere, quasi quasdam verborum faces admovendo. Ut reliquos prætercam, in Ambrosio proclive est observatu, vix enim unquam de Jejunio disputat sine aliquo mentis excessu. Ejusmodi est illud in lib. 6. Hexaemeron, cap. 4. *Medicamentum quæris, & Jejunium fugis? quasi majus aliquod remedium reperire possis. Jejuni hominis sputum si serpens gustaverit, moritur:*

vides igitur quanta vis Jejunii sit, ut & sputo suo homo terrenum serpentem interficiat, & merito spiritualem. Ejusmodi est & illud in Tract. de Helia & Jejunio, cap. 3. & 8. *Quid est Jejunium nisi substantia quadam & imago cœlestis? Jejunium refectio animæ, cibus mentis, continentiæ magisterium, castigatio carnis, purificatio animæ. Jejunium vita Angelorum est, culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ.* Ad extremum, ejusmodi est illud in ejusdem libri cap. 4. *Ne terrenum quis aut novellum putet esse Jejunium, primus usus mundi à Jejunio cœpit, quando lux clara resplenduit. Secundus dies in Jejunio, quando cœli factum est firmamentum. Tertio die terra pabulum germinavit, Jejunium tamen cœlestis disciplina servavit. Quarto die luminaria facta sunt Solis & Lunæ, & adhuc Jejunium. Quinto die produxerunt aquæ reptilia & volatilia, & benedixit eis Deus, ut multiplicentur, & adhuc Jejunium; dixit eis, Crescite, non dixit, Edite & manducate. Sexto die bestiæ sunt creatæ, & cum bestiis orta est edendi potestas & usus escarum: sic ubi cibus cœpit, ibi finis factus est mundi.* Hæc Ambrosius. De his & horum similibus quid existimandum? Ecquis est qui motus Rhetoricos non videt, & luxuriantis calami superfluentem quandam licentiam? De re quæ est præ manibus haud aliter est dicendum; fervore quodam mentis evectos Patres fuisse & Jejunii promovendi flagranti desiderio raptos, quando Quadragesimam dixerunt *institutionem Divinitus mandatam, Divinitus initiatam*, cùm nullum tamen exstare ejus in Evangelio præceptum indubitanter cognoscerent.

Hæc illa sunt quæ de his loquendi formulis dicenda putavi, partim ut à maledicorum linguis Sanctos Doctores vindicarem; partim ut legentium offensiunculæ occurrerem, si quis sit qui ægre ferat quòd hoc se modo explicârunt; partim etiam ut aberrationis occasionem ab iis auferrem qui facillimè se decipi patiuntur cùm in hæc loca incurrunt; postremò, ob hoc potissimùm, ut huic disputationis parti satisfacerem, in qua de Divina Jejunii Quadragesimalis origine est negativè definiendum, quia neque hoc recta ratio suadet, nec eò Sanctorum Patrum sententiæ directò propendent, nec Sacræ Paginæ authoritas concedit. Quapropter, cùm non sit in Sacra Pagina aut vola aliqua aut vestigium ullius præcepti Divini hoc Jejunium imperantis, imò nec insinuatio quidem, nimiæ est licentiæ asseverare Salvatorem illud præcepisse vel tacitè, vel palàm. Etenim tam longè abest à Juris Divini gradu indubitato, ut non sit in gradu ullo; quia nec explicitum mandatum habet, nedum implicitum, legitimâ consequentiâ eliciendum. De prima sententia satis, *Non niti Jure Divino Quadragesimale Jejunium*; nec propriè & strictè loquendo posse dici aut *Mandatum*, aut *Præceptum*.

Accedo ad alteram, quæ ad Traditionem Apostolicam originem ejus refert; éstque hæc Pontificiorum multorum sententia, Lindani, Turriani, Azorii, Baronii, Bellarmini. *Non Præcepto scripto, sed Traditione non scriptâ defendimus Quadragesimam ab Apostolis institutam*, inquit Bellarm. De bonis operibus in partic. lib. 2. cap. 14. Nec minùs fidenter Cardinalis Baronius, Anno 57. Sectione 194. *Apostolicam esse institutionem Quadragesimæ absque aliqua controversia in confesso semper in Ecclesia fuit.* At Michael à Palacio paulò molliùs, in lib. 4. Sent. d. 15. *Jejunium Quadragesimale ab Apostolis derivari pium & rationabile est credere.* Attende discrepantiam, quàm sit in communi causa dispar Doctorum judicium: *pium est credere*, inquit à Palacio; *in confesso est*, Baronius; *nos illud defendimus*, Bellarminus: ille ut rem probabilem ponit, & charitatis judicio consen-

consentaneam, *Piè*, inquit, *creditur*; iste ut rem probatam omnibúsque compertam, *In comperto semper fuit*; hic ut rem probandam, atque suo vindicandam patrocinio, *Traditione Apostolicâ institutam defendimus.* Esto, sed quibus obsecro præsidiis? quâ armaturâ? Enimvero non deesse arma fateor quibus hæc sua defensio peragatur: sed ejusmodi tamen sunt quæ numero magis pollent quàm viribus, & fulgentia potiùs sunt quàm invicta & fortia, *plúsque habent prædæ quàm periculi*, ut apud Justinum lib. 11. cap. 3. Alexander loquitur. Neque enim argumentis in hac causa pugnant, sed testimoniis; iisque non per omnia firmissimis, sed coactis ut plurimùm atque emendicatis. Quod ut magis innotescat, in duas has Classes ea omnia distribuam, In testimonia Assertoria, & testimonia Commemorativa.

Testimonia Assertoria ea voco quæ signanter & Categoricè pronuntiant, à Traditione Apostolica Quadragesimale Jejunium manâsse: & eorum non magnus est comitatus; etenim duos solos è Patribus testes Bellarminus producit, Hieronymum & Leonem. Hieronymi locus est in illa ad Marcellam Epistola, *Nos unam Quadragesimam, secundum traditionem Apostolorum, toto anno tempore nobis congruo jejunamus.* Leonis duplex est testimonium: alterum in Ser. 6. de Quadragesi. in quo populum cohortatur ut institutionem Apostolicam quadraginta dierum jejuniis implere vellent; in Serm. 9. alterum, ubi à Sanctis Apostolis per doctrinam Spiritûs Sancti majora instituta esse Jejunia profitetur. Extra istos duos non quenquam è Veteribus introducit Bellarminus qui Apostolicam esse Traditionem prætendat: nec quenquam novi qui expressè loquatur hoc modo, nisi placeat Theophilum Alexandrinum & Isidorum Hispalensem adjungere; quorum ille in Epistola prima Paschali ad totius Ægypti Episcopos, secundum Evangelicas Traditiones; hic lib. 6. Orig. cap. 19. secundum Apostolicam institutionem servari Quadragesimam affirmat. Ex his Papistæ sic argumentantur, *Quod omnes Ecclesiæ Doctores communi consensu ex Apostolica traditione docent descendere, illud credendum est esse Apostolicam Traditionem: Sed de Quadragesimali Jejunio hoc constat.* Itáne? *constat?* Quæro, ex quibus tabulis? *Ex consensu omnium Doctorum.* Ain' *omnium?* Num Hieronymi & Leonis testimonia sunt *omnium*, an potiùs centesimæ partis? Largiamur igitur hoc ipsis, E Patribus quatuor fore qui Traditionem Apostolicam præsumunt; quid quatuor ad universos? aut contra causam quid est, quod faciant hæc testimonia, si plura forent? Num omne id Apostolicum quod in quovis sensu *Apostolica* dicitur *Traditio?* Solet interdum Hieronymus Traditionem Apostolicam latiori significatione accipere, non pro eo quod fuerit ab Apostolis traditum & institutum, verùm pro eo quod fuit ab antiquis receptum, cujus cùm origo ignoraretur, Apostolis tribuebatur, ad majorem ei authoritatem conciliandam. Sic in illa ad Lucinum Epistola, de Jejunio Sabbati loquutus, *traditionem Apostolicam* dicit, eodem, opinor, sensu quo in Epist. ad Marcellam, *Traditionem Apostolicam*, Quadragesimam. Nè meam interpretationem arbitremini, audite ipsum Hieronymum ad Lucinum, qui de Jejunio Sabbati quæsiverat, respondentem; *Unaquaque provincia*, inquit, *abundet in sensu suo, & præcepta majorum leges Apostolicas arbitretur.* Viden'? Majorum præcepta *Traditiones Apostolicas* dici posse ipse Hieronymus attestatur; ut jam nil magni conficerent, si non modò è Patribus quatuor, sed quadraginta, dixissent esse *Traditionem Apostolicam.* Hæc primæ Classis sunt testimonia, quæ dixi Assertoria.

Ad

Ad Commemorativa veniamus. Testimonia Commemorativa eorum sunt qui mentionem frequentissimam Quadragesimæ faciunt, tanquam rei notissimæ, & universaliter receptæ, multóque ante ipsorum tempora institutæ. Atque hujus classis testimoniorum est cumulus amplior, vix enim quisquam est è quarti aut quinti aut sexti seculi Patribus in quo ejus aliqua mentio non reperiatur. Ut eos prætercam, invenitur Quadragesimæ usurpatio in Irenæi antiquissimis scriptis, apud Eusebium, l. 5. c. 26. & in Origenis super Leviticum Commentariis, Hom. 10. *Habemus*, inquit, *Quadragesimæ dies jejuniis consecratos.* Istis Bellarminus annectit Apostolorum Can. 68. in quo sic decernitur, *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor, sanctam Pascha Quadragesimam non jejunat, nisi fuerit imbecillitate corporali impeditus, deponatur.* Adducunt alii Clementis Constitutionem, l. 5. c. 12. in qua servandam esse Quadragesimam decernitur, eò quòd vitæ Christi & Legis latæ recordationem in se contineat. Addit Baronius, ex B. Ignatii ad Philippenses Epistola, locum alterum, cujus hæc sunt verba, τὴν τεσσαρακοστὴν μὴ ἐξουθενεῖτε, μίμησιν γὰρ περιέχει τῆς τοῦ Κυρίου πολιτείας· hoc est, *Quadragesimale jejunium nè spernatis, continet enim imitationem conversationis Dominicæ.* Hæc Ignatius. Eódem referre possumus alterius sortis suffragia, quæ de communi omnium Ecclesiarum usu testificantur: neq; enim ulla sunt temporum post quartum seculum spatia quibus se Patres circumscribunt cùm de Quadragesimæ observatione loquuntur. In Synodo Gangrensi, Can. 19. *commune jejunium* dicitur *totius Ecclesiæ:* à Chrysologo, Ser. 166. *jejunium quod devotione solenni universalis suscepit Ecclesia:* ab Isidoro, Orig. l. 6. c. 19. *jejunium quod in universo orbe observatur:* à D. Bernardo, *unum omnium Christianorum jejunium; unum omnium quicunque in eandem fidei conveniunt unitatem.* Ut verbo dicam, *Non ulla est insula*, inquit Basilius, *nec ulla terra continens, non civitas, non gens ulla, non extremus mundi angulus, ubi non sit auditum Jejunii edictum; in eo omne hominum genus, omnis ætas, omnes dignitatum forma censentur.* Hæc ille.

Habetur idem apud Rab. Maurum l. 2. De instit. Clericorum, c. 8.
Bas. Hom. 2. De Jejunio.

Quæ cùm ità sint, ex istis Pontificii sic disputant; Quæ in universa Ecclesia, dicente Augustino, observantur, & in nullo Ecclesiæ Concilio instituta inveniuntur, illa omnia sine dubio ex Apostolica traditione descendunt: Sed ejusmodi est Jejunium Quadragesimale, quia nusquam exstat Concilium in quo dicatur institutum, & tamen observatum in Ecclesia semper fuit, ut patet ex Conciliis & Patribus diversorum temporum & locorum. Hactenus de secundæ classis testimoniis, quæ Commemorativa dixi.

Aug. Ep. 118. ad Januarium. & l. 4. de Bap. c. 24.

Ab utraque Classe hoc illud est quod necessariò sequi contendunt Papistæ, Traditionem esse Apostolicam Quadragesimale Jejunium, utpote à primis Christianitatis incunabulis ortum, & ad hanc usque Ecclesiæ senectam semper & ubique continuatum. Hæc summa est, atque hoc cùm mecum reputo Consectarium, non possum non agnoscere habere aliquam, imò magnam, probabilitatis speciem hanc sententiam, ut *piè possit credi*, sicut à Palacio loquitur, & sine fidei detrimento teneri, si quis eò inclinaverit ut cum illis hac in parte sentiat. Enimvero non mihi est in animo aut de re levicula litigare, aut rei dubiæ mordicus adhærere, aut ad meas opinionum formulas alios exigere. Nollem cuiquam libenter suam sentiendi libertatem præripere, imponendo aut præscribendo quid opinetur; imò verò unumquemque suo relinquo judicii arbitrio. At duo tamen sunt in quibus hìc labi existimo Pontificios: Quòd consequentiam probabilem ut necessariam interpretentur; hoc primum: Quòd ad minùs probabilem se vertant, excusso illo quod est multò probabilius; hoc alterum. Eapropter Speciem aliquam

Probabilitatis hanc sententiam dixi habere: sed Probabilitatis, non Necessitatis; & aliquam, non proximam; & si magnam, non tamen summam & maximam. Idcirco, ut finem aliquando statuam huic disputationis parti, duæ sunt Propositiones quibus rem totam conficiam.

Propositio prima hæc sit; Hoc posito, quòd probabiliter dici possit, ab Apostolica traditione originem suam ducere Quadragesimale Jejunium, at de necessitate tamen non tenet, neque est sententia certis & indubitatis signis demonstrabilis. Hæc prima.

Secunda sic se habet; Posito quòd sit probabilis opinio, fuisse Constitutionem Apostolicam, at probabilius multò est non fuisse; & si sit in aliquo probabilitis gradu, non tamen est in proximo. In aliquo esse non eo inficias, & quia Patres aliquos habet suffragatores, quorum authoritas est gravissima; & quia vestigium habet aliquod ab aliquot seculorum jugi decursu tramissum: at esse tamen in proximo gradu probabilitatis fidenter nego, ídque tribus istis de Causis.

Ratio prima à Sacro Canone ducitur, & hæc est; Quod non est Evangelicum, suspiciosum est non esse Apostolicum: Sed observationis Quadragesimæ nusquam in Evangelio, nusquam in Scripturis exstat vel tenuissimum aut vestigium aut indicium; nec quicquàm est in eis quod præstet ipsius vel levissimam conjecturam. Enimvero in rebus vel similibus, vel non majoris momenti, vehementer sunt solliciti scribæ Evangelici nè quicquam prætereant. Decretum temporarium de Sanguine & Suffocato non omittunt, Diei Dominicæ signa non obscura depingunt, de Jejuniis in genere tractant, & de aliis multis quæ non magìs scire conduceret quàm ipsam Quadragesimam, si certâ & universali lege fuisset sancita: & tamen de Quadragesima nè verbum quidem. Quòd si ex tabulis certis Traditionem Apostolicam fore constaret, non inviti amplectaremur ut institutum Apostolicum: at quia Sacræ Literæ conticescunt, verissimum est illud Erasmi, quod in Declaratione sua ad Facultatem Parisiensem de Quadragesimali Jejunio locutus est, *quamvìs non sit contra, at certum est esse præter doctrinam Apostolorum.* Dicendum

Ep. 74. est igitur cum B. martyre Cypriano, in illa ad Pompeium Epistola, *Traditio illa quam prætenditis, unde est? utrúmne de Dominica & de Evangelica authoritate descendens, an de Apostolorum mandatis atque Epistolis veniens? ea enim facienda quæ scripta sunt, Deus testatur. Si ergò aut in Evangelio præcipitur, aut in Apostolorum Epistolis aut Actibus continetur, observetur ut Divina & sancta traditio.* Addo, si Scriptura sileat, plusquam veri est simile non esse Traditionem Apostolicam, quia nè hoc quidem omissuri essent viri θεόπνευστοι, si fuisset ab Apostolis institutum. Hæc Ratio prima, Cur non sit res in proximo gradu probabilitatis.

Secunda ab Observationis diversitate sumitur, & sic se habet; Quod non est uniforme & sui simile, probabile est Apostolicam Traditionem non fuisse. Quod enim Apostoli instituebant, cùm eodem essent Spiritu ducti eodem ubique modo instituebant, ut ab omnibus eodem tenore servaretur: De Quadragesima totum contrà, nam & ipse Bellarminus fatetur, mirandam fuisse tantam in ipsius observatione diversitatem; & quamvìs eam subtilitatibus suis extenuare conetur, at negare non potuit, quia passim attestatam videbat à Scriptoribus Ecclesiasticis, fuisse variè & pro arbitrio à Veteribus observatam. Testatur id Irenæus, apud Eusebium, l. 5. c. 25. alios die uno, alios duobus, alios pluribus, alios quadraginta diebus Paschale definivisse Jejunium. Testatur Ambrosius, Ser. 4. suo tempore aliquos non Quadragesimam, sed Quinquagesimam jejunare solitos; alios contrà vix trigesimam aut vigesimam, cùm alternis tantùm hebdomadis in Quadragesima jejuna-

jejunarent. Præterea Socrates, cap. 21. libri 5. & Sozomenus 7. 19. longè latiùs diversitatem exsequuntur. Socratis verba hæc sunt, *Jejuniorum rationem quæ ante Pascha fiunt aliter ab aliis fuisse observatam facile est reperire: nam qui sunt Romæ tres septimanas ante Pascha jejunant; qui in Illyria & tota Græcia, sex; alii septem: & omnes tamen eodem modo Quadragesimã appellant*, & quæ sequuntur. Magna hæc est, ut videtis, observationis diversitas, non uno aut altero calculo, sed testium nube confirmata. Exinde probabile est sequi quod contendimus, Non esse traditionem Apostolicam. Probabile dico, quia revera non necessarium est ut sequatur. Non quidem me latet evenire hanc diversitatem posse etiam in Divinæ institutionis ritibus; ut in Baptismo videre est. Habere institutorem suum Christum Baptismum omnes nôrunt, & habet tamen aliquam administratio ejus diversitatem: nonnullis enim Ecclesiis Baptismus per immersionem solus est in usu, aliis per aspersionem levémque tinctionem; atque aliis est trina mersio, aliis una: nec tamen est hæc diversitas argumento, non esse Baptismum à Christo institutum. Non igitur necessariam hanc puto consequentiam, ut non sit Apostolicum quod non sit uniforme, quia diversitas obrepere potuit post institutionem. At habet tamen magnam hæc consequentia verisimilitudinem: utcunque enim tinctionis & mersionis, sive trinæ sive unius, differentia non sit de essentia institutionis Baptismi; at quadraginta dierum observatio est de essentia institutionis Quadragesimæ, quia non est Quadragesima nisi restringatur ad quadraginta. Si igitur alii plures, alii pauciores dies observârunt, idque cum multiplici diversitate; valde probabile est non fuisse ab Apostolis lege ullâ sancitam Quadragesimam, sed consuetudine tantùm valuisse. Etenim lex si foret, eadem esset omnibus: varietas si sit, non est à lege, sed arbitrio. Si igitur Apostolicum institutum esse contendunt, proximum est ut diversitatem esse Apostolicam ostendant: nisi quòd hoc magìs est veritati consentaneum, ut dicamus jejunandi usum ab Apostolis manâsse, Jejunii Quadragesimalis ritum à placito & arbitrio Ecclesiarum. Hæc Ratio secunda, A Diversitate observationis.

Tertia desumitur A Testium conditione & numero: quia Testes quos in hanc causam convocant Pontificii non singuli sunt authentici; & si authentici, non sunt, sicut esse oportet, universi, sed pauci aliquot; & illi pauci non primi, sed nuperioris seculi. Si igitur largiamur illis S. Augustini quam producunt regulam, *Certum esse & indubitatum ab Apostolis ea omnia instituta esse, quæ & ab universa Ecclesia observantur, & à nullo alio instituta inveniuntur*; si hoc, inquam, concedatur, at de Quadragesimali Jejunio non concludit, & quia origo ejus est probè cognita, & quia per singula tempora observatio ejus ab universa Ecclesia non est celebrata. Tametsi enim observatio ejus post tertium seculum invaluit; at ab ipsis Ecclesiæ initiis universaliter fuisse in usu non docent, neque ulla testimonia id probant quæ à Pontificiis proferuntur. Quòd si ad Commemorativa testimonia recurramus, tria tantùm sunt ad primum seculum pertinentia, & singula dubiæ fidei. Nam primò, Apostolorum qui dicuntur Canones, Isidorus Hispalensis aliique ut Apocryphos meritò rejiciunt, utpote ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositos. Deinde, de Constitutionibus Clementis idem ferè est Doctorum judicium, aut planè esse eas supposititias, aut saltem corruptas & depravatas. Rursus, & de Ignatii ad Philippenses Epistola, si nihil aliud, at illud saltem adulteratam esse ostendit, quia Χριστοκτόνον pronunciet, hoc est, *Christi interfectorem*, si quis die Dominicâ aut Sabbato jejunârit, uno tantùm excepto: cùm tamen Papistæ Sabbato jejunent, & licere Sabbato jejunare nemo dubitet. Imò & ipsum Bellarminum hoc adeò movebat, ut hunc

Grat. Dist. 16.

hunc locum corruptum existimaret. Vacillant igitur primi seculi Commemorativa testimonia.

Quod autem ad testimonia Assertoria spectat, non illa majoris videntur esse momenti: & quia incerti sunt Patres de origine Quadragesimæ, dum alii à præcepto Christi, alii à Traditione Apostolica traducunt; & quia qui ad Apostolicam Traditionem referunt non sunt ad summum nisi ex omnibus quatuor, Hieronymus, Theophilus, Leo, Isidorus. Quid hæc ad universalem consensum tam exigua paucitas? quis non miretur in tanto usu rerum non plures occurrere? aut ante Hieronymum & Theophilum, qui in extremum incurrunt seculi quarti, neminem inventum qui authores laudaret Apostolos? Ex istis igitur probabilis est quæ sequitur Consequentia, Quia non est apud ullum idoneum testem vel Quadragesimæ mentio ante Irenæum, vel Apostolicæ Traditionis asseveratio ante Hieronymum, & duos aut tres post ipsum alios; sequitur, inquam, non habere firmum fundamentum hanc sententiam secundam, imò multò esse negativam partem probabiliorem, Non niti traditione Apostolicâ Quadragesimale Jejunium.

His ità perpetratis, non opus est ut ad longa spatia sententiam tertiam producam; quia ex præassumptis necessariò sequi videtur, ut si non ortum habeat ab Institutione Divina Quadragesimalis observatio, neque ab Apostolica Traditione, ergò ut Ecclesiasticæ sit institutionis necesse est. Et hæc quidem est omnium communissima sententia, magno assensu celebrata & Summistarum & Scholasticorum. Inter illos, primarios habemus Vincentium, Antoninum, Baptistam, Friburgo, Clavasio; ut Navarrum taceam & Panormitanum. Inter hos, Durandum, Paludanum, Richardum, Majorem, Carthusianum, qui eodem se modo omnes explicant, *Quadragesimæ institutionem esse de jure positivo, & de jure purè humano, & de præcepto Ecclesiæ, & de majorum consuetudine.* Sed hæc mitto, neque enim opus est post alterius partis eventilationem, ut in hac tertia aut nominibus contendam aut rationibus: Alioqui rationes non desunt, eæque pro natura rei satis speciosæ, & ex utroque supposito, sive ut rem certam, sive ut incertam originem ejus accipiamus.

Si ut rem incertam, ergò non ab Apostolis fluxit, quia origo ejus nescitur. Num igitur quicquid cujus origo nescitur, quamvis bonum & pium, hoc ipso nomine censebitur Apostolicum? etsi ab altera parte sequatur, omne Apostolicum esse pium; at non ex altera, omne quod pium statim esse Apostolicum. In historia sua Socrates longè aliter ratiocinatur, l. 5. c. 22. & habentur etiam eadem apud Sozomenum, l. 7. c. 19. *Quia hac de re nemo potest ostendere* ἔγγραφον παράγγελμα, *scriptum aliquod mandatum, perspicuum est quòd Apostoli* τῇ ἑκάστου γνώμῃ καὶ προαιρέσει ἐπιτρέψαι, *potestatem hac in re liberam cujusque sententiæ & arbitrio permiserunt.* Ex Irenæo hoc manifestum est, qui in sua ad Victorem Epistola, apud Eusebium lib. 5. apud majores suos quasi incertum ortum habuisse dicit Quadragesimam, sed συνήθειαν vocat καθ' ἁπλότητα καὶ ἰδιωτισμὸν, *consuetudinem à simplicitate quadam vel privata authoritate natam.* Ex Cassiano est adhuc magìs manifestum, Collationis vigesimæ primæ cap. 30. verba ejus hæc sunt; *Sciendum sanè hanc observantiam Quadragesimæ quamdiu Ecclesiæ illius primitivæ perfectio permansit penitus non fuisse, non enim præcepti hujus necessitate, nec quasi legali sanctione constricti, arctissimis jejuniorum terminis claudebantur, qui per totum anni spatium æquali jejunio concludebantur; verùm cùm ab Apostolica devotione descisceret quotidie credentium multitudo, tunc universis placuit Sacerdotibus*, & quæ sequuntur. Ex hoc Cassiani loco nemo est qui

qui Quadragesimæ originem describere non valeat. Duo enim sunt quæ ex eo loco colligantur: Unum est, de Tempore in quo non exstitit; alterum, de Tempore à quo primùm cœperit Quadragesimæ observatio. De tempore in quo non exstitit hoc docet, Non fuisse in primitiva Ecclesia aliqua stata tempora, sed *per totum annum æquale* fuisse *jejunium*; hoc est, ut ego conjicio, unum & perpetuum mortificationis tempus, & unam & perpetuam & intemeratam legem insignis temperantiæ. Occurrit apud Hieronymum similis loquendi formula, cùm ad Eustochium scribit de Monachorum Ægyptiorum jejuniis; *Inter eos,* inquit, *jejunium totius anni est æquale, exceptâ Quadragesimâ, in qua sola conceditur districtiùs vivere.* Quod Hieronymo est *Jejunium æquale totius anni*, hoc Cassiano est *Jejunium æquale per totum annum.* Ergò hoc est primum quod nos docet, De tempore quando non exstitit Quadragesima. Alterum est De tempore in quo exstare cœperit, vel potiùs de occasione & causa instituendi; *Frigescente,* inquit, *devotione, cùm apud multos inciperent jejunia negligi, tunc Sacerdotibus placuit ut consensu communi Quadragesima servaretur.* Igitur illi introducebant, & dein eorum exempla alii sequebantur. Ipsi primi erant, tum longè latéque grassante exemplo, à primis ad alios decurrit, donec ex consensu facta est consuetudo, quæ legis vel Canonis locum obtinebat. Ergò hoc ex Irenæo & Cassiano certum, Habuisse post Apostolorum tempora originem; etsi hoc incertum, quo tempore cœperit. Hæc optima quæ dari potest ortûs ratio, si ut rem incertam accipiamus, à pietate natam esse Quadragesimam, & à consuetudine roboratam.

Porrò, si ut rem certam accipiamus, natalis ejus est multò adhuc clarior; nam à Telesphoro Papa circa annum centesimum trigesimum sextum institutionem suam accepisse est probabile, & quia ante ipsius tempora nulla est Quadragesimæ mentio, nisi in Epistola suspecta Ignatii; & quia assertores multos habet hæc sententia, Telesphorum omnium primum eam instituisse. Quòd autem Bellarminus dicit, Telesphorum non ideo fuisse primum authorem, quia solis Clericis mandavit ut septem integras hebdomadas jejunarent, cùm Laici septem non integras antea jejunarent, & per hoc Telesphorum non instituisse primam Quadragesimam, sed solùm ampliâsse: hoc merum esse subterfugium Scriptores Historici monstrabunt. Etenim inprimis Platina ei contrariatur, qui nil tale memorat de Clericis, sed veram & simplicem narrationem texit; *Telesphorus,* inquit, *constituit, ut septem hebdomadibus ante Pascha Jejunium observaretur.* Dein & Anastasii narratio non est dissimilis; *Telesphorus constituit, ut septem hebdomadas ante Pascha Jejunium celebraretur.* Quid quòd in Chronico suo Eusebius eodem modo recitat? *Per hoc tempus,* inquit, i. e. circa annum 136. *Quadragesimale Jejunium à Telesphoro institutum ac præceptum quidam tradunt.* Eccere; Clericorum hìc nulla est mentio, ut scias, indefinitè ad Laicos non minùs quàm Clericos constitutionem spectâsse. Imò verò ut extra omnem dubitationem statuatur, Joannem Stellam audiamus, quo ipse modo hanc Constitutionem factam esse significet, in suo Pontificum Romanorum Catalogo: In vita Telesphori sic ille; *Vir singularis doctrina & virtutis Telesphorus instituit ut Jejunium Quadragesimale sex hebdomadarum ante Pascha resurrectionis à cunctis Christianis observaretur.* Audin'? institutum esse dicit à Telesphoro, ut ab omnibus Christianis observaretur. Et Doctores quidem Decretalium, Gratianus, Ivo, Burchardus, cùm hujus Constitutionis mentionem faciunt, ad Clericos spectâsse asserunt; at Historiæ congestores, Stella, Platina, Anastasius, Eusebius, indefinitè ad omnes? & si ad omnes, ergò origo ejus deprehenditur, non ab Apostolis institutam,

tam, sed à Telesphoro; & per hæc Ecclesiasticam esse Constitutionem apparet, non Apostolicam, sicut pulchre est à S. Augustino, Ep.86. animadversum; *Quoniam*, inquit, *non invenitur, ut suprà commemoravi, in Evangelicis & Apostolicis literis, certis diebus aliquibus evidenter præceptum esse observanda jejunia, ideo quoque & ista habentur in veste illius filiæ regis, i.e. Ecclesia.* Ab hac radice originem suam ducit Quadragesima, huic debet stirpi parentalia, non Præcepto Divino, non Traditioni Apostolicæ. Nobilius, fateor, esset genus, si Divinum; nobilius si Apostolicum: sed Ecclesiasticum sicut inferius, ità certius, & per hoc melius.

Utcunque de hominum stemmate dubitare videatur Quintilianus, *An majus sit genus facere quàm habere:* at de doctrinarum stemmate non ulla est dubitatio, quòd earum deprehendere genus sit pium, sed facere aut fingere periculosum; sicut humili loco nasci & legitimo præstantius est quàm nobili, si sit incertus, illegitimus & spurius. Summa igitur hæc est, Quòd de certo non sit institutionis Divinæ, Quòd de probabili non constet esse Traditionis Apostolicæ, Quòd de magìs probabili magìs constet esse institutionis Ecclesiasticæ. De Origine Jejunii Quadragesimalis hæc dixisse sufficiat.

LECTIO XXIII.

A Rei Origine ad Finem in corporeis nescio an sit via proxima, in Moralibus absque dubio est via probatissima; quia ex utraque parte mutuis se adjuvant officiis Principium & Finis. Principium ad Finem adipiscendum disponit, Finis impellit ad aggrediendum Principium; atque, ut verbo dicam, sicut Finis asciscit sibi naturam rationémque Principii, sic vitalitatem suam & movendi habitudinem Principium trahit à Fine. Ex istis mihi amplus jam patet progrediendi aditus; quia de Quadragesimæ exordiis abunde est dictum, rerum ordo postulat ut ad institutionis scopum rationémque finalem accedamus, ut videamus quò collimet hæc observatio, & ad quem pietatis usum consilium ejus sit referendum. Neque erit inutilis labor, sed ad bonam frugem maximè accommodatus. Idque non solùm ob decorum illud generale quod in rebus universis est observandum, quia in omni instituto Finis est principale quæsitum, propter quod facimus quicquid facimus: verùm est alia specialior ratio, reíque præ manibus adjunctior, quia Jejunium censetur inter τὰ μέσα καὶ ἀδιάφορα· ex eorum numero non est quæ simpliciter & per se bona sunt, & propter se expetenda, sed eorum quæ ad aliud relata, eatenus bona sunt & laudabilia quatenus ad aliquid seipsis melius finémque bonum ordinantur. Si igitur ad veras causas finales Jejunium hoc minimè referatur, non erit in laude, sed in vitio ponendum.

Quocirca ad hanc nos disputationis partem convertamus, in qua de Quadragesimalis Institutionis Finibus est quærendum: de Finibus, dico, quoniam non est uno ambitu finis ratio circumscripta, neque unum omnibus est observationis propositum; imò tanta est ferè finium diversitas quàm ipsorum hominum, qui vel pietate ducti vel studio partium trusi sunt ut in hunc aut illum finem magìs inclinarent. Hoc illud est quod in ipso limine iter perturbat, suspensúmque detinet, in ea sententiarum dissimilitudine quæ via sit capessenda, ut veras solidásque hujus Institutionis Causas attingam.

Interea

Interea necesse non est ut illud præmoneam, non agi in præsentiarum de Causis aut finibus Jejunii simpliciter & universim sumpti; sed nominatim de Quadragesimali Jejunio, & de rationibus illis ad quas ejus sive prima Institutio, sive assidua Observatio, est revolvenda.

De Jejunio in genere sumpto, vix quisquam est qui nesciat tres esse ipsius fines legitimos ad quos exigi debeat; Ad macerandam & subigendam carnem, nè plus nimiò lasciviat; ad excitandam animam, ut ad preces ac sanctas meditationes meliùs simus comparati; & ad pœnitentiam demonstrandam, ut testimonium fit nostræ coram Deo humiliationis, dum reatum nostrum volumus coram ipso confiteri. Hæc omnia cuivis sunt in obvio, & ex ipsis Scripturis manifesta.

Cæterùm in Quadragesimali instituto non sic se res habet; non adeò aperta est aut facilis rationum indagatio, sed potiùs caligine quadam circumfusa: & quia è Sacris Literis lux nulla oboritur, cùm non sit ipsius aliqua vel tenuissima in Divinis oraculis mentio, nè dum causarum; & quia non facile est, propter incertos natales, in ejus prima exordia penetrare, atque necesse est ut causæ lateant ubi origo nescitur; & quia jamdudum interclusus est patefactionis aditus magnâ mole conjecturarum, dum patere sibi portam unusquisque existimat pro libitu quidvis conjiciendi. Ergò nostrum erit in hac dissimilium sententiarum effusissima frequentia probabilia à falsis secernere, & indubitata, si quæ sint, à probabilibus.

Quod ut diligentiùs fiat, in duas partes hoc totum Argumentum distribuam, Deliberativam unam, atque Definitivam alteram. In Deliberativa agendum est de Mediis quibus ad has rationes enucleandas perveniatur; in Definitiva, de Rationibus ipsis.

Ordiamur à prima, ut de modo disquisitionis videamus, ex quo fonte Institutionis rationes sint petendæ, & qui authores potissimùm sequendi, Veteres an Nuperi, Patres an Pontificii an nostri, nam ordo quartus non datur quò me vertam. Atque de his incertum mihi est, an ex illorum quibuscunque seorsim sumptis causarum enumeratio plena ad nos possit transferri.

Inprimis, si Doctores Veteres consulamus, ab iis perexiguum est quod pro certo habeatur, eò quòd vix quisquam sit eorum qui Institutionis hujus historiam texat, aut accuratè & deditâ operâ rationes exploret, sed obiter & per transennam: neque unanimis est eorum hac in re consensus, sed dispar, & quasi suum cuique judicium. Nam alii ad imitationem Christi, alii ad pœnitentiæ publicæ contestificationem, alii ad decimationem vitæ velut ex Lege Deo debitam, alii ad præparationem nostrî pro salutis mysteriis celebrandis, Institutionis rationem redigunt; sicut cuique visum est, quod mente conceperat fieri posse, id velut factum & destinatum definire. Huc accedit, quòd illæ ipsæ rationes quas Sanctorum Patrum nonnulli adducunt, non sunt omnes germanæ, aut è re nata deprompṭæ, sed plerumque adscititiæ, & ex ingenii quadam abundantia editæ; magìs ad amplificationem & ornatum quàm ad instituti naturam, ut mox patebit.

In his igitur non invenire possumus quod penitus satisfaciat, cùm flosculorum nulla sit firmitudo; nec prudentis est quidem institutionis piæ firmamentum in Encomiasticis & figuratè dictis constituere.

Quocirca cùm hæc non sufficiat, aliâ aggrediamur viâ. Descendamus ad Pontificios, si fortasse ab ipsis, qui ex professo hanc causam agunt, Institutionis rationes addiscere valeamus. Quod ad ipsos spectat, subturpiculum videri potest si ab his superstitionum magistris rationes ducamus illius Institutionis de qua adulteranda eos meritò coarguimus. Sed ab incepto hæc

me consideratio non avellit: neque enim pudet vel ab Adversariis haurire quod bonum est; nec hominis est ingenui, aut veritatem amantis, in re præsertim dubia, dissimulare, si quid ab Adversariis probabiliter dicatur. Accipiamus igitur vel ab ipsis si quid bene sit dictum: neque enim existimo rationes quas hujus rei reddunt omnes tam malas esse, ut nihil sit in iis quod bonum censeatur, nihil quod comprobandũ. Verùm & illud est adjiciendum, hoc bonum, si quid sit quod reperiatur, tam perpusillum fore, támque pædore & sordibus depravatum, & mali acerbitate adeò permixtum, ut bonum quod prætexitur non facilè possimus libare, nisi malum quod adhæret velimus etiam deglutire. Ex Aquinate id palàm constabit, & Valentiano, & Bellarmino, & quovis alio qui hoc argumentum tractat polemico scriptore. Sunt tres quas Aquinas adhibet Institutionis rationes, in 4. Sent. d. 15. art. 3. qu. 1. Prima est, Propter repressionem Concupiscentiæ, quæ Veris tempore, quod in Quadragesima incipit, magìs solet effervescere. Secunda est, Propter susceptionem Divinæ gratiæ; quia ad redemptionis nostræ mysteria circa festum Paschæ devotiùs celebranda hoc Jejunio disponimur. Tertia est, Propter adeptionem æternæ gloriæ; quia sicut Christus per passionem suam ad gloriam resurrectionis pervenit, sic nos oportet per jejunia & alias pœnitentias ad æternæ beatitudinis gloriam pervenire. Hæc Thomas. Ad istas Valentianus aliíque Summistæ quatuor aut quinque alias aggregant, à Jejunio in genere ad Quadragesimam in specie transmissas. Cùm enim ad quinque fines Jejunium in se ordinetur, Ad subjugationem carnis, Ad protestationem pœnitentiæ, Ad animi pro rebus Divinis percipiendis præparationem, Ad mercedem à Deo promerendam, & Ad satisfaciendum pro pœna temporali peccatis debita: ex istis sequitur, quòd in his omnibus Quadragesima præ cæteris emineat; est enim Jejunium cæteris solennius, strictius, diuturnius; ergò necesse est ut & carnem magìs reprimat, & pœnitentiam magìs declaret, & mentem magìs præparet, & magìs pro peccatis satisfaciat, magísque mercedem à Deo promereatur: Hæc illi. Nec tamen in istis rationum numerus terminatur; etenim ad septenarium usque excrescunt apud Bellarminum, l. 2. De bonis operibus in particulari, cap. 16. In illo loco septem sunt quas enumerat rationes institutæ Quadragesimæ: Ut pro negligentiis totius anni agatur communis & publica pœnitentia, prima; Ut ad Sacram Communionem fiat præparatio, secunda; Ut impleatur illud Matth. 9. *cùm auferetur ab illis sponsus, jejunabunt in illis diebus*, tertia; Ut sit præparatio ad celebrationem passionis & resurrectionis Domini, quarta; Ut pro Catechumenis in Paschate baptizandis jejunetur, quinta; Ut quasi decimæ totius vitæ Deo consecrentur, sexta; septima denique & ultima, Ut sit imitatio Christi pro nobis tum patientis, tum jejunantis. Hic finium & rationum est cumulus quas Bellarminus astruit, super ea omnia quæ in cap. 11. pro satisfactione, & merito, & dispositione animæ, & compressione concupiscentiæ, ab eo in genere adducuntur. Quæ si jam justâ trutinâ pensentur, non erit, opinor, obscurum, verissimum id fore quod dudum monui, In illis esse, velut in polypodis capite, si quædam bona, si quædam mediocria, at mala plura: ut jam hos duces sequi, aut ab his arbitris rationes Institutionis petere, nec nobile esset nec tutum; aut si petamus, necessarium est ut pretiosum à vili sejungamus, sicut Propheta loquitur.

Val. to. 3. disp. 9. qu. 2. punct. 2. sect. 2. & 3, &c.

Quid igitur agendum superest, si neque in S. Patrum rationibus sit plenus, neque in Papistarum securus locus acquiescendi? Num ad Ecclesias reformatas exteras nos conferre oportet, aut ad nostrarum partium scriptores? Atqui valde vereor, utrùm ab iis in promptu sit mutuari quod huic argu-

argumento satisfaciat. Hanc nostri sibimet provinciam non arripiunt, imò magis de industria fugitant. Neque hoc prorsus inconsultò: dum enim in id potissimùm incubuerunt, ut Pontificiorum in Quadragesima observanda corruptelas detegere possint & persequi; ad se non spectare putabant depravatæ disciplinæ patrocinium suscipere, aut rationes exquirere pro defensione istius Institutionis cujus observationem non retinebant. Verum est, non damnare eos hanc disciplinæ partem, nec quantum ad Institutionem primam, nec quantum ad observationem hodiernam, si illibata & incorrupta servetur. Veruntamen tametsi non damnent, at perpaucæ sunt ex iis Ecclesiis quæ retinent Institutionis ritum; paucæ quæ ullos statos aut certos dies habent huic dicatos exercitio, sed pro præsenti necessitate dies peculiariter delectos, sive publicè sive privatim, prout occurrunt publicæ privatæve causæ. Ex Ecclesiarum Confessionibus hoc erit manifestum, quàm exile & verè jejunum sit exterarum Ecclesiarum de Quadragesima judicium, exceptis unâ aut alterâ, quæ de ea honestiùs loquuntur. Inprimis, retinendam eam agnoscit Bohemica Confessio, c. 15. verbis disertissimis; *Servantur*, inquit, *apud nos hodie, quantum fieri potest, multi ex veteribus ritibus, & consuetudine introductis; quales sunt Jejuniorum & Feriarum dies certi, qui consecrati sunt celebrationi operum Christi, Nativitati, Cruciatibus, Resurrectioni*, & quæ sequuntur. Pariter & Confessio Augustana, Artic. 5. *Non damnantur ipsa Jejunia, sed traditiones quæ certos dies & certos cibos præscribunt cum periculo conscientiæ, tanquam ejusmodi opera sint necessarii cultûs: servantur tamen apud nos pleraque traditiones quæ conducunt ad hoc ut res ordine gerantur in Ecclesia, ut ordo lectionum in Missa, & præcipuæ Feriæ.* Dein & Confessio Wittenbergensis, c. 28. *Fuit in Ecclesia primitiva Quadragesimalis Jejunii usus liberrimus; est etiam pius & utilis horum jejuniorum finis: at jejunium sentire opus esse quo vel peccata coram Deo expientur, vel meritum Christi applicetur, nec Apostolicum est, nec Catholicum.* Ad extremum, Confessio Suevica, c. 8. *Propter juniores & imperfectiores certum ad precandum & jejunandum tempus modúmque constitui, quo ad hæc velut sanctis progymnasmatis præparentur, nostri haudquaquam improbant, si modò id fiat citra obstrictionem Conscientiæ.* Hæc illi. At contrà est quod Confessio Gallica & Helvetica profitentur. Helvetica, c. 24. *Quadragesimale Jejunium vetustatis habet testimonia, sed nulla ex literis Apostolicis: Ergò nec debet, nec potest imponi fidelibus.* Gallica, Artic. 24. *Ciborum esum ceremonialem, certorum dierum observationem, cæteráque res omnes ejusmodi, quibus opinantur quidam se gratiam & salutem mereri, nos rejicimus, non solùm propter falsam meriti opinionem ipsis adjunctam; sed etiam quia sunt humana commenta, & jugum ex hominum authoritate Conscientiis impositum.* Eòdem recidunt Lutheri, Calvini & Hemingii sententiæ, cùm se Quadragesimæ observationi opponunt, quas tamen de Papistarum Quadragesima existimo esse intelligendas. Etenim κακοζηλίαν vocat Calvinus, & *rem superstitionis plenam*; *rem erroneam & plenam mendacii*, Lutherus; ἐθελοθρησκείαν, & *multiplicem impietatem* Hemingius; *inventum humanum & superstitiosum*, Bucerus; *commentum etsi specie pulchrum, Christianæ tamen libertati minimè congruum*, P. Martyr. Sed hæc quo sensu & quibus de causis? Equidem justissimis, habito scil. ad Pontificiorum abusus respectu, sicut ipsi seipsos explicant. Etenim Lutherus, quando *erroneam* appellat, mox subnectit, *quia istis jejuniis sub gravi peccato necessitatem imponunt*: & Hemingius cùm *impium statum*, adjungit, *quale est apud Papistas Quadragesimale Jejunium*: & Calvinus, cùm *superstitiosum*, sect. 21. hoc adjicit, *Nil recti, nil sinceri, nil bene compositi in jejuniis Papistas habere*:

Cal. Inst. lib. 4. c. 12. s. 20. Luth. De doctrinis hominum vitandis. Hem. in 1 Cor. 2. 6. Buc. in Ma. 4. Mart. in Jud. 20.

&

& Martyr, cùm *Christianâ libertate indignum*, illud non dissimulat, *astringi homines lege fidei & obedientiæ, cùm indicuntur à Principibus & Ecclesia, Jejunia ea, si non impediuntur, observare:* postremò, & Bucerus, cùm *superstitiosum*, restrictiones quasdam annectit, mentis suæ interpretes; *Superstitio est, sicut à vulgo observatur: Superstitionem dixi, sed propter abusus; nè quis hoc eò rapiat, quasi non probem vel quadraginta dies, dummodo plus obtineri nequeat, vivere vulgus Christianorum afflictiùs & religiosiùs, & attentiùs precibus incumbere, & magis deliciis abstinere; quia hæc singula ut semper Christianos decent, ità Quadragesimâ iis exerceri eos minimè dedecebit, modò ea observatio ritè suscipiatur.*

Istis sic positis, in comperto est, à nostris Scriptoribus Institutionis rationes nec trahi posse nec exspectari, quibus in hoc argumento tractando in hanc partem intendere vix aut vacaret aut colliberet, dum corruptelas Romanensium majori impetu perstringerent. Quò igitur nos vertamus? aut in hoc adjumentorum defectu dic ubi ponamus vestigia: cùm & nostrorum Scriptorum rationes aut nullæ sunt, aut quæ redduntur non nisi generales; & Pontificiorum aut non sunt in se bonæ, aut, si bonæ, malarum misturâ vitiatæ; & Doctorum veterum, si non rationes singulæ, saltem pars maxima incerta, & à longinquo petita. Quid, inquam, in his angustiis est faciendum? Hem: unum adhuc est reliquum, nec nisi unum, perfugium; ut videamus, si forsan quod singuli non præstant, junctim universi præstare possunt. Erit hoc modo perfecta & cumulata rationum investigatio, si & ex Patribus, & ex nostris Scriptoribus, & ex ipsis (si quid bene dixerint) Adversariis, desumantur. Quod tandem ut enucleatiùs fiat, prætermissis his de Mediis consultationibus, ad Fines ipsos rationésque Institutionis pergamus, quam partem dixi Definitivam. Et quia rationes veræ statui non possunt, nisi amoveantur falsæ ac ementitæ; igitur ad duo capita rationes revocabo: ad Supposititias & spurias, hoc caput primum est, nè non causæ sumantur ut causæ; ad Legitimas atque germanas, hoc secundum, nè veræ & propriæ causæ ut non causæ rejiciantur.

Supposititias & spurias dico, quas vel superstitionis prurigo confinxit, vel ingenii subtilitas debito perspicacior excogitavit. Et per hoc duæ sunt classes ad quas Supposititiorum Finium ordo est reducendus. Classis prima est eorum qui ad numeros referunt Institutionis rationem; in quibus res tota est planè nugatoria, adeóque puerilis, ut satietati aurium vestrarum priùs occurrendum esset excusationis aliquâ præfatiunculâ, quàm hæc anilia figmenda recensenda. Ædepol præterirem eas ex toto, tanquam ignobiles & contemnendas, nisi has ineptias deperire cernerem cujuscunque generis scriptores Pontificios. Ut cæteros taceam, pro reliquis Aquinas erit documento, qui ex ipsis Patribus quatuor expiscatur rationes, cur sub hoc dierum numero hujus Jejunii solennitas observetur. Una est ex Augustini, si illius sit, Serm. 157. de Tempore. Verba sic habent; *Quod dicit Psaltes, à finibus terræ se ad Deum clamâsse, hoc tota agit Ecclesia: unde jam liquet cur Quadragesimæ instituta sit solennitas; qui enim à finibus terræ clamat, à quatuor orbis partibus clamat, Oriente, Occiduo, Aquilone & Meridie, quibus multiplicatis per decem, videmus quadraginta compleri.* Hæc, inquam, est ratio Augustini. Adest altera, nec illa dissimilis, ex Gregorii Hom. 16. in Evangelia, ubi sic argumentatur; *Cur, obsecro, in abstinentia Quadragenarius numerus custoditur, nisi quia virtus Decalogi per quatuor libros Sancti Evangelii impletur? denarius etenim quater ductus in quadragenarium surgit.* Paulò pòst subjungit & tertiam, hoc modo; *In hoc mortali corpore ex quatuor elementis subsistimus, & per voluptates ejusdem corporis præceptis Dominicis contraimus,*

1ª. 2ª. q. 147. art. 5.

traimus, praecepta autem Dominica per Decalogum sunt accepta: quia ergò per carnis desideria Decalogi mandata contempsimus, dignum est ut eandem carnem quaterdecies affligamus. Superest adhuc ultima, cui mordicus adhærent Canonistæ, Gratianus, Ino, Burchardus, aliíque; Bellarminus quoque & nemo non Papistarum: sic autem instituitur à Gregorio; *A præsenti die usque ad Paschalis solennitatis gaudia sex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta duo fiunt; ex iis dum sex dies Dominici abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia quàm triginta & sex dies remanent: dum ergò per trecentos & sexaginta quinque dies annus ducitur, nos autem per triginta & sex dies affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus; ut qui nobismetipsis per acceptum annum viximus, authori nostro in ejus decimis per abstinentiam mortificemus. Unde, fratres, sicut in Lege jubemini offerre decimas rerum, ità ei offerre contendite & decimas dierum.* Hæc Gregorius. De his quid nobis est cogitandum, quibus pietati est nullam potiùs servare Quadragesimam quàm his stramineis numerorum fundamentis nixam? Annon in hæc Ciceronis illud & Gellii quadrare optimè videtur? *O licentiam jocularem! ô summæ futilitatis fabulas! ô argutissimas nugas!* Hæccine ut lusoria in Theologiam admittantur, & in Dei cultum, & in humiliationis actum, ut præ se ferunt, maximè solennem? Quid igitur interest inter votivos ludos & solennitatem Jejunii? quod si modò ex istis rationibus æstimandum erit, non jam Christianum Jejunium dicendum esset, sed magìs Pythagoricum, qui & abstinentiæ magister fuit & numerorum. Enimvero condonandum est Patribus, si in tanta quâ pollebant dicendi copia reperiatur aliquid quod effluat, quia ingenii licentiam singulari pietate compensant: at in Papistis vix est ferendum, qui Quadragesimalis Jejunii meritum magnificè jactant, & tandem in numeros solvunt; prorsus ac si ex Platonis Schola aut Euclidis demonstrationibus petenda ratio salutis esset. Ergò ut nugamenta hæc mera esse intelligamus, vix quicquam est in observatione quod cohæreat, non Fundamentum, non Analogia, non Computatio.

Inprimis, Fundamentum corruit, quia nulla est talis decimatio cui ullâ lege obstringimur. Non lege Rationis; quia præpostera est decimatio, si reliquorum dierum dedicatio fiat, Dominicis prætergressis. Non lege Divinâ; quia à nobis Deus non solùm decimam partem exigit, sed totam vitam, ut tota vita in pœnitentia transigatur, & tota in orationibus aliísque pietatis officiis: quæ quidem si quotidie, hoc est unoquoque die, fiant, per totam vitam fiunt.

Secundò, Analogia non tenet; hoc enim concesso, quòd triginta & sex dies sint totius anni, ut aiunt, decimatio, ad Salvatoris exemplum dic quomodo se conformant, qui quadraginta dies integros jejunavit. Hunc nodum Durandus sic solvit, *Recipiuntur præcedentis hebdomadæ quatuor dies, ut quadragesimalis numerus impleatur.* At verò hoc non satìs est, neque impedit quò minùs hoc Dilemmate capiantur: nam si sint tantùm triginta & sex dies Jejunii, tum non est Quadragesima, neque Salvatoris expressa in tempore imitatio; ex altera parte, si sint jejunii quadraginta dies plenarii, tum non est exquisita totius anni decimatio.

Denique, & ab ipsa Computatione decipiuntur; quià totius anni pars decima in triginta sex diebus perfectè non absolvitur, siquidem *manent quinque dies indecimati*, ut Durandus annotat, nisi quòd *minutias illas Ecclesia Romana non attendat*, ut ille loquitur: adeò inter se similes sunt Arithmetica Papistarum atque Theologia, & in utraque ipsi ad Sophisticen eruditi, dum Arithmeticam æquè ac Theologiam non pudet his artibus resarcire.

Sed de his hactenus, neque enim prudentis esse puto hæc altiùs prosequi, nè

nè horæ optimæ usuram in dierum pessimam computationem videar impendere.

Restat adhuc altera Supposititiorum Finium classis, eorum qui non solùm in numerorum ineptias instituti sancti fines resecant, sed in aliquid longè deterius, in mercedis Divinæ meritum, & pro peccatis nescio quam satisfactionem. Hoc illud est quod Tomo operum 3°, disp. 9. q. 2. punct. 2. nobis exprobrat Valentianus; *Sectarii negant, sed hæreticè negant, quòd in hunc finem liceat jejunare, ut per Jejunium promereamur mercedem à Deo, aut per illud pro peccatis satisfaciamus.* Hoc idem quod urget Bellarminus, c.11. l.2. De bonis operibus in particulari; *Jejunium est utile ad satisfaciendum Deo, Jejunium est utile ad merendum & temporalia & sempiterna.* Ex istis sequitur, Jejunium Quadragesimæ præ cæteris esse, juxta eorum sententiam, & meritorium & satisfactorium: quia nobilius est & perfectius aliis omnibus jejuniis. Nè iis injuriam facere videar meis consequentiis, Joannes de Turrecremata disertis verbis ità seipsum explicat, in Tract.115. super regulam Benedicti; *Tempus*, inquit, *Quadragesimæ est tempus pœnitentiæ, tempus lacrymarum, tempus salutis, tempus justificationis, tempus reconciliationis, tempus accumulationis meritorum.* Rursus & Bernardinus Senensis, Ser.5. in die cinerum: ubi inter Quadragesimæ fructus & perfectiones hæc duo recenset, *satisfactionem*, & *glorificationem*; & tum demum addit, *In hujus rei mysterium cantat Ecclesia, Paradisi portas nobis aperit Jejunii tempus; ut post jejunium Elias raptus est in cœlum. In hujus mysterium servatur ordo temporis, & statim post jejunium Quadragesimæ Resurrectionis gloria celebratur.* Hæc ille, neque opus est aliis ad hanc demonstrationem tabulis; cùm nemo sit eorum qui negabit hanc esse omnium communem sententiam, quam Patrum testimoniis conatu summo enituntur stabilire. Inter alia duo sunt loca quæ explicatiora videntur, Basilii, & Ambrosii. S.Ambrosii locus est in Ep.82. ad Ecclesiam Vercellensem; *Qui sunt hi præceptores novi qui meritum excludunt Jejunii?* S.Basilii alter, in Hom.1. de Jejunio; *In morbum*, inquit, *incidimus per peccatum, sanemur per pœnitentiam; sed pœnitentia sine jejunio otiosa:* tum sequitur, διὰ νηστείας ἀπολόγησαι τῷ Θεῷ, quod interpres sic vertit, *per jejunium Deo satisfacito.* Ad hæc quid nos? nam apertiora sunt quàm quæ negari possunt: imò non est quòd negemus. Fatemur Patres sic interdum fuisse locutos: sed num putas propriè, aut ad Papistarum sensum? Nihil minus. Quod ad *Meriti* vocabulum attinet, quòd per *Meritum* nil aliud significant quàm ipsum opus bonum & laudabile, quamplurima sunt quæ ostendunt loca cùm ex ipsis Patribus tum ex scriptoribus etiam exoticis. Hoc omnes nôrunt; habemus ipsum Bellarminum hoc alicubi non diffitentem, in l. 1. de Gratia & libero Arbitrio, c. 14. *Solet*, inquit, *Augustinus Meritum appellare quemlibet actum bonum ratione cujus aliquid aliud accipimus, ut apparet ex Epistolis* 105, *&* 106. Hoc igitur sensu, *excludere meritum Jejunii*, apud Ambrosium nil aliud est quàm negare laudem & utilitatem Jejunii. De *Satisfactione* haud aliter est dicendum, eodem enim modo & *Satisfactionis* vocabulo utuntur Patres, ut nil aliud sit *Satisfacere* quàm ad Deum convertere, & discedere à peccatis, & mutare vitam in meliùs. Quemadmodum in rebus seculi satisfit honori alterius cùm pro probris laudes restituuntur, & pro odio amor succedit: ità in Theologicis, cùm peccatis quibus Deus offendebatur virtutes succedunt, & impiam vitam pia sequitur, *Satisfactio* dicitur. Hoc modo seipsos Patres interpretantur, idque non uno in loco. Gennadius, c. 54. de Ecclesiasticis Dogmatibus; *Satisfactio pœnitentiæ est causas peccatorum excidere, nec earum suggestionibus aditum indulgere.* Pacianus in Parænesi ad pœnitentiam,

Ad

Ad patrem vestrum verâ satisfactione redite, nihil ulteriùs errando, nihil pristinis adjiciendo peccatis. His addatur illud Bernardi, *Satisfaciamus, & ablato quod separat peccato reconciliemur.* Denique & illud Lactantii, *Pœnitentiam proposuit, ut si peccata nostra confessi Deo satisfecerimus, veniam consequamur.* Quid plura? annon hæc usum vocabuli cumulatè probant? Ergò apud Basilium, *Pœnitentiâ & jejunio Deo satisfacere*, quid aliud est quàm ad Deum hâc viâ redire, & se suppliciter prosternere, & vitæ pristinæ sordes deponere, & delictorum veniam demississimè deprecari? Neque est hoc subterfugium, sed justissima allegatio. Patet ex ipsorum Pontificiorum doctrina quòd non sit è meo sensu deprompta explicatio: nam Patres Sancti in suo sensu sumptam satisfactionem ad pœnas æternas transferebant, Papistæ suam non nisi ad pœnas temporales. Ex quo necessariò sequitur, nec juxta Papistarum mentem, nec secundùm proprium vocis usum fuisse locutos. Porrò & ex ipso vocabulo evincitur à S. Basilio usurpato, *διὰ νηστείας*, inquit, *ἀπολόγησαι τῷ Θεῷ*· at verò *ἀπολογεῖσθαι*, quantumvis in acceptione strictissima significet *causam defendendo agere*, at non nisi *ἀκύρως satisfacere*; & magis quidem propriè *culpam deprecari*, quàm ullatenus satisfacere. Quòd si hæc tam multa non sufficiant, sed adhuc nudo verborum sono adhærere velint, obfirmatis animis protestamur, nec esse, nec esse posse, aut in specie Quadragesimam, aut in communi quodcunque aliud jejunium vel meritorium vel satisfactorium, quocunque dicente: Porrò, non esse in hunc finem jejunium ullum aut primitus institutum, aut unquam sive instituendum sive observandum, quia temerarium hoc foret, & impium, & summopere contumeliosum tum gratiæ Divinæ benignitati, tum misericordiæ Divinæ amplitudini, tum fœderis Divini immunitatibus, tum Divinæ voluntatis in Sacris Literis consignatissimis testimoniis; ad hæc, tum meriti Salvatoris sufficientiæ, tum præmii cœlestis splendori, tum etiam ipsius Jejunii pietati, eò quòd Jejunii essentiam subvertit, efficitque ut non possit esse aut nobis quantum ad solatia jucundum, aut Deo quantum ad approbationem acceptum.

Quapropter, ut finem aliquando faciamus altercandi, sit instar Coronidis illud S. Bernardi verè aureum, *Nemo se seducat; non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, nec si unus omnes sustineat.* De Jejuniis fidentiùs pronuntiamus, Non esse ea in ulla aut ad futuram gloriam proportione meritoria, aut ad peccata præterita satisfactoria, nec si unus omnia præstaret, totámque vitam faceret unum Jejunium. Quòd si in aliis bonis operibus fas esset meritum aut satisfactionem obtendere, in Jejuniis nullo modo. Non in Jejunio, quia non est in se res moraliter bona, nisi Orationi & Pœnitentiæ adjungatur, & ad legitimum etiam finem referatur. *Sortitur*, inquit Chrys. Hom. 47. in Matth. *ἔσχατον τοῦ χοροῦ μέρος*, *in choro virtutum locum ultimum.* Non in Jejunio, quia humiliationis est nostræ testimonium, & deprecationis atque afflictionis animæ exercitium. Si igitur omnem cujuscunque generis superbiam Majestas Divina exsecretur in quocunque negotio, quàm inexpiabilis erit ista mentis elatio quæ in ipso submissionis actu de merito suo gloriatur? Non in Jejunio, quia Salvatoris est in Evangelio cautela, *Vos cùm jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ*, & quæ sequuntur. Obsecro, quid est quod Dominus velit, cùm de cavendo hypocritarum jejunio nos admonet? Dicam verbo, Jejunium hypocritarum est jejunium simulatum & fictum, Matth. 6. 16. *Deformant facies suas, ut appareant hominibus jejunare.* Ad hæc, Jejunium hypocritarum est jejunium ambitiosum & jactabundum, Is. 58. 3. *Quare jejunavimus, & non aspexisti? humiliavimus animas nostras, & nescivisti?* hoc est, apud te

S. 1. de Annun. & Ser. 15. In Quis habitat, et Ser. 61. in Cant.

Ooo com-

comprobationem non habet, tu non reputas meritorium. Postremò, Jejunium hypocritarum est jejunium Pharisaicum, elatâ cervice splendidum, propriæque justitiæ typho inflatum, Luc. 18. 11. *Gratias ago tibi, quòd non sum sicut cæteri; jejuno bis in sabbato.* De hoc Jejunio Christus loquitur. *Hanc vanæ gloriæ spinam in bona terra nascentem exscindi jubet,* inquit Chrysost. Operis imperf. hom. 15. *nè suffocet Jejunii fructum.* Quæ putas hujus cautionis est ratio? Chrysostomus doceat, *Quia pessimum est superbiæ genus, si in jejuniis animus intumescat.* Non est hoc hypocritas imitari, sed superare; ὑπόκρισίς ἐστι καθ' ὑπερβολήν, ὑπόκρισις διπλῆ, *hypocrisis quædam transcendens & duplicata:* sicut semper simulata submissio duplex est arrogantia.

Hom. 21. in Mat.

Hæ igitur causæ sunt cur in Jejunio fas non sit obtrudere meritum: quòd si non in Jejunio simpliciter, in Jejunio Quadragesimæ multò minùs, quia ad hoc institutam Quadragesimam dicunt, ut sit pia Salvatoris imitatio, & pro totius anni negligentiis pœnitentiale compendium, & ad Sacram Communionem præparatorium. Eja, quam bellè! An per ostentationem meritorum disponi putant animum ad tremenda mysteria recipienda? Hæccine pro totius anni delictis pœnitentialis humiliatio? Hæc imitatio Christi? Imitationem dixi, an magìs injuriam? non enim est conformitas, sed contumelia. Liceat igitur percontari, An hæc est ratio quòd Quadragesimale Jejunium à Traditione Apostolica natum prædicant? An propter hoc Divinis laudibus ornant & usque ad sidera attollunt, ut Salvatoris Jejunii meritum suorum interjectu minuant; nec Jejunii solius meritum elevent, sed Mortis? Dicant paucis, an in hunc finem observatur, ut detrahatur Christo? Papæ! Non dixerint, non in hunc finem institutio vergit, non his fundamentis nititur. Ad hoc constituta sunt Jejunia, ut sint adminicula viæ, non ut sint meritoria præmii; ut carnis sequeretur subjugatio, non elatio mentis; ut peccati fieret labefactatio, non pro peccatis satisfactio. Quòd si illis fundamentis nitantur, aut in illos fines tendant, valeat Jejunium, valeat Quadragesima. Hæc ea sunt quæ rejicienda dixi, non solùm ut supposititia, sed sacrilega; nec tantùm ut adulterina, sed ut impia & flagitiosa, neminique probanda qui modò habeat aliquid non solùm sapientiæ sed etiam pietatis.

LECTIO

LECTIO XXIV.

Quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

IN his ipsis verbis facta est jampridem operis nostri cessatio, atque ab iisdem nova nunc sunt exordia ducenda; ut remissam esse hanc de Quadragesima disputationem intelligatis, non solutam, redeunte jam denuo in seipsum, velut per orbem quendam, Argumento. Per orbem dico, non ac si in animo esset jam actum agere, aut decursa studia de integro resumere, usque ad fastidium vestrum: sed quia de cursu solito per hæc silentii spatia aliquantisper deflexinus, necessarium est ut eò quamprimùm revocemus disputationem unde ultimò declinavit. Quod fieri commodiùs non potest nisi per retrocessum: neque est quidem longè petendus; præstò est dicenti mihi, præstò est audientibus vobis, rerum omnium quæ ad hoc negotium pertinent in statum pristinum remigratio. Quod de Magno anno Platonici somniârunt, Fore ut post triginta sex annorum millia totus in seipsum mundus remearet, útque idem Plato in eadem Academia de iisdem rebus cum iisdem discipulis dissereret: hoc ipsum contigisse hodie ὡς ἐν τύπῳ nemo est qui non videre possit, ídque non magni, sed novi anni interventu; etenim adsunt iidem Auditores, eâdem alacritate attenti, eodem prorsus in loco, die eodem, eâdem horâ, ad eandem quæstionem discutiendam quam anno nuperrimè effluxo proposuimus; & ut adhuc sit plenior reciprocatio, pars eadem Quæstionis est enucleanda quam priùs, sed imperfectè, pertractavimus. Macte igitur, peractis jam magnæ Festivitatis epulis, quia *ipsis conviviis Jejunium dat gratiam*, dicente Ambrosio, ad Quadragesimam nos denuo conferamus; & quia hoc longo silentii intervallo quæstionis membra sunt à se invicem disterminata, ad eum ipsum articulum redeamus in quo olim conquievimus, extrema cum primis contexendo, nè perire aliquid videatur instituti nostri. *l. de Helia, c.9.*

De Institutionis Origine diximus, de Scopo etiam atque Causis, sed fictis & supposititiis; ad legitimas & germanas nunc porrò est pergendum, ut videamus, Quæ vera sit pietatis ratio, quæ veræ & intemeratæ Causæ quibus observatio ipsius innitatur.

Ad hanc partem quod spectat, ut eam breviùs perstringam, tria sunt Theoremata quæ velut in antecessum præponam; à quibus lucem aliquam ea quæ sequuntur accipiant, vel magìs firmamentum & robur.

Theorema primum hoc est; In rebus subordinatis tractandis, satis est ad definitionem causarum rei particularis aut inferioris, si naturæ superioris causas ei ex amussim convenire doceatur. Quapropter si non esset aliqua quæ reddi possit hujus Institutionis specialis ratio; attamen vel hoc unum ad honorem ejus & usum astruendum sufficeret, quòd finis nullus est aut causa Jejunii in genere sumpti, cujus alicubi Sacra Pagina

 meminit,

meminit, quæ non apposite possit ad religiosam Quadragesimæ observationem accommodari. Inprimis, si ad afflictionem mentis animique humiliationem testificandam, aut ad pœnitentiam nostram demonstrandam, Jejunia conducant; ad hoc ipsum Institutio Quadragesimalis respicit, ut postea videbimus. Deinde, si eò referatur Jejunium, ut carnis petulantia coerceatur, nè lasciviat aut obluctetur Spiritui; in pia observatione Quadragesimæ præstari hoc potest, est enim disciplinæ severioris quasi Schola, ut carnis incentiva rigore districtioris abstinentiæ castigemus. Denique, si alter, isque summus, Jejunii finis sit, ut exinde ad actus & affectus spirituales mens magis idonea exsurgat, utque spiritus eò ardentiùs & liberiùs totum se dedere & vacare queat orationi reliquisque pietatis exercitiis; quis dubitat his omnibus Quadragesimam inservire? Alioqui S. Chrysostomum audiat, in Ser. De Resurrectione Domini, ἡ νηστεία σωματικὴ διὰ τὴν νηστείαν πνευματικὴν ἐγένετο, *Jejunium hoc corporale propter spirituale est institutum.* Ex istis jam necessariò sequitur, Quia in sancta observatione Quadragesimæ concursus est omnium causarum & finium ad quos Jejunium simpliciter est ordinatum, non adeò esse opus in aliis causis exquirendis laborare ampliùs, cùm ad rei subordinatæ usum abunde sit, si illis ipsis causis gaudeat quarum collectio præexsistere debet in subordinante. Hoc Theorema primum.

Huic affine est secundum, & sic se habet; In Pietatis officiis ad legitimam institutionem sufficit, si ad certum & definitum tempus authoritate humanâ officia ea revocentur quæ γενικῶς & sub tempore indefinito in Scripturis Divinis præcipiuntur. Ex eo regulæ ratio pendet, quòd apud omnes est in confesso, Permisisse Christum Ecclesiæ suæ potestatem διατακτικήν, quâ possit in rebus mediis & adiaphoris leges ferre, & temporum indeterminationem ad certa & stata tempora prudenter applicare: Cæteroquin rerum omnium perturbatio sequeretur; imò necesse est ut ipsa Religio cultúsque Divinus oblanguesceret, nisi in Ecclesiæ arbitrio essent hæ quæ ad Politiam & ordinem spectant determinationes circumstantiarum, sine quibus prioris tabulæ præcepta & publica pietatis officia in cœtibus Ecclesiasticis vix ac nè vix quidem servari possent.

Eapropter distinguendum exquisitiùs est inter Substantiam præcepti alicujus, quæ medulla est & anima officii, atque inter Circumstantias, quæ ad τὸ πρέπον pertinent καὶ τὴν εὐταξίαν. Etenim si Officium ipsum quoad τὸ ὂν à Deo ipso sit institutum, ex eo non minuitur aut invalescit si quoad τὸ ποῖον imperio humano decernatur. In Orationis negotio & Sacramentorum administratione hoc liquidò constat: nam quod ad substantiam ipsam, sunt singula sub præcepto; at quod ad tempus exsequendi, ut hoc vel illo die, ut hâc vel illâ horâ Conventus Sacri habeantur, aut exhibeantur Sacra Mysteria, cùm non sint sub expresso mandato, & ad mandati tamen usum atque exercitium maximopere conducant, idcirco præsumendum est ea à generalis mandati ordine vim suam & firmitatem trahere, quantumvis ab hominibus constituantur. De Jejunio Quadragesimæ haud aliter est dicendum, quia præceptum esse Jejunium legimus in Evangelicis literis, tametsi de hoc vel illo tempore nullum præceptum occurrat; & quia nullum occurrit, cuique Ecclesiæ est integrum libertate suâ uti in temporibus præfiniendis: & si contingat ut in una Ecclesia unum, in altera aliud tempus statuatur, tamen, ut Irenæus apud Eusebium loquitur, ἡ διαφωνία τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι, *Dissonantia Jejunii fidei consonantiam non modò non turbat, sed magis commendat & roborat.* Ergò ex istis concluditur, Quia ex præscriptione Evangelica generalis præcepti ratio derivetur,

Aug. Ep. 136. Ad Casulanum.

rivetur, Jejunandum esse, non potest non esse pietati consentaneum, si ad hunc modum & hæc tempora commodissima Jejuniorum observatio ab Ecclesia referatur; cùm à virtute præcepti generalis specialis applicatio efficaciam suam trahat. Hoc Theorema secundum.

Superest adhuc tertium, quod sic instituo; In pietatis officiis relativis, quæ ad aliud referuntur, deesse non potest defensio justa Relati, si modò justæ causæ adfuerint Correlativi. Exempli gratiâ, Si agrorum distinctio sit necessaria, prudens nemo est qui velit quærere an limes sit necessarius, quia absque limite non potest fieri ejusmodi distinctio aut limitatio: Similiter & in rebus Sacris, Si Orationis & Lectionis opera sint homini Christiano necessaria, quis est qui de Vigilantia dubitabit, eam esse vel maximè necessariam, cùm absque vigilantia attendere non possumus aut Lectioni aut Orationi? In eodem numero Jejunium est statuendum, velut ejusmodi bonum quod non est simpliciter & absolutè bonum, nisi quatenus ad aliud majus bonum ordinatur; & ejusmodi virtus quæ ex se & in sua natura, propriè loquendo, virtus non est, sed ut relationem & ordinem habet ad aliquam aliam virtutem, Pœnitentiam puta, Orationem, Contemplationem, & quascunque alias quibus ancilletur. Hoc B. Gregorius vidit, cùm Jejunium non nisi ex aliis virtutibus commendari pronuntiavit, Pastor. Cur. par. 3. c. 20. Hoc S. Hieronymus, cùm in illa ad Celantiam Epistola, non *perfectam virtutem* dicendam esse sensit, sed *virtutum cæterarum adjumentum*. Et quale adjumentum? Ejusmodi quod disponit & præparat animum ad earum actus & eliciendos faciliùs & feliciùs exsequendos: ut quemadmodum ex parte una nequaquam prodest Jejunium, nisi istis virtutibus adjungatur; ità ex altera, vix possunt ad ἀκμὴν suam & fastigium illæ ipsæ virtutes pervenire, nisi famulante & succurrente Jejunio. Quæ cùm ità sint, si quis sit qui de Jejunii Quadragesimalis pia observatione quærit, an justas habeat & legitimas Causas, non aliud mihi videtur agere quàm si de rebus compertissimis quæstionem moveat, Utrùm ad visionem lumen, aut ad motum corporis pedes sint usui; nec aliud quàm si de Oratione ipsa & Pœnitentia dubitet, utrùm justis de causis in his ipsis quis se exerceat: nam si de Oratione & Pœnitentia constet, de Jejunio non constare non potest; eò quòd auxiliis mutuis adeò sibi invicem hæc tria subserviant, ut & ab adminiculo Jejunii Orationis & Pœnitentiæ vigor, & à relatione ad Orationem & Pœnitentiam Jejunii Quadragesimalis causæ sint repetendæ. Ut in compendio dicam, hoc rei caput est & summa; Jejunium in iis collocari quæ sunt Ad aliquid, hoc est, in Relativis; & quia in Relativis, idcirco veras & germanas Observationis Quadragesimalis causas hauriamus necesse est ex relatione ista, & respectu, & habitudine, quâ ad res alias ordinatur. Est autem triplex Relatio cui innituntur observationis causæ: Relatio ad Solennitatem temporum, una; ad Disciplinam Ecclesiasticam, altera; ad Imitationem Christi, tertia: hoc est, Relatio ad mysteria salutis, Relatio ad professionem pœnitentiæ, & Relatio ad exemplum Salvatoris. De his articulatim & suo ordine.

Exordior à Relatione prima, quam positam dixi in respectu ad Solennitatem temporum, & mysteria salutis juxtà in suo tempore concelebranda. Ad hanc classem redigere possumus institutionis rationes à Pontificiis traditas, si non omnes, at certè præcipuas magísque probandas: nam è septem quas Cardinalis Bellarminus producit, non sunt nisi quatuor quæ ullam probabilitatis speciem præ se ferre possunt; & ex istis quatuor apparet tres esse quæ ad hoc primum caput pertinent.

De Eucharistia primam, Ad hoc institutam fuisse, ut ad sacram Communionem, quam in Paschate Christianorum nullus debet omittere, simul omnes per hoc publicum ac solenne Jejunium disponamur.

De Resurrectione secundam, Ad hoc institutam, ut ad celebrationem Passionis & Resurrectionis Domini, quæ sunt mysteria Redemptionis omnium maxima, per hoc solenne Jejunium præparemur.

De Baptizandis tertiam, Ad hoc institutam, ut Christiani non solùm pro se, sed etiam pro Catechumenis in Paschate regenerandis, jejunent & orent. Hactenus ille. Ad hæc quid nos? Num ob id ea rejicienda censemus & pro nihilo habenda quia ex ærario Adversariorum videntur desumpta? Nihil minùs: reddendum est omnibus debitum suis meritis officium, etiam ipsis hostibus; idque in Agesilao gloriosissimum fuisse observat Plutarchus, quòd inimicis, si quid rectè gessissent, erubescebat honorem non habere; καὶ ἔστι τοῦτο γενναίου καὶ φιλοσόφου ψυχῆς, μηδὲ πολεμίων ἀρετὴν ἀτιμάζειν, inquit B. Gregorius Naz. *Generosi est animi atque philosopho*, imò Theologo, *digni, nec de ipsorum hostium fama laudis aliquid detrahere.* Fruantur igitur etiam Adversarii nostri hâc laudis & gloriolæ umbrâ, quotiescunque aliquid vel eruditè vel probabiliter dixerint, sive ex seipsis, sive ex Patribus, in hoc potissimùm argumento, quod explicandum est conjecturis. Enimvero fatendum est, non esse tam exploratæ certitudinis rationes istas ut dici nihil contrà possit; nec ex adverso sunt adeò exilia & arida ut habeantur despicatui, quoniam neque à vero abhorrent neque à pietate. Potest in genere hoc contra eas opponi, Quòd non sunt rei ipsius rationes, sed tantùm temporis; aut si rei, non rei simpliciter institutæ, sed hoc modo institutæ; atque in summo, non esse nativas rationes, aut primigenias, sed postgenitas & posthumas. Potest in specie contra tertiam, quæ ducitur à Catechumenis in Paschate regenerandis, hoc dici, Quòd ratio nulla erat Apostolorum tempore, neque enim ullum assignârunt peculiarem diem Baptismo, sed promiscuè potiùs baptizarunt singulis diebus; & quod ad nostra tempora attinet, evanuit jampridem hujus rationis vis, cùm desierit esse Catechumenorum ordo. Nec quisquam est qui affirmabit necessarium esse Jejunium ante Baptismum, quia ipse Durandus notat, Rationalis lib. 6. cap. 82. solenne Baptisma celebratum non tantùm ad Pascha, sed etiam ad Pentecosten, ante quod tempus Pontificii negant hoc Jejunium esse servandum. Pari modo quod ad duas alteras rationes pertinet, quæ desumuntur à præparatione nostrî & ad sacram Communionem recipiendam, & ad Passionem & Resurrectionem Dominicam celebrandam, potest hoc contrà dici, Quòd hoc concesso, Præparationem ad hæc mysteria optimam fieri per Jejunia, at non idoneum videtur per tam longa & spatiosa & integris quadraginta diebus protensa; quia fieri non potest hoc vel semper, vel plerumque. Non potuit tunc temporis fieri, quando omnes communicabant vel singulis Dominicis, vel, ut in Ecclesia nostra, quater quotannis: nec potest jam nunc fieri in hebdomadario recursu istorum dierum, in quibus singulis septimanis & dies Dominicus Resurrectioni celebrandæ est dicatus, & sexta feria Passioni. Si igitur sit frequentior istorum commemoratio, & frequentior etiam Præparatio per hebdomadaria jejunia, supervacaneum videtur, & vix rationi consonum, ad præparationem remittere institutionis rationem, quia & sæpius celebrantur hæc mysteria, & sæpius per Jejunia & pœnitentiam fit præparatio.

Hæc illa sunt quæ contra hanc primam rationum classem objici possunt, sed eâdem etiam facilitate & refelli. Neque enim sequitur, si nullus sit

apud

apud nos Catechumenorum ordo, proinde Veteres in hac institutione non eò respexisse; aut nobis si ista consuetudo obsoleverit, idcirco ut ipsa institutio moreretur, quia rationis pars aliqua consenuit. Ecquis diffitebitur piam esse posse officii religiosi continuationem, etiamsi prima officii ratio cessaverit? Nec tamen necesse est ut eò in hac causa confugiamus, quia non est causarum omnium apud nos desuetudo, sed unius tantùm; reliquarum enim ratio adhuc permanet, quamvìs ad Catechumenos respectus ille disparuerit. Porrò, & reliquorum quæ opponuntur non melior est consequentia, Si assidua sit Resurrectionis & Passionis Dominicæ commemoratio, frequénsque Eucharistiæ receptio, necnon redintegrata sæpius ad hæc mysteria per Jejunia & pœnitentiam præparatio, propter hoc, ut ad solenniorem celebrationem solennis & publica præparatio esset superflua: Nam primò, Resurrectionis hebdomadariam quovis die Dominico celebrationem non negamus; esto: sed hoc addendum est, quòd anniversaria in die Paschatis sit multò celebrior, & mysterii vividior repræsentatio, & rei ipsius propriissima atque sola revolutio, & quasi Dominicarum omnium virtualis concursus, omniúmque in unam concentratio. Qua sola de causa, *festorum maximum, festivitatē festivitatum, matrem & quasi Mariam dierum* eā Veteres dixerunt. Eódem recidit & illa altera de Eucharistia dissertatio; Accessus est ad eam proclivis, participatio frequens; esto: sed universalis est omnium Christianorum in omnibus Ecclesiis post finitam Quadragesimam Communicatio; nec quisquam est, opinor, qui adeò se paratum existimet, ut contra præparationem disputare audeat; imò nemo est tam sanctus, ut non sanctior, nemo tam paratus, ut non possit esse paratior. Nec quicquam est aliud quod hoc commonitorio Ecclesia intendit, quàm ut filiis suis desidiam mentis excutiat; ut quantò est Convocatio celebrior, tantò sit attentior præparatio; cùm probè noverit, etiam piissimos quosque fore segniores debito, & post studiosissimam præparationem imparatos. Quid de meo plura? neque enim mea est responsio, sed Sanctorum Patrum, quorum vix quisquam est qui non ad hæc dicta hanc ipsam sermonis vicem referat, quíque eodem planè modo huic Objectioni non occurrat. Inprimis Bernardus, Ser. 3. de Quadragesima; *Errant planè*, inquit, *qui paucissimos dies istos ad pœnitentiam sufficere credunt, cùm certum sit, totum hujus vitæ tempus non nisi ad pœnitentiam esse institutum. Continuanda nobis est pœnitentia cunctis hujus miseriæ diebus, sed magìs enitendum hoc tempore, in quo, per commune omnium Christianorum Jejunium, generali quodam totius orbis exercitu contra diabolum Salvator congreditur.* Deinde S. Augustinus Ser. 21. de Tempore, ídque multò clariùs; *Hæc licèt omni tempore necessaria esse probentur, & aliis diebus utiliter fiant; præcipuè tamen in istis diebus quos regulariter universa servat Ecclesia*: & Serm. 64. de Tempore; *Omne nostræ vitæ tempus stadium quoddam debemus putare virtutum, & ad cæleste bravium totâ virtute contendere; sed hoc præcipuè in Quadragesima diebus implendum est, qui Abstinentiæ & Jejunio dedicati, tantum nobis ad virtutem animi conferunt, quantum & de corpore voluptatem decerpunt.* Præterea S. Basilius (si fieri possit) adhuc apertiùs, Orat. 2. de Jejunio; *Jejunium*, inquit, *per omne quidem tempus utile est*, πολλῷ δὲ πλέον νῦν, *sed multò magìs hoc tempore, quo per universum terrarum orbem undique denuntiatur Jejunii præconium; nec ulla est insula, nec ulla terra continens, non civitas, non gens ulla, non extremus mundi angulus, ubi non sit auditum Jejunii edictum. Quin & exercitus, & viatores, & nautæ, & negotiatores, omnes pariter audiunt edictum, & summo gaudio excipiunt. Quid quòd Angeli sunt qui in singulis Ecclesiis*

Bern. Serm. 7. de Quadrag.

stis describunt ac recensent jejunantium capita? *Nè quis igitur semet excludat à numero jejunantium, in quo omne hominum genus, omnis ætas, omnes dignitatum forma censentur: imò videsis, obsecro, nè Angeli priveris recensione ob brevem gulæ voluptatem.* Hæc ille. De B. Leone quid dicam? vereor enim nè tempus non sufficeret, si omnia quæ prostant loca educerem quibus hoc saxum volvit. In Serm. 2. de Quadrages. eleganter orditur; *Semper quidem tibi, O anima Christiana, vigilandum est contra salutis tuæ adversarium, nè ullus pateat locus Tentatoris insidiis: sed modò tibi major cautio & sollicitior adsumenda prudentia est,* & quæ sequuntur. Rursus in Serm. 3. vehementiùs progreditur; *Semper,* inquit, *nos sanctè vivere decet; sed cùm Quadragesimæ appropinquant dies, quos illustriores nobis salutis nostræ Sacramenta fecerunt, diligentiori sollicitudine corda nostra sunt mundanda, & studiosiùs exercenda est disciplina virtutum: ut sicut ipsa mysteria quadam sui parte majora sunt, ità & nostra observantia superet in aliquo consuetudinem suam; & cui festivitas celebranda est sublimior, ipse quoque reperiatur ornatior.* Denique & in Ser. 4. id ipsum inculcat; verba ejus sunt, *Quamvis nulla sunt tempora quæ Divinis non sunt plena muneribus, & semper nobis per gratiam ad misericordiam Dei præstatur accessus; nunc tamen omnium mentes majori studio ad spirituales profectus moveri, & ampliori fiduciâ oportet animari, quando ad universa pietatis officia illius nos diei in quo redempti sumus recursus invitat, ut Passionis & Resurrectionis Dominicæ sacramentum purificatis & corporibus & animis celebremus.* Hucusque B. Leo. Ex quibus omnibus jam satis patet, frustrà illud obtendi, Majorem animi præparationem esse supervacuam ubi est præparatio multiplex: quia hoc certissimum, Non posse id nimis fieri, quod licèt semper fiat, intrà fit, & nunquam satis.

Quocirca ut hanc partem in pauca conferam, ex istis liquet has institutionis rationes, qualescunq; fuerint, non Pontificiorum esse, sed Sanctorum Patrem. Quod ut magìs liquescat, percurram denuo singulas, ut utrinque, & quò tendant, & unde manârint, seorsim audiatis.

Rationis membrum primum est de Baptizandis; Institutam fuisse Quadragesimam, ut pro Catechumenis in Paschate regenerandis madefactæ lacrymis & jejuniis preces funderentur. Illius meminit S. Ambrosius, Ser. 34, & 38. In eorum utroque propter hoc constitutam Quadragesimam dicit, *ut sicut Elias precibus suis cœlum reseravit, terrámque de cælo rigavit: sic & Christiani contenderent, ut adhibitis hoc tempore precibus, clausum cœlum Competentibus aperiant, ut adveniente desuper spiritualis Baptismatis pluviâ, lavacri salutaris imber eos irroret,* & quæ sequuntur. Ecquis est qui ibit inficias, inter alias & hanc quoque Institutionis legitimam rationem fore? neque enim quicquam est in ea quod non sit & pietatis regulæ consonum & exemplis Sanctorum. De Sanctis Sacra Scriptura testatur, Eos sæpiùs in aliorum emolumenta Jejunia servâsse: sic Judæi, ut Estheris de liberatione populi inceptum feliciter eveniret, ad jejunia se receperunt; sic Act. 14. Apostoli, ut sacrum χειροτονίας opus benedictioni Divinæ subjicerent; & Act. 13. Antiocheni, quò S. Pauli & S. Barnabæ ministerium Deo meliùs commendarent, ad jejunandum priùs conveniebant. Consimile est illud quod de Romana Ecclesia refert Augustinus, in illa ad Casulanum Epistola, Sanctum Petrum Apostolum, quando Romæ congressurus erat cum Simone Mago die Dominico, præcedente Sabbato jejunium indixisse. Huc accedit & illud quod de S. Joanne tradit Hieronymus; in prologo super Matthæum, quòd cùm ingressurus erat

scriptionem

ſcriptionem ſuæ Evangelicæ hiſtoriæ, communes Eccleſiæ preces Jejunio conjunctas efflagitavit. Nec non & nota eſt hiſtoria altera, apud Euſebium lib.3.cap.17. de adoleſcente S. Joannis Diſcipulo, quòd cùm ad latrones defeciſſet, à S. Joanne rurſus converſus fuit; *atque crebris*, inquit, *precibus Deum pro ipſo invocavit*, ϰ̀ συνεχέσι νηστείαις συναγωνιζόμενος, *& continuis jejuniis unà cum lapſo decertavit*, & quæ ſequuntur.

Poſthæc non novum videri poteſt aut à pietate alienum, ſi in Catechumenorum gratiam Eccleſia primitiva tempore Quadrageſimæ precibus & jejuniis ſe devovere ſolebat; cùm Sanctorum omnium hæc fuerit conſuetudo, dicente Cypriano de Jejun. quòd *cùm aliquid magni à Deo obtinere conati ſunt, toties jejuniis & lacrymis incubuerunt*. Hoc igitur rationis eſt membrum primum, de Baptizandis.

Secundum eſt de Euchariſtia; Inſtitutam eſſe, ut eſſet præparationis adjutorium ad Sacram cœnam. Et hoc quoque eſt Sanctorum Patrum. Primùm eſt B. Leonis in Ser. 5. de Quadrageſima, *Ut ſacramenta*, inquit, *redemptionis noſtræ digniùs celebremus, Quadraginta dierum jejunio nos præparamus; neque baptizandi ſolùm hoc faciunt, ſed baptizati: illi, ut quæ nondum habent accipiant; iſti, ut accepta cuſtodiant*. Deinde eſt S. Chryſoſtomi, To.5. S.52. Verba ſic habent; *Cùm intelligerent Patres quantum ex temerario ad Sacra Myſteria acceſſu detrimenti caperetur, Jejunii quadraginta dies deſignârunt; ut in his diebus omnes per preces, per eleemoſynam, per jejunium, per vigilias, per lacrymas, per confeſſionem, ac per cætera omnia diligenter expurgati, pro captu noſtro, cum conſcientia pura ad myſteria accedamus*. Addendus eſt Hieronymus, qui in Jon.3. *Venire nos*, dicit, *in hæreditatem jejunii Chriſti, ut ad eſum corporis ejus præparemur*: & in Matth.9. *Properare Eccleſiam ad Reſurrectionem Domini per humilitatem carnis, ut ſpirituali ſaginæ jejunio corporis præparemur*. Quòd ſi quis rationem quærat, cur in Jejunio præparationis normam ſtatuerunt; de Pœnitentia etiam dubitet, & de Oratione, atque de Meditatione, an ſint ad quodvis pietatis opus præparatoria: imò magìs S. audiat Ambroſium, in lib. de Elia & Jejunio, cap.4. *Ipſis*, inquit, *conviviis Jejunium dat gratiam, & gratior fit menſa jejunis: quemadmodum poſt tenebras lux ſplendidior, & poſt vigilias ſopor dulcior; ità poſt jejunium ſuaviores Sacræ epulæ, & poſt tentamenta hæc ſalutis myſteria jucundiora*. Hoc rationis eſt membrum ſecundum, de Euchariſtia.

Reſtat tertium, de dierum Solennitatibus; Propterea inſtitutam, ut ad Paſſionis & Reſurrectionis Dominicæ celebrationem meditatiùs accingeremur. Etiam & hoc eſt Sanctorum Patrum penè quot ubique ſunt omnium, Nazianzeni, Chryſoſtomi, Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, Leonis; quibus nihil eſt in ore ſæpius, quàm ut ad Feſtorum matrem, & quaſi magiſtram, in qua omnia Religionis noſtræ Sacramenta quaſi concurrunt, per *matrem bonorum magiſtrámque virtutum*, Jejunium, ut Chryſ. Hom. 1. in Gen. loquitur, ſimili nos obſervantiâ diſponamus; hoc eſt, ad feſtorum omnium maximum per præparationem maximam. *Propter hoc*, inquit Auguſtinus, *obſervatio ejus confinis eſt & contigua Dominicæ paſſioni*: *Propter hoc*, inquit Leo, *eſt præcurſor Reſurrectionis*. Quid quòd & ex hoc ipſo fluxit, ut nomine peculiari diſtinguere ſolebant Patres hoc jejunium à reliquis omnibus? nam & *Jejunium ſancti Paſchatis*, & *Jejunium ante Paſcha*, & *Jejunium Paſchale*, & *Jejunium antepaſchale*, in Veterum ſcriptis eſt appellatum, à temporis reſpectu deſumpto nomine. Poſtremò, & hinc natam eſſe conſuetudinem veri eſt ſimile, ut cùm appropinquantis Quadrageſimæ Sacerdotes populum admonerent, mentionem ſemper Reſurrectionis

Ep.119.ad Jan. cap.15.

Serm. 12. De Quadr. c.1.

surrectionis Dominicæ solennem facerent istis & consimilibus verbis; Leo Ser. 11, et 12. *Appropinquante festo Paschali, præparate vos hoc jejunio; Appropinquante solennitate Paschali, de hoc jejunio estis admonendi.* Apud Ambrosium prolixior est admonitio, in Ser. De ramis Palmarum, his verbis; *Firmissimè credite, fratres, quia nostrum periculum est si mysteria Salvatoris nostri vobis non annuntiamus; & vestrum periculum, si vos ea parvi pendatis: Monemus igitur, ut quantò magis solennitas Paschalis appropinquat, tantò magis vos jejuniis præparetis; mundantes vos ab omni invidia, ira, odio, convitio, maledicto, ut dignè illum diem celebrare possitis.* Hæc Ambrosius. Imò verò, quod paulò majus est, fuisse eam veteribus Christianis sollicitudinem affirmat Chrysost. Tom. 5. Ser. 52. de sui ad Paschatis solennitatem per Jejunium præparatione, ut cùm temporibus aliis, si Sacerdotes toto anno clamando prædicarent jejunium, ipsorum verbis nemo animum attenderet; simulac Quadragesimæ tempus adveniret, licèt cohortaretur nemo, etiam is qui negligentissimus esset seipsum sponte excitare vellet. Possunt huc tendentia alia multa adduci: verùm, ut arbitror, hæc satis, præsertim ad id quod præ manibus est ostendendum, Non esse nuper confictum hunc primum causarum ordinem; sed ab antiqua Ecclesia & acceptum & approbatum; porrò & pietati adeò consentaneum, ut pro legitima & institutionis & observationis causa habeatur à quovis qui non rei præjudicio, aut sententiæ propriæ retinaculo constringatur. De duabus reliquis rationum classibus die proximo est agendum.

LECTIO XXV.

DE legitimis institutionis Quadragesimæ Causis nonnulla pridem accepistis; & ad reliqua nunc calamus est convertendus: quia causarum major est copia quàm quæ poterat aut uno ambitu comprehendi, aut opere uno expediri. Neque est quòd novum videatur si ad hanc usque molem numerus excrescat, cùm inter pietatis officia relativa Jejunium sit recensendum, quorum usus & finis ex iis rebus pendent ad quas ordinantur. Quapropter pro numero Relationum Causarum quoque numerus est ampliandus: quod idem in præsenti argumento est factum, quando in tres classes Quadragesimæ Causas disposuimus, prout triplex est Relatio ad quam Veteres in Institutione ejus respexerunt; Ad mysteria Redemptionis, ad exercitia Pœnitentiæ, ad exemplum Salvatoris. Hæc rationum tria sunt Capita, quorum primum duntaxat ad exitum perduximus, reservatis ad hodiernum, de Pœnitentiæ negotio & Imitatione Salvatoris, duobus alteris; de quibus utrisque in præsentiarum est agendum, sed suo ordine.

De religioso ad Pœnitentiam respectu primùm, cujus tam impensam curam habuere antiqui Patres, ut non modò lapsos, sed fideles etiam ipsos, & sub utroque nomine quoscunque Christianos, ad jejuniorum disciplinam revocandos & excitandos duxerint; non modò cohortatione quotidianâ è Suggesto, sed Edictis quoque & Constitutionibus authoritate Ecclesiæ sancitis: cùm satis scirent, ad Pœnitentiæ profectum Jejunia inprimis conducere, & absque Jejunii studio Pœnitentiam ipsam emorituram.

Fuere

Fuere igitur Christianorum ordines duo ad quos hæc pars disciplinæ erat ordinata, Fideles & Lapsi. Ad Fideles in hoc pertinebat, ut de occultis peccatis pœnitentiam agerent; ad Lapsos, ut de manifestis & publicis pœnitentiam suam profiterentur: ad illos, ut esset standi commonitorium, nè caderent; ad hos, ut surgendi esset stimulus, quia ceciderant: ad utrosque, ut communi pœnitentiæ nexu jungerentur, dum lapsi pro suis, fideles & pro suis & pro aliorum peccatis preces lacrymásque effunderent. In utraque parte, ut videtis, specialis erat & proxima Institutionis relatio ad Pœnitentiam, sicut apertè constabit, si paulisper utramque partem sigillatim intueamur.

Relationis pars prima ad Fideles pertinebat; etenim eorum duo fuere officia ad quæ magis hoc tempore præstanda eos pietas vocabat. Unum erat, Ut precibus suis & lacrymis prolapsos in peccatum tingerent. Ejus meminit Sozomenus, lib. 7. cap. 16. *In Occidentalibus Ecclesiis, & maximè in Romana, sollicitè hæc forma Pænitentiæ servatur: ibi enim manifestus est Pænitentiæ locus; stant autem in eo mæsti, & cum planctu & lamentationibus in terram cadunt; tum ex adverso lamentabundus Episcopus consimiliter humi cum ejulatu collabitur,* καὶ ὁ πᾶν τῆς ἐκκλησίας πλῆθος, *& tota Ecclesiæ multitudo lacrymis suffunditur.* Hæc Sozomenus de aliis. Nec discrepat quod de seipso Cyprianus profitetur, cùm de lapsis loquitur: *Plango,* inquit, *cum plangentibus; cum deflentibus defleo; cum jacentibus me jacere credo: jaculis illis grassantis inimici mea membra simul percussa sunt; sævientes gladii per mea viscera transierunt.* Fuit igitur consuetudo, eáque laudatissima, hæc precum & lacrymarum debita lapsis fratribus solvendi. Hoc primum.

Alterum, ut pro seipsis etiam facerent quod pro aliis præstandum compatiendi affectus exigebat: & de ea incidit mentio apud S. Chrysost. in Serm. de Iracundia, ubi sic loquitur; *Ob hoc Jejunium, & Quadragesima, & tot dierum Synaxes, auditiones, preces & doctrinæ susceptæ sunt, ut de peccatis admissis pænitentiam agamus:* & in Serm. 52. to. 5. Contra eos qui Pascha jejunant; *Si quis te interroget, qua de causa hoc tempore jejunes, nè dicas, Propter Pascha, quia non est Pascha jejunii aut luctûs,* ἀλλ' εὐφροσύνης καὶ χαρᾶς ὑπόθεσις, *sed gaudii & exsultationis occasio: sed dic te ob peccata tua affligi, alioqui nullam habet istius aut temporis aut observationis Deus rationem, sed pænitentiæ tuæ et humilitatis.* Hæc ille. Quibus annectere possumus illud B. Nysseni, in Orat. 1. de Pauperibus alendis; *Propter munditiam animæ indicta esse jejunia, ut omnis ætas et omnis hominum conditio apud se cogitantes quæ priùs sunt admissa peccata, dare operam possint pænitentiæ et lacrymis.* Prudenter dicitur, *Omnis ætas et omnis hominum conditio*, nè si qui sunt sanctiores aliis seipsos solutos existimarent. Imò verò *nemo est*, ut S. Bernardus Serm. 58. in Cant. loquitur, *qui ità ad unguem omnia à se resecavit superflua, ut nihil se habere putet putatione dignum; imò credite*, inquit, *et putata repullulare, et effugata redire, et reaccendi exstincta, et sopita denuo excitari. Parùm est igitur semel amputâsse, quia semper quod putari oportet invenis; et quantumvìs sis verus Israelita, intra fines tuos scias habitare Jebusæum, et Pænitentiæ his adjumentis indigere etiam eos qui sunt maximè pænitentes.* Hæc relationis pars prima quæ ad Fideles ordinatur.

Secunda refertur ad Lapsos, quibus laxare solebat Ecclesia hoc tempore pœnitentiam, & spem pacis offerre. Cùm *lapsos* dico, non eos solùm intelligo qui erant Pœnitentes adjudicati & Regulares, sed qui spontanei & voluntarii. Sunt enim utriusque generis aliqui quorum mentio occurrit

currit apud Scriptores Ecclesiasticos. Voluntarii erant qui ultro se huic disciplinæ offerebant, & peccatorum morsu correpti sponte se inter publicos Pœnitentes sistebant. Ejusmodi est quod de Fabiola narrat Hieronymus, quòd *in semitipsam reversa, secundas nuptias sic dolebat, quasi adulterium commisisset; ad publicam pœnitentiam accurrebat, non coactu Ecclesiæ, sed judicio & voluntate suâ.* Rursus, Pœnitentes Regulares vel Adjudicati erant illi qui ad pœnitentiam redigebantur accusati & convicti pro criminibus famosis & publicis; sive illi essent qui timore impulsi idolis sacrificâssent, sive qui errore decepti à fide excidissent, sive qui cupiditate victi in turpitudinem aliquam aut facinus cecidissent, fornicatores, adulteri, ebrii, idololatræ, blasphemi: adversus hos omnes solenne erat Ecclesiæ antiquæ utramque authoritatis suæ partem exercere, & severiorem illam, quâ è gremio suo abjiciebat eos cùm prolapsi essent, & benigniorem alteram, quâ rursus suscipiebat, fovebat, amplectebatur, cùm correctos & conversos cerneret: neque enim eos aut prorsus rejiciendos putabat, cum Novatianis; nec tamen nisi actâ pœnitentiâ recipiendos. Utrumque ut meliùs perageretur, fuere certa tempora constituta in quibus & pœnitentiam suam lapsi testarentur, & post actam pœnitentiam in statum pristinum restituerentur. Restituendi tempus solenne fuit festivitas Paschalis, in qua post publicam Absolutionem impetratam, conventus cum fidelibus celebrabant, Precum & Epularum communione utebantur. Pœnitendi tempus tametsi non erat omnibus idem, verùm pro diversitate criminum diversum, aliquando contractius, aliquando majus, usque ad menses aliquot, usque ad annos aliquot protensum: at in plerisque tamen Ecclesiis his Quadragesimæ diebus majori ex parte fuit circumscriptum; ut per eos integros & dolorem suum professione manifestâ significarent, & restitutionem precibus suis consequerentur. Exinde nata nomina, ut *Audientes* dicerentur, quia iis permissum erat ut Concionibus sacris audiendis interessent; & *Procumbentes*, quia de commissis delictis prostrati in terram veniam ab Ecclesia petebant; & *Abstenti*, quia ad tempus certum à Sacramentis arcebantur. Exinde nati gradus per quos inter se Pœnitentes distinguebantur; quos gradus à Tertulliano & Cypriano obiter annotatos habemus, à Gregorio Thaumaturgo & Basilio disertè & signanter expressos. Sunt quidem tres gradus quos B. Cyprianus tangit, Ep. 52. ad Antonianum, ubi lapsis in idololatriam non dari ab Ecclesia pacem dicit nisi sub hora mortis: cùm mœchis tamen post diuturniorem pœnitentiam concedebatur, & libellaticis (ità appellantur qui se à judicibus tempore persecutionis pecuniis redimebant) facilior esset admissio. Hæc ille cursim. Ex S. Basilio constat gradus quatuor fuisse, in Epist. ad Amphilochium, Can. 58. *Fornicator*, inquit, *duobus annis erit* προσκλαίων, id est, *Deflens, & duobus aliis* ἀκροώμενος, hoc est, *Audiens, & duobus* ὑποπίπτων, hoc est, *Substractus*, vel *Procumbens, & demum uno anno* συνεστὼς, hoc est, *Consistens.* Idem gradus recensentur à Gregorio Neocæsariensi, in sua quæ dicitur *epistola Canonica*, si modò ipsius sit, Can. 11. *Gradus primus*, inquit, *vocatur* πρόσκλαυσις, hoc est, *Fletus*, sive *Lamentatio*, quando Pœnitentes extra portam Ecclesiæ stabant ad limen introitûs, & Fideles rogabant ut pro se precarentur. *Secundus dicitur* ἀκρόασις, hoc est, *Auditio*, quando permissum est ut intra portam se reciperent, quò Auditores esse possent Sacrarum Lectionum. *Tertius* ὑπόπτωσις *appellatur*, hoc est, *Subjectio*, sive *Substractio*, quando se propter admissa flagitia acerbiùs affligerent atque prosternerent; quod ipsum Tertullianum movit ut cap. 9. libri De Pœnitentia hanc Consuetudinem appellaret,

Hier. ep. 30. ad Oceanum.

appellaret, *prosternendi atque humilificandi hominis disciplinam.* *Postremus* σύςασις *vocabatur*, h. e. *Consistentia*, quando interessent in Ecclesia unà cum Fidelibus, sed solis Orationibus communicabant, non mysteriis. Per totum hoc tempus ἀκοινώνητοι erant, sed expleto tandem quarti gradûs spatio ad Communionem admittebantur.

Quòd si quis porrò de gestu & signis externis quærat, & illa etiam occurrunt sparsim in libris Antiquorum; neque erit, opinor, alienum à causa, si loca aliqua ex eorum monumentis libavero, quibus motus & gestus Pœnitentium depingunt: neque enim satis esse putabant in loco Pœnitentium collocari, nisi etiam in statu Pœnitentium se esse per hos motus & gestus testarentur. Inprimis à Cæsario Arelatensi, Hom. 1. hoc modo eorum gestus annumerantur, in illa verba Apostoli, SI CUJUSVIS OPUS MANSERIT, MERCEDEM ACCIPIET: *Pro criminibus*, inquit, *capitalibus fundenda sunt calentes lacrymæ, & rugitus, & gemitus; continuata & protracta longo tempore Jejunia addenda; ultro nos ipsos à Communione Ecclesiæ arceamus, in luctu & tristitia diu permanentes, & pœnitentiam publicè agentes.* Hæc ille. Eodem modo & S. Hieronymus hos gestus percurrit, cùm de Fabiola loquitur, Ep. 30. ad Oceanum; *Induebat saccum*, inquit, *& errorem publicè fatebatur, & totâ urbe spectante Romanâ, ante diem Paschæ in ordine stabat Pœnitentium, Episcopo, Presbyteris & omni populo collacrymantibus; sparsum crinem, ora lurida, squallidas manus, sordida colla submittens.* Quod & de Ecebalo Sophista Ecclesiasticæ Historiæ tradunt, lugubri veste prostrâsse seipsum in limine templi, & ingredientibus ac egredientibus dixisse, *Calcate infatuatum salem.* Etiam & de Theodosio Imperatore Theodoretus, Hist. l. 5. c. 17. quòd ob cædem quam fecerat excommunicatus ab Ambrosio, post privatas octo mensium lacrymas, cùm in Ecclesiam ingrederetur, non stans aut genibus flexis precatus est, sed pronus humi abjectus, & frontem feriens, atque capillum manibus lacerans; & lacrymarum guttis solum rigans veniam supplex postulabat. Nec absimile est quod apud S. Ambrosium legimus, in c. 16. l. 1. De Pœnitentia; ubi cognovisse se quosdam dicit qui vultum lacrymis sulcârunt, & exarârunt genas continuis fletibus, quique corpus suum omnibus calcandum straverunt: unde & Virginem lapsam his verbis cohortatur; *Lugubris tibi accipienda est vestis; & mens ac membra singula dignâ castigatione punienda: amputentur deinde crines, qui occasionem luxuriæ præstiterunt; defluant oculis lacrymæ; pallescat facies, totum corpus incuriâ maceretur, cinere aspersum & opertum cilicio perhorrescat; sit cor liquefactum sicut cera, jejuniis subjugatum: ad hæc, renuntiandum est seculo, somno minùs indulgendum quàm natura postulat, interpellandus est gemitibus, interrumpendus suspiriis, sequestrandus orationibus*, & quæ sequuntur. Possunt hujus generis multa ex B. Cypriano ad illa adjungi; & ex Sozomeno etiam, qui mores & ritus Pœnitentium copiosiùs exponit, Historiæ suæ l. 7. c. 16. Sed quia nimis longum esset universa percurrere, unum tantummodo adjiciam locum, ex c. 9. Tertulliani de Pœnitentia, ubi hoc modo hos gestus describit; *Exomologesis est prosternendi & humilificandi hominis disciplina, conversationem injungens misericordiæ illicem: de ipso quoque habitu & victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mæroribus dejicere, jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies noctésque ad Dominum Deum tuum; Presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere*, & ità deinceps. Plena porrò sunt Ecclesiastica scripta hujusmodi rituum descriptionibus qui in publica pœnitentia peragenda servarentur. Ex quibus liquidò patet quàm severa erat tunc temporis,

Ambr. ad Virgin. laps. c. 8.

sed laudabilis & salutaris, & sæpe necessaria, hæc pars Ecclesiasticæ disciplinæ. Non qualis illa Romanensium, quam & clancularium faciunt, & satisfactoriam jactant, & Sacramentalem prætendunt: sed publica erat testificatio pœnitentiæ per jejunia, lacrymas & alia pœnitentiæ adjuncta, velut testes veræ mutationis; erátque Ecclesiis omnibus in usu, quoties aliquis qui receptus esset in Album civium Ecclesiæ aut turpiter ceciderat, aut effræni licentiâ se projecerat ad peccandum, vel quadam defectionis specie excusserat jugum Christi, suísque malis moribus Ecclesiam offenderat: tum enim publica hæc pœnitentiæ indicia ab eo requirebantur, dolor, luctus, confessio, deprecatio, ex quibus veram suam pœnitentiam testaretur; neque ad consortium fidelium admitteretur, nisi priùs hoc modo Ecclesiæ pro scandalo dato satisfecisset. Quorsum verò hæc omnia, aut quid ad Quadragesimam? Imò maximè, quia fuere omnia, ut suprà dixi, tempore Quadragesimali peragenda; atque in eum finem Quadragesima est instituta, ut peccatis gravati jejuniis, precibus, aliisque carnis & sensûs mortificationibus humiliati, Ecclesiasticæ reconciliationis ad Pascha se capaces præstarent. Nè fortè quis dubitet, est testis integer atque locuples B. Augustinus, in Enchiridii ad Laurentium l. 3. c. 65. *Rectè*, inquit, *constituuntur ab iis qui Ecclesiæ præsunt hæc tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ, in qua ipsa remittuntur peccata, extra eam quippe non remittuntur.* Quid quòd & nostra etiam Ecclesia id ipsum profitetur in illa quæ Commminationi præfigitur præfatiuncula, ubi hæc verba habentur; *Fratres, in primitiva Ecclesia pia erat disciplina, ut in initio Quadragesimæ tales personæ qui peccatores erant manifesti ad publicam pœnitentiam essent coacti, & in mundo hoc correpti, quò eorum animæ fierent salvæ in die Domini, & ut eorum exemplo alii admoniti magìs peccare extimescerent. In cujus loco (donec eadem disciplina iterum restitui possit, quod maximè est optandum) visum est hoc tempore,* & quæ sequuntur? Ex istis in promptu est videre, quàm prudens & sincerum sit Ecclesiæ nostræ judicium de hac antiquitatis disciplinari Pœnitentia. Quæ certè si ad hæc nativa institutionis primordia redigi posset, O Religionis quanta in melius sequeretur mutatio? quantus in studio Pietatis progressus? Jejuniorum quanta utilitas? quantus Devotionis ardor? quanta Carnis victoria? quanta Peccati mors, si Peccatorum solennis esset frequénsque correptio, si Pœnitentium exemplaris & conspicuus ordo, si Jejunantium communia vota & voluntarius concursus, in quo & Fidelium preces Lapsi cum lacrymis peterent, & in Lapsos vicissim Fideles *συμπαθείας* gemitus atque suspiria effunderent, eorúmque exemplis docti ad peccati odia & pœnitentiæ exercitia sese magìs excitarent? Vos ipsos constituo judices; ecquid est magìs necessarium, ecquid pietati magìs consentaneum, quàm ut infirma membra sua Sancta Ecclesia à peccatis retraheret, atque ad pœnitentiæ remedium duceret, & fletibus suis ad recipiendam reconciliationis gratiam adjuvaret, & per fortes plangeret quod non fecit, quod in membris suis debilibus quasi ipsa fecit? Erant veterum Christianorum hæc studia, hæc cura sui, hæc cura suorum. *Docebant eos ante omnia*, inquit Justinus, *precibus & jejuniis à Deo petere præteritorum peccatorum veniam, fidelibus singulis unà preces suas jungentibus.* Sed nos, molle hominum genus, deliciis, & otio, & languore, & desidiâ adeò animum infecimus, ut fastidio nobis sint qui aut observare jejunium aut agere velint pœnitentiam. Nos scilicet flentium lacrymas perpeti non possumus; non ferunt oculi nostri procumbentium squallorem; in unguentis & rosis volutare turba delicata concupiscimus. At ego contrà non video quî possit esse quisquam pietatis amicus, si adversarius sit pœnitentiæ; aut (ut dicam verbo) amiculus pœnitentiæ,

Greg. Mor. l. 13. c. 6.

Apol. 2.

Ambr. de Pæn. l. 1. c. 7.

tiæ, si castæ observationis Quadragesimæ hostis fuerit, cujus institutio primitiva ad pœnitentiam erat ordinata. Sed de secunda Classe hactenus, neque enim quenquam esse credo qui dubitare potest, an hæc sit pro legitima aut institutionis aut observationis Causa habenda, quæ eò potissimùm collineat, ut pretiosissimæ inter virtutes Pœnitentiæ sit adjutorium.

Accedo ad rationum Classem ultimam, quæ ab Imitatione Salvatoris trahitur; à cujus Jejunio quantumvis non sit dicendum necessitatem aliquam hujus observationis fluxisse, at occasionem justam piúmque motivum dimanâsse nequaquam est diffitendum. In hoc omnes conveniunt, legitimam semper & regularem fore Christi imitationem, si modò regularis sit imitatio, & in legitimis. Ergò & in hoc cardo vertitur, An legitimum sit hoc imitationis genus, & non magìs temerarium; & per hoc, An fuerit Institutionis legitima ratio quam in exemplo Domini Veteres statuerunt. Quòd ratio sit plausibilis res ipsa monstrat, quia nobis Christus proponitur tanquam absolutissimum virtutis exemplar: quòd autem sit legitima, ex sequentibus patebit, eò præsertim magìs, quia sæpius apud Patres etiam antiquissimos hæc ratio occurrit, nec non apud Pontificios.

Quod ad Pontificios attinet, tametsi concedamus apud Patres legitimam fore rationem, at apud Papistas vim nullam habet, locum nullum; neque enim hi Christum imitantur, nè quidem eo modo quo possunt. Ratio manifesta, quia prorsus non jejunant: nam neque abstinent ab omnibus cibis, sed tantùm à quibusdam; & non tantùm cœnant quotidie, sed etiam prandent: adeò ut, exceptis solis nominibus, Quadragesimæ atque Jejunii nihil retinuerint, ut postea docebimus.

Veruntamen adversus Patres reverentia major est adhibenda, & eorum vix est quisquam qui hanc ipsissimam rationem non faciat maximi, uno excepto Chrysostomo. Videamus primò de Chrysostomo, deinde de reliquis.

In homilia 47. in Evang. S. Matthæi, negare videtur Chrysostomus Jejunium Domini esse imitandum: locum integrum adscribam; *Humilitatem suam esse imitandam dicit Dominus, Discite à me, quoniam mitis sum & humilis corde:* οὐκ εἶπεν, Ὅτι ἐνήστευσα, *Non hoc dicit, se jejunâsse, ut Jejunium suum esset imitandum; potuit enim illis quadraginta dies proposuisse, sed hoc non facit.* In his videtur Sanctus Pater imitationi Salvatoris adversari. Imò verò non omnino, si paulò altiùs ipsius verba expendamus. Etenim non absolutè & simpliciter eo loco Chrysostomus loquitur, sed comparatione Jejunii habitâ ad Charitatem, Humilitatem & Misericordiam; quæ singulæ absque Jejunio multùm prosunt, absque illis Jejunium nè tantillum quidem: & proinde non signanter dixisse Christum, *Discite à me, quia jejunavi,* sicut dixit, *Discite à me, quia mitis sum & humilis*; quia non tam nostrâ refert jejunandi ab eo similitudinem ducere, sicut vivendi. Quòd hic fuerit S. Chrysostomi sensus verba ejus probant; est enim sui interpres optimus. Etenim nè quis in pejus ejus verba rapiat, mox subnectit, ταῦτα δὲ λέγω, οὐχὶ νηστείαν κακίζων, μὴ γένοιτο, *Hæc dixi, non quia Jejunium mihi non placet, quod magnis soleo efferre laudibus; sed quia doleo si, cæteris neglectis, satis ad salutem vobis Jejunium existimetis, quod in choro virtutum ultimum sortitur locum.* Et si hæc sui non sit plena explicatio, ex Hom. 1. in Gen. occurrit supplementum; ubi expressè & significanter exemplum nobis proposuisse Christum asserit hoc suo Jejunio. Locus sic habet; *Dominus noster Jesus Christus & ipse 40 dierum jejunium monstravit,* πᾶσιν ἡμῖν ὑπογραμμὸν διδούς, *omnibus nobis exemplar dans, quomodo armemur quoties cum diabolo luctandum est.* Ergò ab hoc longè abest Chrysostomus, ut

Salvatoris Jejunii imitationem refellat, aut nefas esse ducat eum in Jejunio sequi: imò magis confirmat ac roborat. Non enim hoc tantùm dicit quod in quæstione ponitur, Licere nobis ab exemplo ejus jejunandi nobis specimen & exemplar arripere; sed, quod magis est, exemplar nobis Christum hoc facto suo proposuisse. Atque si ipse tacuisset aut impugnâsset, quod tamen non fecit, at reliquorum omnium Patrum concors est sententia. Inprimis B. Ignatius, si illius sit ad Philippenses Epistola, pro imitatione hac acriter contendit, sic enim loquitur; τὴν τεσσαρακοστὴν μὴ ἐξουθενεῖτε, μίμησιν γὰρ περιέχει τῆς τοῦ Κυρίου πολιτείας, hoc est, *Jejunium Quadragesimale nè spernatis, quia imitationem continet conversationis Dominicæ.* Quòd si hæc in Ignatio irreptitia esse quis regerat, tum quia nemo est Veterum qui ad hoc Ignatii testimonium confugiat, quod certè fecerant si pro genuino agnovissent; tum etiam quia leguntur aut eadem aut consimilia verba in supposititiis quæ feruntur Apostolorum Constitutionibus, sub nomine Clementis, l. 5. c. 12. μνήμην γὰρ περιέχει τῆς τοῦ Κυρίου πολιτείας καὶ νομοθεσίας, *nam conversationis Christi & legislationis recordationem continet:* largiamur hæc illi, quicunque fuerit, Ignatii hoc non esse testimonium; at præter Ignatium Patres reliqui ferè omnes hoc ipsum repetunt. Basilius, de Jejunio Hom. 1. *Ipse Dominus noster*, inquit, *quam pro nobis assumpsit carnem jejunio suo munivit*, ἡμᾶς παιδεύων, *nos hoc modo erudiens, quo nosmet modo adversus Tentatoris conflictus exerceamus.* Dein S. Hieronymus non uno in loco: nam in cap. 3. Jonæ, *Venire nos* dicit *in hæreditatem Jejunii* Christi; & in Isa. 58. *Ideo jejunâsse Dominum* asserit, *ut nobis solennes jejuniorum dies relinqueret*; & in l. 2. adversus Jovinianum, *Istis quadraginta diebus Christianorum jejunium sanctificâsse.* Quinetiam & S. Ambrosius non paucioribus in locis: nam Ser. 34. *Confirmâsse nobis Dominum Quadragesimam suo jejunio* pronuntiat; & Ser. 37. *Salutis nostræ causâ jejunium suum suscepisse, ut rem utilem non solùm doceret verbis, sed etiam exemplis instrueret, quò iisdem vestigiis quibus ad fidem currimus ad abstinentiam graderemur.* Adhuc & in illa ad Vercellensem Ecclesiam Epistola, quæ libri est decimi Ep. 68. acrem interponit expostulationem contra omnes qui adversantur; *Quâ causâ*, inquit, *Christus jejunaverit astruant, nisi ut nobis exemplo esset ejus jejunium.* Cui simile est illud S. Bernardi, de Quadragesima Ser. 3. *Tantò devotiùs*, inquit, *imitandum est nobis Christi jejunantis exemplum, quantò certius est propter nos eum jejunâsse, non propter seipsum.* Postremò, & S. Augustinus in Serm. 64. & 77. de Tempore, *consecratum hoc Jejunium per exemplum Christi*, non dubitat dicere.

Quocirca non est unius è Patribus hæc sententia, Legitimam & firmam esse institutionis rationem ab exemplo Christi: ut mirari satis non possum quid Scriptoribus è parte nostra Orthodoxis, iisdémque doctissimis viris, in mentem venerit, ut tam vehementer se huic imitationis documento opponerent, quod adeò est cum pietate conjunctum, adeò magnis authoribus præostensum, & tam leviculis, imò nullis, argumentis oppugnatum, nisi adversariis etiam in rebus probabilibus contraire pro argumento statuatur. Quid enim est quod dicunt? Non esse Miraculosa in imitationem trahenda; Non teneri nos ad Christum sequendum in Mediatoriis, quæ Officii sunt redemptorii: & quare, obsecro? Nimirum, quia semel tantùm hoc Jejunium Christus observavit; at singulis annis observandum erat, si pro exemplo vellet ut nos usurpemus: Quia nostras vires longè excedit: Quia in numero uti nulla est efficacia, ità nullum imitationis fundamentum. Sed pusilla sunt hæc & perinfirma, sive junctim sive separatim sumantur. De Numero non est quòd agant, quia nemo uspiam est qui pietatis aliquid in

numeri

numeri similitudine collocet; & habemus Maldonatum Jesuitam retorquentem, *Si quadraginta dies jejunare superstitionem putant, jejunent quinquaginta.* Ad hoc sufficere potest illud S. Chrysostomi, Ser. 52. to. 1. οὐκ ἐν παρατηρήσει καιρῶν, ἀλλ' ἐν συνειδότι καθαρῷ ἡ ἀρίστη κρίνεται πρόσοδος. *Non ex temporum observatione, sed ex pura conscientia, optimus judicatur accessus & imitatio.* Cui congruit & illud S. Augustini, in Enchirid. c. 65. *Non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris & pænitentiæ.* Ergò transeat Numeri exprobratio, in quo religionis ratio nulla ponitur, sed solummodo conformitatis. Neque hoc est fidei absonum, si à præcepto Domini res ipsa pendeat, ut temporis ratio ad ipsius exemplum definiatur. Hoc animo quieto satis est, quòd ad pietatis leges opus ipsum, ad honorem & memoriam Salvatoris dierum numerus referatur. Deinceps, quod de facti Circumscriptione dicitur, quòd semel tantùm in tota Vita id Jejunium Christus jejunaverit, tenuius esse duco quàm cui oporteat responderi; quia eidem ipsi scopulo in hoc argumento impingunt de quo in altero deflectere longiùs videbantur, dum ad Numeri rationem nos nunc revocant, quos de numerorum observatione reos priùs pronuntiârunt: ac si in unitatis conformitate superstitio nulla esset, in quadraginta dierum maxima. Quis verò est mentis compos qui absque præjudicio sic argumentari velit, Non licere nobis sæpius & redintegratis vicibus præstare quod semel tantùm aut secundò fecisse Salvatorem legimus? O quàm angusta erunt pietatis exercitia, si ea his rationibus metiamur! De Charitatis, de Compassionis officiis quid dicemus? nam flevisse Christum nisi bis non legimus; nec nisi semel Discipulorum pedes lavisse: an nobis igitur non licet aut lotionem aut lacrymas ejus in imitationem nostram transferre, eò quòd illius non nisi unum, istius non nisi duo vestigia habeamus? Quòd si ad exemplum Jejunii non satis sit unica ejus observatio, ad Resurrectionem ejus & Mortem aut celebrandam, aut imitandam, dicant cur sufficiant unica ejus mors & resurrectio; non enim mortuus est nisi semel, nec resurrexit nisi semel, & utrumque nos quotannis celebramus. Sed mittamus hæc tanquam diluta.

Majoris videntur esse momenti quæ de actibus Mediatoriis & Miraculosis disputant, Ad imitationem nostram non pertinere Jejunium Christi, quia & statum nostrum transcendit, cùm esset opus Mediatorium; & vires etiam nostras, cùm sit Miraculosum. Et de his quidem utrisque verum est, nec purè Mediatoria, nec purè Miraculosa esse in imitatione posita; imò verò prorsus esse in se inimitabilia. Temerarii esset hominis in undas se projicere, quia Christus super mare ambulavit; aut putare se posse pro aliorum peccatis satisfacere, quia Christus pro nostris satisfecit: peculiaria hæc erant, illud ex ratione Omnipotentiæ, hoc ex ratione Officii; & hoc solo nomine eorum non est affectanda imitatio. At verò & hoc quoque addendum est, Fuisse Morale aliquid in Mediatoriis & Miraculosis actibus Christi, si non omnibus, saltem quamplurimis, ut purè aut Miraculosi aut Mediatorii non sint dicendi. Ergò distinguendum est diligentiùs inter illud quod est Mediatorium aut Miraculosum, atque illud quod Morale est & practicum; quia potest pars altera in exemplum assumi, altera nequaquam: cùm non magìs sit admiratione dignum quod est Miraculosum, quàm imitatione nostrâ quod est Morale & practicum. A Passione & Resurrectione Domini petamus instantiam, nam fuit in illis & Mediatorium aliquid, & Miraculosum, & Morale. Mediatorium hoc erat, quòd pro nobis seipsum exhibuit ad mortem, & nos in seipso suscitavit ad vitam; Miraculosum hoc, quòd mortem vicit moriendo, & à morte se liberavit surgendo: sub imitatione ista non cadunt. Postremò, & hoc Morale, ut cum eo moriamur, & resurgamus, & in utriusque

que similitudinem configuremur. Hæc cùm Moralem habent naturam, ad imitationem pertinent, & ad ea imitanda Scriptura Sacra nos vocat. De ipsa Creatione id observat S. Ambrosius, etiam in ipsa nos esse posse Dei imitatores: & *quomodo imitatores?* inquit, *Numquid cælum faciendo, aut terram, aut mare? Non utique, sed in hoc magìs, sicut ille omnia per verbum fecit, ità nos nihil sine verbo; & ut ipse omnia in sapientia, sic nos omnia cum ratione, nihil sine ratione faciamus.*

Ambr. Ser. 14. in Psal. 119.

De Miraculosis Christi aliis haud aliter est statuendum: quòd enim ægros verbo sanavit, quòd verbo suscitavit mortuos, sunt in se Omnipotentiæ opera, quorum nulla est imitatio; at habent morale aliquod annexum, quatenus sunt opera misericordiæ, atque eousque & debemus & possumus imitari. Nec impedimento esse debet infirmitatis nostræ consideratio, nè sequi velimus, quia non possumus assequi: si hæc esset justa excusatio, sequeretur in nullo fore Christum imitandum, imò nec Apostolos Christi; ad eorum enim perfectionem spes nulla est perveniendi. *Estote imitatores Dei ut filii dilecti*; *Estote misericordes*, *Estote perfecti sicut Pater vester qui est in cælo*; *Idem sit in vobis affectus qui fuit in Christo Jesu*; *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*; sunt singulæ voces Evangelicæ Legis: num idcirco non obligant, quia ad perfectionem Dei, ad misericordiam & charitatem Christi non possumus ascendere? Absit; non quisquam est ingenii Theologici qui affirmabit. Quanquam quid Theologos dico, cùm ipsi secularis literaturæ viri vel maximè refragentur? Varronis vox est, de Ling. Lat. l. 4. *Si summum gradum non attigero, tamen secundum non præteribo:* & Columellæ etiam, in de Re Rustica l. 1. *Summum culmen affectantes, satìs honestè in secundo fastigio conspiciemur:* & Ciceronis etiam, in capitibus 1 & 2 de Oratore, *Si minùs instructi sumus ad magna exempla assequenda, eum cursum quisque teneat quem poterit. Sequentem prima, honestum est in secundis tertiísque consistere: & in præstantibus rebus magna sunt ea quæ sunt optimis proxima.* Quòd si ex Ethnicorum ore veritatis dogmata minùs sapiant, audite S. Gregorium Naz. οὐ μικρὸν ἐστι τοῖς σπουδαίοις καὶ μικρὰ τῶν μεγίστων ἡ μίμησις, *Non exiguam laudem probis viris affert summorum virorum vel parva imitatio.* Quocirca ut rei manifestæ finem aliquando faciamus; In Salvatoris jejunio secernendum est Morale à Miraculoso; neque in hoc vestigia imitationis nostræ ponimus, sed in illo. Imitamur eum ut Discipuli Magistrum, ut Servi Dominum, ut Homines Deum, non perfectè, sed pro modulo nostro. Imitamur, inquam, sed, ut Isidorus optimè, οὐ κατὰ πάντα, ἀλλ' ἐκ μέρους, *non secundum amplitudinem suam, sed secundum facultatem nostram*; non ad æqualitatem, aut in totum, sed ex parte, & pro posse nostro. Ad extremum, imitari desideramus, quamvìs sit πρὸς τὸ καταδεέστερον, ut Theoph. loquitur; & sequi, quamvìs non vestigiis paribus, ἀλλὰ κατὰ τὴν δύναμιν, ut inquit de hoc Jejunio Nazianzenus, Or. 40. secundum virium nostrarum mediocritatem, procul & à longinquo.

in Præfat.

Naz. Or. 2. in laudem Basilii.

Pelus. l. 2. Ep. 175. & lib. 3. Ep. 267.

Theoph. in Joan. 13.

His ità se habentibus, non video cur non sit pro legitima institutionis Causa hæc Salvatoris Imitatio æstimanda. Et poterant quidem plura dici, verùm, ut Chrysost. loquitur, τοῖς μὲν προσέχουσι καὶ τὰ εἰρημένα ἀρκεῖ· τοῖς δὲ μὴ προσέχουσιν, οὐδὲ εἰ πλείω τούτων λεχθεῖν, ἔσται τι πλέον, *Iis qui attenti & prudentes fuerint, ea quæ jam sunt dicta sufficiunt; minùs attentis autem, neque si plura dicantur quicquam proderit.* Igitur de Institutionis Causis hactenus: De Corruptelis in posterum.

Chrys. Or. 52. to. 5.

LECTIO

LECTIO XXVI.

DE legitimis Quadragesimæ Causis Finibúsque expleta est pars nuperrima instituti nostri: ut in Abusu & Corruptelis, velut in parte infima & fæcibus propria, jam tandem terminetur longa hæc, sed non intempestiva, de Jejunio disputatio; & eò profectò magìs, quia non est ingenii liberalis usque adeò deperire institutionem, quantumvìs optimam, ut ipsius etiam vitia complectatur. De depravatis hominum moribus Scriptura Sacra nos cohortatur, ut segregemus pretiosum à vili; & *cum personis pacem habeamus, cum vitiis bellum.* Seneca. Quod pulchre est à S. Augustino contra Petilianum explicatum, *Sic diligere nos oportere creaturam, ut odio habeamus nequitiam; sicque homines amplecti, ut errores eorum interficiamus:* l.1.c.29. & in Psal.139. et adhuc pulchriùs à B. Gregorio, in illa ad Venantium Epistola, Greg. l. 1. Ep. 33. *Sic culpam tuam insequor, ut te diligam; sic personam tuam diligo, ut vitia non amplectar.* De corruptelis vitiisque rerum haud aliter est existimandum: quandoquidem vix ulla sit humana institutio quæ ex contactu temporum sordes aliquas maculásque non contrahat, sapientis non pars est minima rebus ipsis sic adhærere, ut discedat à vitiis; quò possit esse institutionis susceptor, repudiator turpitudinis; & pacem inire cum rebus, cum corruptelis pugnam. Alioqui futurum est, ut aut cum bono id quod malum est deglutiat, aut propter adhærens malum ipsum quoque bonum amoliatur: quorum utrúmque à pietatis regula abhorret; cùm nihil sit in rebus omnibus tam innoxium quod in diversum traduci nequeat vitio malè utentium. *Multum autem interest inter causam & culpam, inter statum & excessum, inter corruptelam & integritatem, inter institutionem & interpolationem,* ut scitè Tertullianus. Tertul. Adversf. Marc. l.1. c.29. & De Spectac. c.2. His itá positis, quoniam de honore debito & casta observatione Quadragesimalis Jejunii satìs multa diximus, ad Abusum ejus & Corruptelas nos paulisper vertamus: ut in hoc Antiquitatis ritu depravando artes malas Pontificiorum videamus, qui & ex parte altera disciplinæ hujus se solos patronos, sed falsò, jactitant; & ex altera etiam, nos abstinentiæ inimicos, voraces atque ventricolas, eâdem fide, magni jejunatores accusant, ut vix sit quisquam eorum, ubi semel vel fortuitò in Jejunii nómen incurrerit, qui non exoneret in nos bilem suam, de contemptu Quadragesimæ & de neglectu Jejunii. Enimvero si ea quæ exprobrant vera essent, hostes nos esse Jejunii, carnis mancipia, homines luxuriosos & crapulæ deditos, (quæ tamen falsissimè & immodestissimè dici non doctrina solùm nostra probat, sed vita) at meminisse oportuit, innocentes debere esse qui alios accusant. *Neque enim ferendus est objurgator,* dicente Tullio, *qui dum mores aliorum corrigit, ipse ab officii religione declinat; quique quod in altero vitium reprehendit, in eo ipso deprehenditur.* Cic. Or. 3. in Verrem, & De Orat. 2. Quòd si in seipsos oculorum aciem aliquando converterent, vix credo à seipsis se insontes posse pronuntiari, judices sui factos; sive mores intueantur suos, sive dogmata. Quocirca nè gratis hæc dicta videantur, néve major sit querela quàm crimen, aut objectionum nostrarum invidia quàm ipsorum culpa facinorum, Æschines in Ctesiphontem. idcirco ad hæc duo capita cujuscunque generis Corruptelas revocabo; ad Corruptelas Quadragesimæ quæ in Praxi, & ad eas quæ in Doctrina eorum versantur. Et quia turpe est homini, ea crimina quæ cuiquam verbo objectaverit reipsa demonstrare non posse, proinde nihil adferam non cognitum, nihil quod non

ſit aut ratione aut teſtibus idoneis ſtabilitum ; ut non rumoribus aut ſuſpicionibus, ſed veritate ipsâ hæc diſceptatio nitatur.

Quod ad Praxin & mores eorum ſpectat, ut poſſit & breviùs fieri & nervoſiùs, non alios teſtes producam quàm ſuos ipſorum authores ; σεμνὴ γὰρ ὄντως ἡ παρὰ τῶν ἐχθρῶν μαρτυρία, ut Peluſiota loquitur ; *Grave eſt teſtimonium atque authoritatę plenum quod à reo ſurgit, & ab hoſtibus ſumitur.* Ipſos igitur audiamus Pontificios, Caſſandrum, Lindanum, Pereſium ; namque tres iſtos reperio, qui paulò altiùs jejunantium mores reſecare & reprehendere non dubitabant. Inprimis ex Caſſandro patet, qui breviter, ſed apertè, abuſum hunc perſtringit, in defenſione libelli De Officio pii viri : verba hæc ſunt ; *Totius ferè Quadrageſimæ Jejunium in abſtinentiam tantùm carnium eſt converſum ; quæ tamen abſtinentia inanem tantùm veri jejunii umbram retinet, cùm apud pleroſque deliciarum commutationem & majorem luxûs profuſionem, quàm corporis laſcivi refrænationem ullam, habeat.* Hæc ille. Deinde, & Gul. Lindanus multò acerbiùs, in Panopliæ lib. 3. c. 11. *Jejunia noſtra*, inquit, *veteribus Chriſtianis omnino fuiſſe non modò incognita, ſed & intolerabilia, adeóque abominanda, piis omnibus vetera cogitantibus, arbitramur notius quàm ut ea de re ulla ſint verba profundenda : nam & vini copiâ natant, abundantiâque redundant, & piſcium varietate carnium ſuperant delicias ; ut quaſi cum Deo ludere videantur, dum olei flammas, vini æſtum, omníſque aromatum generis ignes, helluoni infarciant ſtomacho*, & quæ ſequuntur. *Denique eò tandem noſtra indulgentia prolapſa eſt, ut extremam tantùm jejunii priſci umbram apud pleroſque videamus in Eccleſia Catholica reliquam ; ut veſtigia tantùm inveſtigare poſſis, non item vera jejunia agnoſcere.* Hactenus Lindanus. Poſtremò, neque à Pereſio ipſo hæc ipſorum licentia eſt prætermiſſa, ſed graphicè depicta, in parte tertia libri de Traditionibus, Conſid. 26. Eſt locus ſatis amplus, verùm quia ad inſtar omnium pro præſenti inſtituto eſſe poteſt, non gravabor eum integrum deſcribere. Sic igitur habet ; *Pudet*, inquit, *me loqui de hac virtute ſacroſanctâ, quæ nomine tenus hodie in Eccleſia obſervatur : nam neque apud eos ſolùm qui Jejuniorum præſcriptiones damnant, ſed neque apud nos qui meritò eas defendimus, in uſu ſunt ſancta Jejunia, niſi tantùm ſecundum quandam externam ceremoniam. Putamus enim nos jejunare, ſi ſemel in die uſq; ad ingluviem prandium faciamus, probè poti & meliùs paſti, ſumentes cibos non pro naturæ ſuſtentatione, aut unius diei duntaxat, ſed in tanta quantitate ut vel Miloni olim pro tribus diebus ſufficere potuiſſet. Taceo qualitatem & differentiam cibariorum & condimentorum ; jam enim neq; mare, neq; terra, neq; aer, neq; ſalſamentarii ſufficiunt gulæ noſtræ. Et utcunque tolerabile eſſet, ſi hæc ingluviei contagio ſolos Laicos comprehenderet, & non potiùs multos noſtri ordinis Sacerdotes, Religioſos, & Prælatos Eccleſiæ pervaderet ; quos video huic rei tantùm invigilare, ut potiùs ad ventris voracitatem natos eſſe dixeris, quàm ad imitandum Apoſtolicā modeſtiam, in fraudem pauperū, & deſtructionē caſtitatis, quæ cum ſanctis jejuniis terrā videtur reliquiſſe. Quid enim exſpectabitur à ventre mero piſcibus variiſq; aliis cibariis & irritatoriis pulmentis diſtento, niſi ut ſtatim in libidinem deſpumet, & in motus illicitos prorumpat ? ut verè in nos quadret illud Iſayæ,* In die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra : *imò & gula & luxuria noſtra. Eſt enim nulla in Eccleſia inſtitutio aut magis laudata, aut minùs ſervata : tanta eſt carnis noſtræ licentia & morum diſſolutio.* Huc uſq; Pereſius. En tibi mores ! en tibi homines Papiſtas ! dignos homines qui noſtris hominibus opprobrent jejunia ; dignos mores qui noſtris inſultent moribus : ut mirum jam ſit niſi pro jejuniorū patronis habeantur, qui ſuo ipſorum judicio in delicias, imò in ingluviem & voracitatem, abſtinentiam verterunt ; qui ſuo ipſorum judicio

Lib. 2. Ep. 228. Sen. l. 9. Cont. 4.

judicio Jejunia intolerabilia luxu suo fecerunt & piis omnibus abominanda; adeóque à disciplina veteri aliena, ut extremam tantùm umbram & nomen inane retineant. Hæc omnia, non nobis dicentibus, sed suæ sectæ & Ordinis gravissimis viris: *Equidem incorruptum necesse est ut sit testimonium quod*, ut Tertullianus loquitur, *ex æmulis sumitur, ut non æmulis prosit.* Neque est quòd nobis in hac parte irascantur, quia non à nobis nata est hæc accusatio, sed à seipsis & à conscientia sua, quæ satis nôrit hæc non esse commenta aut fabulas. Etenim ut Jejuniorum ritus mittamus paulisper, vix quisquam est qui præterea nescire queat aut Bacchanalia quæ indè à Natalibus ad initium Quadragesimæ ab iis celebrantur, aut in trium Regum vigilia immanem eorum licentiam, aut tribus primis Quinquagesimæ diebus solennem & publicam insaniam, aut aliorum Festorum circumcursationes plusquam Ethnicas, de quibus in Fastis Mantuanus conqueritur, Romanorum Lupercalia tantùm non fuisse sanctiora, levémque fore dementiam ad mores suos. Verùm de his abunde, cùm hoc sit apud omnes in confesso, egregiè depravatam esse institutionem quæ in contrarium abiit, atque plus nimiò degenerâsse, cujus sola umbra atque nomen relictum est: etenim *nomen sine actu & officio suo nihil est*, ut Salvianus loquitur. De Anim. c. 2. lib. 4.

Ad alterius generis corruptelas accedo, quas non tam ad mores quàm ad doctrinam eorum referendas esse dixi; adeóque & hoc ipso deteriores alteris, quia morum depravatio plerumque ex vitio hominum nascitur, at si corrumpantur dogmata, in res ipsas quæ morum sunt regula virus suum labémque effundunt: & in corruptis moribus servari potest institutionis integritas, dummodo doctrina sincera maneat & illibata; at si doctrina coinquinata fuerit, in perniciem ire omnia necessum est, subversis fundamentis. Ut igitur in compendio dicam, tria sunt quæ in ipsos intendimus crimina quantum ad Dogmaticam suam de observatione Quadragesimæ sententiam, Læsæ pietatis, Læsæ conscientiæ, Læsæ institutionis; vel, si vultis striciùs, Crimen Arrogantiæ, crimen Tyrannidis, crimen Simulationis. Hæc tria sunt crimina, prout tres sunt respectus ad quos revocare possumus ciborum delectum, ad Cultum, ad Conscientiam, ad Jejunium.

Ordiamur à primo, quod Pietatis læsionem appellavi, sive Crimen Arrogantiæ, eò quòd insanâ opinione inflati, attollunt se supra humanum modulum, & de Jejuniis suis sublimia quædam prædicant quæ in ea quadrare non possunt; dum & in Delectu ciborum Sanctitatem & Cultum, & in sua à carnibus Abstinentia Expiationem peccatorum. & meritum salutis inesse arbitrantur: quorum istud eorum superbiam prodit, illud ignorantiam & cæcitatem. In utroque crimen est, eóque majus, quia pro utroque pugnant acriter, ut & cibis sanctitatem vendicent, & sibi meritum. Et quod, obsecro, meritum? non vulgare aliquod, sed meritum nescio cujus extraordinariæ perfectionis, quod *gratiarum cumulum secum trahat & Paradisi portas aperiat*, ut loquuntur. Vox est unanimis omnium, Valentiani, Bellarmini, reliquorum. Quid loca proferrem? Notus est Bellarmini locus, c. 11. l. 2. De bonis operibus in particulari, *Jejunium est utile ad satisfaciendum Deo; Jejunium est utile ad merendum temporalia & æterna.* Notus & Alensis locus alter; parte 4. qu. 28. *Jejunium, sive injunctum sive assumptum, est pro peccatis satisfactorium.* Quid quod & idem à Thoma statuitur, in 2.2æ, q. 147. & à P. Soto etiam, sed magìs expressè, contra sententiam nostram? *Negare Jejunium esse opus quo meremur æternam vitam & satisfacimus pro peccatis, error est apertissimus.* Hanc nos Jejunii maculam ejusmodi esse existimamus quâ major esse possit nulla, quia & Divinis literis est verbum contrarium, & Divinæ gratiæ benignitati adversum, & Divinis Christi meritis con-

contumeliosum, & rationi etiam rectæ repugnans; eò quòd habere possunt nullam qualiacunque hominum Jejunia vel ad futuram gloriam proportionem meritoriam, vel ad peccata præterita satisfactoriam, non si ad unum magnum omnia quot ubique fuere Jejunia redigerentur. Imò verò, si in aliis operibus bonis fas esset meritum aut satisfactionem obtendere, at in Jejunio tamen nequaquam liceret. Non in Jejunio, quia non est in se res moraliter bona, sicut suprà monui, nisi quatenus ad aliud bonum refertur seipso melius, Orationem scilicet aut Pœnitentiam; habétque in choro virtutum, dicente Chrysostomo, locum ultimum. Non in Jejunio, quia ad hoc institutum est ut humiliationis nostræ sit testimonium. Ergò si omnem typhum majestas Divina exsecratur in quocunque negotio, illum multò magis qui cum ipso submissionis actu est conjuncta Superbia. Ergò S. audiant Chrysostomum; ὑπόκρισις ἐςὶ διπλῆ, ὑπόκρισις καθ' ὑπερβολὴν, h. e. hypocrisis transscendens & duplicata, pessimúmque superbiæ genus, si ex Jejuniis animus intumescat: quia ad hoc constituta sunt Jejunia, ut fieret peccati labefactatio, non pro peccatis satisfactio; ut carnis sequeretur subjugatio, non elatio mentis; ut veram testarentur submissionem animi, non ut eum superbiâ inflarent, quia simulata submissio est duplex elatio.

Chrys. Hom. 21. in Matth.

Veruntamen hæc non est sola Pietatis læsæ ratio, quòd in Jejuniis suis de Merito glorientur; succedit & alia, quæ in Superstitione prominet, quòd opinionem Cultûs, & Religionis, & Sanctitatis, & Justitiæ in ciborum delectu & his rebus externis collocent, & per hoc proximè accedunt ad Tatianos, Manichæos, Priscillianistas, Encratitas, Montanistas, Cataphryges, qui pro ciborum discrimine singuli pugnabant, sed diverso modo: nam Ebionitæ, Encratitæ & Manichæi, naturam ipsam quorundam ciborum damnabant, simul & in Deum blasphemi, & in creaturas contumeliosi; Montanistæ & Cataphryges subtiliùs, cùm damnare naturam non ausi sint, usum circumciderunt: atque hi quidem abstinentiæ causâ id fecerunt, illi timoris, quia maledictos cibos putabant, & minùs sanctos, imò impuros, & per se malos. Ergò eligant sibi Pontificii utriusvis mallent esse imitatores; Manichæorum, qui naturam damnabant, an Montanistarum, qui usum. Verum est, quòd κατὰ τὸ ῥητὸν & in terminis affirmare nolunt cum Manichæis, sanctiores cibos aliis alios esse secundum suam naturam, sed solùm secundum concomitantiam & circumstantias. Sed non est sufficiens excusatio, quippe quòd suorum Theologorum plurimi, cùm rationem afferre volunt cur carnem tangere non liceat tempore Quadragesimæ, pisces liceat deglutire, prætendunt terram à Deo maledictam, & per consequens animalia terrestria; aquam autem cum piscibus non fuisse maledicto subjectam: porrò & Salvatorem piscibus vesci solitum, non carnibus. Quibus argumentis ostendunt se opinari, Pisces per se esse sanctiores & mundiores carnibus. Imò & has ipsas ratiocinationes Bellarminus ipse quamvìs non existimet solida fore argumenta, at *rationes topicas* vocat & *congruentias*. Addo, si Congruentias, certè audaces & periculosas, si vel per concomitantiam solam quibusdam cibis sanctitatem inesse dicatur; cùm res sit spiritualis Sanctitas, à Spiritu Sancto accensa in corde humano, Ciborum autem usus non nisi ad corporalem sustentationem pertinet.

Porrò & illud etiam repugnat, Quia si in his observationibus esset opus immediatum Divini cultûs positum, sequeretur, non modò diverso, sed contrario planè modo coli posse Deum, pro hominum arbitrio, quia hæc humana ἐντάλματα non modò diversa sunt, sed quandoque, pro locorum & temporum differentia, inter se pugnantia. At si per se pertinerent ad cultum Dei, non posset esse in illis aliqua discrepantia; non possent, pro locorum diversitate

tate, alios obligare, alios non obligare; sed eadem essent apud omnes, & omnes ex æquo obligarent. Est enim verissima illa Parisiensis regula, De Fide c.2. *Non est debitus Deo cultus qui à quocunque qui idoneus est ad ipsum colendum potest eidem absque injuria denegari: una enim & communis est religio quâ Deus colitur, eique placetur & servitur ab omnibus.* Huc pertinet & illa altera S. Augustini regula, in l. 1. De consensu Evangel. c. 18. *Deum sic oportet colere, quomodo ipse se colendum præcepit*; ex ista nos docentis, id solùm immediatè & propriè ad religionem & cultum Dei spectare quod habet testimonium voluntatis Divinæ. Quod ipsum movit Apostolum ut curam magìs haberet de huic superstitioni occurrendo; *Esca nos non commendat Deo*, 1 Cor. 8. 8. *Non est regnum Dei esca aut potus, sed justitia & pax*, Rom. 14. Imò & Christus ipse, Matth. 15. 12. *Non quod ingreditur in os polluit hominem*; & rationem reddit, vers. 17. *Nondùm intelligitis, quòd quicquid in os intrat in ventrem vadit, & in secessum ejicitur?* Hoc Christus contra Pharisæos, qui tamen non erant Manichæi vel Encratitæ; non enim ignorabant omnia quæ Deus creavit esse bona, nec verò ullos cibos naturâ malos esse arbitrabantur: & tamen Christus eorum superstitionem, Papisticâ longè leviorem, reprehendit, atque hac ipsa de causa, quia non polluit hominem quod in os intrat, sed in ventrem vadit, & in secessum ejicitur. Quasi dixisset, Sanctitatem aut justitiam in his rebus terrenis & corruptibilibus quærere ineptum est; sunt enim hujusmodi omnia in se nec bona nec mala, sed perinde sunt hominibus atque animi sunt illorum qui illis utuntur. Qui igitur se servire Deo putat in eo quòd à quibusdam cibis abstineat, seipsum fallit, quia ventri saturando sunt destinati, non animo sanctificando. Quod pulchre est à S. Prospero annotatum, De Vita contemplativa cap. 10. *Jejunia, abstinentiæ, & cætera hujusmodi, non pro justitia, sed cum justitia sunt Deo exhibenda*: ac si dixisset, Quicquid in iis laude est dignum, id totum pendet non ex rerum ipsarum natura, neque ex ipso opere aut actione, sed ex animo facientis, & ex fine utili ad quem istæ observationes referuntur. Quòd si in jejunio ipso atque in abstinentia simplici non sit justitia, multò minùs in abstinentia illa electiva, quâ ab hoc aut illo tantùm ciborum genere abstineamus; quod Papistis est solenne, cùm tamen in alios cibos involent, idque fortasse non accuratâ moderatione adhibitâ. Est igitur in utroque æquitas expostulationis, ut cum illis humaniter queramur & de Jejunii merito, & de ficta delectûs sanctitate: quorum in utroque crimen est; in illo Arrogantiæ, in hoc affectatæ Inscitiæ: utroque Pietas læditur; ex illo, quia est contra honorem justificantis gratiæ, ex hoc, quia est contra legem sanctificantis. De prima Criminis postulatione satìs, quæ est de Læsa Pietate, in quantum ad Cultum Divinum delectus ciborum referatur.

Ad postulationem secundam accedamus, quæ est de Crimine Læsæ Conscientiæ, eò quòd Decretis suis de Ciborum delectu exitiales animabus laqueos nectunt, & in labyrinthos inextricabiles ducunt, dum rigidam & exactam ciborum observationem exigunt, intentatâ mortalis culpæ pœnâ; multósque, ut Cassander loquitur, hâc superstitione implicatos, in summa incommoda atque pericula & corporis & animi conjecerunt. De his necessarium est ut contra ipsos Actionem instituamus, quia est communis sensus polemicæ partis Theologorum omnium, simul & Canonici Juris interpretum, paucis quibusdam exceptis utriusque sortis, *Obligari fideles in conscientia, idque per se & directè, ad Ecclesiæ quæcunque Jejunia observanda, sub mortali peccato; & violationem cujuscunque Jejunii lethaliter sauciare animam; & meram omissionem peccatum esse mortale, idque* ex

Defens. lib. De officio pii viri.

ex suo genere, non interveniente contemptu aut scandalo: atque *peccare hominem mortaliter, tametsi cætera servet, si solo esu carnium Jejunium violet; imò vel ovorum esu aut lacticiniorum, si fiat in Quadragesima.* Quando hæc fulmina vibrant, quis eos non videt Tyrannidis scelere arguendos? dum has pœnas, has leges imponunt populo; dum his minutiis conscientias eorum onerant, tanquam rebus ad salutem per se necessariis; dum hoc servitutis jugo implicant, ut reatus sit damnabilis & ignis æterni indebitatio vel tantillum omittere; imò &, quod pejus adhuc, Tyrannidis modus nullus est, nulla modestia, namque onerum numerus est inexputabilis, víxque ullis limitibus descriptus, singulísque tam sunt perplexi laquei, tam potentes scrupuli conscientiæ, ut nihil suprà possit excogitari quo gravetur. Quapropter quod de Pseudoapostolis S. Paulus testatur, Col. 2. 21. Solenne iis fuisse oneribus onera annectere, eáque post gravia graviora, *Nè esitâris, nè gustâris, nè contrectâris*; quódque de Pharisæis Dominus noster pronuntiat, Matth. 23. 4. *Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum:* hoc ipsum de Pharisæorum posthumis, Pontificiis, affirmare non est quòd vereamur, Tyrannidis in conscientias nullum esse finem, pudorem nullum, quia semper ad duriora imponenda progrediuntur, &, ut scitè Calvinus, *Initio stringunt, ut successu temporis strangulent.* Nam esum primò prohibent aliquorum ciborum, *Nè esitâris*; hæc prima vox est, *Nè comedas, quantumvis tenuiter:* hoc si obtinuerint, tum vel degustare vetant, *Nè gustâris*; hoc est, nè ori admoveas hunc vel illum cibum, etiamsi nihil indè degluties: quòd si hîc non restiteris, vel tangere postremò vetabunt, *Nè attrectâris*; i. e. nè vel extremum digitum ei admoveas, licèt absit omnis gustandi cupiditas. Hæc solet esse tyrannidis gradatio simulac conscientias illaqueaverit, vix uspiam intermittit, verùm semper progreditur ad strictiora, donec ad Divini Juris normam humana perduxerit, & ad necessitatis legem indifferentia, & ad damnationis reatum quæ dici solent *venialia*, & ad conscientiæ internecionem quæ pietas ad salutem ejus indixit Jejunia: ut si jam ea Pontificiorum modulo metiamur, non esse ampliùs disciplinam animæ dicendum est, sed carnificinam; nec adjutorium pietatis, sed præcipitium. Sed superesse video quod regerant, Non esse has Jejuniorum leges, quamvìs strictissimas, adeò funestas animis hominum, neque adeò sub hoc reatu exitiales, quia Dispensationum portæ patent quibus à rigore legis eximantur qui non sunt observando, concessâ illis facultate ac licentiâ. Leve hoc est & nugatorium. Nam primò, si hoc supponatur, quod maximè cupiunt, Fuisse ab Apostolis institutum Quadragesimale Jejunium, tum Dispensationis nullus est aditus, quia nè Papam quidem ipsum in Apostolicis dispensare posse è Doctoribus saniores tenent: & si modò posset, at impendet nihilominus innumerorum hominum conscientiis æternæ damnationis laqueus, quia quamplurimi sunt quos præcludi necesse est à Facultate aliqua obtinenda, alios locorum intervallis, alios paupertatis injuriâ. Annon ergò magis ad rem Christianorum conduceret, ut de sententia sua etiam & de decretis laxaretur aliquid, quàm ut tot animarum millia in re media in inevitabile discrimen incurrerent æternæ damnationis? Huc accedit, quòd sunt è suis aliqui quibuscum in hac parte dispensari non potest; quod in Monachis Carthusianis videre est, qui carnes nè gustare quidem audent, flagitante licèt corporis infirmitate. In Dispensationibus igitur aut quàm exiguum est, aut saltem non universale adjumentum. Utcunque fuerit, hoc non est illud quod querimur, nec tam Dispensationum facultatem quàm jus potestatis impugnamus. Hoc iterum atque iterum intorquemus, Constitutiones

ſtitutiones merè humanas primariò, & directè, & per ſe Conſcientiam non obſtringere, ut ſemel poſitas omittere nemo poſſit illæsâ Conſcientiâ: & ratio eſt, Quia ſicut anima in loco corporeo non eſt per ſe, ſed ſolùm per accidens, ratione corporis cui eſt adjuncta; ità nec Conſcientia fori humani eſt per ſe, ſed per accidens, quatenus homo externus, cui illa conjuncta eſt, ad forum externum propriè & per ſe pertinet. Poteſt Eccleſia, poſſunt Chriſtiani Magiſtratus de Ciborum delectu decernere, poſſunt abſtinentiâ à certis carnibus certis temporibus mandare: verùm ſub æternæ damnationis Ætnâ graviori onere, neque ſolent, neque debent, neq; poſſunt ullas de rebus mediis Conſtitutiones conſcribere; aut directè de Conſcientia, ſed ſolùm de locomotiva judicare. Statuuntur igitur leges ejuſmodi à poteſtate legitima, at non ſub ſimplicis neceſſitatis jugo, ſed externi ordinis causâ & utilitatis communis; ſtatuuntur, inquam, non ut timidis & perculſis conſcientiis injiciantur laquei, ſed ut tardis & ceſſantibus ſint tanquam calcaria & ſtimuli, quibus ad Temperantiæ & Abſtinentiæ regulas obſervandas excitentur; ſtatuuntur denique, ídque eo fine, ut iis obedientes ſimus, atque hæret culpa niſi quoad fieri poſſit obtemperemus. At verò ſi quandoque contingat ut violentur ejuſmodi obſervationes ex inadvertentia quadam, hoc eſt, ex animo negligenti aut incircùmſpecto, contemptu nullo adhibito, nullo ſcandalo dato, abſit ut quis dicat ipsâ actûs omiſſione animam maculari, aut reatu lethali conſtringi; quia iſtarum rerum natura ejuſmodi non eſt ut ad animam pertingat vel ſanctificandam, vel maculandam: neque alia mens eſt aut voluntas ſtatuentis, niſi ut pro poſſe ſuo ad obſequium ſe quiſque vertat, nè cum contemptu aut ſcandalo hujuſmodi Statutis contraveniat; non ſic vult obligari Conſcientiam, ut ſi quis caſu, aut infirmitate, aut quâcunque causâ rationabili contrà fecerit, ſtatim Divinæ Legis violator habeatur. In promptu eſt ratio, à Gabriele Biel quàm appoſitè reddita, *Quia ejuſmodi præcepta de ciborum delectu rerúmque quarundam abſtinentiis non ſunt de iis quæ per ſe ſunt de neceſſitate ſalutis, ſicut præcepta Divina, quæ per ſe mala prohibent, id eſt, vitia propriè dicta, & per ſe bona præcipiunt, nimirum actus virtutum: verùm ſunt de iis quæ ad virtutes ordinantur, h. e. de iis quæ nec per ſe & in quolibet caſu ſunt bona, ſed quandoque poſſunt eſſe mala, nec per ſe & in omni caſu ſunt mala, ſed in caſu poſſunt eſſe bona; & ideo non eſt nec debet eſſe intentio Legiſlatoris, ut ſemper obſerventur.* Hæc ille. Quòd verò illud S. Pauli opponunt ad Rom. 13. Subjectionem & obſequium à nobis requiri propter conſcientiam; non video quid adjumenti ex eo lucrentur: neque enim ullo modo ſequitur, ut ea omnia obligent conſcientiam quibus obedientia debetur propter conſcientiam; quia aliud eſt leges obligare conſcientiam, aliud deberi legibus obedientiam propter conſcientiã; ſicut aliud eſt Regi exhiberi obedientiam tanquàm Regi, aliud Præfecto aut Deputato propter Regem: nam qui exhibet tanquam Regi, is agnoſcit ejus eſſe propriam authoritatẽ regiam; at qui propter Regem, agnoſcit poteſtatẽ delegatam, & alienâ authoritate fretam. Ad eandem rationem, quæ leges Conſcientiam obligant, eæ ſunt quarum imperium propriè & per ſe eſt in ipſam Conſcientiam, videlicet Divinæ: ſed quæ obſervantur propter Conſcientiam, eæ nituntur alienâ authoritate, id eſt, alterius cujuſpiam legis obligantis Conſcientiam; habent enim Magiſtratus Politici obſequium propter Conſcientiam, at non directè imperium in Conſcientiam. Hoc ipſum eſt quod Eraſmus & Gerſonius, aliíque ſanioris judicii Romanenſes, ſuis ſinguli temporibus, palàm profiteri non dubitabant: *Parendum eſſe ejuſmodi Decretis etiam propter Conſcientiam, verùm non habito ad res ipſas reſpectu, ſed ad authoritatem præcipientis; atque contemni non poſſe eas,*

aut pertinaciter violari, illæsâ conscientiâ: attamen nihil capitalis periculi afferre omißionem transgressoribus, si absit animus impius aut contemnens. Habetur Erasmi sententia in Tract. De amabi i Ecclesiæ Concordia; *Qui piscium,* inquit, *esu periclitantur, aut jejunio aliquo vel valetudinem corporis vel vigorem animi lædi sentiunt, hos nequaquam obligat Ecclesiæ Constitutio.* Ejusdem generis Gersonii sunt quamplurima, in quibus de hac Tyrannide Prælatorum Pontificiorum passim conqueritur; *Nulla lex ferenda est,* inquit, *tanquam necessaria ad salutem æternam, quæ non est de Jure Divino in aliquo gradu:* & denuo, *Abutuntur potestate suâ, qui quicquid ordinant, volunt id robur habere per obligationem ad pœnam æternam:* & adhuc tertiò, *Legislator non potest condere legem cum adjectione pœnæ quam non potest infligere;* puta pœnam æternam, quæ mortali debetur peccato: adhuc quartò, in Reg. Mor. *Ad Ecclesiæ Jejunia nemo cum notabili gravamine sui corporis obligatur, secluso scandalo.* Postremò, nec pauciora id genus occurrunt apud Aquinatem, cujus hæ sparsim Conclusiones reperiuntur. *Mandata hæc magis obligant ex intentione Legislatoris quàm ex ipsis verbis. Cessante ratione legis, cessat obligatio. Rationabili causâ positâ, ratio legis cessat; & si ea causa in lege non exprimatur, præsumitur tamen. Si causa sit rationabilis, non est habendus transgressor qui eam non servat. Si inveniatur in aliquo specialis causa quæ observantiæ repugnet, non intendit talem legislator ad observationem obligare.* Nec revera hoc aliud est quàm quod ipsi Patres ubique contendunt, Removendum esse rigorem ab Abstinentiæ Legibus, quia

Gers. par. 3. De Vita Spir. anim. lect. 4.

Laxus ac liber modus abstinendi
Ponitur cunctis, neq; nos severus
Terror impellit; sua quemque cogit
Velle potestas,

ut Prudentius loquitur, Cathemer. Hymn. post Jejun. Atque hoc S. Augustinus communem fuisse Ecclesiarum omnium consuetudinem ostendit, 1. De moribus Eccles. Cathol. cap. 33. *Nemo urgetur in aspera quæ ferre non potest, nec ulli id quod recusat imponitur.* Nec non & Sanctus Prosper, De Vita contemp. lib. 3. cap. 19. *Miserum est alios de cibi vel potûs perceptione damnare, aut nobis arrogare per Abstinentiam sanctitatem:* & lib. 2. cap. 24. *Sic jejunare debemus, ut non nos jejunandi necessitati subdamus: ne jam non devoti, sed inviti rem voluntariam faciamus.*

Quid pluribus opus est in re tam Patribus in confesso, tam rationi consentanea? Quòd si dolori medelam afferre possem differendo, aut miseram plebeculam suo gravamine sublevare, usque ad diem proximum libenter traherem disputationem. Verùm quia in nobis non est facultas medendi, ad officii rationem hoc sufficiat, quòd morbum & corruptelam indicavimus: quæ quidem eò major est, quia sub Sanctitatis prætextu Tyrannidem hanc exercent; dúmque sibi ex Jejuniis meritum arrogant, quæ criminis erat intentatio prima, en populo laqueos nectunt, & animabus crucem, quæ pars est postulationis secunda, à respectu secundo desumpta, quem habet Ciborum delectus ad Conscientiam.

Superest adhuc tertia, quam dixi Crimen Læsæ Institutionis, in qua hoc mecum discutiendum constitui, An possit hic delectus, prout exercent Pontificii, cum Jejunii natura consistere; annon magis eam tollat ac destruat. Sed prærepta est mihi hæc ansa & temporis angustiis & argumenti copiâ; atque video illud verum esse Minucii in Octavio, *Magno viatico breve iter non instruitur, sed oneratur.* Ergò de Crimine Læsæ Institutionis agendum est in posterum, si Deus concesserit.

LECTIO

LECTIO XXVII.

De libris suis Acroamaticis tritum est quod dixit Aristoteles, Eos esse *ἐκδιδομένους, καὶ μὴ ἐκδιδομένους, & reipsa editos, & quasi non editos*, quia non erant ex omni parte perpoliti, sed deerant nonnulla, sicut ipse existimavit, ad totius operis perfectionem. Ad nostram hanc de Jejunio disputationem accommodari rectiùs posse non est quod ambigam, fuisse eam & in toto parùm perfectam, quia dilutam; & ex parte etiam minùs adhuc perfectam, quia mancam, necdum ad exitum perductam. Quòd si illud Senecæ verum sit, *Quicquid non est peractum, pro non inchoato reputandum esse:* vereor nè vobis videar non modò non perfecisse, sed nec incepisse hoc argumentum, quia deest aliquid, idque nondum editum, quod antecessa consummet. Quocirca ut anteacta transeant, in quibus de Origine & legitimis Causis, Finibúsque etiam & casta observatione Quadragesimalis Jejunii est disputatum; ad unum illud quod superest nunc accedendum, ut Abusus & Corruptelas aliquas perscrutemur. Aliquas dixi, dies enim deficeret si omnes perstringerem; etiam & patientia vestra, si actum agerem, crebrâque rerum earundem repetitione decursum tramitem renovarem. Porrò nec sunt ejusdem ordinis Corruptelæ singulæ quibus hanc virginem vitiârunt Pontificii. Sunt quædam quæ detorquent aliò simplicitatem Jejunii, dum de Jejuniis suis sublimia quædam prædicant, iisque & meritum salutis, & pro peccatis satisfactionem inesse arbitrantur. Sunt aliæ quibus nectunt jejunantium animabus laqueos, dum lusoriam nescio quam ciborum observationem eâ severitate exigunt, ut si quis casu, aut infirmitate, aut quacunque causâ rationabili prætermiserit, statim lethali reatu constringitur, velut Divinæ Legis violator. Postremò, sunt insuper aliæ quibus ipsam Jejunii naturam destruunt, dum eam in solo ciborum delectu constituunt, novúmque genus Abstinentiæ effingunt, quæ neque est à toto, nec à tanto, sed solummodo à tali; atque illa non ad diei terminos extensa, sed horularum aliquot brevissimis cancellis coarctata; neque hoc breviculum absque permissu intermediæ refectionis. Hæc tria sunt actionis nostræ in Pontificios capita, quorum quia quæ duo sunt priora superiùs eventilavimus, ad tertium, quod solum est reliquum, nos nunc oportet ut convertamus. Quanquam quid dixi Convertamus? non enim video, si quod res est fatear, quò me primùm convertam, eò quòd non una est hujus corruptelæ species, sed latè patens malum est multiplexque aberratio, non solùm in iis quæ agunt, verùm in iis quæ docent atque præscribunt ut ab aliis agantur. Percurrat qui velit authores qui hunc locum tractant penè innumeros, evolvat scripta, regulas & documenta quæ tradunt excutiat, scrupulorum solutiones perpendat; mentior si quicquam reperiat quod sanum solidúmque vir sobrius dixerit; adeò multipliciter peccant contra omnes Jejunii leges, contra ipsam, quod caput est omnium, Definitionem.

Inprimis, lex una est Jejunii, Ut nihil prorsus comedatur nec bibatur durante tempore Jejunii; quod à notatione nominis Bellarminus observavit, νηστεία dici, quasi νὴ ἐσθίειν, à *non edendo:* atque idipsum Sacræ Literæ confirmant, Jonæ 3. *Non gustent quicquam, nec pascantur, &*

& aquam non bibant. Ex quo apertè concluditur, Jejunii legem primam in non manducando positam esse, adeò ut comestio omnis solvat, nisi in iis quorum infirmitas excusationis rationem habet; & in iis ad necessitatem debet esse, non ad luxum. Ad hoc quid Pontificii? *Abstinentia non est de natura Jejunii Ecclesiastici; Cibus non solvit, nisi sit ex genere prohibitorum; Refectiuncula est licita, etiamsi non sit infirmitas aut indigentia,* Azorius.

Lex altera est, Ut quisque in persona propria affligat animam suam: Lev. 16. 31. & 23. 29. *Affligetis animas vestras religione perpetuâ; Omnis anima quæ non afflicta fuerit in die hac, peribit de populis suis.* Ad hanc quid Pontificii? Reginaldus, Toletus, Azorius, pro cæteris loquantur: *Necesse non est Jejunium Ecclesiasticum sic observare, ut fame affligamur; Potest quis per alium debita jejunia persolvere; Potest unus pro altero jejunare, eique communicare quod est satisfactionis.* Huc accedat

Reg. l. 4. c. 14. Tol. Instr. Sac. l. 3. c. 11. sect. 13. Azor. Mor. 1. l. 7. c. 32.

Lex tertia, ex B. Hieronymo Adversùs Jovin. lib. 2. *Jungenda sunt unà cum Jejunio Preces, & Eleemosyna, & Scripturarum lectio, & Mortificatio carnis;* & tum quidem, ut scitè S. Augustinus, *in delicias spirituales Jejunia vertuntur, si orando, psallendo, legendo, et in Lege Dei meditando sumantur.* Sic illi. Et quid quæso Pontificii? *Non est necesse conjungere cum Abstinentia Preces, Eleemosynas, aut exercitia Religionis.* Azorii sunt verba, in Mor. parte 1. lib. 7. Constat igitur quòd contra leges peccant. An etiam contra Definitionem? Imò vel maximé. Etenim cùm de Jejunio S. Patres disputant, ad Abstinentiam reducunt, eámque non limitatam, sed universalem; τῶν σιτίων ἐστὶν ἀποχὴ, inquit S. Nyssenus, *Est abstinentia ad tempus ab omni victu, à cibo etiam et à potu.* Pontificii contrá: *Est abstinentia cibi secundùm Ecclesiæ regulam,* inquit Bellarminus; *Est cibi potûsque parsimonia,* Salmeron; uterque dolosé. Nam Bellarmini illa, tametsi legitimum Genus statuat, quando *Abstinentiam* vocat, in Objecto tamen claudicat, dum Cibi mentionem facit, Potûs non item; cùm bibendo non minùs solvatur Jejunium quàm edendo. E contrà, Salmeronis altera, licèt Objectum adæquatum statuat in cibi & potûs commemoratione, attamen à legitimo Genere deflectit, dum non *Abstinentiam* appellat, sed *Parsimoniam*; quod angustum adeò est vocabulum, ut ad extremos Jejunii fines nos ducere non possit: Parsimonia enim potest esse ubi non est Abstinentia; quemadmodum potest quis pecuniâ parciùs rariúsque uti, qui tamen ab ea non prorsus abstinet. Ad Temperantiam Parsimonia pertinet, quæ medium quiddam est inter jejunium & crapulam. Et Temperantia quidem debet esse perpetua; neque enim unquam vir bonus temperantiæ habenas laxat: jejunium perpetuum esse non potest, nisi sensu remisso & castigato; sicut aliquando Veteres impropriè loquuntur, cùm viri sancti vitam asserant Unum fore jejunium. Præterea, & Dialecticorum regula non patitur ut à remoto genere Definitionem trahamus, verùm à proximo: ut si quis hominem definiendo describere velit, non dicit eum Corpus esse vivum, aut Substantiam rationalem, quia alia plura genera sunt quæ interveniunt; sed Animal dicit rationale, quod genus est proximè adjacens. Similiter & de Parsimoniæ vocabulo dicendum est, Non esse istius aut proprietatis aut comprehensionis ut subire possit in Definitione Jejunii generis rationem, cùm non in moderatione alimenti Jejunium consistat, sed in amotione, & privatione, omnimodáque abstinentia; ut nihil sumatur quod usui sit corpori nutriendo, & tum definatur jejunari, cùm quid tale sumitur. Quocirca, si verum sit illud

illud quod toties Philoſophus iterando ingerit; τὴν ἀρχὴν καὶ τῆς ἐπιστήμης καὶ τῆς διαλέξεως καὶ τῆς ἀποδείξεως ὁρισμὸν εἶ), *Primatum totum et intelligendi et diſputandi et demonſtrandi à Definitione pendere*; ſique, ut Vives loquitur, non ullus ſit error in definiendo tam exiguus, qui in diſputando non brevì excreſcat in maximum: non eſt adeò mirum quòd in tam perverſa dogmata Papiſtæ incidunt de Jejunio diſputantes, quia Definitionem ejus plenariam nondum attingunt. Non quòd neſcire eos veram definitionem exiſtimem, quæ lippientibus nota eſt; ſed quia de ſuis Jejuniis hoc certò ſciunt, non poſſe in ea veram Definitionem quadrare, inviti huc adiguntur, ut ejuſmodi Definitiones exquirant quæ ſuis convenire poſſint; non obſervationem Definitioni, ſed Definitionem obſervationi adaptantes. Ex Doctorum ſcriptis eſt manifeſtum. Quia cùm de Jejunio vero loquuntur, quod aliquando *Jejunium natura* vocant, aliquando *Jejunium virtutis*, à Definitione vera non abſunt: *Eſt Abſtinentia à cibo & potu*, Tolet. *Eſt privatio omnium guſtabilium*, Maldon. *Eſt abſtinentia ab omnibus quæ guſtu percipiuntur*, Bellarm. Jejunare propriè eſt nihil prorſus comedere, nihil bibere. Sed cùm de ſuis Jejuniis diſſerunt, quæ *Eccleſiaſtica* dicunt, tum demum neceſſe habent ad has Definitiones defectuoſas ſe recipere; *Eſt cibi potûſque parſimonia*; *Eſt abſtinentia à cibo juxta ritum Eccleſiæ*: & quaſi hoc puſillum eſſet nimium, *Nihil aliud eſt*, inquit Salmeron, tom. 4. p. 1. Tract. 11. *niſi à carnibus abſtinentia.* Enimvero prætereundum non eſt, quòd tam exquiſitè diſtinguere ſolent inter Jejunia vera & Eccleſiaſtica, inter Jejunia virtutis & Jejunia ſua: ſiquidem eo ipſo agnoſcunt, nec ea quæ vocant Eccleſiaſtica eſſe vera, nec ſua virtuoſa. Ejuſmodi eſt illa apud Alenſem diſtinctio, quam miror à ſubtili viro cecidiſſe; *Jejunium*, inquit, *ut eſt morale quid, & actus virtutis, irritamenta gulæ excludit; ut eſt ſtatutum Eccleſiæ, delicias gulæ non excludit: unde ſi quis horâ ſtatutâ lautiora comedat, & etiam excedat in ſuperfluitate, non eſt tranſgreſſor Jejunii ſtatuti, dummodo utatur licitis, id eſt, non prohibitis.* O hominis acumen! Annon hæc eſt pulchra Jejunii circumſcriptio, ut eo ipſo ab actu virtutis recedat & ab Abſtinentia debita, quia eſt Eccleſiaſticum? Ergò ipſis definientibus, Jejunium Eccleſiaſticum nil aliud eſt quàm Jejunium non jejunium. At meminiſſe oportuit, Accidentia naturam rei non tollere: neque enim deſinit eſſe homo qui eſt natione Græcus, ſed Græcus eſſe non poteſt niſi ſimul ſit homo; pariter, non deſinit eſſe Jejunium quia eſt Eccleſiaſticum, ſed nec Eccleſiaſticum eſſe poteſt niſi ſit verum Jejunium. Eſto, hoc vel illud Jejunium ſit juris Eccleſiaſtici; at Jejunium ſimpliciter ſumptum eſt Divini. Dicant igitur quid velint, Eccleſiaſticum, aut quocunque alio nomine, dummodo maneat Jejunium: at manere non poteſt Jejunium verum, niſi ſit totalis pro tempore Abſtinentia, à qua tamen ipſorum Jejunia maximopere abhorrent, ut mox videbimus, quippe quòd & citiùs cibum ſumant in die Jejunii quàm ratio patitur, & ſæpius etiam, & largiori modo, & delicatiori apparatu; ut vix quicquam in iis reperias præter comeſtiones, eáſque & pro tempore anticipatas, & pro qualitate delicioſas, & pro numero crebriùs repetitas, & pro quantitate effuſiſſimas; nihil autem vel veræ Abſtinentiæ, vel veri Jejunii.

Hæc omnia ut in compendio vobis exhibeam, ad quatuor claſſes has aberrationes revocabo, juxta quatuor Proprietates quæ ſunt de natura & eſſentia veri Jejunii.

Proprietas prima ad Tempus Durationis pertinet, quia Jejunii lex eſt, Ut non niſi cum ipſo die finiatur. Exempla paſſim occurrunt in Sacra Pagina:

gina: abstinuisse Judæos in die Jejunii usque ad occasum Solis, 2 Sam.3.35. usque ad vesperam, Jud. 20.25. 2 Sam.1.12. idque mandato Divino; à vespera usque ad vesperam, Lev.23.32. juxta spatium viginti quatuor horarum. Quod idem solenne erat veteribus Christianis, ut ex Sanctorum Patrum monumentis ubique apparet, præscriptum finiendi Jejunii tempus fuisse ad horam cœnæ, ut nonnulli; ad vesperam, ut alii; ad occasum Solis, ut alii; ad finem diei, ut è Patribus alii loquuntur. Quò referendum est & illud Tertulliani, atque Hieronymi, *In jejuniis suis cibum sumere non solitos esse Judæos antequam stellam viderint, Hesperum scilicet, cujus ortus signum dabat pastui.* Quòd verò interdum legimus ad horam nonam soluta esse Jejunia, paulò nuperioris est instituti quàm illa vesperæ observatio: verùm eòdem recidit, ut idem sit hora nona cum vespera, quia ab illa hora tempus vespertinum trahebat exordium. Nec tamen me fugit esse è doctis aliquos qui discriminis nonnihil ponunt inter hos terminos, quòd in Quadragesima non ante vesperam, in aliis Jejuniis non ante horam nonam cibum sumebant. Utcunque fuerit, hoc in confesso est, vel ipsorum Adversariorum judicio, non nisi ante vesperam, aut saltem ante horam nonam, Jejunia ex Veterum ritu esse finienda. Fatentur Lindanus, Medina, Bellarminus, reliqui. Quid igitur restat nisi ut rei in confesso observatio sua respondeat? Nequaquam, contrà est quod faciunt, contrà quod scribunt Pontificii, Non jam ad horam nonam, sed sextam; neque vespertino tempore, sed meridiano Jejunia sua finiri. Hæc prima παρεκβάσεις, quòd antiquos terminos movent, & in has temporis angustias Jejunia sua trudunt, fastidio vacuitatis. Et qua quæso de causa, aut quo prætextu? Joan. Medina ostendit in codice de Jejunio, q.6. *Horâ*, inquit, *tertiâ pomeridianâ Jejunium desinit; at quia hanc horam difficile esset exspectare, idcirco ante vel juxta meridiem tempus comedendi relinquitur, mutatâ cœnâ in prandium.* Ostendit ipse Bellarminus, dum hanc cœnæ in prandium mutationem hoc modo defendit: *Probabile*, inquit, *est*, *Veteres*, *qui horâ nonâ solvebant Jejunia, solitos esse meridie sive horâ sextâ cibum sumere; & judicâsse sufficere carni domandæ, si tribus horis solito seriùs cibus sumeretur, nonâ scilicet pro sexta: Similiter & apud nos, quia nobis in more positum tertiâ prandium sumere, sufficit si meridie vel horâ sextâ reficiatur corpus, tribus horis protractis, sextâ scilicet pro tertia. Quòd si in vitio sit hac consuetudo, at non imperatur tamen, sed tantùm toleratur.* Hæc ille, sed contra causam suam: nam primò, Si non sit aberratio, quid excusatione opus est? si sit, quid interest utrùm imperent an tolerent, cùm prohibere possint? Quòd si qui non vetat jubet, equidem qui probat, qui rationibus confirmat, quod Cardinalis satagit, plus aliquid mihi videtur facere quàm si imperâsset. Neque solus Bellarminus est in hac parte defensionis; eodem pileo donatus Cajetanus, in Sum. in verbo *Jejunium*, signanter pronuntiat, Vim totam Jejunii consistere in prorogatione inediæ usque ad horam solito tardiorem. Et quantò quæso tardiorem? tribus nimirum horis, dicente Bellarmino. Egregiam verò laudem, si ad meridiem vespera transferatur, & cœna mutetur in prandium, & antecapto cogitatu horarum trium spatia non protrahantur, sed accelerentur; nè fortè deficeret corpus sub longissimo horarum trium spatio! Et tamen videri volunt per totum diem usque ad vesperam jejunâsse, sed *fictione juris*, ut Summa Angelica, in verbo *Jejunium*, loquitur. Ut igitur dicam paucis, Quid opus est hâc cerussâ? Ut fictione nominum apertam fraudem tegant. Non sumus circa verba anxii, si rebus sufficiant; utantur hâc licentiâ quotiescunque placuerit, ut Cœnam Prandium vocitent, & Prandium Cœnam, quod

Cont. Psychicos. Hier. cont. Jovin. 2.

Chemnitius.

quod fecisse Veteres testatur Festus. Non iis Solœcismum objicimus, sed fucum & furtum, quòd præstituta Jejunio spatia religioni detrahunt, ut in ventrem collocent; quòd ipsam vesperam ad horam nonam revocent, & horam nonam rursus ad horam sextam, ut ad meridiem, solitam comedendi horam, Jejunia sua claudant, levissimæ Abstinentiæ tædio fatigati. Hæc aberratio est, ut dixi, prima, à Proprietate prima deflectens, respectu Durationis.

Proprietas secunda à Numero refectionum desumitur, quia & illa Jejunii lex est altera, Ut non nisi semel in die Jejunii permittatur comestio, nec nisi Jejunio finito. Ex S. Augustino liquet, ex quamplurimis aliis; *Nemo prandere præsumat durante Jejunio.* Nemo est qui ibit inficias, fuisse Veteribus non nisi unam refectionem in Jejunio cognitam, eámque non matutinam, non meridianam, sed vespertinam. Ergò videamus an legi huic Pontificii sint conformes. Jurares, si Lessium, Cajetanum & Summistas exaudias. *De substantia jejunii est Abstinentia secundæ refectionis*; *De essentia Jejunii est una comestio in spatio viginti quatuor horarum:* Sic illi. Necnon & ipsum Bellarminum habemus pro una in Jejunio refectione disputantem, quæ Cœna esse debet, non Prandium. Hactenus deviatio nulla est. At si pergamus paululùm, fraus palàm constabit: nam & ipse Bellarminus aliíque Casuistæ hoc ipsum defendunt, Posse jejunantes bis cibum sumere; imò & hoc Bis parùm est nisi ad ternionem & quaternionem amplietur. Toletus Cardinalis testetur; pro prandio ipse disputat, lib. Instructionis 6. cap. 2. ſ. 3. *Semel*, inquit, *in die est prandendum, & qui pluries manducat, solvit Jejunium.* Ergò est ex institutione prandium, at non prandium solùm. De merenda quid dicendum, ipse doceat, Sect. 4. *Aliquando*, inquit, *aliqua de causa prandium dividere licet absque solutione Jejunii; ut cùm quis in medio prandio impeditus negotio aliquo non potuit ipsum perficere, potest cùm vacaverit absolvere, salvo adhuc Jejunio.* Optimè. Sed num hoc totum est? Nullúsne est Cœnæ locus? Et hoc quoque explicat, Sect. 5. *Hâc unitate prandii non intendimus auferre quas nostri vocant Collationes circa noctem: licèt enim olim tantùm per modum medicinæ sumerentur, tamen jam consuetudo probata obtinuit ut per modum nutritionis sumantur.* Post hæc quid superest nisi Jentaculum solum? Et de ea Sa in Aphorismis nos certiores reddit, Aphor. 8. *Jentaculum vespertinum pro more sumptum non violat Jejunium; nec si ex causa manè sumatur, dilato in vesperam prandio; nec si quid edas statim finito prandio, rogatus ab amico comedente; nec si horam prandii ex causa pravenias.* Obsecro, annon est hæc severa & rigida jejunandi disciplina, istis subnixa adjumentis? Jejunium hoc est dicendum, an magis Jejunii ludibrium? Et inter has argutias sapienter sibi philosophari videntur, cùm nihil sit magìs ridiculum. Hæc, inquam, est παραδιόρθωσις secunda, quòd unam refectionem ad tres aut quatuor vices extendant, quæ universæ Jejunium non frangunt; & unicam tamen dicunt esse de essentia ipsius. Fuisse in usu vel ipsis helluonibus non nisi quatuor ad summum edendi spatia eruditi testantur, ex quibus nata sunt nomina: nam quod tempore matutino sumebant, ἀκρατισμὸν vocabant, id est, *Jentaculum*; quod ad meridiem, ἄριστον, sive *Prandium*; quod vesperì, δεῖπνον, *Cœnam* sive *Vespernam*; quod prandio & cœnæ interpositum erat, dixerunt ἑσπέρισμα, id est, *Merendam*. An putas istorum quodlibet præteriri à Papistis in Jejuniis suis? Nihil minùs: nam primò, Jentaculum matutinum non solvit Jejunium, si causa fuerit; dein, ex consuetudine est Prandium; rursus, & dividi potest Prandium, & pars ejus in Merendam servari; ad-

Ser. 60. de Tempore.

Less. l. 4. de Just. c. 2. Dub. 2.

huc & vinum bibere licet quoties pro arbitrio placuerit, & ante potum vini frustulum panis sumere, nè stomacho noceat, dicente Azorio; ad extremum, sola cœna non permittitur sub vesperam; sed pro cœna *collationem* habent, ut loquuntur, & qualem? ejusmodi in qua sunt placentæ, aromata, confectiones, electuaria, nuces, dactyli, ficus, poma, pyra, & quicquid uspiam est in deliciis; & in istarum titillationum plenitudine prætendunt se veteris Ecclesiæ Constitutiones de Jejuniis servare. Revera quod de Philosophis Clem. Alex. Strom. 6. 2. dixit, *Philosophiam eos tenuisse* οὐκ εἰς τὴν γνώμην, ἀλλ' εἰς τὴν γλῶσσαν, in Pontificios meljùs quadrabit, Magnos eos fore jejunatores, sed quantum ad loquelam, non quantum ad disciplinam; namque in verbis prædicant, in factis negant, dum seipsos Jentaculis, Prandiis, Merendis, Vespernis probè munitos reddunt, eámque comedendi copiam in Jejuniis largiuntur quam homo temperans vix extra Jejunium sibi arriperet. Hæc aberratio secunda, à Proprietate secunda, de Numero refectionum.

Proprietas tertia in cibi Quantitate consistit, quia lex est jejunii altera, Ut omnino nulla cibatio intercurrat, inclusivè loquendo, sub quacunque proportionis mensura. In promptu est ratio, Eò quòd in lineâ rectâ non Temperantiæ subalternatur Jejunium, sed Abstinentiæ, & ad Abstinentiam primarium respectum habet, secundarium ad Temperantiam. Quòd si in Temperantia sola situm esset, sequeretur, violari non posse nisi excessu aliquo; quia verò ab Abstinentia pendet, quæ refectionem quamcunque, vel minimam, excludit, necesse est ut in quocunque gradu læsæ Abstinentiæ vim aliquam patiatur, tametsi in cibo mediocritas servetur. Est quidem violatio major intemperantium, sed prima & propriissima non abstinentium. Quod ad cibos prohibitos spectat, largiuntur hoc Papistæ, quantulamcunq; portionem, si sumatur, Jejunium solvere: Ergò & de non prohibitis est concludendum, quoniam in universum omnes cibi sub prohibitione sunt durante Jejunio. Hinc tertia παρδιόρθωσις, Quòd ad solam ciborum Qualitatem Jejunia sua restringunt, Quantitatis nullâ cautelâ interpositâ. Communis est omnium sententia, *Jejunium non solvi ex Quanto, sed ex Quali.* Ex ea nata sunt illa Axiomatum portenta, *Excessus cibi non tollit Jejunium quoad meritum*; est determinatio Lessii, lib. 4. de Inst. cap. 2. Dub. 2. *Quamvis aliquis multùm excedat, non ob id solvit Jejunium, etsi peccet contra sobrietatem*: ac si permanere possit Jejunium intemeratum, sobrietatis regulâ excussâ. Nec non & illud Fumi in Armilla, de verbo *Jejunium*, Num. 12. *Facientes collationem grossam secundum consuetudinem Romanæ Curiæ non frangunt Jejunium*: ac si in more positùm erat Romanæ Curiæ intemperantiæ patrocinium. Neque hîc tamen se sistunt, paulò altiùs Alensis progreditur; *Majus*, inquit, *peccatum est tempore Jejunii comedere unum morsellum Carnis, quàm de Piscibus plurimum.* Quo quidem nescio an quicquam sit magis horrendum, si Christum audiamus, maledictionis eos fulmine percutientem qui culicem excolant, camelum deglutiunt; & casei aut carnis frusto jejunium solvi contendunt, aliorum ciborum ingluvie nequaquam. Nec est quòd quis festinanter ab eo dictum putet, velut currentis calami lapsum: Doctores enim cæteri cum plausu excipiunt; inprimis Reginaldus, lib. 4. cap. 14. *Si quis*, inquit, *cibariis aut condimentis sic ventrem repleat, ut carnis afflictionem sentiat, imò ut libidinem excitet, eo ipso non frangit Jejunium Ecclesiasticum: quia hoc non aliter frangitur quàm agendo contra id quod Ecclesia statuit; Ecclesia autem nil aliud de Jejunio statuit, quàm ut semel in die certâ horâ comedatur, & à quibusdam cibis abstineatur.* Hem novam Theologiam,

Tolet. De instr. l. 6. c. 2.

Theologiam, sed à Salvatore priùs præfiguratam, quòd irritum facturi essent mandatum Dei propter traditionem suam; ut curâ nullâ, nullâ conscientiâ teneantur eorum quæ de Jejunio Scriptura Sacra præscribit, erga nugas hominum maximâ. Verùm superstitionum Magistris largienda est hæc linguæ licentia, qui in rebus aliis ab ea non magis distant. De Sacerdotum Conjugio tritum est quod prædicant, *Peccare graviùs sacerdotem* (verba sunt Costeri) *si matrimonium contrahat, quàm si fornicetur*; vel Aventini verbis, lib. 5. *In una uxore graviùs quàm in sexcentis mulierculis.* Certè non miror si pro Cœlibatu suo his armis militent, qui ad Jejunii sui patrocinium pauxillo carnis ex piscibus crapulam arbitrantur esse præferendam. Quod S. Augustinus in casu non absimili, *Nemo sic Jejunium intelligit, nisi qui non intelligit.* Ubi nunc est illa Salmeronis parsimonia? quæ si in definitione Jejunii ritè collocetur, ad quantitatis respectum strictiùs alligat quàm ad qualitatis; nam Parsimonia est quanti subtractio. Non sic Ecclesia Græca, cujus esse sententiam Alensis scribit, *Melius esse in die Jejunii pluries, & qualibet vice panem, comedere quàm semel in die cum repletione.* Non sic Sancti Patres, qui indignum Conviviis cibi excessum putârunt, nedum Jejuniis. *Non laudatur in illo Jejunium qui ad luxuriosam cœnam servat ventrem suum*, inquit August. in Ps. 43. *Spernitur ejus Jejunium qui in vespere ciborum satietate reficitur*, Isidorus. Quid putas dixissent si Summistas, Casuistas, Scholasticos perlegissent? Ædepol quod in re simili ad Nepotianum Hieronymus, *Proh pudor! non erubescimus istiusmodi ineptiis, nec tædet superstitionis, quæ Epicurismus magis est dicenda quàm Jejunium.* Audiamus igitur S. Prosperum, lib. 2. de Vita contempl. cap. 22. *Abstinentes viri*, inquit, *nec delitiosi solent esse nec avidi; neque solùm à qualitate, sed etiam à quantitate ciborum cupiunt abstinere; curántque ut tam à cupiditate pretiosorum ciborum, quàm à nimia perceptione vilium se contineant; nolúntque aut cibis lautioribus dissolvi, aut distentione ventris onerari.* Neque id injuriâ dictum, quia nullum est cibi genus quod carnis dominium non fovet, si liberè & ad satietatem sumatur. Quod Pontificiis in mentem non venit, qui nullo cibi non prohibiti excessu Jejunium frangi contendunt, tametsi quis plurimum voraverit. Hæc aberratio tertia, à Proprietate tertia, respectu Quantitatis.

De Cœlibat. cap. 17. Prop. 9.

Proprietas ultima à Delectu ciborum est petenda, quia Jejunii lex est omnium antiquissima, Ut ab omni ciborum genere abstineatur, & non minùs à poculentis quàm ab esculentis, etiamsi sint viliora & vulgaria; multò magis si pretiosa. Documento est nobis Moses, Deut. 9. 9. panem non comedens, neque aquam bibens: neque miraculum est in specie, sed in tempore. Documento Ninivitæ, Jon. 3. 7. *Non edant quicquam, neque bibant, non vinum, imò nec aquam.* Papistis hæc curæ non sunt, quibus vini proclivior usus est in Jejuniis quàm Ninivitis vulgaris elementi: nimirum metuunt nè aut Judaismum Jejunia sua saperent, si Mosen; aut Gentilismum, si Ninivitas sequerentur. Propterea Jejunii essentiam non in abstinentia à potu constituunt, sed à cibis; nec à cibis omnibus, sed à carnibus, ovis & lacticiniis: adeóque pro vera Abstinentia ciborum delectum obtrudunt, ut tam longè possint à nomine recedere quàm à re ipsa. A nomine dico, quia vel ipsum Jejunii nomen cibationi repugnat: neque enim est Jejunium cibum sumere, sed cibum non sumere; nec eligere aliqua, sed repudiare universa. Non quasi nos adeò insensati simus, ut ciborum omnem delectum improbemus in quocunque casu, sive sit sanitatis conservandæ, sive ex naturali antipathia, sive solius arbitrii & placiti, sive authoritatis

authoritatis publicæ, imò nec aliquando si ad religionem habeatur respectus. Novimus dixisse S. Paulum, Se carnibus vesci nolle, si esca facit ut frater in offensionem ducatur: novimus Prophetas frugi fuisse homines, pauloque duriùs victitâsse; locustas Baptistæ non nescimus, nec panem subcinericium Eliæ, nec legumina Danielis: at verò ad Jejunia hæc pertinere Scripturis edocti pernegamus. Esto illud verissimum, quod de S. Petro Nazianzenus, in Or. De Amore pauperum, prædicat, Eum lupinis vesci solitum; & quod de S. Matthæo Clem. Alex. Pæd. lib. 2. cap. 5. Eum oleribus & baccis & seminibus victitâsse, non carnibus. Sexcenta ejusmodi proferant, pro delectu in Jejunio nil faciunt, sed frugalitatis tantùm & temperantiæ sunt exempla; docéntque à lautitiis & gulositate etiam extra Jejunium temperandum esse, non ex delectu Jejunia metienda. Non igitur hoc quæritur, An legitimè possit ejusmodi delectus aut imperari aut observari: sed an cum hoc delectu Jejunii vera ratio consistere possit. Duo igitur sunt quæ contra ipsos hac in causa intorquemus. Primum est, Hunc ciborum Delectum non pertinere ad rationem Jejunii, neque esse legitimum Jejunium abstinere à quodam ciborum genere, & reliquis indulgere, sed ab omni cibo. Alterum, Quòd pessimus omnium est Delectus quem ipsi faciunt; quia si carnes & seminata ex carne prohibent, at ea permittunt & probant quæ Jejunii pietas magìs nauseat, olera, legumina, fructus, pisces, vinum, oleum, confectiones, electuaria, aromata, &

—— Quicquid luxus inani
Lucanus. *Ambitione furens toto quæsivit in orbe.*

De praxi & usu non litigo, quanti coquorum artes sibi contrahant, quâ diligentiâ hortorum culturam perturbent & aromatariorum officinas perscrutentur, quanto cum sumptu & discrimine, non in piscinas aut flumina, sed in ipsum maris profundum penetrant, ut Conchylia ex ignoto Oceano eruant, & murenas Siculi freti, & Mæandri anguillas, & Abydena ostrea, quæ ambitiosam popinam instruant, & dissoluto stomacho gulæque fastidienti satisfaciant. Hæc ego non urgeo, quia à suis hoc actum est, à Peresio, & Lindano in l. 3. Panopl. c. 11. & ante ipsos à Sarisburiensi, in Polycratico, l. 7. cap. 2. & ante eum à S. Bernardo, in Ep. ad Gulielmum. Monachorum Jejunia authores isti depingunt, quòd vini copiâ natent, & piscium varietate carnium delicias superent, nec umbram Jejunii habent, sed corpus Epicurismi. Hæc ego mitto quæ faciunt, ad ea me verto quæ dictitant, *Deliciosa Jejunium non solvere; Irritamenta gulæ non repugnare Jejunio, sed meritum ejus diminuere; Non tanti esse à delicatis abstinere, quàm à prohibitis; Electuaria & ejusmodi, etiam ex sensualitate sumpta, solutionem non efficere;* porrò, *nec vinum ipsum, si sumatur non ut nutriat, sed ut reficiat:* ac si novaculam haberent quâ refectionem à nutritione separarent. *O deliciosi observatores Jejunii, magìs quàm religiosi!* ut olim Augustinus, Ser. 157. de Tempore. Nudam sumptionem cibi τῆς νηστείας ἀπόλυσιν Veteres vocabant: Inter Pontificios nec sumptio, nec excessus, nec ipsa mollities sufficit ad solutionem. Verùm dic, Epicure, si ista non solvant, carnes & lacticinia cur frangant? An quia carnes magìs delectant? Imò de piscibus Altisiodorensis fatetur, l. 3. Tract. 7. c. 5. q. 5. *Sunt multi Pisces æquè vel magìs delicati quàm Carnes:* aut si in se non sint adeò delectabiles, at Apicianis artibus conditi non solùm carnes exæquant, sed superant. Ergò hæc non est legitima ratio.

Alensis. Navar. Enchir. c. 21. num. 31. Tol. l. 6. c. 1. Sylv. Summ. in verbo Jejuniû.

Dic alteram; An quia comestio carnium magìs offuscat mentem, & minùs habilem reddit ad spiritualia exercitia? Agnosco in Clemente ejusmodi aliquid occurrere, in Pædag. l. 2. c. 1. *Quæ*, inquit, *ex carnibus ascendit*

dit exhalatio, θολωδεστέρα οὖσα, ἐπισκοτεῖ τῇ ψυχῇ, *cùm turbidior sit & crassior, offundit animæ tenebras*. Hæc esse non potest ratio, quia ex vino & piscibus vaporum major est copia, majórque mentis obnubilatio. Quid quòd luxuria Veterum magìs à piscibus reprehenditur? piscésque magìs in deliciis fuisse quàm carnes, Myrtilus apud Athenæum docet, l.7. c.1. Quærenda est tertia ratio. Eccum adest, (ut semper ingeniosa gula est) An quia accendant magìs concupiscentiam carnes, carniúmque subtractio magìs idonea sit ad carnem domandam? Ergò de primi seculi hominibus quid sentiunt? Ante Diluvium dicunt carnium esum nullum fuisse. An dicere possint nullas fuisse, aut eas minores, concupiscentias? Nullúsne fuerit Cain, Lamech nullus? nemo qui filias hominum deperierit? Imò ait Spiritus Sanctus, *Omnem carnem corrupisse viam suam*. Sed esto, concedatur, Eos carnibus etiam victitâsse; de vino, & oleo, & leguminibus, & piscibus quid dicturi sunt? Est enim ex mari Veneris ortus, unde pisces hauriuntur; & habere ventositatem legumina omnes nôrunt, quæ irritare possit naturam; flammámq; libidinis non minùs oleo nutriri putant Medici quàm flamma ignis elementaris; atque rem luxuriosam Vinum, post Salomonem S. Paulus affirmat, & Ἀφροδίτης γάλα non minimus Ethnicorum appellat, *Lac Veneris*, eò quòd *Aristoph.* fomentum libidinis sit maximum, calefaciendo corpus, ut fatetur Bellarminus. *Bel. 2. De bonis operibus, c. 9.* Porrò & notus est Apuleii locus, *Veneris hortator & armiger Liber*; quia vinum pabulum subministrat, quod nisi auferatur, Venus non subitò frigescit. Sed ista quorsum? Ut ostendatur hanc tertiam legitimam rationem non esse. Alteram exspectemus.

An quia vinum, & pisces, & edulia id genus alia, pœnalia magìs sint & afflictiva corporis, quàm carnes & lacticinia? Quis credat? Pœnalia non sunt, sed voluptuosa; & ad reficiendum atque exhilarandum nata, non ad affligendum. Est novum pœnalitatis genus quod à deliciis sumitur. Ecquis tam cæcus qui non videt non vitis sanguinem Jejunio convenire, sed vitis lacrymas; nec sapores aromatum, sed volutabrum pulveris? Fuisse in usu veteribus ξηροφαγίας non diffiteor: verùm non ad Jejunii ritum pertinebant, sed ad consuetudinem victûs; neque ad Abstinentiam, sed ad Temperantiam. Nec obstat quòd his se cibis addixerunt tempore Quadragesimali, quia non in Jejunio sumebant eos, sed cùm solvebant Jejunium: nimirum exacto Jejunio siccorum esu reficiebant corpus, in ipso Jejunio nihil edebant. Præstitisse se magnum aliquid putant Adversarii, cùm ex ultima antiquitate testimonia congerunt, ut carnibus abstinuisse Christianos veteres jejunantes commonstrent: attamen spe suâ decidunt, quia sunt ea omnia ἀπροσδιόνυσα, nihil, quod dicitur, ad rhombum, nihil ad Bacchum; non enim à carnibus solis abstinuerunt Veteres, sed *à carnibus & vino*, ut inquit Cyrillus; *Cat. 4.* *à carnibus et aliis ejusdem generis*, ut Theodoretus; *Ep. Div. Decret.* non solùm à carnibus & vino, sed *à quibusdam terræ fructibus, et ab iis omnibus qui ventris gutturísq; provocant appetitum*, ut Augustinus; *De Moribus Eccles. c. 32, 33.* non solùm à vino, sed *ab uvidioribus pomis, nè quid vinositatis non modò non biberent, sed nè ederent quidem*, ut Tertullianus De Jejun. c.1. postremò, non solùm à carnibus, sed *à vino, et liquamine, et piscibus, et melle, et reliquis quæ gustui suavia sunt*, ut Hieronymus. *Ep. 27.* Et hoc illud est quod fecisse S. Danielem legimus, cap. 10. cùm trium hebdomadarum spatio non panem desiderabilem se sumpsisse profitetur, nec carnem, nec vinum. Potest hæc praxis cum jejunio consistere: quia enim tribus hebdomadis jejunavit, hoc est, prolixiùs quàm ferre natura potest, nullo prorsus cibo sumpto; itaque necesse habuit singulis diebus comedere aliquid, erâtque nihilominus 28 dierum jejunium intercisum, sive *portionale*, ut Tertullianus loquitur. Fecerunt hoc è Veteribus alii; idipsum

nos

nos nunc faciendum docemus; hoc ipsi, quando res postulat, fecimus; hoc si facerent Pontificii, non haberent accusatores. At verò illi prorsus contrá. A vino Daniel abstinuit; apud illos vinum est in nulla Abstinentiæ parte: abstinuit Daniel non modò à carnibus, sed ab omni *pane desiderabili,* id est, ab omnibus lautitiis, etiam tunc cùm cibum sumeret; illi si carnibus abstinent, piscibus indulgent, nec ξηροφαγίας sed ὀψοφαγίας ambiunt, neque ullas fugiunt dulcium eduliorum lautitias, ut non Deo jejunare, sed ventri litare videantur. O miram laudem Abstinentiæ! O miram disciplinæ severitatem! O castigationem corporis præclaram! O expetenda Epicuro Jejunia, pisces optimi, condimenta lautissima, cupediæ plusquam Sybariticæ, præstantissimum vinum, & quantitas indeterminata! *Si hoc non existimas verum, aspice culinas eorum,* ut scitè Seneca; si non culinas, libros: nihil enim profero non scriptum. Liceat igitur mihi eos sic alloqui, ut S. Prosper sui temporis non absimiles homunciones. Quamvìs, ut olim Cato, *difficile est ad ventrem loqui auribus carentem*; at alloquar tamen. Si à quadrupedibus abstinentes pretiosis piscibus perfruimini, non mihi videmini resecare delicias, sed mutare; communes ac viles carnes abjiciendo, quò possitis aliis ac delicatioribus voluptates vestras explere. Num famam Abstinentiæ quæritis in deliciis, & Jejunii gloriam à carnibus temperando, ut peregrinis pomis ac sorbitiunculis delicatis ac aliis ejusmodi immanem vestri corporis impleatis appetitum? Dicite, quid prodest jejunandi tempora custodire, & legem non tenere Jejunii? Quadragesimalia loqui, & Bacchanalia vivere? Jejunium in chartis jactare, in gestis crapulam? Siccine exprimitur Jejunium publicum per publicum dedecus? Hæccine afflictionis diem decent, quæ alios non decent? Malorum licentia pietas erit, occasio luxuriæ religio deputabitur? Dicite, inquam, inter Jejunium & Convivium quanta sit distantia, inter abstinentiam & saturitatem, inter ventrem vacuum & refertum, inter rubentes vino genas & ora pallentia, inter corpus exile & membra crapulâ dissoluta, inter oppressum epulis sensum & inediæ tenuitate vigilantem. Nam si ciborum delectum excipiatis, nil habent vestra Jejunia quo à communi & usitata diæta differant, nisi hoc solum, quòd famem, quæ exiguo possit sedari, magno irritatis; & Libertatem, quæ impunè capi possit, pietatis prætextu & Jejunii corruptelâ dehonestatis.

in Vita contem. l. 2. c. 23.

Hier. ad Nepot.

Max. Tau. Hom. 3. de Quadrag.

Aug. Ser. 4. de Quadr. & in Ps. 43.

Ad nos ipsos quod spectat, Auditores, quia ad Jejunia & lacrymas hujus temporis calamitates nos vocant, ex tot Papistarum aberrationibus hoc saltem capiamus commodi, ut discamus ipsi Jejunia vera servare, & veras lacrymas fundere, & veram agere pœnitentiam. Mihi interea ignoscite, si hæc tractavi fusiùs solito: de industria id feci, quia hæret in ultimis calamus. In animo erat in duas præsentiæ vices has velitationes divisisse: sed quia tempestas est torrida, & corona ampla, & parietes angusti, & concursus vester plenus discriminis, consultius esse arbitror in his finem imponere huic provinciæ, & prælectiones in preces vertere, ut effundere velit misericordiarum dulcissimus pater in terram fertilitatem, in corpora sanitatem, in animos gratiam; quò discedere hinc possitis pleni benedictione, & rursus convenire pleni consolationum, cùm Deus permiserit.

ORATIO

ORATIO
habita ab eodem
RICH. HOLDSWORTHO
in Vesperiis Comitiorum, apud *Cantabrigienses*, &c.

PRælibatis jam tandem primitiis, votisque cui soli debentur pro felici hujus operis exitu, ut par est, nuncupatis; nunc me & gratæ mentis impetus concitat, & hospitii etiam sacramentum obstringit, ut ad vos quàm ocyssimè convertam, Sacrarum literarum Mystæ, omniúmque ordinum viri clarissimi, qui in hoc Athenæo nostro mihi obversamini, Corona lectissima. Vobis Chamenses Musæ salutis votivæ honorificentiam studiosiùs impertiunt; vobis tota Academia voce unâ ac mentè vehementer gratulatur, atque certatim cum præconiis ac festis vocibus benignitatem vestram celebrat, quòd antiquam hanc Musarum domum, in hoc præsertim casu quo afflicta jacet, invisere voluistis, & Comitiale hoc triduum præsentiâ vestrâ cohonestare. Hujus humanitatis vestræ obtestamur nè nos iniquos putetis æstimatores, si fortasse non eam lætitiam aut exsultationem quam assuevimus in vobis excipiendis ostentemus; si non ornatum aut splendorem pristinum, non cultum & apparatum superiorum temporum, non sumptum, aut magnificentiam quæ vestræ exspectationi respondeat. Nam prætequam quòd res severa est gaudium Academicum, is nunc est infelicis hujus anguli status, tam dubia, aut potiùs desperata, rei Literariæ conditio, fortuna Ecclesiæ tam in præcipiti, ut exsultationibus aut gaudio aut gratulationibus vix ullus relinquatur locus, sed solis mugitibus & querimoniis. Hæc nostra sunt hodiernæ Solennitatis decora & ornamenta, hæc anni præsentis pullata & misera supellex, hæc sola quæ superest moribundis Musis cygnea facundia, non ad festivum gaudium, sed ad festinam mœstitiam comparata. Quæ singula si à consessu vestro aliena videantur, at mihi cum officii mei instituto sunt conjunctissima.

Cùm enim totus hic annus maligni sideris nubilo sit adeò perfusus, ut qui ad fluctuantis naviculæ proram infeliciter constitutus sim, non possim vobis de lætis & prosperis Academiæ rationem reddere: æquissimum est, imò verò necessarium, ut saltem de ipsius deploratis atque ærumnosis apud vos parumper agerem; quantumvìs sit argumentum triste & acerbum, & ejusmodi concinnitates aut limatas dicendi rationes non admittat, sed acres anhelitus, & robustos singultus, & voces imperfectas, quæ adumbrare magìs possunt quàm eloqui incredibilem Academiæ ægritudinem, non modò de suis, sed de Ecclesiæ infortuniis.

Vos interea favete, Senatores honoratissimi, qui Sapientiâ & Authoritate vestrâ gubernatis rempublicam: non mihi est animus aut vobis aut consiliis vestris, nè ex obliquo quidem, notam vel levissimam inurere; potestatem nos vestram etiam à longinquo positi venerabundi suspicimus, ultróque ei subjicimus cervices nostras, eámque ponimus in benedictionibus: calamitates duntaxat nostras deflemus, quod semper concessum est miseris, ut

poſt in caſſum miſſas ſupplices literas, ſaltem gemitus Academiæ & ſuſpiria ad aures veſtras benevolas perveniant, in quibus ſolis ſpes Eccleſiæ maxima, ſed ultima, conſtituitur.

Erat apud nos ad hoc uſque temporis non ſolùm tranquilla & placida, ſed ſplendida & magnifica Religionis conditio. Hoc nobis ſupra finitimas Eccleſias Reformatio prima præſtitit: non ipſa à tumultu populi quemadmodum reliquæ ſua duxit exordia, non ſicut reliquæ mancum aut mutilum ſancivit Sacerdotium, non volaticam aliquam aut novellam diſciplinam excogitavit; ſed quam indubitanter noverat ſeculorum omnium tractu ſtabilitam, Synodis multis comprobatam, ab antiquis Patribus deſcriptam, & à ſtirpe Apoſtolica oriundam, hanc temporum vitio corruptam puritati primæ reſtituit, reſtitutam retinuit, retentam nobis ingratis poſteris obſervandam reliquit.

Sub hac tam altas egit radices Eccleſia noſtra, tam uberes Pietatis fructus edidit, ad eam maturitatem adolevit, tam inſperatâ pace & tranquillitate perfruebatur, ut cùm in aliis terrarum partibus vehementer afflicta eſſet Pietas, lætam & Halcyoniam in Anglia florere omnes agnóverint. Non tunc honores ſuos aut authoritatem Epiſcopis, non minoribus Prælatis dignitates, non Academicis ſua Minervalia, non Miniſtris Decimas, non Templis honeſtum decorem atque ornatum, non Officiis Divinis ſuas formulas, non ſacris Conventibus ritus ſuos, utpote innocuos, eóſque pauciſſimos, populus invidebat, nedum trahebat in contumeliam; ſed magìs in pretio & veneratione habuit, atque etiamnum habuiſſet, *niſi* quòd nuper, & quid dico nuper? imo modò & paulò antè, audaculorum quorundam arrogantia eouſque extumuit, ut & movere terminos, & exoletos quoſdam miſcere ritus atque ſuſpectos geſtus introducere non pertimeſcerent. Tunc primùm gravamen ſentire, tunc ſub onere premi, tunc in ſenſus contrarios & mentem abalienatam deduci homines inſenſi cœperunt, tunc locum quærere quo poſſint & obſequii jugum rumpere, & reſcindere nervos receptæ Diſciplinæ, & Eccleſiæ dignitates, privilegia, proventus demoliri, omnia ſecum rapere, & in licentiam irrumpere quidvis perpetrandi.

Hæret animus, neque enim memorare delectat quas contumelias, quæ convitia, quas ſordes congerunt, eáſque arreptas è triviis & ſcurrarum frequentia, in Diſciplinam, in Preces publicas, in Evangelii Miniſtros, in Reverendos Epiſcopos, in ipſum Epiſcopalem ordinem, imò in Eccleſiam ipſam, tot nominibus celebrem; in Religionis Reformationem, velut imperfectam, corruptam, Papiſmi fæcibus maculatam, novâque reformatione & expolitione indigentem.

Exiſtimavi ego, homo rerum imperitus, Reformationem quam dicimus Religionis Divinâ providentiâ in ea tempora hominéſque incidiſſe, qui poſt Mariæ quinquennium perſequutionis flammâ erepti, infeſto adverſus Pontificios odio ferebantur: vixdum ſanctorum Martyrum ſanguis exaruerat, vix erant à ferro & vinculis Confeſſorum cohortes laxatæ, vix redierant qui ſe patriâ fortuniſque omnibus Religionis causâ exuiſſent, vix à ſanctorum oculis abſterſæ erant lacrymæ quas in cineres Martyrum effuderant, cùm primùm de reformatione Fidei, de Religionis reſtauratione conſultabant. An quiſquam eſt adeò delirus ut cenſeat, calente adhuc Martyrum ſanguine, flagrante Papiſmi odio, & injuriarum recentiſſimarum memoriâ, potuiſſe hos ſummos viros tam ſolutè ac negligenter ad tam magno pretio redemptam Reformationem ſe accingere, ut iſtius Superſtitionis reliquias ullas retinerent, quam vinculis, exſiliis & ſanguine expiâſſent?

Hæccine eſt noſtra pietas adverſus reciperatæ Religionis athletas? Hæc eis

eis marmora pro victoriis reponimus? Has resolvimus grates pro præliis & agonibus? post tam longa temporum intervalla, eos ad martyria nova famæ nominisque, ad novos carceres, ad nova exsilia evocare, totámque quam ipsi exstruxerant compagem diruere sub ficto Papismi paroxysmo? Quid ergò est quod in novissimo die supremo Judici respondebimus, qui nobis felicissimæ Reformationis usuram tam diuturnam concredidit? quid Papistarum sarcasmis, qui damnatam à nobis, non Superstitionem suam, sed Reformationem nostram exprobrabunt? quid multorum viventium clamoribus, qui culpâ vacant, nec vel tantillùm à receptis exorbitârunt? Fuisse nonnullos πολυπραγμονες, effrænatæ audaciæ & vitæ dissolutæ homulos, non diffitemur: at illud tamen deprecamur, nè delinquentium merita in immerentes, aut paucorum in universos transferantur. Alioqui si justus cum impio pereat, & peccata aliquorum totius ordinis ruinis coerceantur, & ipsis morbis medicina erit funestior, dum violatæ Religionis pœna in ipsos ruit Religionis propugnatores. Ergò ubi erit Pietatis honos? aut quod asylum patebit Innocentiæ? aut homo homini quid præstabit? aut qualis erit hæc sive morum sive temporum emendatio, quæ integra abscindit cum inquinatis, & cum vitiosis sarmentis lætissimos palmites, & cum nullius usûs palea optimum ejicit frumentum, & cum humoribus noxiis purissimum effundit sanguinem, atque cum vitiis ipsis præmia tollit & subsidia virtutis?

Certè quidem si hæc sit sors Pietatis, ad ipsius exsequias nosmet paremus, Academici; per flumina Chami illic sedebimus, & lacrymemur dum recordemur tui, Sion; in salicibus suspendemus organa nostra, & longum valere nunc primùm literis meditemur. Valete, solennia & celebritates; valete, studiosorum certamina, & honestæ velitationes, & fulgor purpuræ, & togæ decus, & fasces, & insignia, & ingenium, & cultior literatura, & libri, & studium, & ordo, & disciplina, & pia majorum instituta, & quæ diu in Anglia Religio floruisti: in duodecima hora sumus & Musarum & Gratiarum.

Sed me revoco, eóque libentiùs, ut ad benignitatis vestræ suffugium properemus, venerandi Antistites. O clarissima lumina supremi senatûs, qui in illo celeberrimo Pananglio sub Principum optimo reipublicæ clavum tenetis! Non vestram Prudentiam præterit quod omnium seculorum consensu est roboratum, non solùm Ecclesiæ seminaria Academias fore, sed totius Regni oculos; nec Prophetarum tantùm domus, sed fontes etiam civilis societatis, qui utrumque salutaribus aquis irrorant, & nobilissima ingenia præparant ad omnem vitæ gubernationem; ut si quos habeant Principum Aulæ viros cordatos, si quos Fori tribunalia viros eruditos, si quos Urbium & civitatum subsellia viros prudentes, si quos status Ecclesiasticus fidei pugiles aut fideles Concionatores, ex Academiis ii singuli in omnes Regni partes transferuntur: adeò ut si quid sit singulare Academiarum damnum, id pro totius Regni communi incommodo necessariò habeatur.

Non vobis est incognitum quàm gravissimis de causis summi & piissimi Principes amplissimis dotârunt hæc Ascetaria privilegiis: si quæ erant privilegia Civium, si quæ Militum, si quæ Peregrinorum aut Pauperum, si quæ Ecclesiarum aut Clericorum, vel etiam *piæ causæ*, ut Juridici loquuntur, ea omnia in Academiæ sinu deposuerunt; idque ob reverentiam studiorum & bonum publicum, quia non unius loci ea esse privilegia, sed totius quasi mundi immunitates reputabant. Non vobis exponimus Alphonsi Regis pietatem erga Ciceronis villam cùm Cajetam oppugnaret, neque Alexandri magni erga ædes Pindari cùm Thebas, quibus hoc inscribi psephisma jussit, *Pindari poetæ tectum nè comburite.* Minuta sunt hæc ad ea quæ possunt recitari;

tari; ſiquidem non nunc de Pindari ædibus aut villa Ciceronis agitur, verùm de Muſarum ſacrariis, Academiis, quæ ut Regnorum ſunt ſuſtentacula, ità ipſorum Regum & matres & filiæ. Vix enim ullus erat magni nominis Imperator cui ipſarum cura non erat antiquiſſima, in tantum ut earum alumnos *Filios Imperatoris* Jus civile appellet; in tantum ut illuſtriſſimi ſanguinis Principes acceptas à majoribus imagines, dignitates, titulos, Literarum gloriæ & laureis Academicis ſubmiſerunt.

Quid dicam de præmiis & honorariis, quæ & calcaria ſunt virtutis & ſtudiorum vehicula, ſine quibus non magìs ad altum aliquod faſtigium adſcendere Eruditio poteſt, quàm volucres abſque alarum remigio? Quod ſi hæc præſidia auferantur, O Muſæ, O Facundia, O Virtutes, O omnes Diſciplinæ, quanta ſtudiorum ruina, quæ jactura Eruditionis, quàm triſtis Eccleſiæ vaſtitas ſequetur? Vel unicus iſte Imperatorum callidiſſimus Apoſtata Julianus docere poteſt, qui non modò in Eccleſias, ſed in Gymnaſia & Academias ſæviebat; non hoc literarum odio, quarum ipſe erat amantiſſimus, ſed quia hoc probè noverat homo ingenioſus ad crimina, brevì defuturos qui argutiis Philoſophorum occurrerent, ſi reprimerentur Academiæ, quæ non tam ſibiipſis aut concipiunt aut pariunt quàm Eccleſiæ uſibus, ut ad Jacobum Rachel de ancilla, *Pariet illa ſuper genua mea.* Sic te intuemur, diva Parens, ut uterum Eccleſiæ, ut Davidis turrim, ut fontem Iſraelis. Tu ſola præbes ſagittas & armaturam fortium, quibus Hæreticorum tela propulſantur; tu aquas illas mellifluas quæ civitatem Dei lætificant, quibus interclusis & infæcunda erit Eccleſia, & Religio inermis, propugnatoribus ſuis deſtituta.

Hócne gratìs dictum putetis, Auditores? Replicate mecum memoriam temporum, & tum demum dicite, ex qua alia prodierunt omnes illi præſidiarii milites, invicti anteſignani, qui ſuſceperunt in ſe patrocinium Veritatis, niſi ex hac Davidis turre, ex hoc lectulo Salomonis, cui nomen majores noſtri dixere Academiam. Baſilius ille magnus unde, & Gregorius Theologus, & orationis aureum flumen Chryſoſtomus, & Malchion qui contra Paulum Samoſatenſem publicè privatímque diſſeruit, & hæreſes illius detexit? ex Antiochena Academia. Origenes unde, & alter Dionyſius, & Clemens, & Athenodorus, & Didymus, & Athanaſius? ex Alexandrina Academia. Noſtrates quid repetam? Tindallum, Becanum, Juellum, Foxum, Humfredum, Nowellum, Raynoldum, utrumque Abbottum: hos omnes alióſque non paucos ſancta Soror peperit, utcunque hoc præſenti anno malorum mole perterrita abortiat Oxonienſis Academia. De noſtris infinitum eſt dicere, támque propè ſunt, ut mihi vos prærepturos nomina videam ſi recenſerem, Cranmerum, Ridlæum, Latimerum, Bradfordum, Balæum, Parkerum, Grindallum, Babingtonum, Whitgiſtum, Whitakerum, Perkinſium, Overallum, Andreſium, Feltonum, Davenantium, cœleſtes animas, quæ Fidei noſtræ cauſam ſtudioſè defenſitârunt, Pontificiorum vires fregerunt, omnes Academici, plerique Epiſcopi: atque nos, ingrata poſteritas, in ordinem Epiſcopalem, in Academias involamus, perinde ac ſi in propria viſcera mucrones ſtringeremus.

O rem miſeram, & nullis lacrymis ſatìs deplorandam! Sic olim Græci barbaris victis in ſe invicem pugnando funditus perierunt: quod ipſum Ageſilai vocem ad ſuos de Corinthiis elicuit, *Si eos extinguere conemur qui nobiſcum adverſus barbaros ſteterunt, vel ipſi barbari ſociis ſubverſis nos nullo negotio oppriment.* Quæ igitur hæc noſtra eſt conditio, Auditores, qui poſt partis Pontificiæ inclinationem, quaſi plena victoria jam eſſet parta, temperare nobis non poſſumus quin nos ipſos debilitemus? Atqui verendum eſt nè quod de illis inter ſe colliſis dixit Ariſtophanes, id nobis contingat, &

utriſque

utrisq; nostrûm exitio simus. ***Sed tu si saperes***, inquit ad Minutium collegam, sed inimicum & æmulum, Fabius Maximus, ***Tu si saperes, Minuti, bellum tibi non cum Fabio sed cum Hannibale gerendum esse animadverteres.*** O si nos vel serò intelligere velimus, non cum fratribus nostris, sed cum Romanensibus signa esse conferenda! Sin minùs, quæ alia Catastrophe est pertimescenda nisi ipsa quæ subsequi solet dissidia intestina, quam mens perhorrescit dicere?

Postremò, nil vobis de, imò nunc nil ampliùs vobis, nisi ut dignemini ab isto sublimi culmine contemptas Musas intueri. En pedibus vestris sese supplices advolvunt utraq; Mater, ut inclinatæ & Academiæ & Ecclesiæ præsidium feratis, ut quasi vere novo capita emortua vicissim erigant, & felicitatem pristinam resumant. Quod si feceritis, nos pietatem vestram in Musarum membranis insculpemus, marmoreis statuis & colossis omnibus atque Mausolæis durabilioribus.

Et nos quoque, Academici, manum operi admoveamus; hoc agamus singuli, ut famæ & nomini hujus tam florentis Academiæ & vita & studia nostra respondeant: nè nobis & videntibus & promoventibus gloria tanti nominis defluat. Nos hactenus, quod de Cleopatra dictum, ***dulci fortunâ ebrii***, felicitatem nostram nec concoquere poteramus, nec uti. Nunc saltem expedit ut collapsos mores ad normam priscæ virtutis instauremus, quò possit, evulsâ loligine, felix illa rectissimorum studiorum planta se proferre. Sic si post hos timores tu, Parens antiqua, resurgas & vires recipias; tum postliminio tuo omnes gratulabimur, novámque felicitatem novis auspiciis prosequemur.

F I N I S.

INDEX Rerum & Verborum quæ in hoc Opere continentur.

A*Bba Pater*, quare duplicato vocabulo, pag. 578. ad Abgarum Christi Epistola Apocrypha, 12. Abrogatio Ceremonialium & Judicialium, sed non Moralium, 263.

Abstenti qui, 78.

Abstinentia, primus gradus ascendendi ad Patriam, 630. veterum abstinentia, 731. abstinentia cruciatus, 647. in abstinentia simplici non est justitia, 719.

Abulensis refutatur, 77, 78.

Abusus non præjudicat Religioni, 43. abusus literarum non debet tollere earum usum, 46.

Accommodationis modi quatuor, 681.

Accusationis 4. genera, 571. Innocentes esse debent qui alios accusant, 715.

Acephali qui, 153. cur sic dicti, ib.

Actiones Christi Morales, 481, 490. transcendentes, ib. Mixtæ, 491. Heroicæ & Miraculosæ inimitabiles, 490.

Adami scientia ante lapsum, 232. cognitione triplici eruditus, 233. rectus factus est, 234. in justitia atque sanctitate creatus, ib. in ejus mente Lex primitus insculpta 237. quatuor vulneribus perfossus, 239.

Admirationis natura, 580.

Admonitio quid, 133.

Adulterium Oculorum, 214.

Ætas Sacerdotalis ministerii, 312. ætas matura omnes reliquas continet, 523. ætas triginta annorum est ætas perfecta, 524, 525. omnis ætas non est Christianæ militiæ idonea, ib. ætatis hujus ultimæ vituperium, de ejus in scribendo ignavia, 7. ætates Legis sex, 227. quinque, 251.

Æternum quid, 223, 224. quomodo Lex est æterna, ib. accipitur pro *diuturno*, 225. Æternitas Legis probatur, 286.

Afflictiones quomodo Sanctis eveniunt, 372.

Agens triplex, 278.

Ἄγειν quid significat, 552.

Ἀκοινώνητος, 709.

Alexandri continentia, 62.

Alfonsus Rex Hisp. *Tinea* qualis, 12. Sacrorum Voluminum in lecto studiosus, ib. quæ quaterdecies perlegit cum Glossis & Commentariis, ib.

Alogi, sive *Alogiani*, Hæretici quales, 81. quare sic dicti, 640. eorum objectio contra primum Christi Miraculum diluitur, ib.

Altercationum Theologicarum jura legésque, 100. materia, finis, modus debitus, ib. utilitas, 121, 162.

Amanuenses Prophetarum *Scribæ* dicti, 5. Pauli, 6.

Ambigua verba interdum decipiant, 102. ambiguitatis inter Patres causæ, 363. ambigua testimonia rectè impugnantur, 364. ambiguitatis periculum, 365. ad infidelitatem inclinat, 379.

Ambrosius quare paulò negligentiùs scripsit, 352. magni pretii fuit apud Augustinum, 422. Theologorum Tullius, ib. excusatur, 661, 662. vix unquam de Jejunio disputat sine aliquo mentis excessu, 682.

Amor timorem foras mittit, 35. amor sceleratus facium & quisquiliarum, 67. amor semper est æquo timidior, 71.

Anacephalæosis mandatorum, 217.

Ἀνάγειν quid significat, 552.

Analogiæ ratio unde ducenda, 467.

Angeli quare facti, 481. non ministrabant cibum Christo tempore Jejunii, 624, 625. eorum variæ ministrandi viæ, ib. Angelorum Religio, 274. charitas erga homines, ib. eorum vinum, ib. angelorum regula & lex, 277. *Angelus* nomen officii, spiritus naturæ, ib. angelorum malorum peccatum primum & secundum, 284. *Angelus de cælo*, quid significat, 409. Angeli boni non possunt errare, 407.

Anglorum in scribendo neglectus hodiernus, 7. exterorum eamobrem in eos opprobria, ib. nec illa refellenda, 8. ad eos ea propter hortamen, ib. gens tota & religio ementita à Bertio, 9.

Animæ morbi medendi potiùs quàm corporis, 21. ejus sanguis quid, 136. ejus somnus in corpore quid, 428.

Animalia erudiunt & enutriunt partus suos, 32. ab iis quid discendum est, ib. juxta exquisitissimam Regulam operantur, 280, 281.

Animus præexercitandus est ad habitus qui verè virum deceant perfectiores, 60.

Annus trigesimus annus perfectionis, 525. ætas legitima, 526.

Ἀντίδικος quis, 573, 575.

Ἀντικείμενος quis, 573, 575.

Antinomorum hæresis damnanda, 151. eorum dogmata, 153, 265. tribus alis sustinetur, 156. Legem rejicit, 159. Antinomi Judæis pejores, 183. veri hostes Legis, 185. eorum origo & prosapia, ib. refutantur, 236. eorum de Lege sub Christo sententia, 258. perstringuntur, 288, 289. eorum κρηπὶς ψεῦδον, ib.

Antiquitatis mensura post Apostolorum tempora, 308. *Antiquitatis* variæ significationes, 447. est vel primitiva, vel succedanea, ib. quid utraque continet, ib. *Antiqua* & *Nova* quæ dicenda, 448. Scriptura sola Antiquitatem primariam continet, 449. Antiquitas succedanea non potest circumscribi, neque respectu seculorum neque hominum, 450. non habet certum fundamentum, ib. quis pro se veram habet antiquitatem, 451. *Antiquum* & *Apostolicum* voces convertibiles, 452. Antiquitas quantum & quale bonum, 153. in antiquitate secundaria non est acquiescendum, 454. est via sine aut certitudine aut termino, ib. ejus definitio, ib. quo sensu Patres eam prædicant, ib. & 455. apud ethnicos in pretio habita, 456. fabulosæ antiquitatis Thrasones perstringuntur, 457. antiquissimum quod optimum & Deo proximum, 458. non tam antiquitas quàm veritas doctrinæ expendenda, ib. antiquitatis præconia, 458, 459.

Apocryphi libri neque pertinent ad Vetus neque Novum Testamentum, 84. plurimi Græcè scripti, duo Chaldaicè, unus Hebraicè, ib. leguntur in Ecclesiis non ad confirmationem dogmatum, sed ad informationem morum, 85. sunt ingenii humani partus, 103. aliqui eorum Autores sunt suppositii & commentitii, 104. non θεόπνευστοι, 105. habent aliquam veritatem, non autoritatem, ib. multa de istis Libris magnificè dicta, 106. quo loco collocandi, 110. Scripturis dignitate proximi, 113. quo sensu & quâ ratione Patres eos vocant nomine Sacræ Scripturæ, 113, 114. egena scripta & mendica, cur, ib. Analphabeti, 117.

Apollinaris quis, 160.

Ἀπολογεῖσθαι quid significat, 697.

Apostoli & Prophetæ, Principes disciplinæ & Christiani dogmatis Duces, 4. quomodo honorè prædicantur, 5. Arietes gregis, summi Pastores, Animarum Medici, 133. Stellæ, Assessores Christi, ib. eorum suffragia pro Lege morali, ib. qui eorum mysteria fidei calamis exarârunt, 193. eorum testimonium est circulus cujus

centrum

centrum est unitas, circumferentia Apostoli, 222. post Apostolos nulla Autoritas simplex & absoluta, 440.
Apparitiones quàm lubricæ & periculosæ, 389.
Appellationes sacerdotibus tributæ, 24. S. Patribus, 305.
Aqua Scriptura cur comparata, 13.
Arbor Scientiæ arbor Sacramentalis, 237. doctor mutus & visibile mnemonicon, 239.
Arcadii Imp. Decretum quale de Scriptis Eunomii, 9.
Arcæ Legis Repositorii Immortalitas, 258.
Archiepisc. Cantuar. ementitus à Bertio, 9.
Architectura Christiana depingitur, 128, 129.
Arii cloaca, 15. ejus Hæresis unde, 42. Ariani hostes Dei, 339.
Aristippi Historia à Dionysio repulsi, 102.
Aristoteles Naturæ Aquila, 53. ejus modestia, 363.
Ars Oculus rationis, 33.
Artes liberales quasi pedissequæ Scientiarum, 34. adjuncta sunt in Dei Cognitione, 51. sitæ sunt ante virtutem, 61. earum vitia cautè excindenda, 68.
Ascensio Christi, ejus Iter novissimum, & quale, 553.
Aspectûs serenitas dat fiduciam, 464.
Assertiones mutuæ Legis & Evang. in Moralibus, 291.
Assyriæ caligo ante Rhadamanthum, 6.
Astomi qui, 642.
Ἀσύστατα, 19, 452.
Athanasius Arianorum malleus, 338. scripsit dubiè, de precibus Angelorum, 360.
Athleta, sive Pugil, Christus, 467.
Auditoris temperamentum dignoscendum est à Concionatore sacro, 135.
Augustini dictum de Varrone, 7. ejus regula de doctrina Christi, 18, 19. ejus dictum de Lumine, 25. Regula ejus de legendo Scripturas, 316. calumniatur, 35. ejus dogmata nonnulla, 362. ejus testimonia de variis veteribus Theologis, 422. ejus dictum de Nicæno Concilio, 424.

B

Baptismi administratio habet aliquam diversitatem, 687.
Baptizare cujus est, 21. ubi exponitur, *Non misit me Christus baptizare*, &c. Baptizati vel ab Hæreticis non rebaptizandi, 371.
Baruch cur *Scriba* dictus, 5. quo sensu *Propheta*, 3. non scripsit librum de suo nomine vocatum, 118.
Basilius *Tinea* qualis, 12. nobilis, & Athenis eruditus, ib. Gregorii Theologi per annos tredecim collega, ib. aliis amotis studiis solis Scripturis dat operam, ib. & 43. scripsit de Gentilium libris cum utilitate legendis, 47. ejus querela, 287. ejus animus in diversa versatus, 363.
Beatitudinis Divinæ præcognitio, Scripturarum lectio, 14. ejus habitaculum, 157. beatorum lex & regula, 277.
Beatitudines Regni in Evangelio & Lege eædem, 292.
Beatorum animæ visione Dei fruuntur ante diem Judicii, 372.
Bernardi dictum, 5. perstringitur potiùs quàm excusatur, 372. doctrinam de Christi officio & gratia liquidiùs intellexit, 450.
Bertius perstringitur, 9. ejus liber De Aggeribus & Pontibus, ib. de Apostasia, ib. Archiep. Cantuariensis ementitur, ib. in Regis titulos sacros involat, ib. Gentem totam & Religionem calumniatur, ib.
Biblia non legentes perstringuntur, 12, 13. sub eorum nomine libri Apocryphi possunt comprehendi, 109.
Blasphemi in Scripturas Pontificii, 14. Blasphemiarum harum nonnullæ notatæ, ib. offendunt hæ magis multò quàm alapæ, ib. non retundendæ, sed increpandæ, 15. Blasphemia veniam non meretur, 301.
Bonitas Infinita, 473.
Bonorum divisio 603. in quibus bonis instinctus Spiritûs Sancti versatur, 604. quomodo itur ad bonum per mala media, 605. quando in malum finem, ib. ad quæ bona suggerunt Diabolus & Caro, ib. bonum etiam ab adversariis hauriendum, 692. *Bonum* & *Malum* quid, 236. In bonis præstat nil agere quàm otiosum esse, 120.
Bovillus vir supra plurimos meritus, 222. scripsit de mathematicis Rosis, ib.
Brentii Somnium, 277.
Brevitas secunda Virtus Oratoria, 10. Oratoris mali facundia, ib.
Britannia perstringitur, 8.
Bullengerus Suppilator egregius, 314.

C

Calamitates ad jejunia & lacrymas vocant, 732.
Calamus, & verbum Patris, Christus, 2. calami effectus miri, 5, 6 calamus triplex, 6. calamo suo prædicant scriptores, 7.
Caligo in Græcia ante Cadmum, 6. in Assyria ante Rhadamanthum, ib. in Phrygia ante Herculem, ib. in Latio ante Carmentam, ib.
In Canone sancto non est prius & posterius dignitate, 85. in Canonem recipiendæ non sunt omnia quæ Prophetis ascribuntur, 117.
Cantici perfecti termini, 133.
Cantuariensis Archiepiscopus ementitus à Bertio, 9.
Carbonarii fides, 383.
Carnis deliria tria de Christi cum Diabolo Monomachia, 470, 471. de tentationibus carnis, 593, 594.
Catechumeni in Paschate regenerandi, 702.
Catena Mundi optima, scriptio, 5.
Cedri natura, 257. *Cedro digna loqui* quid significat, ib.
Celeritas in omni opere cavenda, 611.
Ceremoniæ Legis per *vetera* intelliguntur, 127. Ceremonialium abolitionem & Christus & Apostoli docuerunt, 170.
Certamen Christi cum Diabolo non fuit pugna dubia, 472. sed præclara & illustris, 473. maximopere necessaria, 474. in solatium nostrum, ib. in confirmationem, 475. in disciplinam, ib.
Chaldæorum Magi quales, 5.
Chamierus Scriptorum Polemicorum coryphæus, 336.
Charitas perfecta quomodo adipiscenda, 490. Charitatis opera, 513. Cœnobitarum charitas, ib. Charitatis usus in correptione, 139. est abbreviatio Legis & Prophetarum, 195. Mandatorum principium & compendium perfectissimum, 217. Charitas viæ imperfecta, 269.
Chiliastarum opinio, & quò referenda, 317.
Christianus non est quisquis Evangelium contemnit, 13. Christianitatis γνώρισμα, 199. Christiani interest posse inter officia discernere, 529. Christianorum veterum studia, 710. recentiorum incuria, ib.
Christus quare populum doctutus relictâ domo in navim ascendit, 1. loquitur Miracula, ib. nihil scripsit, 12. ejus Epistola ad Abgarum Apocrypha, ib. quatuor duntaxat scribas selegit, 201. ejus verbum est circulus cujus Centrum est *Ita*, Circumferentia, *Etiam*, 222. una ejus anceps locutio, 365. Christi nativitatis non obscura vestigia, 1. sermones ejus quales, ib. Christus Mercator bonus, ib. Piscator cœlestis, ib. Dux spiritualis, ib. Gubernator Militantis Ecclesiæ, ib. Calamus & Verbum Patris, 2. Dominus Dominantium, ib. Penarius sapientiæ, ib. Oeconomus veritatis, ib. Primus & Novissimus, ib. Pastor pastorum, 17. ab illo solo petenda regula regularum, ib. discipulorum infirmitati indulgens novis vetera præfert, 35. quomodo suos instituit, 47. Paterfamilias, 76. vetera novis conjungit, 78. ejus hostes Manichæi & Judæi, 82. ejus labia duo Testamenta, ib. Animarum salus, sapientia Patris, sapientia nostra, 119. nunc Agnus, nunc Leo vocatur, 133. ejus suavissima Lyra, 145. Legem Moralem implevit, non abolevit, 3

abolevit; perfecit, non sustulit, 176. est Legislator noster, Rex, Dominus, & finis Legis perficiens, 147. consummatio & cessatio Legis ceremonialis, 174. ejus Obedientia, 186. quot modis Legem confirmavit, ib. & 187. Justitia nostra factus est quare, 190. sol Justitiæ, 193. Judex summus, ib. fundamentum, ib. perfecit Legem non in fundamentalibus, sed accessoriis, 215. Christus invictus Pancratiastes. 467. bellator fortis, ib. miles & dux, 468. Creator Mundi, Cœlorum Dominus, &c. 471. ejus Monomachia cum Diabolo opus illustre, 472. ὁ ἰχνεύτης, ib. quæ ejus vestigia sequenda, 476. locorum attentissimus curator, 478. Viator, Miles, Redemptor, Prædicator, 479, & 480, &c. Peregrini vitam duxit, ib. quare in eremum secessit, ib. finis & exitus adventûs ejus, 482. ejus Actionum reductio, 489, & 490, &c. vita ejus vivendi exemplar, 490. & cujuscunque virtutis autographum, ib. ipsius Opera habent aliquid morale annexum, 491, & 492. omnis ejus actio instructio nostra, 493. cujus ductu in eremum se contulit, 494. in quem finem, ib. prima & ultima sive dicta sive facta ipsius maximè memorabilia, 496. ejus minima habent virtutem suam, 519. tentationis prælium suscepit, 6 Januarii, 520. quali comitate Scribæ & Pharisæi eum excipiebant, 521. temporum suorum accuratissimus observator, ibid. omnem sanctificavit ætatem, 523. quare ad senectutem non descendit, ib. quas Infirmitates assumpsit, ib. Doctor utriusque facultatis, operum & sermonum, 528. quare discipulos non elegit ante tentationem, 529. ductus est à spiritu bono ut tentaretur à malo, 535. omnia loquebatur & fecit ex sancti Spiritûs dictamine, 537. duas habuit nativitates, 538. duas volitiones, ib. Spiritu sancto ductus & suo, 539 sed præcipuè spiritu sancto Spiritum suum implente, ib. triplici oleo inunctus, 540. plenus Deitate & gratiâ, 541. utramque plenitudinem simul & semel accepit, ib. ab Hypostatica unione profluentem, 542. sine Mensura, 543. ejus prærogativa, 544. ejus plenitudo est Originalis, 545. quomodo se exinanivit, ib. quomodo solus aliis communicavit plenitudinem suam, 546. solus est ipse Ecclesiæ suæ caput, 556. salus & gratia est ab illo solo expectanda, 557. ex ipso haurire possumus quæcunque plenissima, ib. non in omnibus imitandus, 564. quare, ib. cur ivit ut tentaretur, 565, & 611. à Diabolo solo, 614. Christi tentatio quàm gloriosa, 616. non tentatus ut filius Dei, ib. quare consentaneum erat ei tentari, ib. & 617. ejus tentationis ratio, ib. fuit honoris & dignationis plena, ib. &, 618. nihil penitus manducavit per 40. dies, 624 otium ejus cœleste in eremo, 625. quare jejunio se vindicabat, 628. quare conformabat se ad Legis præscriptionem, 629. quare præparabat se ad pugnam & ministerium, ib. cœpit priùs facere quàm docere, 630. quibus medicinis nos sanavit, ib. ad numeros respexit, 632. quare, 633 quamdiu jacuit in sepulcro, 634, & 637. ejus vigiliæ, 638. Esuritio ejus mirabilis, 645. omnia mirabilia Christi non sunt iisdem terminis definienda, ib. sed consideranda tam respectu Christi Hominis quàm respectu Christi Dei, ib. Deum esurire miraculosum, ib. de carne Christi sermo, 646. item de Anima, ib. de Affectibus, ib. de defectibus corporis, 647. nihil potuit ei accidere invito, 648. semper beatifica visione fruebatur, 649. simul & semel fuit Comprehensor & Viator, 650. Deus & verus Homo, ib. in eo erat dolor sensûs & sensus doloris, ib. ejus dotes, 651. quare esuriebat, ib. nihil in eo coactum conspicitur, ib. quæ divinitas humanitati permisit, & non permisit, 653. omnibus factus est omnia, 658. famis perpessionem sanctificavit, ib. habet Sympathiam in perpessionibus nostris, 659. nobis per omnia similis, ib. quò deduxit eum commiseratio nostri, ib. commoditatis omnes articulos scivit, 660. ejus itineris fines, ib. nihil in illo simulatum aut fictum, 661 seductor & incantator qualis, 663. cur post Jejunium esurire voluit, 664, 665 utriusque naturæ argumenta in uno eodemque opere sæpissime exhibuit, ib. ejus sitis vera, sed mystica, 668 qualem cibum esuriit, ib. ejus dignatio agnoscenda, ib. & 669 quare non potuit peccare, ib. ejus pulcritudo, 670, 671. Ecclesiæ suæ promisit potestatem διαλεκτικήν, 700.

Chrysippi porticus, 4.

Chrysostomus sæpe aliud agit quàm quod destinârat agendum, 351.

Cibus allegoricus, 624. corpus absque cibo durare non potest ultra certum terminum, 642, & 643.

Ciceronem qui non sæpius legisset apud Romanos Orator non habitus, 13.

Circuli partes, 217.

Circumcelliones protervi, 211.

Civilia sacris miscenda, 679.

Cleombroti Historia, 494, 495. quomodo Immortalitatem perdidit, ib.

Clericorum Institutio à multis tractata, 17.

Cœlibatus an status Deo gratissimus, 515. quibus adjumentum pietatis, 516.

Cœlo nihil nobis longinquius, 29 in cœlo manet fides & spes, 269.

Cogitationes punit Evangelium, 214.

Cognitio à Scripturis oritur & augetur, 13.

Cognoscendi modi, 233.

Columna est vel Architectonica, vel Adventitia, 124.

Commentatores solent cursim & in transitu rem agere, 34.

Comminationes mutuæ Evangelii & Legis, 290.

Comparatio inter Scripturas & seculares Literas, 69, 74. Pontificiorum cum Scripturis, cum Patribus inter se, 89. Medici & Theologi, 137 Ignatii & Cusani axiomatum cum Scripturæ locis, 386.

D

DÆmones quando puniuntur, 371. *Dæmonis* significatio, 567.

Damasceni dictum de Manichæis, 82. ejus somnia, 377. perstringitur, 378.

Daniel Propheta totius mundi Philohistor, 48. ex Persicis Annalibus & archivis Babylonicis quædam desumpta scriptis suis intexit, ib. ad ejus extremas partes intelligendas multiplex Græcorum Historia necessaria est, 55. linguâ Chaldaicâ utitur à 4. versu 2. cap. ad cap. 8. 115.

David Scriba, 5. quomodo hodie prædicatur, ib. egregius Psaltes, 6. *Tinea* qualis, 12. quanti Scripturas Divinas habuit, ib. Ecclesiæ militantis typus, 152. in Legem oculo Evangelico introspexit, 196. eam variis titulis celebrat, 225.

Decalogus pluribus privilegiis à Deo ornatus quàm altera Legis pars, 171. Christi suffragio multitariàm confirmatus, 186. est Lex regalis & libera, 196. Evangelico oculo intuenda, 197. intelligitur per Mandata Christi, 199. *Decalogi* nomen nuperum 233. in ejus immutabilitate astruenda morali naturale non debet contradistingui, nedum anteponi, quare, 259. omnibus tam Christianis quàm Judæis & Ethnicis utilis & necessarius, 294.

Decorum quid, 615.

Decreta qualia Constantini, Arcadii, Theodosii junioris Impp. de Libris hæreticis, 9.

Deductionis Divinæ duo genera, 567.

Defectuum tria genera 669. quibus ex istis Christus se subjecit, & quibus non, ib. defectus naturales assumpsit, non personales, 671. quare, 672. quare somnum, esuriem & sitim suscepit, ib. qui in primo statu non erant defectus, 673. defectus repugnantes infinitæ perfectioni, ib.

Defensor Fidei titulus Regius conspurcatus & Rege subductus à Bertio, 9.

Deformitas quid, 671.

Delphici Templi inscriptiones, 243.

Deploratio temporis hodierni, 8. & 9.
Descriptio constans ex doctrina specifica & quatuor Causarum lineamentis, 34.
Desertorum solitudo non affectanda, 518.
Desideria Apostoli ut ostium sermonis ei aperiatur, 24.
Detractio cavenda, 194, 578. fœdissima est quæ innocentiam lædit, 436.
Deus omnium librorum instar, 13. propter se diligitur, 48. pater luminum quare, 53. donorum author quare, ib. Scripturarum author, ib. docet utilia, ib. à quibus Operibus cessavit, 93. ejus Unitas unde petatur, 62. in eo omnium ratio continetur, 228. omnia ab eo præcognita & prædispposita, ib. est agens supremum, causa universalis, &c. 278. ejus consilium non est extraneum, ib. secundum exquisitissimam sapientiæ regulam operatur, 279. quàm politè omnia in suis sedibus disposuit, 394. Deus omnium bonorum operum author, 556. quomodo dicitur mittere & tradere & ducere in tentationem, 567. ejus actus singuli boni, 588. Dei perfectiones quæ, 518.
Deuterocanonici quare non admittendi, 86.
Διαβάλλειν quid significat, 570.
Diabolus hæresiarcha omniũ primus, Serpens antiquus, 155. Diabolus prædo, homicida, &c. 470, & 471. magis insequitur Credentes novos, 530. ejus potestas quæ, 563. unde nomen ejus, 570. multa alia ejus nomina, 575, & 576. Diaboli insidiæ, 585. suadere potest, non cogere, 589. nunquam militat solus, 596. cujuslibet boni & simulator, & dissimulator est peritissimus, 604. animum distrahere solet, 605.
Dicentis præcipitium exspectatio nimia, 10. jucunditas, audientium candor & patientia, ib. & 11.
Dictum veteribus quid significat, 126.
Διδασκαλία fit duobus modis, 129, & 130.
Dies sextus Januarii memoratu dignissimus quare, 520. Dies naturalis, artificialis, civilis, 636, 637. Diei civilis termini secundum varios Gentium mores, ib. Dies artificiales non intelliguntur in Christi jejunio, ib. Diei super noctem præstantia quid efficit, ib.
Digiti Divini Lex filia, 6. Digitus Dei potentiam ejus denotat, 256.
Dignitatis modi, 22.
Differentia inter duo prima Decalogi mandata, 83. inter libros Canonicos & Apocryphos, 103.
Dilectionis modus à Lege petendus, 192. Dilectio mandatum traditum à principio, 200. est centrum Legis, ib. Legis debitum, complementum, compendium, 206, 207. dilectio cœlestis, 285.
Diligentiæ laus, 464.
Disciplina & Doctrina quomodo sint relata, 21. Disciplinæ exotericæ Acroamaticæ, 350.
Dispensationum portæ patent inter Pontificios, 720. facultas earum non ab omnibus obtinenda, ib.
Dissonantiæ multæ in veterum defunctorum scriptis, 364.
Distinctio Pontificia Verbi Divini, 15. Librorum Apocryphorum, 85. inter naturalia & moralia, 259. inter moralia & Evangelica, 260. inter moralia & Mosaica, 262. inter Sacramenta & Sacramentalia, 263. inter Doctrinam & Doctrinalia, ib. inter Legem & Legalia, ib. inter minora & graviora, 264.
Divi quis dicendus, 84.
Divinum quàm laxo sensu usurpatur, 682.
Divitiarum usus, 514.
Doctoris Evangelici officium totum, 18.
Doctrina & Disciplina quomodo sint relata, 21. Doctrinarum discrimina, 34. Doctrinæ non tam antiquitas quàm veritas expendenda, 458. Doctrinarum genus deprehendere pium, 690.
Dogmatici qui, 318. eorum delectus est faciendus, & qui optimi judicandi, ib. & 320. Dogmata falsa nonnullorum, 410. Dogmata omnia Patrum ad Scripturas expendenda, 423.
Dominus Dominantium Christus, 2.
Domitianus non urbe solùm, sed orbe, pellendos esse Philosophos duxit, 38.
negotiamini *Donec* veniam: istud *Donec* quando erit, 29.
Donorum ὑπεροχὴ requisita ad cultum pastoralem, 15. eorum præmia non ex habitibus pensantur, sed actibus, iisque secundis, 18. discrimen, 31. unde Ethnicorum dona, 54. donorum distinctiones, 100.
Δουλεία quid, 349.
Dubitationi ubi relinquitur locus, nulla animi quies, 454.
in *Ducendi* vocabulo quæ energia, 568.
Δωδεκάπτεροι qui, 415.
Dux Spiritualis Christus, 1. Dux supremus an præliis interesse debet, 468, 469, & 470. ejus summa laus, 475.

E

E*Cclesia* quid, 556. Ecclesiæ moderamini & gubernationi præfertur prædicatio, & quare, 21. Ecclesia est Arca Domini, 152. Hortus, Domus, Mater, ib. ejus hostes, ib. quamdiu mansit virgo, 307, & 454. Veteres magna Ecclesiæ lumina, ib.
Ecclesiastes sapientissimus Salomon, 4.
Edendi spatia non nisi quatuor helluonibus, 727.
Effigies omnis constat duabus partibus, 34.
Egestas damnatur, 514.
Ἐκβάλλειν quid significat, 552.
Elementa mundi quæ significant, 167.
Elias eximius Prophetarum quare Mosi junctus fuit in Christi transfiguratione, 187.
Eloquentiæ securis expectatio nimia, 10.
Eloquia sacra à nemine proferenda nisi qui *veteribus & novis* exercitatus fuerit, 64.
Enthusiasticorum raptus non sunt recipiendi, 181.
Epiphanius cur Origenis libros respuerit, 9.
Epistola Christi ad Abgarum Apocrypha, 12.
Equi Lydii currunt nemine agitante, 8.
Eremetismus an à Christo robur aliquod contrahat, 487, 488, 495.
Eremus Palæstra Christi, 476. quomodo differt à deserto, 477. ejus proprietates, ib. quo loco statuitur, ib. quare locus Christo idoneus, 479, & 483. totus mundus hinc Christo est eremus, 482. in ea quæ inveniuntur, ib. in ea palantibus quæ gratia elucescit, 486. Eremitarum feritas & immanitas, 515.
Errata Librorum Apocryphorum, 105.
Error vulgi de operariis in vinea, 7. Erroris via anceps & circumflexa, 36. Errorum ferax quælibet ætas, 66. Error eorum qui Philosophos & Poetas Scripturis præferunt, 67. quibus modis sanandus est, ib. veritati arma submittere debet, 100. ejus extrema, 158. natura, 165. potest se excusare, non purgare, 204. simpliciter errantes ignosci possunt, alii non, 300. non habet ubi conquiescat, 377. ejus seminarium magnum officiosa credulitas, 378. Erroris habitus dispar & discolor, 506. ejus usus, ib.
Eruditio cribrum & ventilabrum veritatis, 318.
Esdras νομομαθὴς ἄριστος, 5. cur *scriba* dictus, ib. vix Propheta, 119.
Estius sibi non constat, 20. nec Estio Durandus, ib.
Esuritio Christi habet in se nonnihil miraculosum, 645. erat actus non tam necessitatis quàm dignationis, 646. fames non sequebatur, 647. nec ullum mutationis detrimentum, ib. Esuries voluntati humanæ non subjacet, 648. ejus effectus, ib. quæ esuries in Christo agnoscenda, ib. quomodo esuries ejus impossibilis, 649. quomodo naturalis & necessaria, 650. quomodo voluntaria, 651, & 652. Esuries Christi quid, 654. ejus exordium unde trahendum, 655, 656, 657. ejus causæ, ib. est testis mortalitatis, ib. quare intra quadraginta dies non esuriit, 661. cur postea esuriit, ib.

Ἐθελοθρησκεία

Ἐθελοθρησκεία quid, 178.
Ethnicorum exempla magna adjumenta virtutis, 59. & 60.
Evangelizandi diversi modi, 7. scribere est Evangelizare apud antiquos Doctores, ib. Evangelium qui contempserit pro Christiano non habendus, 13. est breve verbis, sed magnum sacramentis, 80. scriptum linguâ toti mundo cognitâ, 115. in ejus doctrina proponenda quid cavendum, 147. Legem non excludit, sed comprehendit, 208. majora proponit certamina & præmia quàm Lex, 214. est æternum, 225.
Eupithii, 382.
Eutychianismus damnatus à Theodosio jun. Imp. 9.
Excessus peccati fomes, 515.
Exempla imparia multùm movent, 59. exempla increpantia & consolantia, 131. & 132. exempla faciliùs erudiunt, 616, 617, 630.
Exercitatio frequens multùm valet, 480.
Exercitia Christi in Eremo, 625.
Exhortatio est actus Justitiæ & Charitatis, 130. exhortationum & increpationum copula necessaria, 137.
Exomologesis quid, 709.
Expectatio nimia magnum infortunium, 10. dicentis præcipitium, audientis ludibrium, candoris malleus, eloquentiæ securis, interpres iniqua, &c. ib. magistra querula & præcox, ib. Auditoris sponsor fallax, ib. modum nescit, ib.
Experientia quarum Artium mater, 472. certissimus judicandi modus. 581.
Expostulatio docta cum iis qui eloquia Dei fastidiunt, 67, 68. alia cum iis qui Legi detrahunt, 211.

F

FAbula de Luto & Columba, & ejus applicatio, 436, & 437.
Facundia prima virtus oratoria, 10.
Famis argumenta, 663.
Fanatici perstringuntur, 16.
Ferè sæpe ponitur assertivè, 522.
Fideles innituntur utroque Testamento, 78. fidelium duo officia tempore Quadragesimali, 707.
Fides quomodo probat, 582. Fidei Defensor, vide Defensor. Fidei doctrina constans sibi est & sui similis, 20. fides transcendit naturam, 41. firmamentum ejus solis sacris Scripturis nititur, 42. operatio spiritûs, 53. à fide salus oritur & augetur, 13. ipsa fides à cognitione, cognitio à Scripturis, ib. multa ejus dogmata reperiuntur in Philosophorum scriptis, 62. fidei Christianæ oppugnatores & defensores, 161. fides confirmat Legem, 208. quomodo in claram visionem mutabitur, 269. ejus purissimus actus, ib. ejus extrema, 379. fides implicita discutitur, 382, 383. judicium suffocat, 387. fides nulli adhibenda nisi ex Scripturis militanti, 423, 425.
Filius Tonitrui quis, 26. cur sic dictus, 134. *filius olei* quis, & cur sic dictus, ib.
Fingendi vocabulum quibus sensibus accipitur, 662.
Finis hominis, artium, & totius mundi, laudum Divinarum ex creaturis recognitio, 57. finis Legis explicatur, 175. fines duo ejusdem rei, 678. civilis & sacer, ib. & 679. finis est principale quæsitum in omni instituto, 690.
Fœdus Vetus & Novum, 167. utrumque & Legem & Evangelium in se continet, ib. fœdus idem factum & repromissum, 168. fœdus operum & fidei, ib. vetus & novum idem fœdus, 169.
Fœmina adjutorium quale, 515.
Formulæ ambiguitatis & certitudinis, 368.
Fræni duplex usus, cohibendi & coercendi, 296.
Fugere quando quis dicitur, & quomodo, 579.
Fulmina duo verbi, Jacobus & Joannes, 4.
Fundamentum idem Apostolorum & Prophetarum, 95.

G

GEntes Legem habebant, & non habebant, 242. duobus vinculis circumligatæ, 254. Gentium libri Theologo necessarii, 44, & 45. Gentilium Literarum amore insanientes, 66.
Germani bibunt & scribunt, 8.
Gladii partes, 185. & 212.
Glires quomodo nutriuntur, 641, 642.
Gloriæ corona præmium omnium coronarum, 22. Gloriæ speculum ad Legis moralis perpetuitatem conducit, 267. Gloria infusa, circumfusa, 281. Gloria *Theatri*, & *abditorii*, 529.
Γράμματα Christianitatis, 199. *γραφίσματα* quibus mandata discernuntur, ib.
Gratiæ Doctrinam cujus est explicare, 146.
Gratia ubi, ibi spiritus, & contrà, 541.
Gratianus Decretorum Patrum compilator corruptissimus, 336.
Gratiarum actio pro liberatione à peste, 72. Gratiarum talenta sunt proferenda, 18.
Gratitudine nihil melius, 3. illa ultima virtus oratoria, 10.
Græciæ caligo ante Cadmum, 6. ejus incolæ à Phœnicibus Literarum artem acceperunt, ib.
Gregorius Nyssenus adducit ea quæ proposito suo serviunt, 354.
Gregorius Theologus *Tinca* qualis, 12. Nobilis & Athenis eruditus, ib. Basilii per tredecim annos collega, ib. aliis amotis studiis solis Scripturis sacris dat operam, ib. orationem scripsit in laudem Basilii magni, 38. quomodo invocabat Sanctos, 348. triumphabat in Panegyricis, ib.
Gregorius Turonensis nimiæ simplicitatis vir, 370.
Gubernator militantis Ecclesiæ Christus, 1.

H

HAbitus motu & exercitio purgantur, 18.
Habenti dabitur, id est, utenti, 18.
Hæreticorum libri proscribendi, 9. non legendi, sed Impp. Decreto comburendi, ib. legendi, nè legantur, ib. at à probatis Nummulariis, ib. nec damnati, nec eorum autores ad canonem vocati si non fuerint, non hominum putandi ampliùs, sed Ecclesiæ, 14. Hæretici placentia loquuntur, sed neque vera neque salubria, 36. suo se atramento involvunt, ib. perstringuntur, 37. diversa eorum dogmata, 38, & 39. eorum Patriarchæ, 41. eorum delirium de verbis *veteri* & *novo*, 96. disputant de fide, non pro fide, 100. Hæreticorum mos, 153. sententiarum extremitates, 157. tria Hæreticorum paria, 158. magis cavendi sunt qui sub Scripturarum umbraculis latitant, 164. quas Scripturas miserè detorquent contra usum Legis, 163. nomine Christi se tegunt contra Christum, 165. suis ipsorum laqueis implicantur, ib. commune eorum refugium, 327. libri corrupti & depravati ab hæreticis, 332. Hæreticorum somnia qui in phantasmate Jesum venisse prædicant, 662.
Heliodori Tricensis historia, 66.
Herba parietaria cur Trajanus Imp. dictus, 8.
Herculis ante tempora caligo in Phrygia, 6.
Hieronymus *Tinca* qualis, 12. omnium Tractatorum optavit sibi volumina, ib. perrexit Alexandriam dubia suscitaturus à Didymo, ib. scripsit Apologiam ad Magnum Oratorem Romanum, de humanæ Litteraturæ usu, 50. ejus æstimatio de Senecæ scriptis, 59. ejus sermones ad Pammachium, Julianum, Paulinum & Paulam, 60. dicta ejus contra Judæos & Manichæos, 82. de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus Opus integrum conscripsit, 322. à se discrepat, 353. ejus & Augustini dissensio, 397.
Hilarionis Monachi historia, 515.
Hilarius vindicatur, 354.

Hiſtoriarum Gentilium uſus, 62. Hiſtorici plerumque ſuorum temporum vitiis imbuuntur, 370.

Hiſtriones religioſi quinam dicendi ſunt, 16.

Hodierni homines antiquis Patribus abſimiles, 7. hodierni temporis deploratio, 8, 9.

Homicidium Cordis, 214.

Homilitici qui optimi ducendi, 315, 316.

Homo pecus effrænum, 137. ejus ſtatus primus & ſecundus, 283. tertius, 284. quartus, ib. ovi comparatur, 375. Homo & ætatis & naturæ nomen, 504.

Honor ſummus Prædicandi munus, 17. honor obedientiæ medulla, 210.

Hookerus magnus myſta, 108.

Hora duplex, 660.

Hortatio quaſi calcar, 131.

Hoſtem quibus armis vincere poſſumus, 612.

Humanitas fiduciæ cauſa, 464. Humanitas Verbo fuit perſonaliter unita, idque indivulſim, 649.

Hyemis deſcriptio, 520. tempus in quo Chriſtus tentabatur, ib. ut victoria ejus ſplendidior eſſet, 521.

Hypocritarum jejunium, 697, 698.

I

JAcobus & Joannes duo fulmina verbi, 4. Jacobi duo, 198. fratres non naturâ, ſed conſenſu veritatis, 202. Jacobi robur novum, 464.

Jejunium quid, 623. cognatio inter jejunium & tentationem, ib. jejunium ad omnes Chriſtianos pertingit, ib. Chriſtus ſemel tantùm jejunavit quadraginta dies, ib. ejus jejunium illud Moſis præcelluit & dignitate & poteſtate, 624. jejunium ſine oratione quid, 625. jejunium Chriſti omnium virtutum gregibus ſtipatum, ib. ejus ordo, 626. *jejuniorum* diſtinctiones, ib. jejunium qualis abſtinentia, ib. inter adjumenta virtutum ponitur, ib. & 701. Orationem & pœnitentiam adjuvat, 627. ad quid præcipuè ordinatur, ib. quando inutile, ib. jejunium verum, 628. falſum, ib. ejus correlata, ib. Chriſti & humani jejunii non eædem cauſæ, ib. cauſæ cur Chriſtus jejunavit reſpectu ſui, 628, 629. reſpectu noſtri, ib. & 630. jejunii uſus, ib. etiam ad Evangelium pertinet, 631. jejunii cuſtodes, ib. jejunium opus potentiæ, 632. quomodo diſtinguitur jejunium Chriſti & Judæorum, 638. impiorum jejunia quàm Chriſti diſſimilia, 639. Animalium & hominum jejunia ficta, 641. Chriſti jejunium culmen miraculorum, 642. inſcrutabile, 643. inſolitum, 644. paſſio infirmitatis, 645. jejunia non ſunt luxuriæ & carnis illecebris claudenda, 666. jejunium in genere ſumptum eſt Divini juris, ſed non in ſpecie, 681. jejunii fines tres, 691. jejunia ſunt nullo modo meritoria, nec ſatisfactoria, 697. jejunium Hypocritarum, ib. & 698. ad quid conſtituta jejunia, ib. jejunium dat gratiam conviviis, 699, & 705. eſt optima præparatio ad myſteria celebranda, 702. ſæpius in aliorum emolumenta jejunia ſervantur, 704. jejunium Chriſti imitandum, 711, 712. jejunii leges, 723, 724. bibendo non minùs ſolvitur jejunium quàm edendo, ib. ejus duratio, 726. non niſi una refectio in jejunio, 727. jejunium non eſt in ſe virtus, 484. ſed ad aliud relatum, 626, 701. in occulto celebrandum, & quare, ib. Eccleſiæ Græcæ & S. Patrum ſententiæ de Jejuniis, 729. in jejunio non minùs à poculentis quàm eſculentis abſtinendum, ib. ipſum *Jejunii* nomen cibationi repugnat, ib. ciborum delectus non pertinet ad rationem jejunii, 730. jejunio quæ conveniunt, & quæ non, 731.

Ignatii Martyris Epiſtolæ ad Trallenſes & Magneſios genuinæ, 23.

Ignoratio Scripturarum, ignoratio Chriſti, 13. indè mala infinita, ib. præcipitium & profundũ barathrum, ib.

Imago Dei in Homine quomodo perdita & reſtituta, 284.

Imitatio Chriſti quid, 489. habet regionem propriam, 493. nec purè mediatoria nec purè miraculoſa ſunt imitanda, 713. moralia & practica ſunt imitatione digna, ib. opera Chriſti quatenus opera miſericordiæ imitanda, 714. magna virtutis exempla imitanda, ib.

Impetus Patrum aliquando acer, 357. feriendo adverſarios premit ſocios, ib. eos ultra rectitudinem flectit, 358.

Improbus non debet vitia aliena corripere, quare, 141.

Impudentia Pontificiorum, 367.

Impura audienti Heraiſco Philoſopho caput doluit, 14.

Incarnatio Chriſti eſt ſupra captum rationis, 41.

Increpationes, 130, 131.

Indices Expurgatorii, 336. quæ ex iis delentur à Pontificiis, ib. 337, 338.

Indicia perpetuitatis Legis moralis, 257.

Infidelitas quomodo Deum probat, 583.

Infortunium magnum expectatio nimia, 10.

Ingratitudinis ſpecimen, 6, 7.

Inimici ſunt diligendi, 212. Inimicitia Diaboli quàm latè patens, 575.

Innocentia multùm laudatur in correptione, 141. innocentia Proteſtantium defenditur quoad S. Patrum æſtimationem, 430, 431, &c.

Inſania prioris & præſentis ſeculi ſimilis, 38.

Inſtinctus quomodo à tentatione differt, 603, 604.

Interdicta Evangelica priùs prohibita in Lege, 289.

Interpolatores in primo Eccleſiæ ſeculo, 326.

Interpres iniqua expectatio nimia, 10. Interpretes Legis *ſcribæ* dicti, 5. Interpretum novorum veterúmque anfractus & incerta gloſſemata, 34. quos omnes qui ſequi vult, neceſſe eſt ut ſingulos relinquat, ib. aliquando plenam Spiritûs ſancti intelligentiam vix aſſequuti ſunt, & quare excuſandi, ib. Interpretes optimi qui, 316. Interpretationis optimum genus, 127.

Inventor Literarum quis, 6. Inventa humana libri Apocryphi, 103.

Invidiæ effectus, 372, 373.

Invocatio defunctorum unde, 376.

Joannes Baptiſta quare *plus quàm Propheta* dicitur, 95. limes inter vetera & nova, 195. finis veteris Teſtamenti, & principium novi, ib. clauſula Legis, & limen Evangelii, ib. Chriſti præcurſor, 479.

de Joannis Evangeliſtæ morte variæ ſententiæ, 365.

Ira animis S. Patrum interdum ineſt, 358.

Itinera multi cum laude ſuſceperunt, 476.

Itinerarium quadruplex, 466.

Judæi à Moſe Literarum artem acceperunt, 6. eandem ab illis Phœnices, ib. rejiciunt vetus Teſtamentum, 81. dictum Ambroſii contra Judæos, 82. pugna inter eos & Manichæos, ib. conſenſus amborum contra Chriſtum, ib. fideles veteris Teſtamenti cuſtodes, 116.

Julianus peſſimus Imperator lege Chriſtianis interdixit bonarũ artium ſtudiis, 38. ejus Apoſtaſia unde, 42.

Jus Naturale quid docet, 239.

Juſtificatio peccatoris eſt ſupra captum rationis, 41.

Juſtinus Philoſophus & Martyr contra Philoſophos ſcripſit, 42.

Juſtitia caput ſecundæ Tabulæ, 252. Juſtitiæ eſt unicuique ſuum tribuere, 438, 439.

Juſtus accipitur ſive pro Juſtificato, ſive pro juſta faciente, 180.

Juventus non eſt ætas congrua Sacerdotio, 526.

L

LActantii Errorum cauſa, 42.

Lacti Scriptura cur comparata, 13.

Lapſus Adami miſera conditio, 239. lapſi tam Pœnitentes regulares quàm ſpontanei & voluntarii, 707. *voluntarii* qui, 708. Pœnitentes *regulares* vel *adjudicati* qui, ib. eorum reſtituendi tempus ſolenne fuit feſtivitas Paſchatis, ib.

Largitio conducit ad beatitudinem, 514.

Latii caligo ante Carmentam, 6.

Latronibus loca peculiaria, 478.

Lectio

INDEX.

Lectio & scriptio quomodo conjunguntur, 11. quàm necessaria, 12. hujus vitæ opus, 13. in civitate cœlesti non necessaria, ib. Lectio Scripturarum Divinæ præcognitio beatitudinis, 14. ad illam hortamen, ib. ejus adversarii, ib. an per illam solam conversio possit fieri, 15, 16. non Histrionica, ib. statuta in Conciliis variis, ib. non aspernata ab Optato, Aurelio & Celetino, ib. quomodo peragenda, 313.

Legis Divinæ studio addicti *Scribæ* dicti, 5. ut & ejus Interpretes, ib. Legis & Evangelii Doctrina & Disciplina, 124. unio utriusque, 147. utriusque munus, 150.

Lex Digiti Divini filia, 6. ejus doctrinam cujus est explicare, 146. est dictarum Divinæ mentis, & hominum regula, ib. Lex Mosaica an Christianos tenet, ib. & 147. Lex primordialis & moralis tenet, 147. salus in ejus observatione non invenitur, 148. in ejus doctrina quid cavendum, ib. ejus encomium, 160. an evanuit ad præsentiam Christi, 163. Lex Moralis est Lex Christi, 164. Ceremonialis & Judicialis abrogantur, sed non Moralis, 166. quibus liberamur à Lege, quibus non, 147. *Lex mandatorum in ritibus*, 166. Legis pædagogia, 167. Legis necessaria, propria & superflua, 168. Lex Moralis æterna est, sed Ceremonialis & Judicialis aboletur, 170, 171. ejus vis damnatoria tollitur, 173. vis directoria manet, ib. à justificationis articulo excluditur, 174. regula Justitiæ, norma vitæ, ib. Lex fide stabilitur, ib. ad Christum nos ducit, 175. ejus adversarii perstringuntur, ib. quomodo Lex finitur, 176. Lex & Spiritus Dei cohabitant, 180. Lege quis legitimè utitur, 181. ejus documenta non sunt spernenda, 182. Lex moralis quare non numerantur inter Mosaica, 189 ejus detractio cavenda, 194. est Lex libertatis perfecta, 195. comparatur *speculo*, ideoque introspicienda & custodienda, ib. *Lex regia & libera*, 196. Evangelico oculo inspicienda, ib. non est abrogata, sed amplificata, 198. de ea Patrum sententiæ, ib. Legis proprietates essentiales, 213. est perfecta, æterna & salutaris, ib. habet perfectionem regulativam in iis quæ ad morum probitatem spectant, ib. gradus non suscipit quoad ejus essentiam, 216. est integerrima & perfectissima pietatis regula, ib. verborum, operum & cogitationum norma, 220. ejus perfectio comparatur, 122. ejus æternitas, 123. utilitas, ib. ejus & Evangelii nexus communis, ib. ejus varii tituli sive nomina, 225. erat in mente Divina ab æterno, 228. Legis proprium quid, 236. est cynosura Mundi, 240. Legis naturalis definitiones, 240, 241. Lex moralis fundatur in Natura, 246. omnes homines obligat, 247, 253. est immutabilis & indelebilis, 248, 249. eadem prorsus est Lex inseminata & scripta, 252. Lex moralis eandem habet substantiam cum naturali, 254. privilegia ejus supra forensem & typicam, ib. & 255. quare scripta in tabulis lapideis, 256. digito Dei, ib. & 257. lex verus quo sensu, 260. nullo modo ab Evangelio disjungenda, 261. ejus immutabilitas, ib. quantum ad moralia etiamnum viget Lex Mosaica, 262, 264. Legis moralis perpetuitas ostenditur ex gloriæ speculo, 267. est justitiæ practicæ perfectissima regula, ib. in cœlo per omnes æternitates manet, 268, 269, & 287. Legis cœlestis cum Lege morali Analogia, 285. tria officia Legis, 294. illuminat oculos, 294, 295. ejus alii usus, ib. utilis ad præveniendum & ad retrahendum, 296. aliæ ejus utilitates mirabiles, 299.

Liber Dei magnus & communis Mundus, 11. cujus spectator, lector & interpres homo, 12. liber sine lectione quid, 11. libri Hæreticorum proscribendi, 9. nec legendi, sed Impp. Decreto comburendi, ib. legendi, nè legantur, ib. at à probatis Nummulariis, ib. libri sub Prophetarum, Apostolorum & Patrum nomine commentitii, 83, 326. eorum indicia sive regulæ quibus dignoscuntur, 328, 329. librorum scriptor sapientissimus Salomon, 6. omnium instar Deus, 13. libri Canonici auro, Apocryphi luto comparantur, 102. libri Canonici veteris Testamenti Hebraico Alphabeto respondent, 117.

Libertas Christiana quo sensu sumenda, 176. à quibus nos liberat, à quibus non, 177. in libidinem non vertenda, 178. libertas spiritûs & carnis, 179. ejus lex est lex Christi & lex Spiritûs, 195.

Libertinorum dogmata, 153, 154. sunt mures tineæque Legis Divinæ, ib. eorum origo eminet, sed non nomen, ib. parentes eorum, 155. & alæ, 156. Libertini secta Anabaptistarum, & cur sic dicti, 177.

Liberum arbitrium in Pontificio sensu non sumendum, 348.

Licentia secunda Libertinorum ala, 156. pietati noxia, 178.

Licinio Imp. Literæ virus reipub. & pestis publica habitæ, 15, 38.

Lingua maledica qualis, 430. linguæ effrænatæ audacia, 437.

Literarum inventor quis, 6. eæ cur à Deo datæ mortalibus, ib. Literas Moses à Deo, Judæi à Mose, Phœnices à Judæis, Græci à Phœnicibus acceperunt, 6. eæ Licinio Imp. virus reipub. & pestis publica habitæ, 15. omni ore vocaliores, 7.

Literaturæ secularis usus non interdicitur, 42. ei Scriptura est propitia, 44. ejus oratio ad Theologiam, 45. Theologiæ responsum, ib. loca Scripturæ quæ ad Literas seculares extendantur, ib. non datur earum ulla pars quæ non passim occurrat in sacra pagina, 47. earum compendia in duobus Legis præceptis continentur, 48. pro iis argumenta varia, ib. ipsarum in sacris usus multiplex, 54, 55 prosunt ad oppugnationem Paganorum & Hæreticorum, 55, 56. earum usus triplex, 57. instrumentum ad omnem vitam Literatura, 58. habet ad Scripturam ordinem duplicem, ib. tria munera Theologiæ præstat, 60. est janua ad virtutis introitum, ib. non est Scripturis prætereunda, 66, 67, 68, 69, &c. nec exæquanda, 69. sed præ iis vilipendenda, ib.

Loci corrupti nulla est vis, 331. Loca quæ Christus nobilitavit, 478. *loca arida* quæ, 481.

Locutiones quædam non tam veritatem tegunt quàm transcendunt, 345.

Logica necessaria est ut veritatem inveniamus adversus Hæreticos, 62.

Λογομαχία, 265.

Lombardus Gratiani frater, uterque spurius, adulterinos libros ediderunt, 314. primus omnium septem sacramenta numeravit, 376.

Lucis proprietates, 134.

Lupi sub pellibus ovium, 160.

M

Macularum admistio duplex, 547.

Magi Chaldæorum quales, 5.

Magistra querula & præcox expectatio nimia, 10.

Maldonati Apologia levis, 34 perstringitur, 75.

Maledicentiæ natura, 437.

Maledicta Legis & Evangelii eadem, 292.

Malevolentia vel ineruditissima vituperatur, 16.

Malorum divisio, 603.

Mandatum novum & non novum non sunt ἀσύστατα, 126. mandata quis servat, 191. eorum summa dilectio, 198. cur quintum mandatum à Paulo dicitur *primum*, 211. mandatorum numerus tractatur, 233. nè minima pars præteribit, 286. sunt æternæ obligationis, 292. eorum caput & idea, 406.

Manichæorum assertio de Testamentis, 81. Damasceni dictum de iis, 82. pugna inter eos & Judæos, ib.

Manna ipsius Christi sacramentum typúque, 300.

Mansuetudo in corripiendo aliquando requiritur, 193.

Martyres prædicabant passionibus suis, 7.

Melli Scriptura cur comparata, 13.

Memoria eò tenacior quò impressio fortior, 231.

Mendacium nullum teste caret, 431.

Mercator bonus Christus, 1.

Meritum quid, 349. *Meriti* vocabulum quid significat,

Ttt 2

ficat, 696. in jejunio fas non est obtrudere meritum, 698.
Methodi beneficium, 318.
Milites qui, 521.
tam Minis quàm præmiis ducuntur homines, 34, 35. minæ contra Pontificios, 85. Minarum utilitas, 145.
Minister Dei qualis esse debet, 2. quomodo instructus, 35. Ministri Dei cur *Scribæ* à Christo dicti, 5. illis consonum ut sint scriptores periti, ib. in prædicando illorum honor summus, ib. in scribendo proximus, ib. ejus officia, 129, 130.
Miraculorum dono præponitur prædicatio, & quare, 21. miracula ficta Pontificiorum, 387. in istis non minimum suorum dogmatum robur statuunt, 390. de Paparum dignitate, voto obedientiæ, confessione auriculari, ib. de transubstantiatione, reliquiis & imaginibus sanctorum, 391. miraculorum conditio, 624. miracula non suscipiunt magis & minùs, 633. contra primum Christi miraculum objectio diluitur, 640. *Miraculi & signi* differentia, ib. *miraculum* quid, 641. miraculi requisita, ib. & 642. nullum Christo tempus absque miraculo, 646. Deum esurire miraculosum, 645.
Missa à dimittendo, 348.
Missatio quid, & quanti Pontificiis habita, 20. Missificum sacrificium commentum Pontificiorum, 20.
Mitra Pontificia significatio, 98.
Moderata non sunt abjicienda, 43.
Modi procedendi contra peccatores, 131. modus insistendi, testificandi, & operandi, 557.
Molestias prætendere futile, 463.
Monachatus quid, 497, 499. perstringitur, 506. ejus prærogativæ fictæ, 516.
Monachus quis, 499. Monachorum mores depinguntur, 506. totum votum & cæca obedientia, 510. de unitatis violatione rei, 513. Monachorum varii ordines & consuetudines, ib. artificia subdola, ib. charitatis opera præstare non possunt, 514. eorum status maximè defectivus, 515.
Monomachiæ lex perennis, 481.
Morale quodlibet fundatur in ratione, 240. Moralia non sunt legalia censenda, sed Ceremonialia & Judicialia, 263. morale nihil est in Evangelio quod non priùs est delineatum in Lege, 288, 289, &c.
Morbi animæ medendi potiùs quàm corporis, 21.
Mores convivatorum, 11. Hæreticorum, 153.
Mortalem quæ maximè denotant, 657.
Mortificatio Christiana necessaria, 630.
Mortis potestas in Dei manibus, 373.
Moses scriba, 5. ut hodie prædicatur, ib. Literarum artem à Deo accepit, 6. eandem ab illo Judæi, ib. legislator insignis, 187. quare vocatus ad Christi transfigurationem, ib. Moses Christi præcursor, 478, 479.
Motus quo Christus ductus est in desertum, 550. de eo Evangelistarum discordia apparens reconciliatur, 553, 554. motus ille non vulgaris, ib. neque coactus, ib. potestatis & amoris mistura in eo motu, 555. quo modo Christus hoc opus inchoabat, ib.
Muti ut plurimùm surdi sunt, 32.
Mundus magnus & communis Dei liber, 11. cujus spectator, lector & interpres homo, 12. schola, liber, magistra χειραγωγῶν, 51. juxta exquisitissimam sapientiæ regulam fabrefactus, 279. Mundi tentationes, 594. Mundus blandus periculosior est quàm molestus, ib.
Musculi assertio diluitur, 77. excusatur, 260.

N

Natalis quo sensu usurpatur apud antiquos, 465, 520.
Nazianzenus scripsit aliquando dubio mentis indicio, 361.
Neanthi Historia, 495. quomodo à bestiis lancinatus, ib.
Necessitas duplex, 474.
Negligentia eruditionis noverca, 465.
Neoterici. Vide Recentiores.
Nestorius quis, 160.
Nexus Legis & Evangelii, 288.
Nimium nocet, 43.
Noah quomodo perfectus, 503.
Noctes cur sanctus Lucas in Christi tentatione non commemorat, 636, 637. quare Matthæus commemoravit, 638, 639.
per *Nomen Dei* quid intelligitur, 282. Nomini facta conveniunt, 571.
Νομομάχοι ἐσομάχοι, 178.
Non necesse quomodo sumendum, 181.
Nova omnia facta sunt, quid vult, 126, 127.
Nova & vetera omnia complectuntur, 36. eorum quinque series, 37. ex quibus triplex Harmonia elicitur, ib. ex qua tria exhibent consectaria, ib. tres Conclusiones contra adversarios, 39. per nova & vetera intelliguntur omnia adjumenta, sed imprimis duo Testamenta, 75, 124. per eminentiam ea quæ sunt Legis & Evangelii, 125. in quinque syllabarum guttulis plurima mysteria continentur, 80. novorum & veterum classis quintuplex, 123. per vetera & nova Minæ Legales & Promissiones Evangelicæ statuuntur, 124. novorum & veterum tres interpretationes, & tamen una, 128. concordia, 131. novum & vetus idem potest dici variis modis, 169, 456. quæ *nova* & quæ *vetera* habenda, 452. Novum est quod Scripturis non congruit, 451.
Novatores perstringuntur, 37. imperitiæ arguuntur, 38. rationes quibus pugnant, ib. *novatores* qui, & qui non, 452.
Νεωτερία fit duobus modis, 129.
Novitas veritati non præjudicat, 455.
Novitio quantum malum in se confidere, 525. inter νέον καὶ νεόφυτον discrimen, 527.
Novitioli temerarii culpantur, 67. quâ supellectile instructi, ib.
Νοῦς quam animæ partem significat, 386.
Numæ libri, 257. causa conservationis disputatur, ib.
Numerus *binarius* & *quaternarius* observandi, 201, 202. numeri *quadragenarii* mysterium, 633, 634, &c. respicit ad præterita, futura & præsentia, ib. & 635. quibus usibus dicatur, ib. est numerus præparationis, 635. frequens hujus numeri usus in Scripturis, 636.
Nummularii probati est Hæreticorum scripta legere, 9. Ethnicorum dogmata explorare, 45. alia ejus officia, 86, 413, 414, 415, 416.

O.

Ambulare quid notat, 561.
Obedientia, 186. ejus partes, 187. obedientia cæca, 384. ejus leges, ib. & 385. lineamenta, ib. homini præstanda, ib. ad incertitudinis præcipitium desperata & præpropera festinatio, 386. in Scriptura non instituta, ib. tollit discretionem, 387.
Obligatio præcepti & rectitudinis utra major, 210.
Oculus duplex, 470.
Oeconomus veritatis Christus, 2.
Ὁλοκληρία quid, 504.
Omnia sæpius repetitum ingentis est ambitûs, 45.
Omnia munda mundis explicatur, 46. *omnia omnibus*, ib.
Opera sunt via regni, sed non causa regnandi, 174. sunt fructus Justificationis, ib. opera activæ vitæ post hanc vitam cessant, 270.
de *Operariis in vinea* error vulgi, 7. Metaphora prætenditur, 303.
Operationes Spiritûs sancti, 18.
Opiniones variæ de ætate Christi cùm tentaretur, 522.
Opportunitatem cognoscere sagacitatis suprema laus, 660.
Orationes pro defunctis amoris effectus, 355, 356.
oratio

oratio literarum humaniorum ad Theologiam, 45. orationis mensura à quo petenda, 359. Oratores Christiani, 50. de quibus multi eorum scripserunt, ib. quos imitari sunt, ib. Oratio nulla longa, quando, 496. Oratio Christi exercitium in eremo, 625.

Oratoria virtus prima facundia, 10. secunda, brevitas, ib. tertia, gratitudo, ib.

Oratoris sacri viva effigies, 2. ejus septem virtutes sive γνωρίσματα, 35. orator Rhodius, 4. Olympius Paulus, ib. malus facundus, si brevis, 10. apud Romanos nullus habitus qui Ciceronem sæpius non legisset, 13. finis ejus, ut persuadeat aliis, 57.

Ordinationis Anglicanæ formula explicata, 21.

Ordinis leges quæ non ferunt, 3. ordo duplex, 58, 59. est pater modi, 153. tres ordines scriptorum, 307. ad sacros Ordines qui admittendi, 527.

Origenis libri cur ab Epiphanio rejecti, 9. scriptor ille doctus & lector assiduus, 11. Tinea qualis, 12. Scripturas memoriter tenuit, ib. illarum inter edendum & in lecto studiosus, ib. ejus Historia extemporalem sermonem habituri, 64. ejus character, 160, 324. ejus licentia in affectandis allegoriis, 344. mille & amplius tractatus scripsit, 450.

Orthodoxorum & Hæreticorum cujus conditio potior, 84. in quo congruunt, 425. de Patribus honore debito discrepant orthodoxi & Pontificii, 438, 439.

Ovis natura, 375.

P

PApa non potest dispensare in Apostolicis, 720. Papæ *triplex corona* quid notat, 98. Papistarum inhumanitas, 151. *Papa* idem prorsus significat cum *Patris* nomine, 310. Papistarum axiomata refelluntur, 382.

Parabola *Scribæ docti in regnum cœlorum*, quies & corona reliquarum, 2. nova formula docendi, 35. Parabolarum vestigia in Vet. Test. 77.

Παρρησία & κακοτεχνία quomodo differunt, 544.

Parsimonia non potest esse Genus in definitione Jejunii, 724. parsimonia est quanti subtractio, 729.

Pastor Pastorum Christus, 17. pastoris officium, ib. 28, 31. pastoris præmium, 33. ad pastoralem cultum requiritur donorum ὑπεροχή. 15. & ad curam pastoralem prædicatio assidua, ib. pastoralis muneris delineatio, 18. pastoris insignia, 133. ad officium pastorale quid pertinet, 146. Pastor orthodoxus non minùs perspicuitati studet quàm veritati, 36. Pastoris cura quæ, 304. debet & discere & docere, 369.

Pascha festivitas festivitatum, 703.

Pascere continet omnes virtutes Apostolicos, 25. tres diversi *pascendi* modi, 28.

Passionibus suis prædicabant Martyres, 7. passiones Christi honorabiles, 473.

Patefactionis modus duplex, 281.

Patientia & candor audientium, dicentis jucunditas, 9, 10. usus in corripiendo, 140. in cœlo cessabit, 270.

Patrum antiquorum laus ob scripta, 7. homines hodierni illis quàm absimiles, ib. quomodo Scripturam appellant illi, 15. opera eorum legendi necessitas & utilitas, 305. Patres Antiqui qui, 307, 308. Patrum S. gratis dicta quæ postulant, 680. in eorum scriptis minùs commodè dicta reperiuntur, 682. ingenii licentiam singulari pietate compensant, 695. Patres dicuntur non minùs secundùm spiritum quàm carnem, 309. *Patres patrum* qui dicendi, ib. ad eorum lectionem quid perutile & necessarium, 311, 312. eorum sententiæ de vocabulorum & formularum libertate, 319. eorum scripta non sine consultissimis regulis legenda, 321, 327. &c. qui pro Patribus indubitanter habendi, 321, 322. tria media quibus possunt discerni, 323. quis Ecclesiæ Pater, quis Vitricus, ib. 324. è Patrum numero detrusi, ib. plura volumina eis falsò ascripta, 326. quomodo corrupta & depravata, 332. in eorum lectione quæ consideranda, 343, 344. quædam ex judicio, quædam ex præjudicio locuti sunt, 355. incertè locuti sunt, 360, 370. scriptoribus Ethnicis minùs creduli, 373. nonnulla deliberatiùs scriptis mandarunt, 374. eorum dicta comparantur operibus creationis, 394. cum cautela legenda, cum candore censenda, 400. quibus remediis reconciliantur, 401. antiquiores potiùs sequendi. 403. errare poterant, & aliquando non leviter errabant, 410. eorum in controversiis fidei authoritas, 429. eorum apud Protestantes debitus honor, 431, 432, 433. vix quisquam eorum qui non aliquam labem contraxit, 454. eorum eminentia, 460.

Paulus Tuba Dei, 4. Præco Gentium, ib. orator Olympius, ib. plures quàm Alexander debellavit, ib. ejus amanuenses & scribæ, 6. cursus ejus plus illustravit orbem quàm solis igneum jubar, 29. Philosophus, 48. Orator & Philologus, 49. ejus verba Oracula, 144. quomodo corripit Corinthios, ib.

Paupertas propriè intellecta, 514. non est in se res mala, ib. spiritualis omnibus Christianis est imposita, 514. Pauperum curæ præponitur prædicatio, & quare, 21.

Peccatorum vulneribus quæ infundenda, 133. eorum gradus, 143.

Peccatum est voluntarium quid, 566. primi motus tentationum carnis sunt peccata, 597. est transgressio Legis, 284.

Πειραζόμενος & πειρασθῆναι quomodo differunt, 560.

Pellicani pietas quanta, 33.

Penarius Sapientiæ Christus, 2.

Peregrinatio Hierosolymitana, 351.

Perfectionis divisio & ejus gradus, 213, 501. de perfectione novi & veteris Testamenti consummata, 81, 90. *perfectus* quis, 502. perfectissimi habent aliquid imperfectionis, ib. *perfectus* quot modis dicatur, ib. 504. perfectionis gradus, 508. ejus mensura à Scripturis petenda, 509. perfectæ vitæ cancelli, ib.

Periculo proximus nemo diu tutus, 9. periculosum est in extremis versari, 82.

Pertinacia tertia Libertinorum ala, 157.

Perversitas ingenii Papistici, 358.

Pestis ingravescentis descriptio, 71.

Petri pusillanimitas in tyrocinio, 524, 525. Petrus *piscator hominum*, 4. visio ejus de linteo cum quadrupedibus explicatur, 46. Legem moralem scriptis confirmat, 202.

Philetæ Coi Historia, 125.

Philosophia res veneranda, 40. vaniloquentiæ tamen & subtililoquentiæ subjecta est, ib. sed vera non mentem fallit, sed polit, exornat, &c. 41. culpanda si metas transiliat, ib. multos traduxit; unde Proverb. Maximi Philosophi maximi Hæretici, 42. Philosophi Christiani, 50. ad virtutem conducit, iter inchoat, 59, 61. Philosophiæ lucrum, 485. Philosophorum rectè dicta sunt peculia Christianorum, 63.

Pietatis dispendium, 16. ejus opera exercentur in cœlo, 268. ejus lex & regula in quibus tabellis reposita, 281. quomodo eadem cum Lege Decalogi, 283.

Piscator cœlestis Christus, 1. hominum Petrus, 4.

Plenitudo spiritûs, quomodo solius Christi prærogativa, 540. duplex, 541. utraque in aliquibus conveniunt, in aliquibus discrepant, 542. plenitudo Deitatis nullos habet fines, 543, 547. permanens in Christo, non in viatoribus, 545. plenitudinum οἰκονομία, 547. plenitudo fidelium in hac vita vacuitatibus obsita, ib. Prophetarum & Apostolorum imperfecta, 548. plenitudo redundantiæ ad Christum solum pertinet, 549.

Πληροφορεῖσθαι quid significat, 386.

Πληρόω & πληροφορέω sunt idem Apostolo, 28.

Pœnitentia Jejunii comes, 627. pœnitentiæ tempus, 703. ducit ad beneficium Legis, 174. ad fideles & lapsos pertinebat, 707. pœnitendi tempus non omnibus erit idem, 708. exinde nata nomina ib. quatuor pœnitentium gradus,

gradus, ib. pœnitentiæ adjuncta, 710. de ea Ecclesiæ judicium, ib.
Poetæ ecclesiastici, 50. apud eos vocabulorum abusus, 346. errores, 347.
Polemici qui optimi existimandi, 316, 317, 318.
Pontificii in Scripturam S. blasphemi, 14. eorum discrepantia in sacerdotum officiis assignandis, 20. traditiones suas & libros Apocryphos Scripturis canonicis exæquant, 84. non sunt docti scribæ, saltem non modesti, 86. Scripturæ judiciis stare recusant, 87. contra sacrum Canonem allatrant, ib. eorum calumniæ refelluntur, 148, 149, 150. Antinomis contrariantur, 158. in Lege gloriantur, 159.
Porticus Chrysippi, 4.
per *Portas* quid intelligitur, 437.
Possevinus refellitur, 335, 374.
Postea, quo sensu usurpatur, 656.
Potentia Christi in utroque organo, Manu & Linguâ, 16.
Præceptum dilectionis non est novum, sed novatum, 95. præcepta corripientia, 131. præceptorum doctrina observanda, 182. præcepta moralia sub notione triplici consideranda, 216. sunt vectigalia annua Deo debita, 265.
Prædicare est *tractare*, apud antiquos Doctores, 7. Prædicator, homo qui seminat, mulier quæ abscondit, negotiator qui quærit, & servus qui retia laxat, 19. prædicatio Ministrorum honor summus, 5. opus primum, proprium & quotidianum scribæ Evangelici, 19. cæteris præponitur officiis Ecclesiasticis, 21.
Presbyter verus esse potest, qui prædicandi dono & gratiâ non exornatur, 23. Presbyteri quare Ambrosio vicarii Christi & Antistites Dei dicti, ib. Nazianzeno consacerdotes Christi, ib. Presbyteri qui & quando ordinandi, 516.
Primus & Novissimus Christus, 2.
Principale aliquid in omnibus semper eminet, 406.
Prioritas quot modis rebus attribuitur, 22.
Priscillianistarum dogma de fatalibus stellis unde, 42.
Probate omnia, explicatur, 411, &c.
Proferre nova & vetera quid significat, 125.
Promissiones mutuæ Evangelii & Legis, 190.
Prophetæ & Apostoli principes disciplinæ & Christiani dogmatis duces, 4. illorum amanuenses *scribæ* dicti, 5. ut & ipsi Prophetæ, ib. eorum nomen non semper in stricto & proprio sensu sumitur, 3.
Prophetia *Prædictionis* & *Prædicationis*, 21.
in Protestantes probra, 429. eorum innocentia defenditur, 431.
Protogenis Historia, 352.
Psaltes egregius David, 6.
Psychopannychia quid, 428.
Pythagorici Numerum Quaternarium plurimum æstimabant, 201.

Q

Quadragesimæ observatio non inventum politicum, 675. Quadragesimam qui rejiciunt, ib. qui nihil observationis Ecclesiasticæ in ea latere existimant, ib. ejus vetustas, ib. in quem finem latæ sunt de ea Principum leges, 676, 677. pietatis est adjutorium & salutis animarum, ib. 678. à Christo non instituta, 680. sed ejus exemplo tuenda, 681. traditioni Apostolicæ referunt eam multi Pontificiorum, 683.
Quæstionum diversitas non exigua, 317.
Quasi non semper ponitur dubitativè, sed assertivè, 522.
Querelæ Prophetarum & Apostolorum ob prædicandi ineptitudinem, 14. Hieronymi & Augustini ob ineptum quorundam amorem secularium literarum, & neglectum Scripturæ, 66.
Quindecim viri Romani quales, 5.

R

Rabbinorum deliria, 38.
Ratio res Dei, 49. oculus animæ, 53. ejus dictamina, 241.
Rationabile obsequium quid, 178.
Reatus non est ubi non est obligatio, 253.
Recentiores Patribus & eruditione & sanctitate impares, 312. in ipsorum scriptis non oportet senescere, 313.
Regnum Dei non consistit in esu vel potu, 719.
Religio Christi ipso cœlo splendidior, 8. super quam doctrinam superstruitur, 164. Religio Angelorum & Sanctorum, 274. Religio Pontificia quomodo superstruitur, 393.
Renatis opus est ut vitam exigant ad normam Legis Divinæ, 179. Renatorum officium, 531.
Renovatio Spiritûs non tollit doctrinam Legis, 179.
Reprehensio quid, 133.
Resurrectio sanctorum maxima, 703.
Retractatio quid, 405.
Revelationes Pontificiorum, 387.
Rhetoricæ utilitas, 62.
Ritus ceremoniales quare proponuntur, 177.
Romanorum *quindecim viri* quales, 5. apud illos orator nemo habitus qui Ciceronem non sæpius legisset, 13.
Rosa Mathematica, Geometrica, Theologica, 222.

S

Sabbati opus meditatio creaturarum, & Divinarum laudum recognitio, 53, 57.
Sacerdotis enchiridion, &c. 17. officium, 18. quæ ad eos communiter pertinent, 20. Sacerdotis primi & secundi ordinis distinctio Pontificia, 22.
Sacerdotium opus formidandi laboris, 524. virtutum perfectio in eo necessaria, 526.
Sacramenti nomen explicatur, 348. Sacramenta Pontificiorum quot, 376. Sacramentorum administrationi præfertur prædicatio, & quare, 21.
Sacrificium Missificum Commentum Pontificiorum, 20. sacrificia spiritualia quænam, ib.
Salis proprietates, 134.
Salmeron perstringitur, 413.
Salomon non fuit author libri Sapientiæ, 112.
Salus à fide oritur & augetur, 13.
Sancti quò magis Deo familiares, eò magis invisi Satanæ, 531. Sanctorum status post resurrectionem, 649. Sancti vitâ suâ prædicant, 7. Sancti invocantur, 347. sed ut oratoribus moris est, ib.
Sanctificatio ubi, ibi obedientia, 182.
Sanctitas nulla in rebus terrenis, 719. Sanctitatem non operatur Lex Naturæ, 243. est caput primæ Tabulæ, 252.
Sanctotisius Cajetanum acriter perstringit, 655.
Sanctus, sanctus, sanctus, i. e. Omnimodo sanctus, 28.
Sapientia justificatur à filiis suis, 32, 119. Sapientia *increata* & *creata*, 229 creatæ sive revelatæ encomium, ib.
Satanæ significationes, 572. quare Inimicus dicitur, Hostis quare, Adversarius quare, 573. quot modis Dei dicitur adversarius, 574.
Satisfactio καλαχρηστικῶς usurpata, 349. Satisfactio quomodo fit, 672.
Schittim arboris genus apud Hebræos cujus lignum inviolabile, 258.
Scholastici qui, & quare sic dicti, 308. primitivi laudantur, 319. posteriores perstringuntur, ib. pauca sincera fide contrectant, 336. credendi temeritate rapiuntur, 378.
Scriba doctus in regnum Cœlorum, 2. nomen quo suos Christus præparat ad regnum cœlorum, ib. *Scriba*, cur ministri Dei sic à Christo dicti, 5. nomen sectæ, ib. quales & qui fuerint, ib. nomen sacri & publici muneris, ib. dicti per eminentiam, ib. Legis interpretes, ib.
doctores

doctiores aut nulli aut quàm paucissimi, 8. Scribæ Evangelici pectus debet esse thesaurus redundans, 79. Scribæ imperiti Manichæi & Judæi, 82. *scriba imperitus* quis, 98. quis *scriba doctus* censendus est, 6.
Scribere est Evangelizare apud antiquos doctores, 7.
Scriptura Thesaurus, 3. Scripturæ sacrosanctæ cur incorruptæ ad nos transmissæ, 12. illarum ignoratio, ignoratio Christi, ib. cur *aquæ, lacti, vino, & melli* comparantur, ib. earum lectio divinæ præcognitio beatitudinis, 14. in eas blasphemi Pontificii, ib. blasphemiarum illarum nonnullæ notatæ, ib. Scripturas quomodo appellant Patres, 15. collatæ cum traditionibus Pontificiorum, ib. earum concordia, 74. varietas, 76.
Σεμνὸς εὐλαβὴς & θρησκὸς quomodo distinguuntur, 501.
Significatio varia vocabulorum *veteris & novi Testamenti, Legis & Evangelii*, 74.
Signum confirmandæ Legis, 189. Signum Christi primum, 640. *miraculi & signi* differentia, ib.
Simon Magus unde didicit figmenta, 41, 42. ejus doctrina, 176.
Simulari quæ dicuntur, 663. Simulationis exempla, 639. quo sensu Ambrosius simulatione utitur, 662.
Sol opifex & auriga diei, 122.
Solitudinis laus, 485.
Solvere Legem quid significat, 192.
Solus quis dicitur, 518.
Somnia Judæorum & Manichæorum, & eorum confutatio, 82, 83.
Somnus Animæ quid, 428.
Sophistæ qui, 39.
Sopor quid, 672.
Spes quomodo in plenam comprehensionem mutabitur, 269. ejus actus purissimus, ib. quicquid infra spem evenit, in damno esse deputatur, 10.
Spiritûs Sancti operationes, 16. ejus emblemata, Columba, & Ignis, quare, 132.
Spiritûs vocabulum quid significat, 532. cujus Spiritu Christus ducebatur, 532. nomen spiritûs sine auctuario semper Spiritum Sanctum denotat, 535. est tertia persona Trinitatis, 537. Spiritus æquipollentes, 538. Spiritus in fideles guttatim infunditur, 545. quomodo singulis commensuratur, 549.
Status Christi duplex, 474. status *rei* & status *vitæ*, 498. status *Peregrinantis & Regnantis*, 650. Christus in utroque statu fuit, ib. Status naturæ integræ & corruptæ, 673.
Stylus hominis quid significat, 36.
Suggestiones salutares & seductoriæ, 600. quæ resistendæ sunt, & quæ non, ib.
Superbia prima Antinomorum ala, 156.
Symbolo Apostolico recitato surgebant gladiis districtis Christiani, quare, 212.

T

Tabularum duarum capita, 200.
Temeritati Deus nunquam adest, 524.
Temperantia quid, 515, 630. laudatur, 631. debet esse perpetua, 724. ejus exempla, 730.
Tentatores complicati, 606. mundi solius tentationes, ib. tentationes Satanæ inevitabiles quomodo, 612. quâ necessitate Christus tentabatur, ib. Christi tentatio præfigurata, 613. præordinata & præmissa, 614. ad quid prospexit tentationibus se subjiciendo, 619, 620. unde dicitur, & quid, 581, 585, 586. in tentationes præcipitanter insilire non oportet, 494. Christi tentationis tempus, 520, 522. per tentationes itur ad gratiam, & contra, 530. tentator Dei est proditor sui, 565. tentatio interior semper peccatum, sed non contrà, 566. quæ tentationes deprecandæ, 567. quando Deus tentatur, 582. *tentare Deum* quid, 583.
per *Ter, perpetuò* significatur, 28.
Tertulliani dictum de Apostolis, 7. de Zacharia sacerdote, ib. de histrionibus Religionis, 16. de Philosophis & philosophia, 41. fidei Catholicæ parû tenax, 324.
Theologia quasi Regina & Domina scientiarum, 34.
Theologorum errores non sunt ducendi pro theologia, 42. Gentilium libri Theologo necessarii, 44.
Tractare pro *Prædicare* apud antiquos doctores, 7.
Traditiones Pontificiis fundamentum sunt fidei, Lydius lapis, &c. 15. *Traditio Apostolica* latiori sensu accipitur, 684. Trajanus Imp. cur *herba Parietaria* dictus, 8. an Gregorii precibus anima ejus liberata, 376.
Tridentinorum decretum, 84.
Trinitas mysterium est supra captum rationis, 41.

V

Valentinianus quare triginta deos facit, 42.
Varro quantus lector & scriptor, 7, 11.
Verbum scriptum & non scriptum distinctio Pontificiorum, 15. verbum est prius voce ordine existendi, 33. verba plurima non sunt ità accipienda ut primâ fronte sonant, 343.
Veritas ipso cœlo splendidior, 8. semper sibi similis, 36. à Deo procedit, 54. ejus hostes Judæi & Manichæi, 82. ejus unitati tempus non præjudicat, 96. veritatis victoria alia est quam charitatis, 101. veritas Christiana supernaturalis, 380, id verius quod prius, 410. antiqua & æterna dicitur, 447. aliquando temporis filia, 456.
Vestigia legis Naturalis post peccatum remanentia, 242, 243. ex Patribus, ib. 244. ex ethnicis, 245, 246.
Vetera & Nova omnia complectuntur, 36. per *vetera transeuntia* quid vult Apostolus, 167.
Vetus & Novus homo simul in eodem tecto manent, 296.
Via bona, 449.
Vino Scriptura cur comparata, 13. vetus vinum melius est, 35.
de operariis in Vinea vulgi error, 7.
Virga Aaronis quid significat, 133.
Virtutis præmium in Deo, 8. ejus habitaculum, 157. virtutes manent in cœlo, 271, 272. quomodo exercentur, 273.
Visio Dei quid, 282.
Visitatio ægrotorum, quare postponitur Prædicationi, 21.
Vita quot modis in Deum disponitur, 509. quot in proximum, ib. in seipsum, ib. vita Monastica an à Christo instituta, 489, 493. de ea variæ Pontificiorum sententiæ, 497. nullo modo cæteris perfectior, 499.
Vivere quis dicitur, 518.
Umbra futurorum bonorum quid significat, 169.
Unctio docet non solum per se, sed utitur instrumentis, 183.
Unguentum Spiritûs sancti, 546.
Unitas Dei petatur ex multis libris ethnicis, 62. unitas est centrum testimoniorum Apostolorum, 222.
Voluntas naturam sequitur, non personam, 538. voluntas Dei in Cœlo & terra, 275. Angelorum & Sanctorum lex & regula, 277.

W

Waldensis Wicklevum falsò accusat, 429.
Whitakeri disputatio de Nathanis, &c. Scriptis, 117.
Whitgiftus vir doctissimus, 108. contra Cartwright. scripsit, ib.

Z

Zabulus quis, 577.
Zenonis Philosophi dictum, 5.
Zizaniorum significatio, 159.

FINIS.

